Digitized by Google

NAZIONALE
VITT. EMANUELE
ROMA
8
13 — M
2
47. 6. 12.
47
B
12
Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE DI TORINO

Digitized by Google

DISPVTATIONVM
SELECTARVM
DE POTENTIA OBEDIENTIALI
CREATVRARVM
ERGA
CREATOREM
Ad normam doctrinæ
S. BONAVENTVRAE
Doctoris Seraphici compoſitarum.

STVDIO

P. IOANNIS BAPTISTAE ROSSI
Societatis Ieſu Theologi.

TOMVS SECVNDVS.

ROMAE,
Ex Typographia Dominici Manelphii. M. DC. LII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ADMODVM REVERENDO IN CHRISTO PATRI NOSTRO

P. ALEXANDRO GOTTIFREDO

GENERALI PRAEPOSITO SOCIETATIS IESV

Recèns Creato.

O Diem optatam S.Agnetis V. M. Rom. feſtam, quæ fortunatam clientis ſui conciuis inaugurationem Romæ vulgauit. O clarum diei iſtius mane,quo æternûm decreta electio in ſupremi Imperatoris aula, Patrũ cõſcriptorum aulæ innotuit,vbi procul omni ſtrepitu placidiſſimè, ceu de cœlo lapſæ, inſonuere voces illæ, (R. P. ALEXANDER GOTTIFREDVS PRAEPOSITVS GENERALIS SOCIETATIS IESV RENVNCIATVR.) Inſonuit illicò,& templum affluentium multitudine, auidè nuncium præſtolantium confertum. O bene factum, quod fœlix, fauſtumque Societati, & Eccleſiæ Catholicæ ſiet, Pater Alexander Gottifredus Præpoſitus Generalis Societatis Ieſu creatus eſt. Quàm ampla tibi gaudiorum ſeges, ò bona parens *Societas Ieſu*, quæ adoleſcentem ROMANVM genere nobilem, genio candidum, ingenio inclytum, tuo gremio ad pietatem fouiſti, diſciplinis ad cathedras præparaſti, exercitatione ad magiſtratus erudiſti, ſuperna illuſtratione ad ſupremum regimen euexiſti, ſuffragiorum copia vtrique Hieruſalem adiutorem ſuppeditaſti. Te fœlicem matrem filiorum lætantem, quæ tuo corpori caput vides impoſitum,vbi Regiam virtus poſuit, Sapientia ſedem delegit, Sanctitas habere gaudet habitaculum. Hinc velut à perenni fonte deriuari ſenties in tuas areolas prudentiæ riuos in gubernando; Vigilantiæ in prouidendo; Iuſtitiæ in iure æqua lance adminiſtrando; Caritatis in amore tuos filios complectendo; Cœleſtis conuerſationis ad ſui imitationem verbo, ac exemplo ſubditos prouocando. Vt mihi proinde videar audire vatem quempiam probum acclamantem læta gratulatione tibi à Deo dilectæ. *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael, vt valles nemoroſæ, vt horti iuxtà fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quaſi cedri propè aquas: Fluent* Num. 24.
aquæ de ſitula eius, & ſemen illius erit in aquas multas. Salutares videlicet orbi terrarum campis, quà fructuum ſterilitate ſqualidis, quà ſpinis errorum hiſpidis, quà nebulis ignorationis obſitis. Fallor, an ego quoque vaticinor, & voto quo tibi Præfecturam hanc ſummam pridem deſtinaui, hactenus indulgeo, vel auguria fœliciſſimæ ſpei, fœlicioribus euentibus antepono? Profectò vera faſſum acta probabunt, & vaticinijs iuncta fuiſſe auguria commonſtrabunt. Interim Pater optime, cui tam emeritam, quam illibenter admiſſam à te nouam gratulor dignitatem, confidenter in tuum ſinum volantem, alterum hunc Diſputationum mearum partum accipe, amoris in me tui haud recentis: indicem, adauctæ recèns meæ in te obſeruantiæ teſtem: & quem ex humanis quicquam amplius ſperare ſenium vetat, fouere tuis apud Deum precibus ne grauere; ac amare pro tui regiminis fœlicitate precantem porrò perge.

Paternitatis tuæ

Humiliſſ. in Chriſto ſeruus, ac filius

Io. Baptiſta Roſſi.

Digitized by Google

FRANCISCVS PICCOLOMINEVS SOCIETATIS IESV
Præpoſitus Generalis.

CVM ſecundum tomum P. Ioannis Baptiſtæ Roſſi noſtræ Societatis Sacerdotis de Potentia Obedientiali in ſpecie ſecundum mentem Sancti Bonauenturæ aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem facimus, vt typis mandetur ſi ita ijs, ad quos pertinet videbitur. In cuius rei fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas damus Romæ 10. Maij 1651.

Loco † ſigill.

Franciſcus Piccolomineus.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſſ. D. Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtro.

A. Riualdus Viceſgerens.

Imprimatur, Fr. Vincentius Fanus Mag. & Socius Reuerendiſſ. P. Mag. Sac. Palatij Apoſtolici.

Digitized by Google



S. BONAVENTVRA CARDINALIS ECCLESIÆ S.tæ DOCTOR
TER SERAPHICVS

Digitized by Google

EX EPISTOLA
IOANNIS GERSONIS
CANCELLARII PARISIENSIS.

In 1. par. operum tract. de Examinat. Doctrin.

IGNEM veni mittere in terram (dicebat Chriſtus) & quid volo niſi, vt ardeat? In dextra nempe Dei eſt ignea lex; cuius eloquium ignitum eſt vehementer: cuius oculi ſunt ſicut flamma ignis: cuius præco Ioannes dictus eſt lucerna ardens, & lucens inſtar Helyæ. Conſiderans iſta noſter Euſtachius Dominus Bonauentura voluit eſſe doctor ardens: ſciens quoniam lucere parum eſt, & ſæpe vanum: ſæpe noxium; quoniam ſcientia inflat, & Dęmonem facit; quid enim Dęmon interpretatur niſi ſciens? ſcilicet abſque charitate. Sortitus eſt idcirco ſecundùm laudem vitæ ſuæ pariter & Doctrinæ nomen ipſe Bonauentura, vt antonomaſticè Doctor Seraphicus nominetur. Docet hoc in ſpeciali ſuum itinerarium mentis in Deum: cuius opuſculi imo operis immenſi laus ſuperior eſt ore mortalium. Docet & ſuum breuiloquium theologiæ proceſſum prope theologicum retinens, & quaſi conuerſum ad priorem: quoniam à primo principio deſcendit ad alias veritates. Docet denique lectura ſua grandior ignem ſuum cum lumine: vnde mirum, imo miſerum, & miſerabile videtur; ne dicamus damnabile, quo pacto prælatæ ſint doctrinæ quædam aliæ ſub ſpecie ſubtilitatis, plus inquietantes, quaſi cyniſes Ægyptiæ, quam ſabbatum mentis incendio terræ Geſſen afferentes. Secutus eſt Doctor iſte (ſe teſtante.) Doctrinam communem, & ſolidam, quæ Pariſijs vigebat, maximè tempore ſuo. Vnde & allegat ad confirmationem doctrinæ ſuæ Pariſienſ. articulos, quos per DD. Pariſienſ. de conſilio, & aſſenſu magiſtrorum omnium dicitur fuiſſe damnatos, & excommunicatos.

Idem 1. p. tit. de lib. legen. Ille inquit ſingulariter inter omnes catholicos Doctores, pace omnium ſalua, videtur idoneus, & ſecuriſſimus ad illuminandum intellectũ, & inflammandum affectum.

S. Antoninus Archiep. Florent. Ordinis Prædicatorum, Bonauentura ait, ſicut in luminibus ſcientiarum, & maxime in ſcripturis Sanctis videbatur mira capacitate proficere, ita & in deuotionis gratia continuum ſumebat incrementum.

Sixtus V. in diplom. de SS. Bonauentura, & Thoma ait. Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra in domo Dei lucentia, qui & caritatis pinguedine, ac ſcientiæ luce totam Eccleſiam colluſtrant, & ſingulari Dei prouidentia eodem tempore, tanquam duæ ſtellæ exorientes ex duobus clariſſimis regularium ordinum familijs prodierunt.

Alia plura huiuſmodi teſtimonia in primum tomum Opuſculorum meorum ſpiritualium congeſſi.

Digitized by Google

S. DIONYS.

De diuin. nom. c. 8.

DICIMVS igitur, Deum eſſe potentiam, vt quipræhabet in ſe, & ſupra quam habet omnem potentiam, & vt omnis potentiæ auctor, & vt omnia inflexibili, & incircumſcripta potentia producens & vt auctor ipſius eſſe potentiæ, tam vniuerſalis, quàm cuiuſque particularis, & vt infiniti potens non ſolum omnem potentiam producendo, ſed etiam ſupra omnem potentiam, & ſupra ipſam per ſe potentiam exiſtendo; & quod deſuper poſſit innumerabiliter infinitas alias potentias producere, & quòd infinitæ infinito numero productæ potentiæ nunquam queant ſupra quam infinitam potentię eius potentificæ effectionem habetur; quodque ineffabilis & incognoſcibilis, & inexcogitabilis ſit omnia tranſcendens eius potentia, quæ exuberantia poteſtatis potentem reddit infinitatem, cuius extremos quoque terminos continet, penetratque.

CAN-

Digitized by Google

CANDIDO LECTORI.

NON onerant bibliothecas, ſed ornant qui S. Bonauenturæ doctrinam ſolidam, ſubtilem, profundam, piam commentarijs illuſtrant. Etenim ex hoc labore ſtudioque geminus in primis emanat fructus. Alter eſt acceſſio gloriæ; ſi quæ fieri poſſit huic ſoli de cœlo Eccleſiæ vtriuſque coruſcanti: Alter eſt literariæ Reipub. ſplendor, ac decus, cuius intereſt Scriptorum copia, qui ad Seraphicæ ſapientiæ excellentiam contemplandam incurioſis illius animis obijciant, ſi fortè ad amandam, ſectandamque excitent. Quæ ſanè cognitio impulit me, vt priori tomo de Potentia Obedientiali, quem non diſplicuiſſe viris ſapientibus, intellexi, poſteriorem hunc adiungam; in quo inſigniora quædam ſenſa, & effata Doctoris Sancti eò accuratiùs enucleanda ſumpſi, quò difficiliora ſunt, & minùs in Scholis Theologorum trita, quibus idcirco admirationem cient, atque vt peregrina forte flocci fient: Sed diligentiùs perpenſa, atque perſpecta, partus eſſe, inuentaquè ingenij Seraphici cognoſcuntur, & delectant, non ſecùs quàm olim miranda quædam machinamenta in circenſi pompa circumducta rapiebant oculos, & ſumma delectatione in ſe retinebant. In tota verò tractatione iſta non alius mihi ſeruandus eſt ordo, quàm qui ab argumenti offertur varietate, vt connexionem videlicet habeant cum Potentia Obedientiali vniuerſim primo tomo examinata, quæ diſputanda ſunt in præſenti, qualem habent cum arboris radice rami, eidem innixi trunco, ac inuicem ſeiuncti; quamque cum ramis ſurculi hinc inde pullulantes; non quomodo torques pectorum nobilium ornamentum annulis contextum, quorum vnus trahit alterum, & vnà cuncti coronam conflant. Ne tamen inordinatus, & ſcopis diſſolutis adſimilis codex prodeat, in tres præcipuas diſputationes affinia capita continentes partitur, quarum prima de natura, obiecto primario, & adiunctis viſionis beatificæ differit, & pleraque antecedentia, & concomitantia complectitur: Altera circa obiectum eius ſecundarium occupatur: Tertia erit de infinito. Nam quia Seraphicus Doctor profunda diuinæ ſapientiæ, infiniti contemplatione, ceu bolide ſæpe metitur, & ex eius cum creatura repugnantia extra limites increatæ virtutis eliminat, ea propter adiungenda diſputatio de Infinito eſt ne ſuo fundamento ædificium deſtituatur, & in decurſu paſſim aduerſario principium obtrudatur, quod probatum non eſt, & ab ipſo tam prompte negetur, quàm fidenter à S. Bonauentura aſſumitur.

Hæc pauca correcta ſunt, reliqua facile corriges.

In indice primo	Corrige	[illegible]. qui non ſolum	quem	Pag. 22. ſit	vt
		Ibid. c. 2. proſſabili	probabili	13. impoſſibilia	impaſſibilia
oculam	oculum	Ibid. ſanæ	ſanè	Ibid. accomod.	accommodetur
Primum duplex	duplex genus	Pag. 8. ab effectu	ab affectu	Pag. 24. baptiſſimo	baptiſmo
corrollaria	corollaria	Ibid. cognoſci poteſt, valet	dele valet	190. ſubſtituta	ſubſtantia
Pag. 5. noſtro	noſtrum	Ibid. à Philoſophus	Philoſophis		

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO PRIMA

De narura viſionis beatificæ, & adiunctis ejus continet capita ſequentia.

I. AN demonſtrari poſſit ratione naturali poſſibilitas viſionis beatæ.
II. Reſponſio ad argumenta.
III. Corollarium primũ de appetitu innato viſionis.
IV. Corollarium ſecundũ de appetitu elicito eiuſdem.
V. Confirmatio dictorum ex ſolutione argumentum.
VI. An poſſibilis ſit intellectus, qui propria virtute cognoſcat entia ſupernaturalia.
VII. Soluuntur argumenta contraria.
VIII. An viſio beata poſſit eſſe connaturalis alicui Creaturæ.
IX. An ſit poſſibilis creatura intellectualis natura ſua impeccabilis.
X. Defenditur à Cenſura opinio affirmans.
XI. An viſio beata poſſit eſſe ſine lumine gloriæ.
XII. Sententia S. Bonauenturæ.
XIII. Quid ſentiat S. Thomas de hac Controuerſia.
XIV. An poſſibilis ſit intellectus tam perfectus, qui propria virtute cognoſcat Trinitatem Perſonarũ in vna eſſentia.
XV. An repugnet oculum corporeum eleuari ad videndam eſſentiam diuinam.
XVI. Solutio Argumentorum.
XVII. An diuina eſſentia à puro viatore videri poſſit.
XVIII. Confirmatio dictorum ex genuina ſignificatione vocum hebraicarum.
XIX. An ſit poſſibilis viſio beata diuerſæ ſpeciei ab ea, quæ nunc eſt.
XX. Hac occaſione quæritur, an Angeli ſint multiplicabiles ſub eadẽ ſpecie, & examinatur ſententia S. Thomæ.
XXI. Opinio S. Bonauenturæ de eodem.
XXII. Confirmatur ſententia S. Bonauenturæ ex ſolutione argumentorum à contraria obiectorum.

SECVNDA PARS DISPVTATIONIS PRIMAE

De adiunctis viſionis beatæ antecedentibus, comitantibus, ac ſequentibus in capita ſequentia diſtinctis.

I. AN ſit poſſibilis ſpecies impreſſa repreſentatiua intuitiuè diuinæ eſſentiæ.
II. Reſpondetur varijs implicantijs adductis à Scholaſticis pluribus.
III. An argumentum à paritate ſpeciei expreſſæ validè probet poſſibilitatem impreſſæ.
IV. An repugnet ſpecies expreſſa diuinæ eſſentiæ.
V. An ſit poſſibilis ſpecies impreſſa abſtractiuè Deum repreſentans, & non intuitiuè.
VI. An ſit poſſibilis ſpecies impreſſa repreſentans intuitiuè Deum vt exiſtentem puro viatori.
VII. Corollarium primum ex dictis, Deus eſt, propoſitio per ſe nota viatori.
VIII. Corollarium ſecundum non poteſt demonſtrari à priori Deum eſſe.

IX. An

IX. An poſita euidenti reuelatione myſterij Trinitatis, cognoſcatur euidenter, quod ſit.
X. An in rebus creatis ſit aliqua ſimilitudo Trinitatis.
XI. Senſus S. Auguſtini in explicanda ſimilitudine animæ rationalis cum Trinitate.
XII. Propoſitiones ad oſtendendam ſimilitudinem animæ rationalis cum Trinitate ex SS. Auguſt. & Bonauenturæ.

TERTIA PARS DISPVTATIONIS PRIMÆ

De repugnantia viſionis creatæ cum falſitate, & malitia ijs Capitibus contenta.

I. AN viſio beata de abſoluta potentia poſſit eſſe falſa.
II. An viſio beata ſtare poſſit cū peccato.
III. An ſimul eſſe poſſit peccatum mortale, & gratia.
IV. Reſponſio ad argumenta contraria.
V. Argumenta ex rationibus ad prædictas Aſſertiones.
VI. Solutio ſingularis argumenti à S. Bonauentura allata.
VII. Corollaria ex dictis. Primum duplex ſanctificationis in ſententia genus S. Bonauenturæ.
VIII. Secundum. Remiſſio peccati mortalis ſine intrinſeca mutatione phyſica peccatoris an poſſibilis.
IX. Tertium. Completa iuſtificatio non fit ſine gratiæ infuſione.
X. Quartum Deus de abſoluta potentia. Poteſt iuſtificare per gratiæ infuſionem ſine vlla diſpoſitione peccatoris.
XI. An ex hypotheſi quod non eſſet Deus, adhuc eſſet malum morale, & peccatum.
XII. Soluuntur argumenta contraria.
XIII. Medinę reſponſio ſoluendæ quæſtioni apta.
XIV. Obiectio contra eandem.
XV. An de potētia abſoluta poſſit in Patria eſſe dilectio ſeparata à Viſione.
XVI. Notanda pro ſolutionibus argumentorum à ratione ductorum.
XVII. Solutio aliorum argumentorum.
XVIII. An ſit poſſibile principium intellectiuum, quod non ſit volitiuum.
XIX. Reſponſio ad argumenta contraria.
XX. An repugnet principium volitiuū quod non ſit intellectiuum.

DISPVTATIO SECVNDA

De obiecto primario & ſecundario viſionis beatæ ijs capitibus comprehenſa.

I. AN de potentia abſoluta videri poſſit eſſentia, nō viſis perſonis.
II. Solutio Argumentorum.
III. Explicantur magis ſuperiùs dicta per varias dubitationes ex locis varijs S. Bonauenturæ.
IV. An videri poſſint in Deo omnes Creaturæ.
V. Reſponſio ad argumenta.
VI. Quę vis inſit argumento calculatorio ad inferendam infinitatem.
VII. Quid ſit cognoſcere plura habitu ſecūdum S. Bonauenturam.
VIII. An per vnam numero viſionē videri poſſint ſucceſſiuè varię Creaturę.
IX. Solutio Argumentorum.
X. Quomodo intelligendum ſit dictum S. Bonauenturę prima veritas eſt ratio cognoſcendi alia.
XI. Corollaria ex dictis in ſuperioribus capitibus. Primum quomodo Deus dicatur ſpeculum voluntarium.
XII. Secundum ex vi verbi viſi non videntur Creaturę.

No-

Digitized by Google

XIII. *Notanda pro ſolutione Argumentorũ.*
XIV. *Hinc alter modus videndi Creaturas in verbo ex S. Bonauentura.*
XV. *Reſponsio ad auctoritates Patrum.*
XVI. *Reſponsio ad argumenta ex ratione.*
XVII. *Tertium Corollarium, cur potius hę Creaturę, quàm alię videantur in verbo,*
XVIII. *Quartum Corollarium, Quę & quomodo Creaturę videantur initio beatitudinis, & quę ſucceſsiuè.*
XIX. *Quintum. Quid de Decretis liberis Dei in ſententia S. Bonauenturæ.*
XX. *Sextum Corollarium. Neque ex vi verbi cogniti creaturæ in vniuerſum videntur,*
XXI. *Septimum Corollarium. Neq. Deus ex vi eſſentiæ cognitæ videt Creaturas.*
XXII. *Octauum Corollarium. Quod in diuinis Ideis cognoſcuntur Creaturæ.*
XXIII. *Obiectiones contra explicationem ſententiæ S. Bonauenturæ de Ideis.*
XXIV. *Solutio principalis argumenti iuxta diſtinctionem S. Bonauenturæ.*
XXV. *An effectus contingens cognoſci poſſit certitudinaliter in Cauſa proxima.*
XXVI. *Pars affirmans probatur auctoritate Sancti Auguſtini.*
XXVII. *Soluuntur argumenta contraria.*
XXVIII. *Altera reſponſio ex dictis SS. Auguſtini & Bonauenturę formata.*
XXIX. *Duo dicta probantur ex S. Auguſt.*
XXX. *Quod Deus non predeterminat ad actionem malam phyſicè conſideratam.*
XXXI. *Confirmatur auctoritate multiplici S. Bonauenturę idem dictum.*

TERTIA DISPVTATIO DE INFINITO

In duas partes diuiſa, quarum vna diſſerit de poſsibilitate Infiniti in creatura; altera deducit Corollaria quædam ex impoſsibilitate Infiniti Categorematici.

Primæ Partis Diſputationis Tertiæ Capita hæc ſunt.

I. *Continet premittenda ad intelligentiam Concluſionis S. Bonauenturæ negantis actu Infinitum eſſe poſſibile in Creaturis.*
II. *Probatur ex dictis Aduerſariorum in Infinito non eſſe pondus, in quo Deus diſponit Creaturas.*
III. *Quod infinito repugnet menſura.*
IV. *Corollaria præcedentis doctrinæ ex S. Bonauentura.*
V. *Explicatur alia ratio S. Bonauenturę.*
VI. *Ex varijs incommodis Infiniti oſtenditur eius impoſſibilitas.*
VII. *Solutio Argumentorum.*
VIII. *Soluitur Argumentum petitum ex diuinis, & quæritur, an vna perſona relatiua dici poſſit maior alia.*
IX. *Quod Infinitum ſit ſine numero.*

Secunda Pars Diſputationis Tertiæ continens Corrollaria quædam.

I. *Deducitur ex impoſſibilitate Infiniti, Mundum non potuiſſe eſſe ab eterno.*
II. *Patrum Auctoritates pro S. Bonauentura.*
III. *Confirmatio opinio S. Bonauenturę.*
IV. *An repugnet Creaturę communicari potentiam creandi.*
V. *Explicatur dictum S. Bonauenturę inter ens, & nihil eſt infinita diſtantia.*
VI. *Explicatur precipua difficultas contra S. Bonauenturam.*
VII. *An repugnet, Creaturam aſſumi a Deo vt inſtrumentum creationis.*
VIII. *Solutio argumentorũ contra prædicta.*

DIS-

Digitized by Google

DISPVTATIONIS PRIMAE CAPITA

AN DEMONSTRARI

Poſsit ratione naturali poſsibilitas Viſionis beatificæ.

C A P. I.

I. Senſus quæſtionis.
II. Demonſtrari poteſt viſionis beatæ poſsibilitas ex mente S. Bonauenturæ.
III. Et abſolute, etiam illa præciſa.
IV. Auctoritates, & rationes, inter quas optima Scoti ad probationem.

I. HOC eſt quærere an intellectus aliquis ſaltem creabilis virtute ſua naturali euidenter queat cognoſcere poſſibile eſſe, quod creatura rationalis clarè, & intuitiuè videat Deũ ſicuti eſt, idq, tam poſita reuelatione myſteriorum fidei, quàm quolibet auxilio fidei præciſo per innatas ſolummodo vires, per quas non ſolum cognoſcat conuenire creaturæ rationali beatitudinem in communi, ideoq; eius eſſe capacem, ſed hanc in particulari, quæ conſiſtit in viſione Dei.

Prima ſententia negatiua. Ocham Aureol. Suar. Faſol.

Prima ſententia abſolutè negat in vtroque ſenſu Ocham in 4. quæſt. 13. art. 2. Aureolus in 4. diſt. 49. q. 4. & alij, quos ſequitur Suar. in Metaph. diſ. 30. ſect. 11. nu. 50. & 1. p. tract. 1. l. 2. c. 2. num. 12. Faſol. 1. p. q. 12. art. 1.

num. 18. & alij plures apud ipſum.

Secunda ſententia affirmatiua. Scotus, Sueſſan. Vazq.

Secunda ſententia abſolutè affirmat Scot. in 4. diſt. 49. quæſt. 8. Licèt Rada. controu. prima art. 3. concl. 2. citet pro contraria in q. 1. Prolog. Sueſſan. 2. Metaph. diſp. 3. c. 4. quorum opinionem probabiliorem eſſe aſſerit Vazq 1. 2. diſp. 20. num. 4. addens num. 8. ita ſibi videri demonſtratiuas rationes, quibus id probatur, vt tamen non affirmet ſolo lumine naturali à Philoſophis poſſe inueſtigari, idque cohærentur ad dicta 1. p. diſp. 114. nu. 13. non poſſe Angelos cognoſcere ex vi luminis naturalis ea, quæ ſunt ſupernaturalia in entitate. Sequitur Arrubal. 1. p. q. 12. diſp. 15. quæ diſtinctio Patris Vaſq. eximit illum ab inconſtantiæ nota quam affingit P. Arriaga tom. 1. de Deo diſp. 4. init.

Prima Aſsertio.

IN ſententia S. Bonau. Demonſtrari poteſt euidenter poſſibilitas viſionis beatificę ſaltẽ ſuppoſita reuelatione fidei. Probatur nam in 1. d. 5 ar. 1. q. prima habet hæc verba in vltimo argumento, ſed contra pro reſolutione, *vnumquodque efficacius poteſt in id, ad quod naturaliter ordinatur; ſed intellectus noſter naturaliter ordinatur ad cognitionem ſummæ lucis, ergo illa* II.

Digitized by Google

maxime cognoſcibilis eſt, ex quo ſic argumentor, quicquid eſt naturale intellectui, cognoſci poteſt naturaliter ab habente notitiam intuitiuam, & quiditatiuam ipſius præſertim cōprehenſiuam, ſed ordinatio ad cognitionem ſummæ lucis eſt naturalis intellectui, ergo cognoſcibilis eſt ab habente notitiam intuitiuam, & comprehenſiuam ipſius. Sed Angelus tam creatus, quàm creabilis habet notitiam huiuſdi, non ſolùm intellectus humani, ſed etiam Angelici, ergo & ordinationis ad cognitionem ſummæ lucis. Maior patet, quia cognitio intuitiua, & comprehenſiua penetrat intimè quiditatem totam rei, & eſſentiam eius, ad quam pertinet ordinatio iſta; Minor eſt in contextu. Aſſumptum verò patet, quia de facto tribuitur Angelis cognitio intuitiua naturalium, quæ exiſtunt ſecundùm communem ſententiam, à quà non diſcrepat S. Bonau. in 2. d. 3. a. 1. q. 1. c. vbi cognitione creaturarum per ſpecies ipſarum, & illuminationem à Verbo ſuſceptam docet Angelos nouiſſe facta, & facienda. Et hæc cognitio, inquit, matutina eſt, de qua loquitur Auguſtinus ſuper Gen. ad litteram, & hæc fuit in Angelis &c. quia videlicet clara fuit, & proinde intuitiua; alioqui neque matutina, & ſine tenebris, neque per illuminationem à verbo diceretur. Neque loquitur de cognitione ſupernaturali, tum quia hanc diſtinguit ab alia matutina, quæ eſt in Verbo; tum quia ſubdit, *hanc etiam dicunt in dæmonibus remanſiſſe, ſed obſcuratam propter culpam*; ideo non matutinam eſſe dicendam. quis autem cognitionem ſupernaturalem remanſiſſe putet in dæmonibus?

Dices ordinationem quidem poſſibilem ad cognitionem ſummæ lucis eſſe naturalem, & cognoſci intuitiuè ſecundum id, quod dicit intrinſecè, ſed terminum extrinſecum cognoſci in confuſo, & vniuerſaliter, & ideo non poſſe demonſtrari in particulari, ſicut poteſt cognoſci materia ſecundùm entitatem intrinſecam eſſe potentia ad formam abſque eo, quod cognoſcatur forma in particulari.

Contra, quia ad demonſtrandam poſſibilitatem termini non eſt neceſſe cognoſci clarè terminum, ſed ſufficit quod in confuſo ex cognitione alterius, cum quo habet connexionem, & ipſe etiam cognoſcatur, vel poſſibilis, vel exiſtens; & vel in communi & in confuſo, ſi terminus ſit multiplex & indifferens, vt eſt forma reſpectu materiæ; vel in particulari, & magis diſtinctè vt eſt centrum reſpectu grauitatis. Si ergo intellectus ordinatur naturaliter ad cognitionem ſummæ lucis ſecundùm Bonauent. tanquam ad terminum particularem, oportet habentem cognitionem intuitiuam naturæ intellectus, cognoſcere etiam in confuſo poſſibilitatem ſummæ lucis.

Sed dices rurſus, quod poſſibilitas hæc eſt ordinis ſupernaturalis, ad quē non attingit cognitio naturalis; & quod intellectus non ordinatur naturaliter poſitiuè per aliquam inclinationem, ſed tantùm negatiuè per indifferentiam, ſeu per plenam ſubiectionem ad creatorem potentem illum aſſumere vt inſtrumentum viſionis, ad cuius cognitionem non eſt neceſſe cognoſci terminum in particulari, ſicut non eſt neceſſe cognoſcere gratiam poſſibilem ex eo, quod cognoſcitur anima ſubiecta plenè creatori ad recipiendum omne accidens, quod non implicat.

Reſpondeo enim hoc non ſufficere ſi intellectus ordinatur naturaliter ad cognitionem ſummæ lucis, quia hæc ordinatio dicit aliquid ſupra communem ſubiectionem creaturæ ad creatorem, & non ſolùm potentiam paſſiuam, ſed etiam actiuam, qualis eſt, quę elicit cognitionem; quis enim dicat naturaliter ordinari animam ad gratiam recipendam, aut aquam ad illam producendam propter communem ſubiectionem ad Deum? hæc quippe non habet quicquam ratione, cuius dicatur naturaliter ordinata ad producendum effectum ſupernaturalem, neque ratione, cuius ordinetur ad recipiendum eundem; At intellectus ſi ordinatur naturaliter ad cognitionem ſummæ lucis, debet habere aliquid particulare, propter quod conueniat illi hæc ordinatio, quod non eſt aliud, quàm potentia intelligendi habens pro fine nobiliſſimum actum, qui eſt cognitio ſummæ lucis: Conſequenter

S. Bonau. affirmat intellectum eſse naturaliter ordinatum ad cognitionem ſummæ lucis.

ter cognita intuitiuè potentia hac, cognoſcitur poſſibilitas actus huius, non ſolùm in confuſò, vt eſt nobiliſſimus, ſed in particulari vt ſummi obiecti clarè viſi, ad talem namque actum ordinatum eſſę naturaliter intellectum aſſerit Seraph. ne fortè illum interpreteris de cognitione naturali ſummæ lucis, manifeſtè contra textum loquentem de cognitione, ad quam requiritur deiformitas, per lumen gloriæ ratione defectus virtutis intellectiuæ, quæ poſtulat compleri, vt attingat ſummam lucem clariſſimè de ſe cognoſcibilem.

III. Confirmatur hæc ratio Seraphici ex doctrina quarti mox citandi, quia non minus bonum eſt cognitio ſummę lucis intellectui, quàm ſit deſcenſus grauium ad centrum, & leuium ad lunæ concauum, ſed ad hæc naturaliter ordinata ſunt grauia, & leuia tanquam ad proprium locum quietis, ergo & intellectus ad illam tanquam ad finem vltimum, in quo quieſcat, ſicut enim corpora naturali inclinatione appetunt locum ſuum vt finem, & bonum ſui, & extra illum non quieſcunt, niſi impedita, & vniuerſaliter omnia bonum exoptant vt ex 1. Eth. docet Sanctus; ita intellectus cognitionem Dei, ſine qua ſemper erit inqcietus, iuxta illud Auguſt. l. 1. c. 1. confeſ. feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtro, donec requieſcat in te.

Intellectus ſine Dei cognitione inquietus.

Quod autem finis hic ſit ſupernaturalis non obſtat quia ad illum ordinatur animus, ex voluntate quidem Dei; ſed attenta etiam natura eius, cui conuenit tandem quies in aliquo bono, vt fine ſuo, non minus quàm cœteris rebus in ſuo, cognoſcens igitur intuitiuè eſſentiam, & naturam animi, cognoſcit etiam poſſibilitatem finis huius.

Secundò pariter probatur ex doctrina eiuſdem Sancti Bonauenturæ continente rationem huius ordinationis, & appetitus naturalis ad eam conſequentis: nam in 4. d. 49. a. 1. q. 2. c. Quoniam igitur, inquit, anima rationalis creata eſt ad Dei imaginem, & ſimilitudinem, & facta eſt capax boni ſufficientis, & ipſa ſibi non ſufficit, cum ſit vana, & deficiens; ideo dico, quod veram beatitudinem appetit naturaliter. Et loquitur apertè de appetitu naturali, quo naturaliter anima fertur in beatitudinem veram, quam idem ſcilicet reponit in cognitione ſummæ lucis, & fruitione eius: ne dicas loqui illum de beatitudine in communi. argumentum enim eſt huiuſmodi, anima condita eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, & eſt capax illius ſummi boni, ergo naturaliter illud appetit, & non tantùm bonum in communi. Certum eſt autem quod appetitus natutalis non eſt niſi rei poſſibilis, igitur cognoſcens intuitiuè animam, cognoſcit poſſibilem finem, ad quem inclinatur, ideſt veram beatitudinem, quia præter illam nulla poteſt dici finis, in quo quieſcat anima, quam creatura ſatiare non poteſt, aut ſiſtere, ne tendat vlteriùs appetendo.

Anima naturaliter appetit beatitudinem.

Secunda Aſsertio.

IV. Poſſibilitas diuinæ viſionis etiam præciſè à ſententia Seraphici ſecundùm ſe loquendo naturaliter demonſtrabilis eſt. probant rationes allatæ, & Præterea.

Primò, quia vt Scotus in 4. d. 49. q. 8. §. videtur tamen mihi, omnis potentia habens obiectum primum adęquatum poteſt per ſe in quodlibet contentum ſub illo, ſed primum obiectum intellectus eſt ens vt ens, ergo intellectus poteſt in quodlibet contẽtum ſub ente, & proinde etiã in poſſibilitatem viſionis, quę ratio pręter Scotiſtas, probatorem habet Vazq. cit. 1. 2. diſp. 20. nu. 8. ſed habet etiam improbatores multos tam veteres, qeàm recentiores, præſertim circa minorem, quæ vel gratis aſſumitur, vel facilè diſtinguendo eluditur; aut enim ens accipitur in tota ſua latitudine, & falſum eſt eſſe obiectum adæquatum, & primum intellectus, quia Deus comprehenſibilis eſt ens, nec tamen continetur intra fines creati intellectus, cum à ſeipſo tantùm comprehendi poſſit; vel ens accipitur limitatè, vt habet proportionem cum potentia iu ratione obiecti, & ita non complectitur viſionem, aut alia entia ſupernaturalia intra fines virtutis creatæ non eleuatæ per adiumentum ſuperius, quia naturali ratione non cõſtat vllam potentiam eleuari poſſe ad operandum ſupra ſuam virtutem.

Scotus probat.

Digitized by Google

Præterquam quod etiam admiſſa minore, non concluderetur demonſtrari poſſe viſionis poſſibilitatem, quia ſatis eſſet quod alio imperfectiori modo Deus cognoſci poſſet, vt probaretur quodlibet ens eſſe intelligibile ab intellectu creato, licet omnis modus non conſtaret, quo poteſt attingi.

Bon. in 1. d. 3. a. 1. q. 1. ad 5. anima eſt quodammodo omnia per aſſimilationem ad omnia quia nata eſt cognoſcere omnia, & maximè eſt capax Dei per aſſimilationem, quia eſt imago & ſimilitudo Dei.

Explicatur ratio Scoti.

Nihilominus probari poteſt minor, quia ens vt ens eſt obiectum Metaphyſicæ, ergo vt ſic eſt attingibile ab intellectu creato, ergo & quicquid participat rationem entis. probatur ſequela ſecunda, quia quicquid conuenit ſuperiori ſecundùm intrinſeca prædicata, conuenit etiam inferiori, ſed eſſe intelligibile conuenit enti, non ſolùm vt ſtat ſub abſtractione, ſed ſimpliciter, vt eſt id, quod abſtrahitur, quia non accipit intelligibilitatem per abſtractionẽ, ſed præſuponit, ergo enim quodlibet participans rationem entis, participat etiam intelligibilitatem cõtentam ſub ente in tota ſua latitudine, ſecundùm quam dicitur obiectum ſcientiæ Metaphyſicæ. Vnde & Deus continetur ſub illo, & eſt obiectum partiale Metaphyſicæ; & licèt ſit obiectum materiale, vt ſubſtat formali conſiderationi, ſeu abſtractioni; tamen illud nullum excludit ens, quia paſſiones eius cuilibet enti conueniunt; etiã ſupernaturali, etiamſi Metaphyſica non extendat ſe ad ſupernaturalia, vt ſic, quatenus numeratur vna ex ſcientijs naturalibus, quæ non attingunt obiecta ordinis gratiæ, dicta in præſenti ſupernaturalia; ſed ſolùm ad ens, & eius paſſiones vt abſtrahunt à differentijs particularibus, quæ tamen omnes participant rationes communes entis, & proinde etiam intelligibilitatem, quæ pertinet, & eadem eſt cum vera, ac reali entitate. Conſequenter ens in tota ſua latitudine eſt obiectum intellectus creati, & nihil ſub eo contentum excluditur à ratione obiecti, quia neque à ratione entis, quemadmodum quia viſibile vt ſic, ſeu coloratum, vel lucidum vt ſic, eſt obiectum viſus, nihil eſt participans colorem, aut lucem, quod non ſit obiectũ viſus.

Primum obiectũ intellectus creati eſt ens

Vera eſt igitur minor Scoti quod primum obiectum intellectus humani eſt ens, & proinde quodlibet in quo ſaluatur ratio entis.

V.

Ad hoc vt aliquid dicatur obiectũ potẽtiæ, non eſt neceſſe vt attingatur omni modo à potentia.

Confirmatur ex ſolutione inſtantiæ contra minorem, quia adhoc vt aliquid dicatur obiectum potentiæ non eſt neceſſe, vt omni modo attingatur à potentia, ſed ſufficit vt aliquo modo v. g. adhoc vt lux dicatur obiectum viſus non eſt neceſſe, vt ſecundùm quemlibet gradum intenſionis videri, poſſit à qualibet potentia viſiua, nam ſenſibilis exuperatio deſtruit ſenſum, vt Ariſtoteles l. 3. de anima in fin. & S. Bonau. 1. diſt. 1. a. 3. q. 1. ad arg. neq, viſus ſuſtinet immenſam lucem, & tamen lux dicitur obiectum viſus, quia aliquo modo ad eam pertingit, & ad omnes gradus eius ſingillatim, itaque vt Deus dicatur obiectum intellectus non oportet vt comprehendi ab eo poſſit, ſed aliquo modo intelligi, & nihil in eo ſit intelligibile, ſeu habens rationem entis, quod aliquo modo cognoſci non poſſit, licet omnes rationes ſimul à nullo creato intellectu ſint cognoſcibiles, neque à pluribus, etiam infinitis, quantùm ſunt cognoſcibiles: Et idem eſt de entibus ſupernaturalibus, vt enim dicantur obiectũ intellectus, & ab eo attingi poſſint, non eſt neceſſarium vt perfectè cognoſcantur, ſed ſufficit quod aliquo modo: Ideo ſi creatus intellectus apprehendat illa, & probabiles rationes inueniat ad aſſerendam ipſorum poſſibilitatem, iam patet eas intra obiecti eius limites contineri, quia nulla potentia extra ſuum obiectum tendere poteſt, ſicut nec aliquid cognoſcere ſub ratione communiori, quàm ſit ratio primi obiecti. Atque ita ſecunda inſtantia non ſolùm officit minori Scoti, ſed eam potius confirmat, illi enim ſatis eſt vt imperfecto etiam modo potentia attingat aliquid, vt hoc dicatur obiectum eius, & cum de viſionis poſſibilitate probabiliter diſſerere poſſit humanus intellectus, viſio erit obiectum eius, & ſtabit etiam minor illa applicata viſioni, quod ſit obiectum intellectus humani, quia continetur ſub obiecto primo & adæquato, quod eſt ens ſecundùm ſe. Ratio verò à priori eſt perfectio, & vniuerſalitas potentiæ intellectiuæ, quæ cum ſit ſpiritualis non eſt determinata ad vllum obiectum particulare, vt eſt ſenſus. & quod aliqua obiecta cognoſcenda egeat

Intellectus extendit ſe ad cognitionem omnis entis.

Digitized by Google

at auxilio externo, non obſtat quo minus illa ſint obiectum, quia tantùm eleuari poteſt ad obiectum, non autem extra, vt patet in viſu, qui non poteſt eleuari ad percipiendum ſonum.

Et hæc quidem de minori propoſitione aſſumpta à Scoto, nam quomodo ex toto ſyllogiſmo inferatur, quod intellectus creatus, poſſit euidenter cognoſcere poſſibilitatē viſionis, paulò eſt obſcurius; ſubſumit enim Scotus; ſed impoſſibile eſt, quod quietetur in aliquo, niſi in ſummo totius analogiæ immediatè, ſicut nec viſus quietatur, niſi in pulcherrimo viſibili: Sed hoc non poteſt eſſe in cognitione eius vniuerſali, quia cognitio in vniuerſali non eſt illius vt in ſe, ergo erit eius vt ſecundùm ſe in particulari, ergo vt ſic erit capax beatitudinis.

In, primis enim certum eſt quod etiamſi intellectus cognoſcat aliquid de Deo in particulari, & non ſolùm ſecundùm rationes vniuerſales, tamen non quieſcit, ſed potius deſiderio quodam ſciendi tentat plura inueſtigare de illius natura; cuius excellentia, vel modicè cognita non minus trahit intellectum, quàm color viſum, aut cantus auditum. Deinde experientia conſtat in nulla quantumuis perfecta cognitione abſtractiua per creaturas, ita expleri ſitim intellectus, vt non vlterius aueat plura, & perfectius noſſe. Imò quo maior eſt cognitio, eo vehementior eſt appetitus cognoſcendi, vnde Moyſes Exod. 33. non contentus familiari Dei colloquio, & agnit one per creaturam, petebat, ſi inueni gratiam coram te, oſtende mihi faciem tuam. Naturale igitur eſt huiuſmodi deſiderium ſciendi tum vniuerſaliter, tum particulariter de Deo plura, quàm ex creatura percipere poſſit, & ideo appetit cognitionem, in qua quieſcat, quæ eſt clara, & intuitiua Dei in ſeipſo, ſic S. Thom. 3. cont. gen. c. 49. docet ſubſtantias ſeparatas aliqua cognoſcere de Deo per ſuam eſſentiam, & c. 50. non quieſcere earum deſiderium donec videant clarè Deum. & hæc præciſa fide, attenta ſolum natura, & appetitu ſciendi.

Naturali eſt deſiderium ſciendi plura ſemper de Deo.

Et hinc patet vis argumenti Scoti; nam ex eo quod ſummum analogatum entis eſt intra obiectum intellectus humani, & hic in nulla cognitione eius quietatur, quæ non ſit Dei in ſe tendit in cognitionem Dei in ſe, quæ eſt viſio beata. Patet ſequela, nam admiſſo quod Deus in ſe ſit intra latitudinem obiecti intellectus humani, vt contendit primum argumentum, & quod intellectus non quietetur in vlla cognitione Dei abſtractiua, ſequitur quod appetat intuitiuam vt ſibi conuenientem, & poſſibilem, tum quia omnis cognitio obiecti proprij conuenientis eſt, & poſſibilis potentiæ; tum quia appetitus eius naturalis non eſt ad impoſſibile, vt ſupra, & Scotus quidem loquitur de intellectu humano, ſed concluſio eſt vniuerſalis de intellectu quolibet, quia etiamſi humanus non poſſet demonſtrationem hanc inuenire, non eſt deneganda vis hæc Angelis, quod ſufficit ad probandum poſſe ex vi naturalis luminis demonſtrari poſſibilitatem viſionis, hoc enim vniuerſim oppugnant argumenta contraria, præſertim in ſententia Scoti in 4. d. 10. q. 8. aſſerentis myſteria gratiæ cognoſci ab Angelis.

Poſſibilitas viſionis poteſt cognoſci in lumini naturali ſaltem ab Angelo.

VI.

Tertiò. Probatur vniuerſaliter concluſio, quia licèt ad oſtēdendum quod viſio ſit obiectū attingibile ab intellectu ſatis ſit quod attingatur ab eo per auxilium extrinſecum additum virtuti naturali; tamen adhuc illo præciſo non eſt deneganda vis hac alicui intellectui Angelico ſaltem creabili; nam quoties potentia, & obiectum habent proportionem in ratione cognoſcibilis, & cognoſcitiui, etiamſi in ratione entis ſint diuerſi ordinis, tamen exceſſus ordinis ſuperioris in obiecto poteſt adæquari per additionem virtutis ex parte potentiæ, ita vt attingat illud, quod ſine additione nō poterat; quod in genere dictum non poteſt negari, cum de facto intellectus beati roboretur ad videndum Deum, ſed poſſibilitas viſionis habet talem proportionem cum intellectu Angelico; ergo poteſt hic ita perfici, vt cognoſcat illam poſſibilem clarè viribus naturæ: Probatur ſequela, quia cognoſcibilitas hæc eſt finita, ergo adæquari poteſt à virtute cognoſcitiua in infinitum perfectiori, omne enim finitum additione finiti adæquari poteſt, & ſuperari. Fac enim eſſe cognoſcibilem, vt centum, creata

Exceſſus ordinis ſuperioris in obiecto poteſt adæquari per additionem virtutis factā potentia.

Digitized by Google

crata virtute cognoſcitiua duplo maior, excedat illam, ſicut data virtute motiua vt centum, ſuperabitur grauitas, & reſiſtẽtia corporis mobilis ponderantis vt 50.

Dices hoc verum eſſe de potentia, & obiecto intra eundem ordinem, alioqui probaretur etiam quod Deus videri poſſet ab intellectu aliquo viribus naturæ, quia viſio eſt quid finitum, & creari poteſt intellectus in infinitum perfectior, qui tamen nunquam habeat virtutem videndi Deum, quia viſio, & intellectus ſunt diuerſi ordinis.

Contra, quia hæc diuerſitas ordinis non facit quò minus potentia habeat proportionem talem cum rebus ſupernaturalibus, vt nõ contineantur intra limites obiecti illius; alioqui non poſſet vnquam ille exceſſus adęquari per additionem virtutis, atque ita non poſſet intellectus eleuari ap videndũ Deum, quod falſum eſt manifeſtè, ſicut non poteſt eleuari ſenſus ad viſionem eandem, atq; ad percipiendum obiectum alterius ſenſus, quantumuis eleuetur; quia nulla potentia fertur extra ſuum obiectum, proinde quæ tendit in aliquod obiectum, quantauis intercedat improportio quoad eſſe, non tollitur proportio in eſſe obiecti; licèt ad illud attingendum egeat eleuatione: manente autem proportione hac, poteſt tia augeri virtus potentiæ, vt perueniat ad attingendum ſuum obiectum, quod præciſo augmento non poterat attingere: Si igitur ad cognitionem perfectiſſimam rerum naturalium omnium requiritur virtus perfectiua intellectus vt 100. cur ſi fiat intellectus perfectior duplo, vel decuplo, non cognoſcet aliquod ens ſupernaturale, an ſit poſſibile? Dicere enim quod habeat cognoſcibilitatem diuerſi ordinis à cognoſcibilitate naturali, ſiue per lumen rationis naturalis, & propterea nunquam poſſe adæquari à virtute vlla naturali, non obſtat, nam creaturæ cuiuſcumque ſpecies à Deo infundi poteſt intellectui, & ea poſita cum generali concurſu poteſt intellectus eam intelligere, non igitur eſt in illa cognoſcibilitas diuerſi ordinis; vel ſi eſt, non obſtat cognitioni.

Confirmatur, quia licèt requireretur auxilium extrinſecum peculiare ad cognoſcendam viſionem, tamen illo ſemel poſito poteſt intellectus cum auxilio ordinario de illa ſemel cognita cogitare, & iudicare, ergo eius cognoſcibilitas non eſt alterius ordinis, antecedens probatur quia experientia conſtat recolere mente nos quæ ſemel cognouimus, & gratis adhoc requiritur auxilium ſpeciale, cum reminiſcentia talis ſit intellectui naturalis, & S. Paulus recordabatur extaſis, & arcanorum ſenſuum in ea viſorum cum auxilio Dei ordinario, & qui fidei myſterijs imbuuntur, aut aliter rerum ſupernaturalium cognitione informantur, poſſunt ſæpiùs de ijſdem recogitare, & loqui, ergo habent cognoſcibilitatem eiuſdem ordinis cum cæteris, que naturaliter cognoſcuntur. Sequela patet, quia ab eodem ordine cognoſcibilitatis ſolùm ea extrahuntur quæ indigent lumine, vel auxilio ſpeciali ad hoc vt cognoſcantur, vt eſt eſſentia, & perſonæ diuinæ, non autem quæ ſine illo cognoſci poſſunt, etiamſi ad primam notitiam requireretur aliquod auxilium ſpeciale. Sicut lux ſolis, & color dicitur naturaliter viſibilis etiam ab eo, qui cæcus erat, & non poterat videre, niſi reſtituta videndi facultatę miraculosè.

Poteſt intellectus de rebus ſemel per auxiliũ ſupernaturale cognitis naturaliter cogitare.

Ex diuerſitate igitur ordinis cognoſcibilitatis non concluditur, quod per additionem virtutis ex parte intellectus non poſſit adæquari exceſſus cognoſcibilitatis ex parte obiecti, cum ſolus Deus ſit in diuerſo ordine cognoſcibilitatis propter ſuam ſupereminentiam, cui non poteſt proportionari vllus creatus intellectus in ratione cognoſcitiui, niſi ab eo eleuetur, & fiat deiformis, idque in communiori ſententia negante fieri poſſe creaturam vllam, cui ſit connaturale lumen, vel facultas naturalis videndi Deum, in affirmante enim habetur intentum.

Nam in Deo ipſo difficile eſt inuenire rationem qua poſitiuè probetur implicare quod ab eius omnipotentia fieri nequeat intellectus tantæ perfectionis, vt virtute naturali ab eo accepta ipſum intueatur, & aliqui Theologi propterea valde de hoc dubitent, vt in quæſtione propria videbimus, De creatura autem nulla oſtendi poteſt, quod virtute intellectus creati cognoſci

Digitized by Google

ſci non poſſit, & proinde quod implicet fieri Angelum, qui lumine naturali cognoſcat poſſibilitatem viſionis, & luminis gloriæ.

Poſſibilis eſt intellectus humanus tã perfectus vt poſitis ſpeciebus ſuper naturalium ea cognoſcat naturaliter.

Neque hoc facilè negandum eſt, etiamſi negaretur de intellectu humano, de quo etiam concedendum fieri poſſe tam perfectum, vt poſitis ſpeciebus rerum ſupernaturalium eas naturaliter cognoſcat; qualis fuit Chriſti Domini, qui non ſolùm ſcientia intuſa, ſed etiam naturali eas nouiſſe probabile eſt; Quin & aliquis Philoſophorum præſertim Ariſtoteles, huc pertigit mentis acumine, ſi enim per ipſum anima rationalis immortalis eſt iuxta ſaniorem eius interpretationem, & fœlicitas eius in contemplatione perfectiſſima, qualis eſt entium nobiliſſimorum, & ſubſtantiarum abſtractarum poſita eſt etiam in hac vita, longè perfectiorem cenſet eſſe in alia vita, conſequenter in eius ſententia fatendum eſt verum eſſe vbi corporis exuta ſarcina totam ſe in cognitionem attollit intelligentiarum, & maximè primuæ, vnde Aug. de Trin l. 13. cap. 8. *Humanis quippe argumentationibus hæc inuenire conantes vix pauci magno præditi ingenio abundantes otio, doctriniſque ſubtiliſsimis eruditi, ad indagandam ſolius animæ immortalitatem peruenire potuerunt &c.* & ibidem animam purgatam in ſempiternam beatitudinem ſine corpore collocanda putauerunt. Neque apparet cur talis cognitio non ſit intuitiua, qualis ſola quietat intellectum, & complet fœlicitatem, quę eſt eius finis ex Ariſtotele propterea aſſerente quod intellectui melius ac, præſtabilius eſt eſſe ſine corpore, quàm cum corpore.

Aliqui Philoſophi agnita immortalitate animę beatitudinẽ æternam faſſi ſunt.

VII. Confirmatur ex doctrina Auer. 3. de anima. com. 5. 20. 36. relata à Vaſq. 1. 2. diſp. 20. num. 5. quia qui aſſerit animam eſſe mortalem, cogitur etiam negare, quod poſſit Deus ab illa videri, eo quod immortalis ſubſtantia effugiat viſum mortalis potentiæ, ergo qui fatetur animæ immortalitatem ſibi viam aperit ad oſtendendam poſſibilitatem viſionis huius; at Ariſtoteles eam fatetur, licet non ea ratione qua fides docet.

Quare Auguſtino Niph. videtur nō loquutus conſequenter Scotus, quod in 4. d. 43. q. 2. §. de 2. oppoſitione, dicat non poſſe demonſtrari ratione naturali animæ immortalitatem, & tamen diſt. 49. cit. dicat demonſtrari poſſe quod ſit poſſibilis beatitudo conſiſtens in viſione Dei, ſi enim viſio ſupponit eſſe videntis, oportet demonſtrabile hoc eſſe ad hoc vt illa etiam ſit, nam ex principio proſſabili non poteſt inferri concluſio euidens & certa.

Verùm Scotus loquitur vniuerſaliter cum ait, demonſtrari poſſe quod ſit poſſibilis viſio, & explicari poteſt, quod demonſtratio hæc naturalis ſupponat principium illud certum de animæ immortalitate, quod eſt de fide, quo ſenſu procedunt etiam pleræque rationes allatæ innixæ fidei principijs, ad quæ ratio naturalis cæcutit, niſi iuuetur; Et ſanæ cum Vazq. probat opinionem Scoti, & vnica eius ratione vtatur, conſequenter illum ſic explicare debet.

Aſt ratio iſta ab anima immortalitate ducta eſt particularis, aſſertio vero quod ſit cognoſcibilis naturaliter poſſibilitas viſionis beatæ, eſt vniuerſalis, & ad eius probationem ſufficit quod ſit creabilis intellectus tam perfectus vt eam ſuis viribus attingat; hoc enim non eſt intuitiue cognoſcere eſſentiam eius; ſed poſſibilitatem, quæ duo ſunt valde diſtincta: neq; apparet ne in ſpeciem quidem vlla repugnantia intellectus à diuina potentia creabilis in tali gradu excellentię, vt pertingat naturali acumine ad cognitionem hanc imo de facto videtur certum Angelos hanc habuiſſe, vt dixi & explico adhuc magis. Etenim de facto agnouere clarè, & diſtinctè creationem ſuam à Deo, quæ eſt opus diuiniſſimum, & ſupernaturale, ideſt excedens ordinem rerum omnium naturalium. Hinc infertur, quod etiam cognoſcent poſſibilitatem viſionis, ad quam ſunt ordinati. Nam ex hac eadem propoſitione quod dentur Angeli perfectè cognoſcentes ſuam naturam, vident illam capacem, & appetentem beatitudinem, quia non expletur deſiderium cognoſcendi creatorem ſuum ex illa notitia, quam habent ex creaturis; præſertim ex ſua ipſorum natura, quæ ſpeculum quoddam diuinitatis eſt, non tam ſatians, quàm accendens ardorem

Angeli cognoſcunt naturaliter poſſibilitatem claræ viſionis.

cla-

Digitized by Google

clariù ipſum cognoſcendi, & fruendi: ergo cognoſcunt poſſibilem claram viſionem: patet ſequela, quia cognoſcunt appetitum, iſtum eſſe rectum, & ordinatum, & proinde non fruſtrà inſitum à Creatore; tum quia intelligunt ſe natos ad beatitudinem, quæ inuoluit in ſe omnimodam quietem in ſuo fine, atque adeo claram Dei notitiam; ſine qua non conſiſtit perfecta quies, quantumuis augeatur notitia reliquorum; manifeſtum enim eſt etiam in hominibus quod quò magis cognoſcitur Deus, eo magis creſcit deſiderium cognoſcendi ipſum, & fruendi, vt ſupra.

Hæc & ſimilia intellectui comprehendenti naturam ſubſtantiarum ſpiritualium, & videnti potentiam Creatoris in ea formanda, argumenta ſunt euidentia poſſibilitatis beatitudinis, ad quam eſt ordinata, quibus ſi addatur aliqua reuelatio myſteriorum fidei v. g. Verbi Incarnandi faciliùs etiam fuerit de eadem certo certius iudicare, eo quod qui euehit humanitatẽ ad eſſe diuinum ſubſtantiale vniendo ſe illi hypoſtaticè, poteſt euehere ad beatitudinem accidentalem vniendo ſe per claram manifeſtationem.

Ad confirmationem dictorum facit quod habet S. Bonau. in 1. diſt. 3. a. 1. q. 1. *ſicut ſe habet ſumma bonitas ad dilectionem, ſic ſumma veritas ad cognitionem; ſed ſumma bonitas eſt ſumme amabilis ab effectu, ergo & ſumma veritas eſt ſumme cognoſcibilis ab intellectu*; cognitione videlicet conuenienti eius naturæ, qualis non eſt comprehenſio, Dei ſolius propria.

Hinc eſt quod non poteſt expleri affectus minori bono quàm ſit ſummum, nec intellectus minori vero, quàm ſummo.

RESPONSIO

Ad Argumenta contraria.

CAP. II.

I. *Poſſibilitas rei ſupernaturalis multipliciter cognoſci poteſt valeſt.*

II. *Demonſtratio per cauſam finalem, vt venit nomine effectus.*

III. *Poteſt cognoſci poſſibilitas viſionis non cognitis medijs in particulari.*

IV. *Vt dicatur poſſibilitas viſionis cognoſci virtute intellectus non oportet fuiſſe cognitam à Philoſophus.*

V. *Lux increata iuuat intellectum, creata exceſſus lædit ſenſum.*

VI. *Appetitur viſio Dei poſſibilis, non autem comprehenſio inuiſibilis.*

VII. *Cognitio per apprehenſionem, & per comprehenſionem apud S. Bonau.*

PRIMVM ARGVMENTVM.

VISIO ſecundùm ſuam ſubſtantiam eſt ſupernaturalis. ergo non poteſt demonſtrari lumine naturali, antecedẽs admittitur à Doctoribus vtriuſque ſententiæ. Conſequentia probatur, quia actus ſupernaturalis non poteſt demonſtrari, niſi per principia ſupernaturalia, ad quæ non attingit lumen naturale per ſuas vires, niſi aliunde inuetur. VIII.

Reſpondeo: nego conſequentiam; ad probationem negatur aſſumptum, nam poſſibilitas rei alicuius ſupernaturalis cognoſci poteſt, vel per ſpecies proprias, ſi infunderentur; vel infuſæ ſint Angelis, ſaltem aliquarum; vel per connexionem cum rebus naturalibus ex vi luminis naturalis, vel ex connexione cum alijs ſupernaturalibus, ſi præcedat aliqua reuelatio, qui eſt alter modus cognoſcendi naturaliter ſuppoſito aliquo extrinſeco adiumento. Deinde ſi de facto Angelus non cognoſcit ſupernaturalia, tamen creabilis eſt tam perfectus, vt cognoſcat, vt patet ex dictis. Modi varij cognoſcendi poſſibilitate viſionis beatæ naturaliter.

SECVNDVM ARGVMENTVM.

DEmonſtratio vel eſſet à priori per cauſam, per quam res eſt, vel à poſteriori per effectus: neutro modo demonſtrari poteſt poſſibilitas viſionis, quia tam cauſa, quàm effectus eſſent ſupernaturales, vt pote rei in ſua entitate ſupernaturalis; quæ proinde ſuperat cognitionem naturalem. ergo &c. IX.

Confirmatur, quia ille finis non eſt demonſtrabilis, cuius media non ſunt co-

Digitized by Google

cognoſcibilia, ſed fides, ſpes, caritas; quæ ſunt media non ſunt cognoſcibilia naturaliter, ergo neque viſio per illa conſequenda.

Nec valet ſi dicas ſatis eſſe, quod demonſtrari poſſint aliqua media vagè ſumpta, & hæc poſſe cognoſci per lumen naturale, quia cum in medijs huiuſmodi nihil eluceat ſupernaturalitatis, & finis exprimat in ſe ſupernaturalitatem non poterit per illa demonſtrari: debent igitur media quæcumque illa ſint quæ aſſumuntur habere proportionē cum fine, & proin de eſſe ſupernaturalia.

Medium demonſtrationis multiplex.

Reſpon: Demonſtratio aliquandò eſt per effectum accipiendo latè effectum, vt reſpicit cauſam, etiam finalem, ſic enim beatitudo eſt finis; & ſubſtantia ſpiritualis propriè eſt effectus creationis, qui per illam cognoſcitur: aliquandò eſt per aliam connexionem neceſſariam, & abſolutè poteſt eſſe ſine medio cognito, v. g. ſi fiat cognitio per ſpeciem propriam re præſentatiuam, vt quo.

Poteſt appeti, finis non cognitis medijs niſi confusè.

Ad confirmationem nego maiorem: nam poteſt quis demonſtratiuè ſcire quod ſanitas, qua caret eſt poſſibilis, eamque appetere, & ignorare medicinam per quam eſt acquirenda, & vniuerſaliter poteſt cognoſci prius finis aliquis eſſe poſſibilis, quàm cogitetur de medijs, quæ ſunt ignota, & vel inueſtigatione propria, vel aliena ope inueniuntur. Sic in propoſito poteſt cognoſci poſſibilis viſio, & ignorari media in particulari, & nihil cogitari de naturalitate, vel ſupernaturalitate ipſorum.

TERTIVM ARGVMENTVM.

X. NVllus Philoſophorum demonſtrauit hactenus eſſe poſſibilem viſionem hanc, ergo ſignum eſt illam non eſſe demonſtrabilem.

Neque ſatisfacis ſi dicas requiri lumen aliquod fidei, quia ſine illo non poteſt lumen naturale noſſe omnia naturalia; nam hæc videntur pugnantia, ſi enim hæc veritas non eſt inueſtigabilis per lumen naturæ, non poteſt ergo demonſtrari per illud ſolùm, & rurſus, ſi eius efficacitas non excedit lumen naturæ, non eſt, cur per illud inueſtigari nequeat, præſertim ſi demonſtratio ſit quæ ducitur ab appetitu naturali ad ſuam beatitudinem; nam aliæ difficiliores demonſtrationes ab Ariſtotele, & Platone ſunt inuentæ.

Reſpondeo: In primis non eſt neceſſe cognitam eſſe ab aliquo Philoſophorum poſſibilitatem, vt dicatur eſſe demonſtrabilis ex vi luminis naturalis; quàm enim multa ſunt demonſtrabilia naturaliter, quæ hactenus demonſtrata non ſunt? & quadratura circuli fortaſſe demonſtrabilis eſt; & tamen nondum demonſtrata eſt. Dein de Ariſtoteles nouit fœlicitatem Dei poſitam eſſe in contemplatione 10. Ethic c. 8. *Quare Dei, inquit, operatio cum beatitudine excellat contemplatiua erit, & ex humanis ea erit fœliciſſima, quæ huic maximè eſt cognata &c.* Subdit deinde; At qui ex intellectu operatur, huncque excolit, atque optimè afficit; is eſſe Deo cariſſimus videtur, nam ſi aliquam humanarum rerum curam Dij habent, ſicut videtur, conſentaneum eſt re illa, quæ optima eſt, atque ipſis maximè cognata delectari, qui eſt intellectus, eoſque, qui eam maximè amant, & honorant, remunerari, vt pote qui eorum, quæ ipſis ſunt amica, curam habeant, rectè, & honeſte agant &c. Quod ſi anima immortalis eſt in ſententia etiam Ariſtotelis, conſequenter etiam cara erit Deo in altera vita, & fœliciſſima, ac proinde remunerata cognitione altiſſima, qualis eſt Dei ipſius. Vide Eugub. l. 4. de perenni Philoſoph. c. 12. Vbi etiam ex eodem Ariſtotele oſtendit, quod Deorum delectatio eſt contemplatio maximi Dei, per Deos autem intelligentias accipit &c.

Ariſtotelis dictum de Dei felicitate.

Excolentes intellectum Deo cariſſima ex Ariſt.

Eugubinus.

Neque tamen contendo notam fuiſſe Ariſtoteli viſionem, quam à Chriſto ſumus edocti. ſed ſolùm poſſibilitatem cognitionis claræ primæ intelligentiæ, quæ apud ipſum Deus eſt fœliciſſimus, & fœlicitans cognitione ſui.

Quod additur repugnare hæc duo poſſe, nimirum lumine naturæ cognoſci poſſibilitatem hanc, & iuuare ad eam lumen aliquod fidei, non obſtat aſſertioni noſtræ, quæ ſimpliciter non re-

Digitized by Google

requirit lumen fidei loquendo in vniuerſali ad cognitionem hanc: neque incommodat Vazq. qui abſolutè requirit aliquod lumen fidei, & negat ſine illo ſufficere lumen naturæ. Deinde hæc non ſunt pugnantia, intellectus ex ſe non poteſt, adiutus lumine fidei poteſt, vel quia propoſitioni fidei adiungit alteram notam naturali lumine, vel quia fide excitatus, diſcurrit naturaliter, & videt poſſibilitatem viſionis beatæ, attenta præciſè natura potentię, & obiecti, quam melius intelligit, ſuppoſita reuelatione, quàm ex ſola vi diſcurſus naturalis.

QVARTVM ARGVMENTVM.

XI. Videtur potius argui impoſſibilitas viſionis ſtando in lumine naturæ, nam creſcente luce, quæ eſt obiectum viſus, redditur impotens oculus ad illam videndã, licet ſit eiuſdem rationis cum luce minori, ergo etiam intellectus redditur impotens ad videndam lucem increatam, quæ in infinitum excedit eius capacitatem, cum ſit infinitè viſibilis, hoc eſt à potentia proportionata, & virtutis infinitæ, qualis nulla eſt creata, quocumque auxilio prædita. Ad quod caput pertinent argumenta quę congerunt ad probandum non poſſe naturaliter demonſtrari Deum eſſe, quæ falſa ſunt, vt S. Bonau. in 1. diſt. 3 a. 1. q. 1. oſtendit; aut ſupernaturalia excedere cognitionem naturalẽ, quæ ſupra ſoluta ſunt. interim ad præſens argumentum.

Reſpondeo; Similitudo potius firmat aſſertionem, nam ſicut Sol videtur ab oculo, quia luminoſus eſt, ita, & Deus ab intellectu videri poteſt, quia lux eſt: & ſicut Sol videri non poteſt, niſi moderatè ab oculo humano ob vehementem lucem, ita nec Deus niſi limitatè ab intellectu creato ob exceſſum lucis ſupra virtutem ipſius, quæ tamen tanta eſt, vt ſit proportionata eius cognitioni in certo gradu, non quocumque modo. Eſt præterea diſcrimen inter lucem increatam, & creatam, quia iſtius exceſſus lædit ſenſum, illius autem confortat, & iuuat intellectum, vt docet S. Bonau. in 1. diſt. 3. cit. Denique cognitio poſſibilitatis viſionis non eſt cognitio Dei niſi vt termini, non Dei inſeipſo.

QVINTVM ARGVMENTVM.

Si poſſet demonſtrari hæc poſſibilitas, maximè quia ens vt ens eſt obiectum intellectus, & ſicut nulla potentia ferri poteſt extra ſuum obiectum, ita omnis potentia ferri poteſt in ſuum obiectum, v. g. viſus in coloratum, ita vt nullus color effugiat hanc potentiam, & proinde etiam nullum ens potentiam intellectiuam; XII
Sed hæc ratio non valet, tum quia ſequeretur etiam Deum comprehendi poſſe, cum nihil eius ſit quod non habeat rationem entis, & proinde vt comprehenſibilis, ſit ens; tum quia vniuerſaliter non quicquid conuenit enti abſtractiuè in ſuppoſitione ſimplici, conuenit enti abſolutè, etiam vt nõ præciſo, atque ita Deus vt ens eſt obiectum attingibile ab intellectu, non autem vt tale ens, conſequenter ex iſta ratione non poteſt inferri poſſibilitas viſionis demonſtratiuè. Neque ſimile eſt de colorato, quia viſus non fertur in coloratum præciſè, ſed in hoc vel illud: Intellectus autem fertur in ens vt ens, & etiam in tale ens: & ideo poteſt de ipſo aliquid dici vt tendit in ens, & aliùd vt tendit in tale ens, & eſſe poteſt proportionata potentia enti in communi, non enti in particulari, ob peculiares cauſas, vel excellentiæ obiecti, & debilitatis potentiæ, vel impedimentorum &c.

Præterea videtur hæc doctrina conformior apoſtolicæ 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum, nobis autem reuelauit Deus per Spiritum ſuum.* Videtur enim Apoſtolus excellentiam illã bonorum cœleſtium, quorum potiſſima eſt viſio ſupra captum omnem naturæ ponere, & proinde etiam ſecundum eſſe poſſibile. Et ideo hanc ſequuntur plures Thomiſtæ p. p. q. 12. Suar. Mol. & alij plures apud Faſ. p. p quæſt. 12. ar. 1. num. 18.

Reſponſio patet ex dictis, negatur enim minor, & ad probationem dicitur, quod etiamſi Deus non poſſit com-

Digitized by Google

Non requiritur ad obiectum potentiæ vt poſſit omni modo ab ipſa attingi.

comprehendi, poteſt tamen clarè videri, neque neceſſe eſt ad hoc vt aliquid dicatur obiectum potentiæ, quod poſſit omni modo ab illa attingi, ſed ſatis eſt quod aliquo modo, vt ſupra. conſequenter intellectus appetit viſionem ſibi poſſibilem, & bonam, non autem comprehenſionem ſibi impoſſibilem. Ad inſtantiam quia vt comprehenſibilis, eſt ens, ergo vt ſic intelligibilis, ſi ratio intelligibilitatis conuertitur cum ente vt paſſio neceſſaria.

Reſpondeo; Concedo ſequelam, quia intelligitur vt comprehenſibilis, ſed non comprehẽditur, ad illud enim ſufficit, quod intelligatur perfectè Deus à ſeipſo cognoſcibilis quantùm cognoſcibilis eſt; ad hoc requiritur actualis cognitio in actu exercito comprehenſiua, quæ propria eſt ſolius Dei.

Neque valet inſtantia, eſſe comprehenſibile vt ſic, eſt ens, & quid contentum ſub intelligibili, quia omne cõprehenſibile eſt intelligibile, non vice verſa. Ergo omne comprehenſibile vt ſic comprehendi poteſt ab eo quod fertur in omne ens, & intelligibile, quia alioqui non ferretur in comprehenſibile, atque ita neque in omne intelligibile, non valet, inquam, quia comprehenſibile vt ſic, vel accipitur formaliter, vt dicit obiectum quatenus ſtat ſub tali modo cognitionis, & ita non eſt obiectum intellectus creati; Vel accipitur materialiter vt dicit rem ipſam, ſiue eſſentiam diuinam, & ita eſt obiectum intellectus creati; non oportet autem ad hoc vt aliquid dicatur obiectum alicuius potentiæ, vt poſſit ab illa attingi ſecundùm omnem rationem, qua attingibile eſt ab alia potentia, v.g. colorem attingi à viſu, vt intelligibilis eſt, vel imaginabilis; neque proinde eſſentiam diuinam ab intellectu creato vt comprehẽſibilis eſt, quia comprehenderetur. Itaque intelligibile eſſe conuenit omni enti, ſicut viſibile eſſe omni colori, ſed ſic eſſe intelligibile non conuenit omni enti, neque ſic intelligere omni intellectui, quia talis intelligibilitas non eſt paſſio entis communis, ſed proprietas talis entis, quæ non conuenit alijs intelligibilibus.

Comprehenſibile accipitur materialiter, & formaliter.

Ad auctoritatem ex 1. Cor. loquitur Apoſtolus de clara cognitione excellentiæ cœleſtium præmiorum, qua carent etiam qui certò ſciunt illa eſſe actu, & non ſolùm poſſibilia; Sed hinc non infertur, quin poſſit probari poſſibilitas viſionis, nam & quid ſit Deus neſcitur ab intellectu creato, niſi eleuetur, quod autem ſit abſtractiuè cognoſcitur & demonſtratur. Tantùm igitur in genere cognoſcit intellectus viſionem Dei poſſibilem eſſe quid excellentiſſimum; & in ea conſiſtere fœlicitatem ſuam; quid ſit autem, & quanta in particulari nouiſſe non poteſt clare ſuis viribus.

Afferuntur præterea aliæ auctoritates ad probandam impoſſibilitatem cognitionis prædictæ, quia Deus dicitur inuiſibilis in ſcriptura, & à SS. Patribus inintelligibilis, vt à S. Dionyſ. c. 1. de diuin. nom. & præſertim à S. Chryſoſt. & alijs relatis à Vazq. p. p. diſp. 47. a. 1. 2. exactè illorum Verba, ac ſenſus diſcutiente. Non poteſt autem eſſe poſſibilis cognitio obiecti non intelligibilis.

Sed omnibus auctoritatibus conuenit in vniuerſali reſponſio S. Bonau. in 1. d. 3. a. 1. q. 1 ad primum diſtinguentis cognitionem in eam, quæ dicitur per apprehenſionem, & per comprehenſionem. Illa conſiſtit in manifeſtatione veritatis rei cognitæ, intellige quoquo modo cognoſcatur, ſiue clarè, ſiue obſcurè. Iſta verò in concluſione totalitatis, ideſt in apprehenſione clara totius rei cognitæ, & totaliter, ideſt ſecundùm omnes rationes cognoſcibilitatis quas habet. Ad primam requiritur proportio conuenientiæ, & talis eſt in anima reſpectu Dei, quia quodammodo eſt anima omnia per aſſimilationem ad omnia, qui a nata eſt cognoſcere omnia. Ad alteram requiritur proportio æqualitatis, & æquiparantiæ, & talis non eſt in anima reſpectu Dei, quia anima eſt finita, ſed Deus eſt infinitus. De hac igitur intelligendæ auctoritates negantes Deum videri poſſe ab intellectu creato ſecundùm Seraph. XIII.

Cognitio apprehenſionis, & comprehẽſionis in S. Bonau.

Eadem eſt reſponſio S. Th. p. p. q. 12 ar. 1. 1. & Suarij in 1. p. l. 2. c. 7. n. 17. citantis alia loca, quibus S. Chryſoſtomus apertè ſentit Deum videri poſſe, quibus; Addi poteſt epiſt. 5. ad Theod.

Digitized by Google

lapſum vbi aperte hoc fatetur.

Salmat.trac. 2.de viſione diſp.1.dub.2 Hic obiter nota imponi Vazq.à recentioribus quibuſdam, quod ſentiat omnes fermè Patres clariùs negaſſe poſſibilitatem viſionis, quam vt in bonum ſenſum explicari poſſint, nam in primis c. 5. illius diſp. 47. ait ex Patribus plures quoque & magni nominis idem nobis tradiderunt; nimirum Deum ſicuti eſt clarè videri poſſe Nō igitur fermè omnes, opponūtur enim plures, & fermè omnes. Deinde titulus capitis 4. hic eſt cum Chryſoſtomo, & prædictis, alij etiam Latini, & Græci ſenſiſſe videntur, non igitur cenſet ita perſpicuis Verbis negaſſe poſſibilitatem viſionis, vtvix in bonū ſenſum trahi poſſint. Videri enim non eſt eſſe perſpicuum, ſed apparere, & cōtra aliquos paucos clarè locutos dicat. Tertio numerat ſingillatim Patres plures, & in concilijs, & extra pro vera ſententia Dionyſium, Origenem, Nazianzenum, Irenæū, Auguſtinum, Gregorium, Damaſum, Hilarium, Nicetam, Cypariſſiotum, Euariſtum, & alios. Quarto quomodo igitur aſſerat, aut vbi, omnes fermè Patres ſenſiſſe, non poſſe clarè videri Deum? Neque tamen probo, quod Patres multos præſertim Chryſoſtomum de hoc dubios aſſerat, nam ex varijs coniecturis, & locis inter ſe collatis apparet eorum ſenſus, vt videre eſt apud Faſ.p.p. q.12. a.1. d.3. & 4. quippe negant tantum comprehendi poſſe.

Immeriti carpitur Vazq.

Altera reſponſio eſt, quod pleręque auctoritates de viſione corporali ſunt intelligendæ, quę non cadit in ſubſtantiam ſpiritualem, ſed hæc non eſt vniuerſalis, quia interdum negatur facultas huiuſmodi etiam Angelis, Id quod eſt *Deus, ait Chryſoſtomus, hom. 14. ſuper Ioan. Non modò Prophetæ non viderunt, ſed neque Angeli, neque Archangeli* hoc non intelligitur reſpectu oculi corporei, quo carent Angeli, ſed de cōprehenſione, quæ nulli Angelorum competit.

S. Chryſoſt.

Adde quod viribus naturæ videri nequit, & de lege ordinaria in hac vita. Quæ eſt explicatio conueniens ſenſui aliquorum textuum Sanctorum Patrum.

Denique aliud eſt videre Deum in ſe, quod viribus naturę negatur; aliud poſſibilitatem viſionis agnoſcere, quocumque deinde modo reducatur ad actum.

COROLLARIA EX DICTIS

Ad ea exactius intelligenda, & confirmanda.

Primum eſt de Appetitu innato.

CAP. III.

I. *Datur appetitus innatus ad Deum clare videndum ex S. Bonau. & Scoto.*

II. *Poteſt eſſe appetitus innatus ad bonum virtute gratiæ conſequendum.*

III. *Conſenſus S. Thomæ cum S. Bonauentura in aſſertione principali.*

IV. *Deus vt auctor naturæ dirigit naturam totam ad ſuum finem.*

V. *Quædam ſunt in naturæ appetitu, & non in poteſtate eius.*

DATVR appetitus innatus in homine ad Deum clarè videndum in ſententia S. Bonauenturæ quæ eſt etiam Scoti q. 1. prol. & in 4. diſt. 49. q. 9. & 10. Ricar. in 3. diſt. 14. a. 1. q. 2. & aliorum apud Faſol. 1. p. q. 12. a. 1. n. 6. contra Caiet. Ferrar. & aliquot alios Thomiſtas. Pro cuius explicatione aduerte, quod appetitus innatus dicitur quaſi inditus à generante, & habet ſe per modum primi principij actiui, à quo manat elicitus, & nil aliud eſt, quàm potentia apta tendere in tale obiectum ſibi proportionatum, & dici ſolet pondus, ſeu inclinatio potentiæ in obiectum, ſiue bonum proprium. Secundo accipitur pro capacitate quadam potentiæ ad recipiendum aliquem actum, à quo perficitur, quo modo materia, exemp. gratia, dicitur appetere formam, qua caret vt proprio bono, & perfectiuo; requiritur autem ad hoc non ſola negatio formæ, vel actus in potentia, ſed etiam proportio aliqua inter ipſa, ratione cuius attenta natura rerum, vna ſit perfectiua, altera verò perfectibilis, & non tantùm ab extrinſeca voluntate Dei, qualis eſt vnio hypoſtatica, quæ perficit humanitatem, ſed

XIV.

Appetitus innatus, & elicitus.

Digitized by Google

ſed non habet appetitum eius humanitas.

In propoſito anima rationalis eſt principium actus eliciti appetentis viſionem, & eſt capax illius, vt boni connexi tam ratione obiecti, circa quod virtus intellectus, & voluntatis verſatur, quàm ratione actuum vitalium cum gratiæ auxilio elicitorum circa ipſam; ita intelligit S. Bonauenturam Trigos q. 7. a. 1. dub. 2. contra alios, quos ibi citat. Diſcurſus S. Bonau. in 2. diſt. 3. & in 4. diſt. 49. mox citanda talis eſt, quælibet res habet appetitum innatum ad bonum, propter quod eſt condita à Creatore, ſed anima rationalis condita eſt ad beatitudinem in viſione Dei poſitam, ergo &c. Maior patet inductione, ignis appetit locum ſurſum, terra deorſum, &c. & ſic de Cœteris, quæ naturalem propenſionem habent ad bonum ſuum. Minor eſt de Fide, & patet ex dictis de poſſibilitate cognitionis Dei, ex principijs naturalibus.

Quælibet res habet appetitum innatum ad bonum ſuum.

Idem probant dicta eius, quod intellectus hominis ſit ordinatus per ſe ad cognitionem Summæ Lucis l. 1. diſt. 3. a. 1. q. 1. Quod in anima ſit inclinatio ad Deum tanquam ad extremum, in quo quieſcit, in 1. diſt. 1. a. 3. q. 2.

Quod anima ſit imago, & expreſſa ſimilitudo Dei in 1. diſt. 3. p. 2. dub. 4. tex. & in 2. diſt. 26. a. 1. q. 3. ad arg. & in 4. diſt. 49. cit.

Confirmatur, & explicatur magis S. Bonauenturæ diſcurſus, quia anima rationalis ordinata eſt à Deo ad beatitudinem ex ſua miſericordia, & Bonitate; ita tamen vt maximè in hac ordinatione eluceat Sapientia ordinando creaturam, quæ maximè eius ſit capax, & habeat in ſe potentiam aliquam proportionatam actibus beatitudinis, non ſolùm paſſiuam obedientialem, qualis fortè eſt in omni ſubſtantia receptiua accidentium; ſed etiam actiuam, quæ confortata eliceret actus beatitudinis, & proinde haberet aliquam proportionem cum illis, vt cauſa cum ſuis effectis, & conſequenter cum obiecto illorum, tanquam cum beatitudine formali, & obiectiua, vt idem Seraph. in 4. d. 49. a. 1. paſſim.

Anima ordinata ad beatitudinem.

In quo eodem ſenſu Aug. l. 4. cont. Iul. c. 3. non longe à fine *ait bonam hominum naturam gratiæ aptitudinem mereri, quia rationalis natura eſt, &c.* Neque enim gratia Dei per Ieſum Dominum lapidibus, aut lignis, pecoribuſue præſtatur, Sed quia imago Dei eſt, meretur hanc gratiam, &c. Meritum hoc non eſt morale, aut exigentia naturæ, cui ex ſe non debetur gratia, ſed proportio, & aptitudo, eo quod ſit imago Dei. S. Thom. 1. 2. q. 113. a. 10. ait, quod naturaliter anima eſt gratiæ capax, ex eo enim quod facta eſt ad imaginem Dei, capax eſt Dei per gratiam, vt Aug. dixit, & in 3. p. q. 9. a. 2. ad tertiũ viſio dicitur ſecũdùm naturã animæ rationalis, &c. Ergo in primis ſupernaturalitas, & excellentia non tollit proportionem; deinde perfectio, & bonum adueniens potentiæ ex actibus, & obiecto proportionato indicat in illa eſſe innatum appetitum ad iſta, ſicut eſt in ceteris rebus ad fines, & bona proportionata ipſis, nam actus ſupernaturales ſunt eſſentialiter vitales, quia entitatiuè non diſtinguitur vitalitas à ſupernaturalitate; quis autem non videat actus vitales habere proportionem cum potentia vitali? Supernaturalitas igitur vt non obſtat vitalitati, ita neque proportioni inter actum, & potentiam: de quo ita fuſiùs egi tom. 1. Poſita autem proportione ponitur etiam inclinatio naturalis, quia quælibet potentia inclinatur in bonum ſibi proportionatum, ſiue hoc propria virtute comparare poſſit, ſiue egeat aliena; nemo enim dixerit animantes exemp. gratia, non inclinari ad cibum capiendum, eò quod in poteſtate earum non ſit illum producere; aut animam rationalem, vel Angelum non inclinari ad intelligendum, niſi illa, quæ viſui intellectus poſſunt inueſtigare, quia multa ſunt, quorum ignorantiam habere ſe non ignorant, ſtando in curſu naturali, ſcientiam tamen habere vellent, quod ſupponit innatum appetitum ſciendi, ex quo prouenit elicitus, etiam per alienam opem; & hoc eſt quod ſupra dicebat Seraph. deſiderium naturæ non eſſe fruſtra, quia vbi deficit natura ſupplet gratuita Dei influentia. Ex quibus ſic.

Anima naturaliter capax eſt gratiæ ex S. Th.

Supernaturalitas obiecti, & actus non obſtat proportioni

Arguo in forma. Si quid obſtaret

appe-

appetitui innato maximè, vel improportio beatitudinis, vel impoſſibilitas aſſecutionis eius per vires naturæ; neutra obſtat. Ergo: maior nititur inſtantiæ oppoſitæ ſententiæ negantis appetitum ob dictas cauſas; Minor probatur, quia inter actus vitales, & potentiam vitalem intercedit proportio, & ad appetitum ſufficit potentia aſſecutionis per alienum auxilium, ergo &c. Ex quo

Rurſus confirmatur aſſertio, quia defectu proportionis huius non dicitur humanitas appetere vnionem hypoſtaticam excedentem totam naturam; licèt ea ſit perfectio ſumma naturæ, ergo ſi adſit proportio, & connexio ex natura rerum, erit etiam appetitus tanquam boni proportionati, cuius cum capax ſit natura diuerſo modo quàm vnionis, rectè dicitur habere appetitum innatum illius, & non huius.

Non dicitur humanitas appetere vnionem hypoſtaticam.

Quod autem non obſtet, impoſſibilitas aſſecutionis per vires proprias, & S. Auguſt. Supponit 15. Trin. 18. & ſignanter ediſſerit l. 4. cont. Iul. c. 3. *Neque enim, inquit, omnes homines naturali inſtinctu immortales, & beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſſemus. Sed hoc ſummum bonum præſtari hominibus non poteſt, niſi per Chriſtũ, & hũc Crucifixũ, &c.* En quam dilucidè componit naturalẽ inſtinctum beatitudinis cum gratia per Chriſtum, & de beatitudine in particulari, non autem in vniuerſali loquitur; quia per Chriſtum præſtatur bonum illud, quod naturaliter appetimus, quæ eſt beatitudo particularis: quæ omnia apertè reſpuunt interpretationem recentiorum ſupra, ſunt autem omnino conformia doctrinæ Seraphici. Neque obſtat ſi dicas eum loqui de appetitu elicito; nam hic ſi ſit vniuerſalis, & in omnibus hominibus, ſupponit innatum, quod enim omnibus indiuiduis conuenit principium habet in natura, & proinde ſi omnes homines appetunt beatitudinẽ ſignum eſt in natura eſſe inclinationẽ hanc per modum actus primi, & ponderis cuiuſdam.

Poteſt eſſe appetitus naturalis ad bonum virtute gratiæ aſſequendum.

Idem S. Auguſt. l. de Prædeſtinat. Sanctorum c. 5. *poſſe habere fidem, inquit, ſicut poſſe habere charitatem naturæ eſt hominum. In qua natura nobis data eſt poſſibilitas habendi fidem, &c.* Hic non loquitur de potentia paſſiua ſola quia homines non ſolum recipiunt, ſed etiam efficiunt actus fidei, & charitatis, & proinde habere eſt naturæ concurrentis, & poſſe habere eſt poſſe etiam concurrere, quia homo habet Fidem, ideſt elicit actus fidei, & non tantùm recipit, ergo habet potentiam complendam per auxilium gratiæ. Ex quo conſtat primò non obſtare huic potentiæ, quod ſe ſola non poſſit exire in actum, ſed poſtulet auxilium ſuperius adhoc, vt poſſit dici eſſe naturæ, ſeù naturalis. Deinde ineſſe appetitum naturalẽ innatum, quia hic nihil eſt aliud, quàm potentia priuata perfectione proportionata ſibi, qualis eſt intellectus in puris naturalibus, quod idem eſt ac pondus, ſeu inclinatio naturæ in ſuum bonum, idque ex mente S. Auguſtini, cui concordat Seraphicus.

Similia habet S. Th. in prol. pr. ſent. aſſerens vnumquodque ſuauiter eſſe diſpoſitum, quando collocatur in ſuo fine, quem naturaliter deſiderat, & hoc eſſe nobis collatum per Chriſtum, quando in gloriam æternam induxit. Eſt ergo gloria finis, & proinde datur inclinatio ad illum in creatura ordinata ad ipſum, etiamſi auxilio alieno acquirendum. Quamquam de mente S. Thomæ diſputant inter ſe Thomiſtæ, Sotus enim primò de natura, & gratia c. 4. & in 4. d. 49. q. 2. &c. affirmat ineſſe homini naturalem propẽſionem ad videndum Deum, ſicut ineſt lapidi inclinatio ad centrum, idque ex multis auctoritatibus S. Th. idem habet Palud. in 4. d. 49. q. 7. a. 1. concl. 2. Caiet. 1. p. q. 12. a. 1. negat innatum appetitum, concedit elicitum ad Deum, vt auctorem naturæ comprehenſum ſub naturali numero cauſarum; vt auctorem verò gratiæ, & beatitudinis non niſi ſuppoſita notitia fidei. Ferrar. 3. cont. gent. c. 51. improbat hanc diſtinctionem, quia S. Th. concedit deſiderium Angelis videndi clarè Deum, vt in ſe eſt, præciſa etiam reuelatione fidei, ex puro inſtinctu naturæ; & ideo admittendum putat naturalem appetitum elicitum in creatura rationali videndi Deum clarè. Alij aliter. Aſſertioni Seraphici fauet

XV.

S. Th.

In explicanda mente S. Th. variant Thomiſtæ.

Caiet.

Ferr.

Fauet S. Th ſententiæ S. Bonau.

fauet idem S. D. 3. cont. gen. c. 51. & 57. vbi appetitum hunc ait eſſe in omnibus hominibus, quod de elicito, & ſuppoſita reuelatione vix poteſt intelligi, de innato eundem ſenſum habet, qui de Angelis, ſupra adductus eſt. Item c. 50. dixerat non quieſcere naturale deſiderium Angelorum, donec videant clarè Deum, cuius per ſuam Eſſentiam, quædam prædicata vident, vt c. 59. docuerat, ex viribus ſcilicet naturæ, quæ naturaliter appetit bonum proportionatum appetitu elicito, in quod propendet innato.

Quare ſicubi contrarium innuit vt q. 27. de ver. a. 2. 1. commodè explicatur de appetitu elicito efficaci, qui propriè eſt earum rerum, ad quas aſſequendas poſſunt adhiberi media per virtutem appetentis; hic enim non datur in creatura vlla, quia beatitudo vera, per media ſupernaturalia comparatur, excedentia vires naturales; In quo ſenſu dicitur finis ſupernaturalis improportionatus naturæ, quę propria virtute illum aſſequi non poteſt, ſed non ſimpliciter improportionatus cenſẽdus eſt, quia in ratione obiecti, & boni, ſeu perfectiui proportionatur, vt ſupra; ſicut proportionatur in ratione cauſæ, & effectus aliqua contẽplatio imperfecta diuinorum, naturæ viribus poſſibilis.

Conuenit Scotus cum S. Bonau.

Sed vt controuerſa ſit mens S. Th. cum S. Bona. conſentiunt Scotus q. 1. prol. §. ad argumenta principalia ad 1. Et in 4. d. 49. q. 10. §. de illo appetitu, aſſerens Deum eſſe finem noſtrum naturalem, licet ſupernaturaliter aſſequendum. Mol. 1. p. q. 12. a. 1. diſp. 2. putans magis communem inter ſcholaſticos. Dur. q. 8. num. 8. Maior. qu. 6. Vazq. 1. 2. d. 22. nu. 27. exiſtimans ex appetitu elicito naturali viſionis bene colligi innatum, non per modum potentiæ ad eliciendam, aut recipiendam viſionem, ſed ad eliciendum affectum circa viſionẽ, qui dicitur appetitus naturalis, quia eſt à potentia operante per modum naturæ, ideſt cum determinatione ad vnam partem, eò quod beatitudo non poſſit odio haberi, &c. quicquid Zumol in contrarium.

Quamquam non apparet cur non etiam aliunde denominatio naturalis attendi poſſit, & non ſolùm à determinatione hac, ſi natura rationalis eſt ordinata ad beatitudinem, & eius eſt capax, etiamſi medio ſupernaturali cõſequendæ, vt ſupra. Sed abſolutè n. 10. contra Scotum negat appetitum innatum naturalem, & concedit tantum obedientialem, ſeu capacitatem.

Neque verò refert, quod iſti auctores non conſentiant in aſſignando in quo conſiſtat formaliter beatitudo, & cuius potentiæ ſit actus, nam ſiue in intellectu principaliter ponatur, ſiue in voluntate, ſiue in vtroque, certum eſt ad eius complementum potentiam vtramque cõcurrere, & beatitudinem eſſe vtriuſque bonum, & perfectionem. Ac proinde in vtraque reſidere appetitum innatum, ex quo deinde progreditur elicitus, quod denique probatur argumento communi pro quolibet explicandi modo.

Nam materia exemp. gra. dicitur appetere formam, qua caret, quia forma eſt eius perfectiua, & ipſa eſt ab ea perfectibilis, & ad ipſam ordinata; ſed anima rationalis eſt ordinata ad beatitudinem ex ſua natura, tanquam ad ſummum ipſius perfectiuũ, quo caret in via, ergo dicitur habere appetitum illius innatum, nam materia elicitum non habet.

Cur dicatur anima habere appetitũ innatum ad beatitudinẽ.

Cõfirmatur quia materia eſt indifferens ad hanc, & illam formam, quãtum eſt de ſe neque poſitiuè ad vnam potius, quàm aliam inclinatur; ſed anima rationalis non eſt indifferens, ad beatitudinẽ, ita vt æque illi bonum ſit illam habere, & non habere, ergo multo magis dicẽda eſt habere appetitum illius ſeu inclinationem per modum naturæ, & ponderis ad ipſam.

Dices diſparitatem eſſe quia materia eſſentialiter eſt ordinata ad formã, & vltimatè ad compoſitum, & naturaliter poteſt ab ipſa actuari, & cum ea conſtituere compoſitum, Anima autem rationalis non poteſt per medium naturale aſſequi beatitudinem, & ideo nõ appetere naturaliter, quod naturaliter eſt impoſſibile.

Contra, quia eadem anima à nullo agente naturali produci poteſt in materia, & tamen dicitur materia appetere etiam ipſam naturaliter, quia eſt ſubiectum perfectibile ab ipſa: ſi enim Deus

Ineſt materiæ appetitus naturalis etiã ad animã ſicut ad cæteras formas.

mas, licet illa per creationem producatur.

Deus decreuiſſet creare mundum, & non hominem, diceretur ſupernaturalis creatio animæ, ſi quæ infunderetur materiæ, ideſt non debita naturæ, & prorſus miraculoſa, ſicut & cætera, quæ de potentia extraordinaria ſupra naturæ exigentiam facit Deus; & tamen adhuc materię tribueretur appetitus illius, ex eo præciſè quod eſt ſubiectũ aptum ab illa perfici ſecundùm naturam ſuam, & ea careret, ergo etiam dicetur anima appetere beatitudinem, qua caret, quia eius naturaliter eſt capax vt perfectiui, & boni conuenientis, etiamſi diuina ope conſequendæ, & impoſſibilis naturaliter; ſicut in dato caſu diceretur impoſſibilis informatio animæ reſpectu materiæ ordinatæ ad formas tantùm materiales per diuinum decretum non immutãs naturam eius, & capacitatem formæ ſpecialis ſupernaturaliter tantùm producibilis ex ſuppoſitione illa.

Salmatic.

XVI. Obijc. primò, appetitus naturalis per modum põderis eſt inditus à Deo vt auctore naturæ, ergo non ſe extendit ad Deum vt auctorem gratiæ, quomodo excedit totum ordinem naturę, ac proinde neque ad eum fertur vt eſt clarè viſibilis, & vnus, ac Trinus. Conſequentia probatur, quia inclinatio non ſe extendit vltra id, ad quod ſe extendit ſuum principium, ergo ſi eſt à Deo, vt auctore naturæ non habet virtutem, vt trãſcendat hunc ordinem, & pertingat ad ordinem ſupernaturalem.

Confirmatur, quia vt innuit S. Th. 1. 2. q. 114. ar. 2. c. vbi eſt appetitus hic innatus ad aliquem finem, dantur etiam vires intra ordinem naturæ ad illum aſſequendum, alioqui eſſet fruſtra, quia expleri non poſſet naturaliter, vnde Philoſophus 2. cęl. t. 50. inde probat aſtra non inclinari ad motum progreſſiuum, quia alioqui auctor naturæ dediſſet eis inſtrumẽta ad talẽ motum; Patet autem in natura non eſſe vires videndi Deum clarè.

Neque valet dicere, quod anima ſeparata habet inclinationem ad vnionem cum corpore, quæ tamen naturaliter eſt impoſſibilis, vt arguit Scotus, hoc enim falſum eſt, quia non habet cauſam naturalem, à qua vniatur; vnde illa inclinatio ſolùm dicitur naturalis materialiter, ſeu ex parte termini materialiter ſumpti, & ſecundùm quid, non autem abſolutè, & ſimpliciter.

Neque item valet quod in homine ſit naturalis inclinatio ad viuendum ſecundùm rationem, quod tamen naturæ viribus eſt impoſſibile, quia ſine gratia non poſſunt ſeruari omnia præcepta. Nam inclinatio hæc non eſt ad viuendum conformiter rationi in omnibus collectiuè ſumptis, ſed diuiſiuè ex 1. 2. q. 109. Quod ſi concedatur appetitus ad omnia collectiuè ſumpta, dicen: eſt poſſe expleri per vires naturæ, quia ſatis eſſent auxilia ſpecialia ordinis naturæ, quæ multa, & congrua ſuppeditari à Deo poſſunt.

Ad argumentum, patet ex dictis, negatur enim conſequentia vt apertè repugnans doctrinæ Auguſtini, & Bonauent. locis ſupra cit. Ad probationem diſtinguo antecedẽs: nam vel per principium intelligit intrinſecum aliquid, quod dicitur inclinari, & conceditur, quia appetitus innatus potentiæ non diſtinguitur ab ipſa, niſi penes terminum, quem connotat; ſed tunc negatur conſequentia, quod hic non ſe extendat ad aliquid ſupernaturale, vt bonum ſuum. Vel per principium intelligit aliquid extrinſecum, ideſt Deum auctorem naturæ, & tunc negatur conſeqnentia, quia Deus vt auctor naturæ dirigit naturam totam ad ſuum finem, & proinde rationalem ad ſuum, atque adeo in eius creatione gerit ſe vt naturæ auctor, & gratiæ ſimul, quia finis, ad quem illam condidit, eſt finis gratiæ, quo ſenſu ait D. Thom. 1. 2. qu. 114. ar. 2. Deus ordinauit humanam naturam ad finẽ vitæ eternæ conſequendum non propria virtute, ſed per auxilium gratiæ.

Deus in Creatione animæ gerit ſe vt auctor naturæ, & gratiæ.

Ad confirmationem S. Th. ibi non loquitur de appetitu innato, ſed elicito, & efficaci, vt patet ex contextu, in quo tractat de merito vitæ æternæ, quod non poſſet eſſe ſine gratia, & inuoluit actum elicitum, qui non eſt efficax abſolutè, niſi vbi eſt facultas adhibendi media, ſed innatus, & eliinefficax ſtant cum impotentia appetentis, & adiutorio potentis, & vires ſupplentis vbi naturæ deſunt.

Ad

Digitized by Google

Ad auctoritatem Philoſophi, potius ex ea ſumi poteſt confirmatio ſententiæ noſtræ, vult enim probare, aſtra non moueri per ſeipſa, quia natura quæ nihil facit caſu non dedit illis organa ad motum, vt animantibus, quę ſeipſa mouent, quod ſi dediſſet organa etiamſi ope aliena indigentia, mouerētur per illam, vt de facto mouentur Cęli ab intelligentijs in ſententia Ariſtotelis; & proinde haberent appetitum innatum ad motum, ſicut habent animalia. Hinc enim licet inferre, ergo homo habet appetitum innatum ad beatitudinem particularem, quia habet potentiam, quæ ſe extendit ad obiectum ipſius tanquam ad bonum ſuum, & multò magis quàm cęli, & aſtra, quibus non eſt bonus motus, vt beatitudo homini; neque habent principium inchoatum eius actiuum, vt habet homo intellectum, & voluntatem perficiendam à beatitudine vt bono ſummo ipſius.

Text. Ariſt. potius eſt pro noſtra ſententia.

Ad inſtantiam reſpondeo ex Seraphico in 4. diſt. 43. art. 1. quæſt. 5. ad argum. quædam, inquit, ſunt in naturæ appetitu, quæ tamen non ſunt in eius poteſtate, & talia non ſunt naturalia, vt patet de beatitudine: quædam autem ſunt in eius appetitu, & poteſtate, & talia ſunt naturalia, talis autem non eſt reſurrectio. Igitur in via Seraphica negatur, & quod anima poſt ſeparationem non appetat naturaliter vniri corpori, probat enim ibi ſufiſſimè appetere; & conſequenter quod appetitus naturalis ſit earum tantùm rerum, quas naturaliter appetens conſequi poteſt.

Quædam ſunt in natura appetitu ſed non in poteſtate.

Ex quo patet ad alteram inſtantiā, ſufficit enim ad appetitum innatum potentia implendi præceptacum gratiæ auxilio.

SECVNDVM COROLLARIVM.

De appetitu elicito Viſionis.

C A P. IV.

I. *Probatur auctoritate, & ratione dari appetitum naturalem elicitum viſionis.*

II. *Multis modis hic appetitus dicitur naturalis.*

III. *Reſpondetur pluribus inſtantijs in contrarium.*

IV. *Appetitus inefficax, ſeu ſimplicis complacentiæ eſt duplex.*

DATVR etiam appetitus naturalis elicitus in creatura rationali ad viſionem beatam. Eſſe hanc ſententiam S. Bonauenturæ patet ex locis citatis, & alijs citandis, à qua non differre S. Thomam variè à ſuis explicatum ſuadent loca ſupra adducta. XVII.

S. Thom.

Probatur, quia viſis effectis naturaliter conſurgit deſideriū videndi cauſam ipſorum, neque quieſcit donec inueniat; & quò perfectior eſt cognitio effectuum, eò magis accenditur deſiderium cognoſcendi cauſam vt D. Thomas tum 1. p. cit. tum 3. cont. gen. c. 50. neque poteſt commodè explicari de appetitu innato, quia ſupponit viſionem effectuum præuiam huic appetitui, qualis non requiritur ad innatum.

S. Thom.

Secundo omnes homines naturaliter ſcire deſiderant. 1. Metaph. c. 1. appetitu etiam elicito, vt cum Caiet. & Ferrar. aduertit Vazquez 1. 2. diſp. 22. num. 24. & Suar. ad 1. 2. diſp. 16. ſect. vlt. citans D. Th. 1. 2. q. 10. c. 1. & 2. 2. q. 166. ar. 2. & patet ex ipſo con textu, nam ſubdens Philoſophus rationem, *ſignum autem, inquit, eſt ſenſuum dilectio, nam & abſque vſu propter ſeipſos amantur, Præ cæteris autem qui per oculos ſit, &c.* & loquitur de appetitu elicito, & non ſolùm de innato, vt aliqui interpretantur, nam, & dilectio ſenſuum, & viſus in primis eliciti eſt, & ſicut videre, & ſentire deſiderant naturaliter homines per actus elicitos, ita & ſcire; præſertim cum ex viſis, & ſenſu perceptis naſcatur deſiderium ſciendi, quæ ſentiuntur. Ex obiectis autem, quæ cadunt ſub appetitum ſciendi non eſt cur ſeiungatur Deus cum ſit prima cauſa, à qua pendent effectus excitantes deſiderium cognitionis perfectioris, & non ſolùm vt effectus habet connexionem cum illa, ſed etiam quid illa ſit. Patet ex eodem Philoſopho 1. Met. cit. c. 2. qui iuxta dictum c. 1. quod omnes homines natura ſcire deſiderant explicans vnde naſca-

Omnes homines naturaliter ſcire deſiderant.

Caiet. Ferrar. Suar. Vazqu.

Ariſt.

naſcatur, & quò tendat hoc deſiderium, docet propter admirationem cœpiſſe illos philoſophari de facilioribus, tum de maioribus dubitare de ijs nĕpè quæ pertinent ad lunam, ſolem, & vniuerſi generationem, & quia qui dubitat, & admiratur, putat ſe ignorare, propter fugam ignorantiæ philoſophatur, ideſt cauſas, & naturas rerum inueſtigat. non alicuius vſus gratia, ſed vt ſciat. Naturaliter ergo deſiderat videns effectus, etiam videre, ideſt ſcire cauſas non ſolùm quod, & quæ ſint; ſed & quid ſint, quia & hoc ſe putat ignorare; Proinde etiam ſcire primam cauſam, quæ potiſſima eſt, & à qua magis pendent effectus.

Appetitus hic dicitur naturalis dupliciter.

Dixi appetitum hunc eſſe naturalē, quòd dupliciter poteſt intelligi, primo, quia viribus naturæ elicitur non ſolum ſuppoſito lumine fidei, ſed abſolutè, ſi poſſibile eſt cognoſci naturaliter poſſibilitatē eius appetibilis modo explicato; hanc enim cognitionem ſequitur appetitus, cuius natura eſt ferri in bonum ſibi repræſentatum, & in hoc naturale diſtinguitur à ſupernaturali. Secundo naturalis dicitur hic appetitus, ideſt neceſſarius quoad ſpecificationem videlicet, quia ſecundùm ſe non poteſt odio haberi beatitudio, cum in ea nulla ſit, vel apparere poſſit ratio mali, licèt poſſet ob aliquod extrinſecum, v. g. ob laborem, & difficultatem, non autem quoad exercitium, a quo poteſt pro libito ceſſare; quomodo voluntas dicitur operari, & vt natura cum determinatione ad vnā partem; & vt potentia libera cum indifferentia ad vtrumlibet ex S. Bona. in 2. diſt. 24. p. 1. a 2. q. 3. & ex S. Thom. 1. 2. q. 10. a. 1. Vtroque ergo modo appetitus viſionis dicitur naturalis. Primo modo, quia voluntas naturaliter fertur in bonum ſibi propoſitum, ſiue per diſciplinā appetitu aliquo ſaltem imperfecto. Secundo modo, quia in ea nulla apparet ratio mali, ſed ſumma ratio boni, igitur non poteſt reſpui, ideſt vel odio haberi, vel appeti oppoſitum vt Vazq. 1. 2. d. 22. cit. Suar. l. 2. de attrib. c. 7. num. 10. & alij contra Caietanum 1. p. q. 82. a 1. & alios negantes etiam conditionatum appetitum viſionis eſſe neceſſarium quoad ſpecificationē, quia nec datur innatus.

Addo tertio, diceretur etiam naturalis appetitus, ſi poſita diuinitus reuelatione viſionis, & eius præſtantia Deus cum auxilio generali concurreret cum voluntate, quæ eſt potentia vniuerſalis tendens in bonum propriū, & aliarum potentiarum ad appetendum iliam.

Dices, Viſio Dei eſt ſupernaturalis, ergo non poteſt eſſe naturalis eius appetitus. Deinde finis iſtè non poteſt acquiri per media naturalia, ergo neque appeti naturaliter; nam ratio finis attenditur penes rationem mediorum. Tertio non datur appetitus naturalis gratiæ, ergo neque glorię, eſt enim par ratio.

Quarto non datur potentia paſſiua naturalis gloriæ, ergo neque etiam appetitus naturalis. Antecedens patet, quia potentia naturalis denominatur à forma, quam recipit; & alioqui daretur potentia naturalis ad vnionem hypoſtaticam. Sequela probatur tum à paritate; tum à diſparitate quia minus eſt poſſe naturaliter recipere, quod eſt quoddam pati, quam naturaliter appetere quod eſt agere, ſi ergo negatur quod minus eſt homini, cur concedatur quod eſt maius?

Quinto. Non poteſt Deus amari, niſi gratiæ auxilio, ergo neque appeti viſio.

Sexto. Viſio eſt Dei trini, ergo nō poteſt appeti naturaliter, quia nec cognoſci Trinitas, amor autem non fertur in incognitum, vt Auguſt. 13. Trin. cap. 4.

Septimo. Cum Deus, & natura nihil fruſtra faciant vt Ariſtoteles l. 1. de cœl. t. 32. Si appetitus hic eſſet naturalis, poſſet naturaliter habere ſuum effectum, & conſequi id in quod tendit.

Ad primum reſpondeo negando ſequelam, quia ſupernaturalia, exemp. gra. Deus, poſſunt cognoſci naturæ viribus, licet imperfectè, ac proinde etiam appeti appetitu naturali. XVIII.

Supernaturalia cognoſci poſſunt naturæ viribus imperfectè.

Ad ſecundum nego ſequelam, ſicut enim finis aliquis naturalis appeti poteſt naturaliter, qui non poteſt obtineri, niſi per media ſupernaturalia, v. g. reſtitutio viſus à cæco; ita & ſupernaturalis.

Ad tertium. Negatur antecedens, tum

Digitized by Google

tum quia ſuppoſita cognitione eius; poteſt homo naturaliter illam appetere; tùm quia apperendo viſionem, implicitè etiam appetit gratiam cum illa coniunctam; tum quia habet naturalem inclinationem ad illam, vt S. Th. 1. 2. q. 113. a. 10. c. Et idem eſt de viſione. Sic Seraph. in 1. d. 1. a. 3. q. 1. *quia anima, inquit, eſt expreſſa ſimilitudo Dei, hæc conuenientia in vno extremo ponit inclinationem, & indigentiam, in alio quietationem, & ſufficientiam, quia vnum primum eſt propter alterum, vnde ordinatur ad alterum.*

Poteſt appeti gratia naturaliter ſaltem impliciter.

Ad quartum nego antecedens ad probationem: denominatio fieri poteſt & à forma intrinſeca, & ſic dicitur potentia naturalis gloriæ, quia ipſa per ſuam intrinſecam entitatem eſt eius ſubiectum, licet eleuatum; quomodo etiam potentia actiua dicitur naturalis licet eleuata ad effectum ſupernaturalem: Et à forma extrinſeca, quam recipit; & ita dicitur ſupernaturalis à ſupernaturali, in quo ſenſu potentia receptiua vnionis dicitur naturalis, & ſupernaturalis, quamuis in cæteris ſit diſparitas, quia vnio non eſt finis naturæ rationalis, neque ad ipſam inclinatur, ſed benè ad ſuam beatitudinem. Tertio denominatio fieri etiam poteſt à cauſa efficiente, & ſic quia gratia, & gloria à Deo tantùm fieri poteſt, dinominatur potentia paſſiua huic actiuæ reſpondens, ſupernaturalis.

Potentia gloriæ quomodo naturalis, & ſupernaturalis dicatur.

Ad quintum negatur anteced. quãquam enim perfectus amor Dei ſit donum gratiæ, imperfectus poteſt eſſe à natura cum generali concurſu, de quo in quæſtione propria.

Ad ſextum. Nego ſequelam; ad probationem; ad hoc vt amor non feratur in incognitum ſufficit cognitio, quod eſt, vniuerſalis, & confuſa, vt patet in beatitudine, quam omnes appetunt, & pauci norunt explicitè quid ſit; quod verò Deus ſit Trinus pertinet ad quid eſt, quæ cognitio non eſt neceſſaria ad appetitum viſionis eius, ſed ſufficit cognitio quod ſit Deus. Quamquam ad hoc vt iſte appetitus dicatur naturalis ſatis eſſet, quod propoſita Trinitate, voluntas appeteret naturaliter ipſam videre in aliquo ſenſu explicato ſuperius, ſaltem quia hoc faceret per modum naturæ, vt Vazq. 1. 2. diſp. 22. num. 26. contra Ferrar. concedentem appetitum hunc ſolum reſpectu prædicatorum, quæ de Deo naturaliter cognoſci poſſunt, & non vt eſt obiectum ſupernaturalis beatitudinis.

Sufficit cognitio confuſa ne dicatur voluntas ferri in incognitum

Vazq.

Ad ſeptimum reſpondeo. Primò in vniuerſum non eſſe neceſſarium, vt quicquid naturaliter appetitur poſſit obtineri etiã naturaliter, cæcus enim appetit viſum, & æger ſanitatem, etiã cùm ſunt impoſſibilia naturæ viribus. Neque tamen fruſtra dicitur natura feciſſe hunc appetitum, quia habet alios fines, quàm aſſecutionem eius, in quod fertur. Secundo reſpondeo hunc non eſſe appetitum efficacem, & abſolutum, ſed conditionatum, & ſimplicis complacentiæ, ita Suar. 1. 2. diſp. 16. de appetitu beatitudinis ſect. vlt. putans certum, quia efficax appetitus eſt actus ſpei infuſæ, quæ nititur gratia diuina, quâ adiuti efficaciter intẽdimus tendere in illam beatitudinem. Deinde quia appetitus efficax includit virtualiter voluntatem exequendi media neceſſaria ad beatitudinem obtinẽdam, hanc autem voluntatem non poteſt homo habere viribus naturę, quia nec poteſt habere voluntatem credendi fide ſupernaturali, quæ eſt medium neceſſarium, & proinde neque illam aliam, quæ hanc continet.

Non eſt neceſſariũ vt quod naturaliter appetitur poſſit obtineri naturaliter.

Suar.

Probat etiam Ban. 1. p. q. 12. a. 1. d. 2: ex eo quod naturaliter non eſt cognoſcibilitas viſionis, ſed ſupra oſtendimus eſſe cognoſcibilem.

Hic tamen aduerte appetitum ineſficacem, ſeu ſimplicis complacentiæ eſſe dupliciter: alterum, qui ſe tenet ex parte ſubiecti, ſeu appetentis; alterum qui ſe tenet ex parte obiecti, ſeu rei appetitæ; primus dicit velleitatem quamdam, & complacentiam, quæ ſtat cum voluntate abſoluta oppoſita, vt in intemperante, qui complacet ſibi de bono honeſto, ſed abſolute vult inhoneſtum. Secundus dicit propoſitum efficax quantum eſt ex parte appetentis, ſed inefficax reſpectu medij, quod nõ eſt in ipſius poteſtate, & ideo nõ eligitur, quia non poteſt eligi; alioqui, ſi poſſet, eligeretur, vt in appetẽte dignitatem, pro qua aſſequenda nihil omitteret eorum, quæ neceſſaria

XIX. Appetitus inefficax eſt duplex.

ria ſunt. In hoc autem ſecundo ſenſu poteſt dari appetitus efficax viſionis viribus naturæ, quia poſita cognitione poſſibilitatis eius quocumque modo ponatur, poteſt voluntas quantum eſt ex parte ſua non ſolùm habere cõplacentiam de illa, ſed etiam vehementer optare media ad illam conſequendam, etiamſi in eius poteſtate hæc ſita non ſint, quo ſenſu ait Seraph. in 1. d. 8. num. 38. p. p. a. 1. q. 3. ad arg. *omnis natura appetit ſaluari, quamuis ex ſe non poſſit, & maximè illa creatura, quæ appetit beatificari, & hæc eſt illa, quæ ad Dei imaginem facta eſt. Et quia deſiderium naturæ non eſt fruſtra, vbi deficit natura ſupplet Dei gratuita influentia.*

Confirmantur dicta de appetitu innato, & elicito ex ſolutione aliorum argumentorum.

CAP. V.

I. *Cuilibet potentiæ naturali paſſiuæ reſpondit agens naturale, explicatur.*

II. *Appetitus naturalis eſt ad beatitudinem ſimpliciter.*

III. *Ordinatio ad beatitudinem ſupponit aptitudinem naturæ rationalis ad illam.*

IV. *Beatitudo ſecundum ſe non poteſt odio haberi.*

V. *Status paruulorum in Limbo.*

VI. *Reſponſio ad varias inſtantias recentiorum.*

XX. NAM obijcies primò. Cuilibet potentiæ naturali reſpondet, ſi ſit paſſiua, agens naturale, ſi ſit actiua ſubiectum naturale, at appetitui innato, ſi ſit actiuus nullum reſpõdet ſubiectum naturale beatitudinis, quia in anima, & potentijs eſt tantum potentia receptiua obediẽtialis, & ſupernaturalis; ſi ſit paſſiuus nullum reſpondet agens naturale, ergo &c. Maior admittitur vt Axioma in ſcholis, & Ariſtotelis 3. de anima illi nixus probat dari intellectum agentẽ, quia datur poſſibilis, cum enim hæc ſit potentia paſſiua, requiritur actiua eiuſdem ordinis, quæ illum ad actum reducat.

Minor probatur quoad potentiam actiuam, quia terminus, & actio, in qua conſiſtit beatitudo totus eſt ſupernaturalis, qui licèt conueniat in ratione communi cum aliqua entitate naturali, tamen non poteſt dici naturalis, ſed ad ſummum abſtrahens à naturali, & ſupernaturali, quæ tamen vt cõtracta per differentiam, iam eleuata eſt ad ordinem ſupernaturalem. Deinde hic terminus, ſeu viſio poteſt eſſe perfectior in infinitum, non igitur datur vis naturalis in natura potens illum attingere, quia quælibet creatura limitata eſt quoad eſſe, & operari, tota igitur actiuitas iſta obedientialis eſt. Tertio. vel intellectus dicitur potentiam habere naturalem ad viſionẽ, quia ſecundum ſuam entitatem concurrit ad illam, & hoc non, quia aqua etiam ſecundùm ſuam entitatem concurrit ad gratiam, neque tamen habet potentiam actiuam naturalem ad illam producendam: Vel quia vitaliter concurrit, & hoc non ſufficit, quia potentia poteſt concurrere vt inſtrumentum eleuatum actionis vitalis, ſicut aliæ qualitates eleuari poſſunt ad actiones ſui ordinis, & ratio vitalitatis ſaluatur in hoc quod actus ordinetur ad informandum principium, à quo manat; quod benè intelligi poteſt etiamſi principium concurrat per potentiam obedientialem.

Hinc patet etiam altera pars de potentia paſſiua; tum quia hæc non dicitur naturalis niſi in ordine ad naturalem actum, & perfectionem conſentaneam naturæ, & ad naturale agens; tum quia ſi dicatur naturalis, quia eſt congenita naturæ, & ita potentia ad vnionem hypoſtaticam eſſet naturalis, quia congenita eſt naturæ, tum quia vniuerſaliter potentia naturalis non dicitur in ordine ad principium à quo manat, ſeu ab entitate, in qua fundatur, & identificatur, ſic enim omnis potentia obedientialis eſſet naturalis, quia fundatur in entitate creaturæ, quæcumque illa ſit, dicitur ergo naturalis in ordine ad actum quem talis natura poſtulat tanquam ſibi debitum qualis non eſt beatitudo in viſione conſiſtens nulli naturæ debita; tum quia naturalis potentia etiam paſſiua

eſt

eſt determinata ad actum tantæ intenſionis, & perfectionis, hæc autem capacitas nullum habet terminũ, quia poteſt recipere viſionem in infinitum perfectiorem; tum denique quia hinc ſequeretur nunquam repleri hunc appetitum, quia qualibet viſione data, adhuc appetit meliorem iuxtà illud, ſatiabor cum apparuerit pſ. 16. ita Suar. 1. 2. diſp. 16. n. 8. Et in idem recidit argumentum Vaſq. 1. 2. d. 22. à n. 10. quod talis eſt appetitus qualis eſt potentia, quam conſequitur, & cum nulla detur potentia naturalis ad viſionem, quæ eſt ſupernaturalis, & non ab agente tantùm naturali, nullus etiam appetitus naturalis; ſed tantùm obedientialis concedendus eſt.

Reſpondetur, axioma illud aſſumptum in maiori verum eſſe de potentijs naturalibus ordinatis ad fines naturales, non de rationalibus ordinatis ad fines ſupernaturales; ratio primi eſt proportio, in ratione cauſæ, & effectus, in ratione actiui, & paſſiui inter res eiuſdem ordinis; In ijs enim reſpondent ſibi potentia actiua, & paſſiua, quia ſunt ad fines non excedentes ipſarum naturas, ac virtutes. Ratio ſecundi, eſt, quia vbi fines ſunt ſupernaturales poſſunt quidem appeti à naturis rationalibus, & actu elicito præcedente cognitione, & innato per pondus quoddam, & propenſionem in illos; ſed non obtineri, niſi per gratiam; & ideo non oportet potentiæ paſſiuæ naturali reſpondere actiuam naturalem, ſed ſufficit quod ſupernaturalis, neque appetitui innato reſpondere debet virtus naturalis ad aſſequẽdum finem in quem inclinat per modum actus primi, ſed ſufficit quod ſupernaturalis vt ſupra oſtenſum eſt. Atque ita patet ad probationem maioris, & ad textum Ariſtotelis, qui loquitur ſolùm de potentijs naturalibus in ordine ad fines ſuos naturales.

Non omni potẽtiæ paſſiuæ naturali reſpondet actiua naturalis.

Ad primam partem probationis minoris concedo viſionem eſſe terminũ ſupernaturalem, nego ſequelam quod reſpectu eius non detur appetitus innatus, quia eſt finis, & bonum eius, ad quod creatura rationalis ordinatur, & ideo propendet in ipſum.

Ad ſecundam partem, ſicut appetitus materiæ eſt ad formam non ad hanc vel illam formam, ita appetitus beatitudinis eſt ad veram beatitudinẽ ſecundum ſe quæ in viſione conſiſtit, non ad hunc vel illum gradum, & ideo non eſt infinitus ſeu illimitatus; & expletur quolibet gradu, vnde quilibet beatus etiam minimus quietus eſt, & cum ſit in termino non appetit vlterius perfici, quod autem poſſit in infinitum plus perfici, virtutis infinitæ eſt Dei, cui plenè omnis creatura ſubijcitur, non appetitus innati qui non tendit in hanc; vel illum gradum viſionis, ſed in viſionem, cuius gradu quolibet perficitur, & in quo ſiſtit, & reſpectu maioris non ſe habet priuatiuè, ſed negatiuè.

Appetitus naturalis eſt ad beatitudinem ſimpliciter, non ad hunc, vel illũ gradum.

Quod autem infertur totam actiuitatem eſſe ſupernaturalem, vel ſupponit appetitum innatum eſſe actiuum, & licèt ſpecificatiuè verum ſit quia idem eſt realiter cum potentia actiua, reduplicatiuè tamen negatur, quia vt ſic conſideratur per modum ponderis, ſeu inclinationis quæ ſtaret etiamſi diſtingueretur à potentia immediatè actiua, ſicut inclinatio ad centrum in lapide ſtaret etiam cum virtute motiua diſtincta ab ipſo; vel ſi actiuus eſt, negatur, quod tota actiuitas ſit ſupernaturalis, quia in intellectu, exempli gra: datur virtus intellectiua naturalis, quæ completur quidem, vt inſtrumentum per auxilium ſupernaturale, ſed eo eleuata verè influit, & vitaliter in viſionem, cuius propterea dicitur principium inadæquatum inſtrumentale, ſed vitale.

Ad tertiam. Intellectus concurrit ſecundùm ſuam entitatem, ſed propendentem ad viſionem, vt ſuum bonum, quod non habet aqua reſpectu gratiæ, & vitaliter per potentiam obedientialem; Sed ſupponentem innatam ad ſuum bonum, quod non habent aliæ qualitates eleuatæ ad operationes ſupernaturales. Ex quo patet ad alteram partem.

Nam potentia paſſiua dicitur naturalis nõ ſolùm reſpectu actus, & agentis naturalis, ſed etiam quia eſt congenita naturæ de ſe ordinatę ad finem ſupernaturalem; qualis non eſt vnio, ad quam de ſe non ordinatur natura rationalis. Neque appetitur ab illa; ſicut neque entitates reliquæ naturales

Quomodo potentia paſſiua dicatur naturalis.

les

les ordinatur ad effectus, ad quos interdum eleuantur à Deo, & ideo potentia paſſiua non dicitur naturalis in illis ſecundum ſenſum præſentem; etiamſi alioqui nihil magis ſit naturale naturæ toti, quàm ſubijci Conditori, & proinde etiam reſpectu illius omnipotentiæ dicitur capax infinitè obedientialiter, abſolutè autem finitè capax eſt, ſicut actiua finitè appetens, quia appetitus eſt ad viſionem vt ſic, & ideo ea poſita in quolibet gradu ſatiatur. Et ſic patet etiam ad argumentum Vazq. nam potentia ad beatitudinem dicitur naturalis & quia innata eſt ſeu congenita, quomodo etiam natiua dicitur; & quia naturaliter ordinata eſt ad illam tum recipiēdam, tum efficiendam, ſit inſtrumentum vitale habens inchoatam virtutem complēdam gratiæ auxilio.

XXII. Obijcies ſecundo. Sequeretur, naturæ rationali debitam eſſe viſionem ex vi ordinationis ad ipſam, imo & debitam ordinationem intrinſecè naturæ humanæ, quia nihil eſt magis debitum quàm ordinatio ad vltimum finem à Creatore, qui omnia propter talem aliquem finem condidit.

Deindè eſſe duos fines vltimos hominis ſcilicet beatitudinem naturalem quam appetunt homines appetitu innato, & ſupernaturalem: impoſſibile autem eſt eſſe duos vltimos fines reſpectu eiuſdem.

Reſpondeo primò viſionem, & gratiam ex Dei miſericordia prouenire non ex debito naturæ. Deinde ordinatione ad viſionem duo dicere: primò voluntatem Dei ordinantis. Secundo aptitudinem creaturæ rationalis vt ordinaretur, quæ eſt natura ipſius, & capacitas viſionis, cuius irrationales ſunt expertes. Sic S. Aug. de Gen. ad licteram l.6. c.16. Eſt quippe, inquit, in natura huius v. g. iuuenis vt Seneſcat, ſed vtrum hoc etiam ſit in Dei voluntate, neſcimus. Indicans naturis rerum conuenire diſpoſitiones dependenter à voluntate Dei, ſed nec, inquit, in natura eſſet niſi in Dei voluntate prius fuiſſet, qui condidit omnia. Sic naturæ creaturæ rationalis intrinſecè cōuenit ordinatio ſeu ordinabilitas, quod vero actu ordinetur voluntatis Diuinæ eſt ſuauiter omnia diſponentis. Ac proinde ſecundum ordinariam potentiā non aliter creantis animam, quam per finem ſupernaturalem.

Ordinatio ad viſionem duo dicit.

Idem Aug. de Spiritu, & An. lib. vn. c. 37. loquens de anima. *Hac* (ait) *Ciuitas Hieruſalem merito appellanda eſt, quia ad fruendum viſione illius ſumma pacis, qua fecit, vtraque, vnum creata eſt*, & c. 39. *Anima rationalis, & intellectualis facta eſt ad imaginē, & ſimilitudinem Dei, vt factorem ſuum pro imagine cognoſcat, & pro ſimilitudine diligat*. imperfectè nimirum in hac vita perfectè in altera vt c. ſequentibus capitibus, preſertim 15. dixerit idem ſanctus cum quo penitus conuenit Bon. locis ſupra cit. S. Auguſt

Ad ſecūdum finis vltimus eſt vnus, ideſt ſupernaturalis, ad quem ordinatur naturalis, ſcilicet beatitudo naturalis, quæcumque illa ſit, vel futura fuiſſet in hac vita ſi Adam non peccaſſet.

Obijcies tertio appetitus innatus, & appetitus elicitus neceſſarius quoad ſpecificationem ſunt connexi, & ex vno infertur alius, ſed non datur elicitus neceſſarius quoad ſpecificationem circa beatitudinem, ergo neque datur innatus. Maior probatur, quia cum appetitus elicitus non ſit neceſſarius ex aliquo principio extrinſeco, oportet talem eſſe ex intrinſeca inclinatione potentiæ appetentis, alioqui eſſet violentus. Minor probatur, quia nullus actus eſt neceſſarius à voluntate elicitus etiam quoad ſpecificationē, niſi qui verſatur circa obiectum adæquatum, vel cognitum ſub omni ratione boni; in via autem nullum tale obiectum datur niſi beatitudo in communi, cui licèt æquiualeat Deus continens omne bonum, non tamen proponitur voluntati vt obiectum adæquatum, & ſub omni ratione boni ſicut in Patria, vbi voluntas fertur neceſſario in ipſum tāquam in obiectum adæquatum, quia licèt alia etiam velit non tamen niſi in ordine ad ipſum, quod non contingit in via, vbi etiam quoad ſpecificationem appetitus eſt liber. Salm. tract. 2. de viſ. Dei d. 1. dub. 5. n. 80.

Reſpondeo, concedo maiorem. Nego minorem, & probationem eius, & ratio à priori eſt quia cum voluntas XXIII.

non

Voluntas non poteſt odiſſe beatitudinem ſecundùm ſe.

non feratur in malum, vt ſic, neque odio habere poſſit bonum, vt ſic, quod eſt obiectum eius, non poteſt conſequenter odiſſe beatitudinē ſecundùm ſe, vel refugere ab illa, niſi ſub aliqua ratione mali apprehenſa; poteſt tamen quoad exercitium non tendere in illam, quia non neceſſitatur niſi ab obiecto viſo ſub omni ratione boni in patria, vel à beatitudine in communi, circa quam operatur vt natura cum determinatione.

Appetitus innatus nos eſt in ſola voluntate.

Quamquam argumentum hoc non impugnat vniuerſaliter appetitum innatum beatitudinis, qui latius patet, quàm appetitus voluntatis, vt enim ſupra diximus, potentia carens bono ſibi proportionato, & connexo ex natura rei dicitur illud appetere, atque adeo non ſola voluntas, ſed etiam intellectus appetit beatitudinem veram, & proinde etiamſi non daretur elicitus neceſſarius quoad ſpecificationē, adhuc daretur innatus ob dictam inclinationem, & capacitatem, quæ naturalis eſt, ſicut & naturalis dicitur inclinatio ad gratiam vt ſupra ex D. Th. ne reformides concedere inclinationem naturalem ad rem ſupernaturalem. Sic etiam Trig. quæſt. 7. d. 2. fin. ſed tunc.

Obijcies quarto. Quia ſequeretur quod corpus haberet appetitum innanatum dotum glorioſarum, ſequela patet, quia ſunt eius bonum, & perfectio, non ſecus, ac lumen, etiam viſio bonum eſt intellectus, & ipſum etiam eſt ordinatum ad gloriam ſuo modo participandam, quia totus homo propter beatitudinem cōditus eſt. Falſitas conſequentis patet, quia corpus hominis non habet maiorem capacitatem dotum, quàm cœtera corpora, in quibus nemo dixerit eſſe appetitum innatum ad dotes.

Corporis nō eſt per ſe appetitus ad dotes glorioſas.

Reſpondeo nego ſequelam. Ad probationem; dotes ſunt quidem bonum, & perfectio corporis, ſed ſicut ſubiecti non habentis, ex ſe proportionem, aut connexionem, ex natura rei, ſicut neque haberent alia corpora: quod autem ordinetur ad participationem gloriæ eſt per accidens ratione animę, quæ cum ſit imago Dei appetit, illum, vt obiectum ſibi proportionatum, & connexum quoad hoc, quod habet potentias de ſe tendentes in omne intelligibile, & appetibile, & proinde etiam in Deum, & multò magis in illum tanquam in maius bonum; licèt non in omni modo ab ipſa comparabilem; & quia eſſentialiter eſt pars conſtitutiua totius ſimul cum corpore; hinc eſt quod conſecutiuè bonum eius redundat in bonum corporis, & gloria eius in gloriam iſtius, cæterum corpus ſecundum ſe non magis eſt capax dotum, quàm cætera corpora, in quibus ſi ponerētur dotes, haberent eoſdem effectus ac in corporibus beatorum, quia redderentur impoſſibilia, ſubtilia, agilia, &c. & Aug. lib. 20. de ciu. c. 16. *Ipſa ſubſtantia (elementorum) eas qualitates habebit, que corporibus noſtris immortalibus mirabili mutatione conueniant: vt ſcilicet mundus in melius innouatus aptè accomodetur hominibus, etiam carne in melius innouatis*. Secus quam eueniret in animabus brutorum quæ incapaces beatitudinis ſunt vt S. Aug. l. 83. qq. 5. tit. 4. *Animal, inquit, quod caret ratione, caret ſcientia. Nullum autem animal quod ſcientia caret, beatum eſſe poteſt*; Propterea aliqua maior proportio eſt inter beatitudinem, & animam rationalem, quam inter dotes glorioſas, & corpus, & conſequenter poteſt concedi appetitus innatus animæ ad beatitudinem, negari debet corpori ad dotes glorioſas.

Obijcies Quintò. Si eſt appetitus innatus animæ ad videndum Deum qui ſit principium eliciti, ergo animæ puerorum in Limbo perpetua triſtitia efficientur, quia nunquam aſſequi poterunt, quod naturaliter optant. Quandocunque autem aliquis deſiderat, & illo priuatur, neceſſarium eſt illum triſtari, & dolere ait Seraph. in 2. diſt. 33. a. 1. q. 1. init.

XXIV Lımbus eſt locus pœna damni.

Reſpondeo ex Seraph. in 4. d. 45. a. 1. q. 1. quod limbus eſt locus pœnę, videlicet damni, quia priuantur viſione in eo detenti, atque ita concedi poſſet ſequela præſertim in ſentētia S. Auguſt. aliquoties aſſerentis torqueri etiam pœna ignis, & gehennæ lib. de fid. ad Petrum c. 27. *vbi firmiſſimè tenens & nullatenus dubitans ait, infantes ſine baptiſmo decedentes ignis æterni ſupplicio puniendos*. & Ser. 13. de Verbis Apoſtoli contra Pelagium beatam vitam

c. 27.

S. Aug. ſent de Infantibus, &c.

Digitized by Google

vitam huiuſmodi infantibus tribuentem, nullum medium locum admittit dextram, à qua ſtabunt iuſti, & ſiniſtram, à qua damnati cum diabolo, &c.

Sed alij eos ab omni pęna liberant, ac triſtitia omni, quinimò ſumma delectatione impertiunt ex cognitione naturali Dei, & creaturarum manante, & ex motiuis Diuinæ Prouidentiæ, ac beneficientiæ, quæ liberauit eos à peccatis actualibus, & pœnis ea committentium, & tractare non deſiſtit illos vt ſeruos, etſi non vt filios, & amicos ad ſui conſpectum, & fruitionem admiſſos, vt Leſſ. explicat l. 13. de diu. P. Leſſius. perfect. c. 22. à num. 144. citans Sanctum Thomam, & alios in 2. d. 33. Et aduertens hanc non eſſe beatitudinem naturalem, qualem habuiſſent homines in ſtatu Innocentiæ, præpediente ſcilicet originali, in quo deceſſere infantes, vel in vtero Matris, vel extra ſine baptiſſimo. Et in hac ſententia negaretur ſequela argumenti, quia contenti ſunt eo bono, quo fruuntur, & acquieſcunt Diuinæ voluntati; hæc autem ſententia non eximit eos à pœna damni.

S. Bonau. Tertius modus dicendi probatus à Seraphico in 2. d. 33. q. 2. fin. Quod carebunt omni actuali dolore, & afflictione, idque rationabiliter, quia decedentes cum ſolo originali tenent medium ſtatum inter habentes gratiã, & culpam actualem, & quoniam ſtatus retributionis reſpondet ſtatui vitæ præſentis, debent tales paruuli poni in ſtatu medio inter beatos, & damnatos, & proinde in vno cum damnatis in carentia viſionis, in altero cum beatis ſecundum carentiam viſionis, & omnis pœnæ ſenſibilis. *Paruuli igitur, inquit, Sanctus, ſic diuino Iudicio iuſto inter beatos, & ſimpliciter miſeros, quaſi in medio conſtituti hoc nouerunt, vt tamen ex vna parte, conſideratio generet deſolationem ex altera conſolationem. Ita æqua lance diuino iudicio eorũ cognitio, & affectio libratur; & in tali ſtatu perpetuatur, vt nec triſtitia deijciat; nec lætitia reficiat*. Pro ratione autem afſert conuenientiam ſubdens.

Sed in hoc mirabilis oſtẽditur ordo diuinæ ſapientiæ, quæ cuncta nouit ſuis locis diſponere, & ad ſui gloriam ordinare. Nam ſicut in beatis potiſſimè manifeſtatur miſericordia, & in damnatis claret iuſtitia, ſic in iſtis manifeſtatur miſericordia ſimul, & iuſtitia: Et ex hoc patet, quod non facit fruſtra Deus animas, quas nouit de corpore ante ſuſceptionem baptiſmatis egreſſuras, omnia enim facit Deus ad gloriam ſuam manifeſtandam.

Sed quid, quod repugnare videtur Auguſtini ſententiæ addicentis eos igni, & proinde etiam pœnæ ſenſibilis interiori, & exteriori? Audi interpretationem benignam, & modeſtiam aduerte. Nam quæſtione præcedente ad argumenta.

Dicendum, inquit, quod Aug. in verbis (de fide ſcilicet ad Petrum firmiſſimè tene. &c.) non intendit dicere quod paruuli ſenſibiliter crucientur, ſed intendit eorum pœnam manifeſtare quantùm ad carentiam viſionis Dei, & quantum etiam ad vilitatem loci. Et hoc valde abundanter exprimit plus dicens, & minus volens intelligi. Nec ſine cauſa loquitur ſic, hoc enim facit ad extirpandam illam hæreſim, quæ dicebat paruulos nulla pœna puniri. Vnde ſicut in moribus documentum eſt, quod qui vult ab vno extremorum peruenire ad medium, quaſi debet declinare ad aliud extremum, ſicut docet Philoſophus. Sic etiam B. Aug. vt illam hæreſim extirparet, quæ dicebat, paruulos ab omni pœna carentiæ viſionis Dei, ſimpliciter aſſeruit eos cum alijs peccatoribus æternaliter damnari. Iſtum autem ſuum intellectum explanauit in Enchir. vbi dixit pœnam eorum eſſe mitiſſimam, ſicut dixit Magiſter in littera. Modeſtia S. Bonau. & Reuer. erga S. Auguſt. c. 101.

Hanc reſpõſionem improbat Greg. diſt. 30. vt textui, & menti Auguſtini diſſonam, & Scot. d. 33. ſed eſt etiam S. Th. in qu. de mal. q. 5. art. 2. & aptior eſt ad conciliandam auctoritatem in Ench. cum alijs locis Auguſtini. S. Thom.

Ad argumentum igitur in hac via ſecundùm Seraph. doctrinam ibid. fin. dic quod Infantes contenti ſunt ſtatu ſuo non optantes quod habere non poſſunt, licèt enim non impleatur deſiderium beatitudinis, tamen vident ſe meritò illa priuari, & habere alioqui compenſationem aliquam loco damnationis, cui addici poterant, & à quà ſine meritis liberati ſunt; quando verò ſecundùm æſtimationem de- XXV.

ſide-

Digitized by Google

ſiderantis aliqua recompenſatio ſit, non neceſſe eſt triſtari, ait Seraph., vt patet etiam in ijs, qui in hoc mundo contenti ſunt ſtatu ſuo; atque adeò neque triſtari, neque lætari putat, ſed in medio quodam ſtatu conſiſtere. Et ad ſummum ſi aliqua pœna ſit, ea mitiſsima eſt ex Aug. ſupra, quem citat Seraph. & approbat. In quo ſenſu conceditur ſequela argumenti, ita tamen vt non excludatur pęna damni quæ perpetua eſt.

XXVI. Ex dictis ſolues facile recentiorum inſtantias, v.g. quod appetitus non fertur in incognitum, qualis eſt viſio beata, ſolum per reuelationem nota. Deinde quod appetitus dicitur ferri poſſet in impoſſibile, quia ſequitur apprehenſionem, quæ repræſentare poſſet impoſſibilia, ideo viſum eſt aliquibus rationem D. Thomæ eſſe ineſficacem, quæ probat ex appetitu vniuerſali, & deſiderio naturali cognoſcendi cauſam cum videtur effectus, quòd ne ſit inane oportet ab intellectu videri poſſe primam cauſam.

Tertiò, quod ante reuelationē nullum eſt medium cognoſcēdi viſionem beatam, vti de facto eſt, & ideo opinio communis de illa potuit eſſe falſa, vt erat apud veteres de Ioue, quod eſſet Deus, quia communis opinio ſæpe pēdet ab inſtructione, quæ poteſt eſſe falſorum; Quarto, Multos eſſe docet experientia non habentes huiuſmodi appetitum, & de Atheiſtis certum eſt, qui negātes eſſe Deum nequeunt eius viſionem appetere: & alij plures, licet odio habere non poſſint beatitudinem in communi; tamen eam conſtituunt in alio; quàm in viſione, & bona creata æternis præferunt. Vnde cum Aug. dicit quòd omnes naturali inſtinctu immortales, ac beati eſſe non vellemus, niſi eſſe poſſemus, de beatitudine aliqua in communi intelligendus eſt, non de viſione in particulari.

Quæ, & ſimilia non obſtant, ſi æquiuocationem adhibita ſuperius diſtinctione diluamus. Non primum quia cognitum aliud eſt confusè, & obſcurè, quale eſt, quod naturali quadam præſenſione percipitur, v. g. Deum eſſe, cuius cognitionem impreſſam eſſe mentibus noſtris docet S. Bonau. vt infra oſtendemus: aliud eſt cognitum clarè, & diſtinctè, hoc eſt actu explicito ab intellectu verſante circa illud. Appetitus item duplex eſt innatus, & elicitus, de quo ſupra; ad innatum creaturæ rationalis ſufficit cognitio confuſa; ad elicitum requiritur diſtincta, qualis poteſt eſſe de poſſibilitate viſionis citra reuelationem, vt oſtenſum eſt.

Cognitum clarè, & obſcurè.

Ad ſecundum. Appetitus innatus non fertur in impoſſibile; quod autem elicitus ferri poſſit, non probat quòd ſemper feratur, multò minus quòd inane ſit deſiderium naturale, & commune, viſo effectu cognoſcendi cauſam, ex quo S. Thomas probat videri poſſe diuinam eſſentiam, quæ ratio efficax eſt, ſi non demonſtratiua, neque à Caietano 1. p. q. 12. a. 1. improbatur. Et intelligitur de viſione intuitiua, quæ ſolum ſatiat appetitum; & licet appetitus elicitus ferrei queat in impoſſibile aliquod; nullum tamen eſt impoſſibile, inquod tendat innatus, ex quo ſequitur elicitus vniuerſalis, qui non eſt inanis.

S. Thom.

Ad tertium negatur aſſumptum quod falſum eſſe conſtat ex dictis de poſſibilitate cognitionis eius. Neque opinio communis de illa poteſt eſſe falſa, ſicut neque appetitus eius inanis; cum quo tamen ſtat, vt errores circa illam contingant, ſicut & circa Deum, quem dixit impius non eſſe ob mentis excæcationem, ſed hoc eſt per acccidens, nos loquimur de poſſibilitate per ſe viſionis cognoſcendæ.

Ex quo patet ad quartum. De S. Auguſtini dicto ex ſuperioribus manifeſtum eſt vel de ſola vera fælicitate intelligendum, quæ in viſione, vtpotè nobiliſſima operatione, conſiſtit; vel illam includi in beatitudine communiter ſumpta, qua ſub iſta vniuerſalitate nemo redditur beatus; ſed requiritur aliquod bonum particulare, in cuius aſſignatione tot errores fuere, quot placita philoſophantium; non errauit autem Auguſt. in viſione Dei collocans, quam acquirere eius auxilio poſſumus.

Digitized by Google

VTRVM SIT POSSIBILIS *Intellectus tam excellens, vt propria virtute cognoſcat intuitiuè entia intrinſece ſupernaturalia.*

CAP. VI.

I. *Variæ ſententiæ.*
II. *Eligitur affirmatiua, & probatur auctoritate, ac ratione.*
III. *Poteſt creari intellectus aedo perfectus, vt cognoſcat entia ſupernaturalia, & poſſibilia.*
IV. *Etiam modos in ſua entitate ſupernaturales.*
V. *Supernaturalia multis modis ſunt cognoſcibilia.*

XXVII. INTVITIVE inquam, nam abſtractiuè de facto multa cognoſcuntur ab hominibus per diſcurſum, & ab Angelis etiam malis per apprehenſionem; addo intrinſecè ſupernaturalia ad differētiam ſupernaturalium reſpectu modi, qualis eſt momentanea ſanatio ægroti, de quibus minor eſt difficultas, vt notat Vazqu. mox citandus; præſertim apud admittentes cognitionem ſupernaturalium primi generis.

Prima ſententia negat poſſibilitatem hanc, eſt communis Thomiſtarum 1. p. q. 57. ar. 3. & 5. quos ſequitur Suar. lib. 1. de Ang. c. 29. Vazq. 1. p. diſp. 214. c. 3. licèt 1. 2. diſp. 20. c. 2. concedat naturaliter demonſtrari poſſe viſionis beatificæ poſſibilitatem, in quo non diſcrepat à ſeipſo, vt illi à quibuſdam imponitur, vt infra patebit; diſerte etiam negat P. Recupitus tom. 1. in 1. p. lib. 6. q. 5. P. Ripalta de ente ſupern. diſp. 10. c. 1. & alij apud ipſos, quibus gratis ad numeratur S. Bon. in 4. diſt. 10. fin. negans videri à beato modum exiſtendi Chriſti in Euchariſtia, quæ eſt quæſtio particularis. Suar. Vazq. Recup. Ripal.

Secunda ſententia affirmat etiam de facto cognoſci ab Angelis myſteria gratiæ exiſtentia. Eſt Scoti in 4. diſt. 10. q. 8. & diſt. 45. q. 4. ad ſecundum princip. vide Fabrum in 2. diſp. 36. c. 2. ſequuntur Scotiſtæ reliqui, & Maior, Aegidius, & alij apud recentiores. Scot.

Prima Aſſertio.

POſſibilis eſt intellectus tantæ excellentię, vt virtute propria videat entia ſupernaturalia creata intuitiuè, quando actu exſtunt. Probatur quoad poſſibilitatem, ſeu quoad potentiam obedientialem, pro qua valent rationes tribuentes de facto facultatem hanc Angelis, multò magis valent de poſſibili, & ideo aſſertioni probandæ ſeruiunt. Cui conſona eſt doctrina S. Bonauent. in 2. diſt. 4. art. 2. qu. 1. in reſ. vbi, diſtinguit cognitionem creaturarum in verbo, vna eſt perfecta intuendo ipſum verbum, & hæc eſt beatorum; altera eſt per irradiationem verbi, ſeu illuminationem qua cognoſcuntur alia, & hæc inquit *cognitio, fuit Angelis innata, quia indidit eis Deus omnium ſpecies, & lumen ſuper mentes Angelorum expandit, quò cognoſcerent facta, & facienda, &c.* hæc autem fuit cognitio naturalis, quia remanſit in Dæmonibus, licet obſcurata, & inter facienda, ad quæ ſe extendit, numerantur ſupernaturalia. Sed præterea probatur aſſertio.

Primo, Quia principalis ratio cur viſio Dei non poſſit eſſe connaturalis vlli intellectui creato eſt exceſſus in infinitum ſupra omnem creaturam, quoad modum eſſendi, ex quo oritur improportio quoad eſſe cognoſcibile, & cognoſcitiuū virtute propria iſtius, ſed hic exceſſus non eſt inter myſteria gratiæ, & intellectum creatum, vt de ſe patet, & aliunde non eſt impedimentum, vt infra patebit ex ſolutione argumentorum; ergo.

Confirmatur quia inter hęc myſteria viſio beata eſt quid ſupremum, hanc autem cognoſcit beatus ſe habere, & non indiget ad hanc cognitionem, auxilio ſupernaturali, ſiquidem eſt experimentalis, & neceſſaria, vt rei in ſuo intellectu exiſtentis, & proinde, intuitiue cognitę, & ſecundum ſuam eſſentiam, quæ conſiſtit in hoc vt vniat obiectum clare viſum intellectui videntis, & quietet appetitum eius

in

Digitized by Google

in ipſo vt ſummo bono poſſeſſo; quod totum nouit intellectus beati virtute propria, nec poteſt non videre, quod pertinet ad beatitudinem, ſiue id fiat actu directo, ſiue reflexo, & idem eſt de amore, & fruitione beata, & alijs actibus ſupernaturalibus patrię. Quãuis enim, vt eliciantur, requiratur auxilium ſupernaturale; tamen illo poſito non eſt opus vlteriori auxilio vt cognoſcantur iſti actus præſentes in intellectu, & voluntate; ſed ſufficit, ſola virtus naturalis; non enim ita afficiunt, animam vt habitus, et actus ſupernaturales in via, quos à naturalibus non diſcernimus; ſed peculiari modo ſe produnt, et ita eleuant illã, ac diſponunt, vt ignorare ſuum ſtatum, nequeat, relicta quoad hoc ſuæ virtuti naturali ad cognoſcendum.

Secunda ratio. Secundo probatur aſſertio, quia huiuſmodi entia continẽtur ſub obiecto adæquato potentiæ intellectiuæ & virtutis eius naturalis; ergo poſſunt naturaliter cognoſci, ſi aliundè non ſit impedimentum, vt eſt in actibus liberis. Sequela patet, Antecedens probatur, ſi enim ſunt extra obiecta potentiæ intellectiuæ, maximè ratione ſupernaturalitatis, quia vt entia ſunt, vel vt accidentia conueniunt cum alijs accidentibus, quę ſunt intra obiectum adęquatum intellectus; at ſupernaturalitas non obſtat, nam lux ſupernaturalis corporis glorioſi, & Chriſti Domini in transfiguratione in ſentẽtia probabili, quam cum Richardo, et alijs defendit Suar. tom. 2. in 3. p. diſp. 33. ſect. 1. et diſp. 54. ſect. 3. continetur intra obiectum adęquatum potentiæ viſiuæ vt idem Suar. ibidem. Imo S. Tho. in 3. diſt. 16. q. 2. art. 1. ad quartum. *Dicendum, inquit, quod claritas illa (in transfiguratione Chriſti) erat ſimilis glorioſi corporis claritati, quæ viſum non corrumpit, ſed demulcet. Et mox. Et hoc quidem contingit quia eſt alterius generis, quàm iſta claritas naturalis: prouenit enim ex claritate ſpirituali animæ, quæ quidem non corrumpit proportionem oculi ad vim animæ, ſed magis confortat: Vnde hoc quod dicit Hier. quod Deus non poſſet in hac vita tam clarum quid efficere, intelligendum eſt, ideo dictum eſſe, quia claritas huius vitæ, ſcilicet naturalis, non eſt proportionabilis claritati patriæ; ſed alterius generis exiſtens.* Igitur ſecundum D. Thomam lux alterius generis ab iſta naturali poteſt videri ab oculo corporeo virtute naturali, quia eſt obiectum ſibi proportionatum, et non lædens ob ſuam vehementiam, ſed confortans quicquid deinde alibi dixerit. Supernaturalitas ergo non impedit etiam proportionem requiſitam inter obiectum, et intellectum, ſi hæc non impediatur ab exceſſu infinito modo eſſendi, vt ſupra dixi.

Suar.

S. Thom.

Confirmatur quia dato quod hæc lux ſupernaturalis ſola videri non poſſet virtute naturali oculi corporei, vt cenſet P. Ripal. diſp. 44. nu 61. cum alijs ab eo relatis, tamen ſi confundatur cum luce naturali, videri poteſt vnica viſione naturali, ergo continetur ſub obiecto adæquato viſus, ſicut Deus ſub obiecto intellectus, quia poteſt aliqua cognitione naturali imperfecta cognoſci, vt idẽ concedit nu. 63.

Dices, viſio lucis ſupernaturalis exigit ſpeciem ſupernaturalem, & ab ea ſit, igitur eſt & ipſa ſupernaturalis, vt pote à principio ſupernaturali, & circa obiectum ſupernaturale verſans: ad eam ergo non concurrit potentia viſiua per virtutem naturalem, ſed per obedientialem.

Reſpõdeo, non eſſe neceſſariam ſpeciem impreſſam lucis, vt videatur ſed ipſamet lux eſt recepta in oculo, ſicut neque Angelo eſt neceſſaria ſpecies ad ſe intelligendum, ſed ſufficit ipſa ſubſtantia ſui ſibi præſens. Deinde ſi daretur ſpecies non ſequitur neceſſario quod viſio ſit ſupernaturalis; ſiue quia in ſententia probabili ſpecies eſt ſolum determinatiua potentiæ, & non productiua actus; ſiue quia non repugnat ſpeciem ſupernaturalem cõcurrere ſimul cum potentia ad actum naturalem: ſicut de facto ad actum virtutis naturalis poteſt concurſum exhibere auxilium intrinſecè ſupernaturale, vt idem P. Ripal. ibid. n. 14.

Et huius ſententiæ eſt S. Bonau. in 4. diſt. 10. in fine vbi ad videndam claritatem corporis glorioſi requirit ſolum quod corpus habeat modum exiſtendi debitum corpori.

Tertio. Probatur ex communi principio, quod nihil ſit denegandum diuinæ omnipotentiæ, quod non probe-

tur implicare, vel in terminis, vel ex diſcurſu, & mediatè; oſtendere autem implicantiam in hoc valde difficile eſſe conſtabit ex ſolutione argumentorum.

Confirmatur quia omnes fermè auctores, qui cenſent impoſſibilem eſſe creaturam, cui ſit connaturalis viſio diuinæ eſſentiæ, fatentur non poſſe facilè aſſignari implicantiam, vt infrà videbimus, quantò magis id fateantur oportet de creatura ſupernaturali, in qua non eſt exceſſus, & improportio cum intellectu creato, quæ eſt inter Deum infinitum? Quod ſi de facto tenetur ſententia affirmatiua ab auctoribus exiſtimantibus gratiæ myſteria attingi naturaliter cognitione ab Angelis; igitur habet fundamenta ſuæ probabilitatis, auctoritatem, & rationem.

Confirmatur ſecundo: Quia Angelus etiā viator cognoſcit intuitiuè res naturales, preſertim actus quos habet in ſeipſo, neq; ad hos eget ſpeciebus, ergo ex eo quod intelligit actum ſuæ fidei, & amoris non eſſe naturales, nouit eſſe ſupernaturales; Neque enim ſatisfacit in hoc reſpōſio Suarij l. 2. de Ang. c. 29. fin. aſſerentis dubitare potuiſſe, an Deus hoc illi occultaret, ſicut & alia myſteria ſupernaturalia, nam benè nouerat Angelus, Deum nō ſuſpendere concurſum ſuum cum cauſis ſecundis ad operationes ordinarias conuenientes naturis ipſarum. Angelus ergo cognoſcendo ſuos actus nouit eſſe ſupernaturales, quicquid deinde ſit de alijs myſterijs, v. g. de deſitione ſubſtantiæ panis in ſancto altari, quam naturaliter cognoſci ab Angelo docet Vazq. diſp. illa 214. c. 3. reijciēs opinionē Suarij dicentis ſuſpicari poſſe Angelum ibi eſſe ſubſtantiam panis, & impediri ſe à Deo, ne illam agnoſcat.

Suar.

Secunda Aſſertio.

XXVIII. Conſequenter huiuſmodi intellectus ſi crearetur cognoſcere etiā poſſet entia ſupernaturalia ſupradicta ſecundum eſſe poſſibile. Probatur nam ex ſuppoſitione quod ſit ei poſſibilis cognitio exiſtentium virtute propria, exigeret ſpecies ipſorum, ſicut & aliorum quæ naturaliter poſſet cognoſcere, velut de facto Angelus exigit ſpecies rerum naturalium, quas poteſt cognoſcere; at huiuſmodi ſpecies repræſentant etiam poſſibilia, cognitione ſaltem abſtractiua, ſi intuitiua ſit ſolum exiſtentium, de quo nunc non diſputo; quemadmodum Angelus per ſpecies inditas initio creationis non ſolum nouit res actu exiſtentes, ſed etiā alias ſimiles poſſibiles in ſententia cōmuni quod non infundantur ipſi ſpecies ſemper nouæ ad productionem ſingularium quæ de nouo fiunt, quam tenet S. Bonau. in 2. diſt. 3. a. 1. q. 1. docens ſufficere ſpecies vniuerſales ſemel infuſas. Igitur ſi infunderentur intellectui prædicto ſpecies rerum ſupernaturalium, poſſet per illas cognoſcere alias ſimiles poſſibiles.

Confirmatur; quia Angelus ſuperior de facto habet pauciores ſpecies, ac vniuerſaliores in via Thomiſtica, & de poſſibili non eſt cur negetur, & per illas poteſt cognoſcere obiecta, quarū ſunt repræſentatiuæ, etiam ſecundū eſſe poſſibile, ſicut & ſecundum eſſe præteritum, ergo idem iudicium eſſe debet de intellectu potente viribus naturæ tendere cognitione in ſupernaturalia creata, nimirum quod per vnā ſpeciem plurium repræſentatiuam poſſit cognoſcere vnum actu exiſtens, & alterum poſſibile, præſertim cum res poſſibilis eadem ſit, quæ & actu exiſtit, & eandem habeat cognoſcibilitatem quoad intrinleca. Poteſt Angelus cognoſcere res naturales poſſibiles.

Confirmatur ſecundo quia voluntas poteſt tendere affectu complacentiæ ſimplicis, & efficaci in res poſſibiles ab intellectu ſibi repræſentatas, tanquam bonas, & appetibiles, igitur & intellectus ferri poteſt in eaſdem; quia niſi illas apprehenderet, non repræſentaret voluntati: quod cum ſit certum, difficultas ſolum erit de rebus ſupernaturalibus, quia cognitio earum, & ſpecies nulli intellectui ſunt debitæ, aut connaturales, ac proinde nec voluntas in illas cōnaturaliter ferri poteſt; veruntamen huius quæritur implicantia, & ratio cur ſpecies huiuſmodi non poſſint eſſe connaturales, & infundi iuxta exigentiam intellectus alicuius creabilis, hoc enim dato valet paritas à voluntate ad intellectum.

Probatur ſecundo aſſertio à priori; quia

quia potentia intellectiua habet pro obiecto verum, vt abſtrahit, ſeu potius vt complectitur præſens, præteritum, & futurum, ergo etiam vt poſſibile; patet ſequela, quia idem eſt poſſibile quod præſens, præteritum, ac futurum quoad intrinſeca, & ſolum diuerſum penes connotationes extrinſecas agentis & temporis, ergo intellectus potens cognoſcere præſens, ac præteritum poterit etiam poſſibile, & futurum quoad entitatem materialiter ſumptam, licet formaliter vt futurum, & pendens à voluntate libera non poſſit cognoſci. Hoc autem vniuerſalitèr verum eſt tam de poſſibili naturali, quàm ſupernaturali poſitis ſpeciebus repræſentatiuis, vt ſupra; iſtæ enim inſeruiunt cognitioni intuitiuæ rei exiſtentis, & abſtractiuæ rei poſſibilis, ſi intellectus alioqui habeat virtutem illas intelligendi; Imo non deſunt recentiores apud Vazq. mox citandum aſſerentes, Angelum cognoſcere myſterium Incarnationis eſſe poſſibile, etiamſi ſupernaturale ſit.

Confir. quia, vt diximus demõſtrari poteſt ratione naturali viſionẽ Dei eſſe poſſibilẽ vt docet Scot. in 4. diſt. 49. q. 8. & Vazq 1. 2. diſp. 11. c. 2. quod negat quidem Suar. c. illo 29. & lib. 2. de Attrib. c. 8. ſed ad rem noſtram tenet argumentum, quod non poſſit oſtendi implicantia, imo & ægre ſatisfit rationibus probantibus, quod de facto id cognoſcatur.

Tertia Aſſertio.

XXIX. SVperior doctrina intelligitur non ſolum de rebus ſupernaturalibus, ſed etiam de modis eſſendi in ſua entitate ſupernaturalibus, vt eſt modus Incarnationis in ſententia admittente vnionem diſtinctam ab extremis; & modus exiſtendi Chriſti Domini ſub ſpeciebus ſacramentalibus, quem plerique vbi ſacramentale nominant. Vtrumque cognoſci de facto ab Angelo cenſet Scotus, quem ſequuntur alij relati à Suar. 3. p. diſp. 53. ſect. 5. & lib. 2. de Angelis c. 29. num. 14. & à Vazqu. 1. p. diſp. 214. n. 1. concedente myſterium Euchariſtiæ cognoſci naturaliter ab Angelo, non item Incarnationis, & diſparitatem afferente. Scotus.

Scotus autem de myſterio vtroque idem aſſerit. Et quamquam Suar. num. illo 14. dicit ſe non reperire in Scoto quicquam in particulari de vnione corporis, & ſanguinis Chriſti Domini cum diuinitate; tamen ſufficit quòd cognoſcatur modus exiſtendi ſub ſpeciebus ad verificandum dictum Scoti. Ego quidem loquẽdo de facto ſequor ſententiam communem S. Bonau. in 4. diſt. 10. in fine in rationibus dubitãdi, quarũ vna eſt, quod modus exiſtendi Chriſti Domini in Sacramẽto eſt ſupra intellectum creatum, quæ eſt etiam S. Thomæ 3. p. q. 76. a. 7. Suarij, Vazq loc. cit. quod de facto euincunt eorum argumenta; ſed abſolute loquendo de poſſibili non video implicantiam reſpectu diuinæ omnipotentiæ in eo, in quo graues Theologi ſecundum legẽ ordinariam agnoſcunt potentiam Angelicam. Inducor iiſdem rationibus quibus præcedentes aſſertiones ſunt probatæ, quia ſi eſſet aliqua diſparitas maximè quia vnio hypoſtatica cognoſci non poteſt intuitiuè quin cognoſcantur perſonę diuinæ, quia per illã vnitur formaliter humanitas verbo; ſed hoc non obſtat; nam ſufficit cognitio abſtractiua Verbi vt termini exiſtẽtis, & ſuſtentantis naturam humanã, vt cõtingit in alijs cognitionibus, tam ſenſus, quàm intellectus percipientis rem neceſſariò connexam cum altera, v. g. audiendo ſonum percipit intellectus cantorem, vel fidicinem, etiamſi illum non videat intuitiuè, & cognoſcendo filium, vt filium, ſimul cognoſcit patrem, ſed illum intuitiuè percipit, hunc ſufficit vt cognoſcat abſtractiuè; vnde & poſſet Deus alicui clarè oſtendere viſionem, & beatitudinem alicuius non oſtendendo ſeipſum, & tunc Deus perciperetur, tantum vt terminus, ſeu obiectum viſionis intuitiuè cognitæ. Et idem eſt de modo exiſtendi Chriſti Domini in Euchariſtia, poſſet enim intuitiuè cognoſci ille, & non perſonalitas Chriſti, vel diuinitas, cui vnita eſt caro, & ſanguis eius. Cum igitur ex hoc capite non ſit implicantia, & aliunde ſupernaturalitas non magis obſtet in modis, quã in cæteris entibus ſupernaturalibus, ad illos etiam extenditur vis intellectiua per diuinam potentiam extraordina-

S. Bonau.

S Thom. Suar. Vazq.

Cognitio vnionis hypoſtaticæ in uoluit cognitionem Verbi abſtractiuam.

Digitized by Google

nariam creabilis.

Secundo. Probatur aſſertio hæc tertia, & confirmantur aliæ duæ præcedentes. Nam loquendo de poſſibilitate iſtorum modorum, & proinde etiam aliorum entium ſupernaturalium dupliciter illam cognoſci poſſe cogitare poſſumus; primò per propriã ſpeciem cognoſcendo eſſentiam eius, & naturam ſeu terminos eius compoſſibiles, atque adeo cadentes ſub virtutem diuinæ potentiæ, ſi velit dare eſſe actuale. Secundo per ſigna, vel media extrinſeca, inferendo ex vno effectu alium eſſe poſſibilem, vel arguendo ex vno opere diuinæ potentiæ iam facto non repugnantiam alterius, qui ſunt duo modi aſſignati à Suar. c. 29. citato, præter quos alios aſſignauimus to. primo diſp. prima qu. 1. vbi de regulis inueſtigandi poſſibilitatem, vel implicantiam rerum, fuſius egimus; Nunc ſatis ſit non repugnare intellectũ tantæ virtutis, vt vtroque modo cognoſcat ſupernaturalia prædicta. De primo probatur, quia non repugnant ſpecies repræſentatiuæ ipſorum cum de facto dentur; & illis poſitis non apparet vnde repugnet intellectus ipſis proportionatus, qui propria virtute cum illis concurrat, ſicut cum alijs ſpeciebus connaturalibus ad cognoſcendam eſſentiam eorum, quorum ſunt repræſentatiuæ. Quod multò magis dici debet de ijſdem actu exiſtentibus, cum facilior ſit ipſorum cognitio.

Dupliciter cognoſci poſſunt entia ſupernaturalia.

Confirmatur quia ſpecies huiuſmodi habent eſſentialem reſpectum ad intellectum, cui inſeruiunt ad cognitionem obiectorum propter quam ſunt; igitur ſicut naturaliter reſpiciunt obiecta propter quæ repræſentanda ſunt inſtitutæ; ita & naturaliter reſpiciunt ſubiectum, nimirum intellectum propter cuius operationem ſunt; ex quo fit quod ſaltem de poſſibili datur intellectus eiuſdẽ ordinis, qui illas exigat, & vtatur per virtutem propriam, quia diuina omnipotentia poteſt facere in infinitum perfectiores intellectus, & non apparet quare non poſſit deuenire ad aliquem eiuſdem ordinis cum ſpeciebus rerũ ſupernaturalium cui ipſæ debeantur, cum non ſit ille exceſſus in modo eſſendi, qui eſt inter eſſentiam diuinam, & creaturas.

Multo magis hoc probatur de ſecundo modo cognoſcendi, nam vel manifeſtum eſt aliquod myſterium, quia cognoſcitur factum, & ita ex illo argui poteſt aliud ſimile, vel etiam minus eminens eſſe poſſibile, v.g. cognita vnione hypoſtatica, in promptu eſt inferre, ergo poſſibile eſt primam, & tertiam perſonam Santiſſimæ Trinitatis aſſumere naturam humanam, aut Angelicam; & cognito myſterio Euchariſtiæ ſacræ infertur validè, igitur aquam in vinum, & vniuerſaliter vnã ſubſtantiam in aliam conuertere poteſt Deus omnipotens, de quo plura dixi citata diſp. 1. Atqui cognitione de facto hoc percipit intellectus humanus, ac Angelicus, & hic longe clariore, & accedente ad demõſtrationem; cur ergo negemus, diuinam potentiam extendere ſe ad creandum intellectum ita perfectum, vt clarè cognoſcat id quod paulò obſcurius cognoſcitur, ab Angelo, ſi poteſt in infinitum perfectiores Angelos producere ſecundum aduerſarios.

Tertio. In particulari myſterio incarnationis carentia propriæ ſubſiſtẽtiæ naturæ humanæ cognoſcibilis eſt, de facto ab Angelo: vnio eius cum diuina, etiamſi ſit modus excellentiſſimus, & altioris ordinis quàm ſit etiam ipſa Dei viſio; tamen per ſui ſpeciem cognoſcibilis eſt, & recurrit petitio, cur non ſit poſſibilis intellectus eiuſdem ordinis, cui illa ſit connaturalis, ſiquidem ambo ſunt creaturæ ſine exceſſu in modo eſſendi, qui eſt in Deo, & ambæ ſint in ordine ad intellectionem, quæ conuenientia in eſſe intellectiui; & ſpecies reſpiciat eſſentialiter ſubiectum, in quo eſſe poſtulat, ac obiectum quod repræſentat. Neque obſtat quod cognitio vnionis inuoluat cognitionem perſonæ diuinæ, & proinde myſterij Trinitatis non attingibilis cognitione naturali; nam, vt concedit probabile Suar. c. illo 29. num. 15. poſſet cognoſci vnio, vt terminatur ad diuinam perſonam, abſq; eo quod cognoſcatur, quæ ſit illa perſona, vt de ſcientia per ſe infuſa animæ Chriſti. idem docet tom. 1. in 3. par. diſp. 27. ſect. 5. Poſita autem cogni-

Carẽtia ſubſiſtentiæ propriæ in natura aſſumpta cognoſcitur ab Angelo.

diſp.

tione vnionis ſtatim cognoſcitur cõpoſitum ſubſtantiale ex ſubſiſtentia diuina, & natura humana.

In myſterio item Euchariſtiæ eſt carentia inhæſionis accidentium in ſubiecto, & hæc cognoſci poteſt naturaliter ab Angelo, ſi ſit actualis; ſi verò poſſibilis, cognoſcitur ab eodem eſſentia accidentis, ac proinde non repugnantia exiſtendi ſine actuali dependentia à ſubiecto: vel ſi hoc negas de facto Angelis, negare non debes de alijs, qui perfectiores in infinitũ creari poſſunt. Deinde eſt modus per ſe ſe exiſtendi accidentium in ſententia Suarij, ex parte corporis eſt coexiſtentia eius ad omnes partes quantitatis, ita vt ſit totum ſub tota quantitate, & totum ſub qualibet eius parte, & cum hic modus ſit diſtinctus à quantitate, vel cognoſcitur ab Angelo penetrante naturam quantitatis non eſſe de eius eſſentia, vt ſemper coextendatur loco; vel cognoſci poteſt ab alio perfectiore ſi creetur. Ex parte vero corporis vt dicit compoſitum ſubſtantiale, quod incipit eſſe ex vi verborum ſub ſpeciebus, aut habet hoc per vbi naturale, vt cenſet Vazq. t. 3. in 3. p. diſp. 191. n. 19. ex ſuppoſitione quod detur; aut per vbi ſupernaturale ſecundum alios, & eadem ratio de hoc eſt, ac de alijs entibus ſupernaturalibus; aut eſt ibi ſolum per vnionem ad ipſa, & idem iudicium de illa eſt ac de vbi. Hæc enim Angelus videt eſſe non repugnantia, ac proinde cadere ſub Dei potentiam cognoſcendo naturas corporum, accidentium, & ſubiectorum eorum.

Dices hęc duo diſtingui ſcilicet non eſſe euidens aliquid repugnare, & eſſe euidens illud non repugnare, vnum enim affirmatiuum, alterum negatiuũ eſt, nec vnum ſequitur ex alio, quia plus requiritur ad poſitiuã euidentiã non repugnãtiæ, quam ad carentiam euidentiæ de ipſa repugnantia. Valet enim, euidens eſt repugnare, ergo repugnat; Item euidens eſt non repugnare, ergo non repugnat; Non tamen vice verſa, non eſt euidens repugnare, ergo non repugnat, ſic non eſt euidens repugnare, quod materia exiſtat ſine forma; tamen non valet abſolutè, ergo non repugnat; alioqui valent etiam, non eſt euidens myſteria fidei eſſe poſſibilia, ergo non ſunt poſſibilia; nam euidenter conuincimus non demoſtrari impoſſibilia, nec inueniri in ipſis repugnantiam: ſic in propoſito Angelus non cognoſcit in dictis myſterijs repugnantiam, non tamen euidenter cognoſcit eſſe poſſibilia poſitiuè, ſed ſolum negatiuè, quod eſt non cognoſcere impoſſibilia.

Reſpondeo admittendo diſtinctionem, & negando obſtare aſſertioni noſtræ, probamus enim quod Angelus aliquis creari poſſit ita perfectus, qui poſitiuè cognoſcat poſſibilitatem prędictorum entium ſupernaturalium, & non ſolum negatiue, vt cognoſcunt Angeli creati, dato quod non attingant cognitione vllum ens ſupernaturale, vt vult prima ſententia, nos enim loquimur de poſſibili.

Quarto. Angelus cognoſcit naturaliter Deum eſſe primam cauſam, & finem vltimum rerum omnium, ipſo ſolo ſatiari poſſe appetitum rationalem, ergo cognoſcit poſſibilitatem beatitudinis, hoc eſt quod Dus beare poteſt, & in ęternum fœlicem reddere creaturam rationalem, proinde quod amicam habere, ſeu amare amore amicitiæ in hac vita, & in futura: hoc autem eſt quid ſupernaturale; hoc eſt nõ debitum naturæ, ſiue deinde cognoſcat gratiam, & viſionem beatam, poſſibilem, ſiue non, dato enim quod iſta ſint ipſi ignota, non tamen quod Deus poſſit velle ad amicitiam ſuam in hac vita, ſiue in ſtatu viæ admittere creaturam rationalem, & ad fœlicitatem æternam poſt iſtum ſtatum, & hoc totum eſt ſupernaturale, & cognitum ab angelo; quomodocumque deinde fiat, quia quamuis non cognoſcat intuitiuè; poteſt tamen fieri Angelus ita perfectus, qui clarè, & intuitiue hoc percipiat: conſequenter hic idem poterit cognoſcere euidenter nõ ſolum negatiue poſſibilitatem Incarnationis, & Euchariſtiæ, ſoluendo argumenta contraria; ſed etiam poſitiue videndo modos ipſarum, quia nulla apparet in hoc implicantia, & ſunt rationes probabiles hoc ſuadentes, & auctoritates grauiores Scholaſticorum id affirmantium; & ſine dubio Angelos

Digitized by Google

los non latent motiua ijs efficaciora.

Confirmatur. Quia Angelus nouit Deum eſſe omnipotentem, & poſſe ſuſcitare mortuos, illuminare cæcos; & ſanare morbos naturaliter inſanabiles: huiusmodi autem effectus licet in ſe ſint ordinis naturalis, quia vita, vis viſiua, ſanitas naturalia ſunt; tamen modus illa faciendi ſupernaturalis eſt, in quocunque demum conſiſtat iſte modus, igitur fieri poteſt Angelus ita perfectus vt videat etiam poſsibilitatem aliorum modorum ſupernaturalium, atque adeo, etiam Incarnationis, & Euchariſtiæ, & multo magis, ſi actu exiſtant.

Negabis ſequelam, quia modus ſuſcitandi mortuum, illuminandi cæcum eſt ordinis naturalis in ſe, & ſolum dicitur ſupernaturalis reſpectu efficientis, & effectus pariter, nimirum, vita, viſio, &c. ſunt naturales; at vero Incarnationis, & Euchariſtię tam modi, quàm effectus ſupernaturales ſunt, & ideo non poſſunt virtute naturali cognoſci vel poſſibiles, vel actu exiſtentes, ſicut poſſunt illi alij, etiam ab homine.

Qui ſupernaturalia faciunt eadem ſecundum eſſentiam cum naturalibus & ſolum differētiam agnoſcunt penes efficientem cauſam naturalem, vel ſupernaturalem, negabunt aſſumptum, & paritatem admittent in cognoſcendis modis omnibus ſupradictis: Ego verò cum communi ſententia agnoſco ſupernaturalitatem intrinſecam in illis, & aliis, quæ ſupernaturalia dicimus, nec ſollicitus ſum in præſentia an modus ſuſcitandi mortuos, & ſimiles ſint ſupernaturales; ſed ſolum contendo quod ſi Angelus de facto cognoſcit poſſibilitatem, & opera talium miraculorum, & quod gratia ipſorum poteſt ſibi, vel homini communicari, non eſſe cur denegetur fieri poſſe Angelum tantæ excellentiæ, vt cognoſcat naturaliter res, & modos ſupernaturales intrinſecè, & ſecundum eſſentiam ipſorum.

Confirmatur ſupradicta ex eo quod cogitationes mentis, & ſecreta cordis licet in communi ſententia D. Thomę 1. p. q. 57. a. 4. & Thomiſtarum ibi, non cognoſcantur ab Angelo, quia ſubiacent voluntati, quæ ſoli Deo ſubdita eſt, & proinde eſt extra ordinem naturalium, vt Caietanus ibidem declarat; tamen Scotus in ſecunda diſt. 9. q. 2. cum Scotiſtis probant de facto cognoſci, & eſſe intra obiecta naturalia, & naturaliter cognoſcibilia ab Angelo; de qua controuerſia non laboro in præſentia, ſed ſolum inde arguo, quicquid de facto ſit, non implicare contradictionem quod creetur Angelus tantæ virtutis, vt penetrare poſſit cognitione ſua ad intima cordium, & cogitationum, inditis à Deo earum ſpeciebus connaturalibus ipſius intellectui; ſicut de facto cognoſceret per virtutem ſuam intellectiuã, ſi Deus infunderet ſpecies ſecretorum cordis; Igitur poſſet creari Angelus eiuſdem virtutis reſpectu entium ſupernaturalium, quæ de facto ponuntur occultæ, ſicut cogitationes cordis.

SOLVVNTVR ARGVMENTA *contra dicta ſuperius.*

CAP. VII.

I. Intelligibilitas duplex, apprehenſionis, & comprehenſionis.

II. Creabilis eſt Angelus eiuſdem ordinis cum ſpeciebus ſupernat.

III. Poteſt tolli improportio inter entia ſupernaturalia; & intellectum naturalem.

IV. Poſſunt infundi ſpecies repræſentatiuæ futurorum.

PRIMVM eſt quia intelligibilitas vniuſcuiuſque rei eſt proportionata eius naturæ, & entitati, ergo ſicut ſupernaturalia ſunt ſupra naturam intellectus creati; ita etiam in intelligibilitate, naturam eius ſuperant. XXXI.

Confirmatur quia cognitio ſupernaturalium non contingit ſine ſpeciebus repræſentatiuis ipſorum, ſed iſtæ nulli intellectui creato ſunt debitæ, ita vt à Deo infundi debeant, & multò minus ab obiectis cauſari, ergo neque debita eſt cognitio, eſſet autem ſi intellectus vi ſua naturali cognoſcere illas poſſet. Maior conceditur à te. Mi-

Digitized by Google

Minor probatur quia huiuſmodi ſpecies non magis ſunt debitæ, quam gratia, vel eius qualitas quas fateris & ipſe indebitas.

Confirmatur ſecundo ex altera probatione eiuſdem minoris, quia tales ſpecies debent eſſe eiuſdem ordinis cum rebus, quas repræſentant, ergo debent eſſe ſupernaturales, & proinde non magis debitæ intellectui creato, quàm cætera dona ſupernaturalia. Ijs fermè argumentis probat Suar. c. illo 29. lib. 2. de Angelis non videri de facto ſupernaturalia ab Angelis, & videntur valere etiam de poſſibili, ſuppoſita preſertim ſententia probabiliori, quam ſupra ſuſtinuimus, quod non ſit poſſibilis intellectus ſupernaturalis cui viſio beata ſit connaturalis.

Ad argumentum reſpondeo primo per inſtantiam; nam Deus eſt ſupra naturam omnis intellectus creati, & tamen eius intelligibilitas non ſuperat illius virtutem, quia poteſt naturaliter cognoſci quod ſit, & quod habeat talia attributa, licet non intuitiuè, ſed ſi valeret argumentum probaret de qualibet cognitione etiam abſtractiua, quia hæc etiam ſupponit intelligibilitatem obiecti, et hanc proportionatam eius naturæ.

Intelligibilitas eſt duplex.

Secundo reſpondeo directè diſtinguendo conſequens nam intelligibilitas duplex eſt, altera completa, et adęquata; et hæc in obiecto infinito et increato ſemper eſt improportionata intellectui cuilibet finito, et creato, ſiquidem Deus à ſeipſo tantum adæquatè cognoſci poteſt, ideſt comprehendi. Altera eſt inadæquata, et incompleta, et hanc habere poteſt intellectus creatus vel intuitiuam per gratiam, vel abſtractiuam per vires naturæ: primam vocat appræhenſionis; alteram comprehenſionis S. Bonau. in 1. diſt. 3. a. 1. qu. 1. Quod ſi ſermo ſit de obiecto creato non apparet repugnantia cur non poſſit aliquis creatus intellectus eſſe tantæ intellectiuitatis, quantæ eſt illud intelligibilitatis, ſiue quia erit eiuſdem ordinis, et naturæ; ſiue quia ſi diuerſæ, tamen tantæ virtutis erit, vt cognoſcere poſſit obiecta nobiliora, ſicut de facto anima rationalis ſoluta corpore poteſt intuitiuè cognoſcere Angelum: Nec refert quòd Angelus, & anima ſint eiuſdem ordinis naturalis, quia ſicut entitas Angeli eſt ſupra naturam animæ, & intellectus eius, non tamen intelligibilitas eſt ſupra vim intellectiuam animæ; ita poſſunt ſupernaturalia in ſua entitate eſſe ſupra naturam intellectus prædicti; non tamen in intelligibilitate, vel ſi etiam ſint ſupra intellectiuā virtutem huius, & illius intellectus, poterit exceſſus iſte ſuperari ab alio creabili, ſiquidem hic finitus eſt, & perfectio Angeli poſſibilis in infinitum maior, tam in ordine diuerſo, quod cōcedis, quàm eodem, quod non oſtendis repugnare.

S. Bonau.

Ad primam confirmationem reſpondeo in primis vniuerſaliter ad cognitionem ſupernaturalem non requiri ſpecies ſupernaturales; nam ad primos actus fidei ſupernaturalis, & ad apprehenſionem obiectorum præcedentium aſſenſum ſufficiunt ſpecies naturales, vt cum Suar. Vazq. Molina, Aluar. & alijs pluribus tenet P. Ripalt. diſp. 54. ſect. 1.

Suar. Vazq. Mol. Aluar. & P. Ripalt.

Creari poteſt Angelus eiuſdem ordinis cum ſpeciebus ſupernaturalibus.

Deinde nego minorem, quia non apparet cur Dei potentia non ſe extendat ad creandum intellectum eiuſdem ordinis cum ſpeciebus ſupernaturalibus, & quæ proinde illi ſint connaturales, & debitę, non ſecus ac de facto debentur Angelis ad obiecta naturalia cognoſcenda: A conditore autem penderet has vel illas infundere, pauciores, vel plures iuxta ordinem ſuæ ſapientiæ.

Ad probationem minoris, & eiuſdem confirmationem nego antecedēs, ex debito enim huiuſmodi ſpecierum non ſequentur incommoda, quæ ſequerentur ex debito gratiæ; *quæ ſupra numerauimus*, & illud in primis, quod iam non eſſet gratia, & proinde nec deberentur dona gratiæ, quia hęc ſunt ſupernaturalia Theologica, de quorum ratione eſt, vt non ſint debita, niſi ex mera, & gratuita voluntate Creatoris creaturæ vlli: Huiuſmodi autē ſpecies, & intellectus eſſēt ſupernaturales phyſicè, de quorum ratione non eſt, vt nequeant eſſe debitæ alicui creaturæ.

Confirmatur reſponſio in ſententia aſſerente non implicare ſubſtantiam ſupernaturalem, cui debita ſint aliqua acci-

accidentia ſolum ſupernaturalia puta fidem, & ſcientiam infuſam, & non gratiam vt defendit P. Ripalt. diſp. 23. ſect. 5. & 17. multo enim magis hoc dixerim de ſpeciebus ſupernaturalibus, quod ſint debitę alicui intellectui, cui non debeantur qualitates gratiæ, & dona eius, quia hæc ſunt magis ex ſua eſſentia gratuita, & à ſola voluntate Dei pendentia, vtpote ſupernaturalia theologicè; Illæ verò ſunt infra gratiam, & non eſt cur non poſſint habere ſubiectum, cui debeantur vt accidentia ſolum phyſicè ſupernaturalia; vel certè oſtendi ſibi implicantiam poſtulat ſecunda ſententia, opponens primæ effatum Dioniſij in fronte operis affixum, & ſenſa aliorum patrum aſſerentium plura, & maiora poſſe Deum facere, quam intellectus humanus valeat capere.

SECVNDVM ARGVMENTVM.

XXXII. Simile ſuperiori eſt quia ſi daretur talis natura intellectiua entium ſupernaturalium, illa eſſet ſupernaturalis, quam tamen eſſe poſſibilem negant communiter Theologi; patet ſequela, quia creaturæ naturali nihil debetur ſupernaturale. Deinde quia nullus intellectus ordinis inferioris poteſt intelligere connaturaliter ea quæ ſunt ordinis ſuperioris, omnis autem intellectus creabilis eſt ordinis inferioris, non ſolum reſpectu Dei, ſed etiam reſpectu omnis accidentis ſupernaturalis, ergo nullus poteſt attingere aliquod ens ſupernaturale. Patet minor quia omne ens ſupernaturale tandem ſpecificatur ab actu puro, intellectus autem eſt aliquid potentiale, & proinde ordinis inferioris.

Confirmatur, quia nullus intellectus poteſt exigere ſpeciem rerum ſupernaturalium, igitur nec per illam naturaliter cognoſcere, ſequela patet, quia ſine ſpecie non fit cognitio, Antecedens probatur, quia vel ſermo eſt de intellectu in materia, & ita non ſolum debitæ non ſunt illi ſpecies rerum ſupernaturalium, ſed neque ſpiritualium, quod ſi dantur res ſupernaturales materiales, harum ſpecies non debentur intellectui huic, cum neque à ſenſibus tranſmitti poſſint. Si vero intellectus eſt emerſus a materia in eo ſpecies producuntur à Deo tales, quales exigit naturalis eius perfectio, nullum vero obiectum ſupernaturale exigitur ad perfectionem naturalem intellectus vllius, ac proinde neque ſpecies eius.

Confirmatur ſecundo, quia Angelo eſt indebita ſpecies futurorum, & plurium poſſibilium, ergo & ſupernaturalium. Patet ſequela quia magis ſunt proportionata obiecta intra ordinem naturalem, quam ſint ſupernaturalia; ſi ergo non debentur illorum ſpecies, neque iſtorum ſunt debitæ vlli intellectui, præſertim ſi ſermo ſit de gratia, & viſione, in ordine ad quas ſunt reliqua entia ſupernaturalia.

Reſpondetur in primis controuerſum eſſe inter Theologos an ſit poſſibilis ſubſtantia ſupernaturalis, & ideo non poſſe aſſumi contrarium vt certum, facile nanque negabitur ab ijs, qui tuentur affirmatiuam. Deinde ſi admittatur impoſſibilitas intellectus ſupernaturalis cui ſit connaturalis, & debita viſio, adhuc non ſequitur quod repugnet ſubſtantia, cui debeatur aliquod accidens ſupernaturale infra gratiam, & viſionem, & illa erit in ordine ſupernaturali.

Tertio non apparet repugnantia cur ſpecies aliqua naturalis non ſit repræſētatiua rei ſupernaturalis, & tunc ſubſtantia cui deberetur, eſſet etiam ipſa naturalis, ſed adeo excellens vt ſupernaturalia poſſet cognoſcere. Idque cognitione naturali, ſicut de facto quando cognoſcuntur abſtractiuè; non enim neceſſarium eſt ens ſupernaturale ſemper attingi cognitione ſupernaturali, ſed poteſt etiam naturali, quemadmodum, & amari amore naturali: ex quo patet ad alteram partem argumenti; Negari enim poteſt major, & minor, quia vtraque gratis aſſumitur vbi agitur de abſoluta Dei potentia, cui non eſt impoſſibile creare intellectum inferioris ordinis; ſed tantæ virtutis, vt cognoſcat ſupernaturalia; vel eiuſdem ordinis, cum ſupernaturalibus. Species aliqua naturalis poteſt eſſe repræſentatiua ſupernaturalium.

Neque apparet vis argumenti aſſumpti ad probandam eandem minorem quid enim ſignificat quod omne ens

Digitized by Google

ens tandem ſpecificatur ab actu puro, ſi ſit ſupernaturale, an quod tandem reducitur ad actum purum qui eſt Deus? at ex hoc non infertur, neque quod non ſit in ſeipſo quid potentiale, ſicut eſt intellectus, cum vtrumque ſit creatura; Neque quod non poſſit attingi ab intellectu creato, quia poteſt hic fieri tantę perfectionis, vt ſupernaturalia intelligat propria virtute; vt patet ex dictis, Imo ex hoc capitè nihil concludi manifeſtum eſt, quia intellectus cum lumine gloriæ eſt quid potentiale, & proinde ordinis inferioris ab actu puro, etiamſi vtrumque dicatur eſſe in genere ſupernaturaliũ; nam hoc eſt valde analogum, & conuenientia in ipſo non tollit improportionem, quæ ſemper eſt maior inter Deum, & intellectum informatum lumine, quàm inter alium intellectum perfectiſſimum, & entia creata ſupernaturalia; & ideo ſi poteſt poni commenſuratio inter illa quoad rationem intelligibilis; & intellectiui per lumen ſuperadditum infinitè diſtans ab eſſe Dei, poterit etiam poni inter iſta quæ non diſtant niſi finitè in eſſe, atque adeo poterunt adæquari in ratione intelligibilis, & intellectiui, per continuum augmentum perfectioris intellectus qui poteſt à Deo creari excellentior in infinitum.

Improportio ens ſupernaturale, & intellectũ naturale tolli poteſt.

Ad primam confirmationem, aſſumit quod eſt probandum, ideo negatur antecedens, & probatio illius; aſſertio eſt quod eſt poſſibilis aliquis intellectus tantę virtutis, vt cognoſcat ſupernaturalia; ſit ille emerſus è materia, & liber ab organis, vnde conſtat eſſe impoſſibilem, & non deberi ei ſpecies ſupernaturalium, ſi creetur à Deo vtente potentia abſoluta, altioris ordinis, quàm de facto ſint qui creati ſunt?

Ad alteram, nego ſequelam; diſparitas eſt quia futura pendent vel à cauſis neceſſarijs, & hæc de facto cognoſcuntur ab Angelis: vel à libera volũtate Dei, & hęc ſunt ſupra captum, & exigentiam intellectus creati, altior enim eſt ſapientia, & voluntas eius, quàm vt deberi poſſit cognitio iudiciorum ipſius creaturæ vlli, quæ ſunt Dei nemo nouit niſi ſpiritus Dei 1. Cor. 2. Vel futura pendent à libero hominis, aut Ang. arbitrio; & ita non implicat creatura, quæ naturaliter illa cognoſcat, ſicut neque cætera ſupernaturalia; quæ licet pendeant etiam à diuina voluntate; tamen ſecundum ſuam entitatem cognoſci poſſunt tam poſſibilia, quàm actu exiſtentia, ſi ſpecies eorum infundantur, vt infundi poſſe diximus. Sicut enim de facto datur lumen propheticum illuminans intellectum ad futura pręuidenda veluti præſentia; ita dari poſſunt ſpecies ipſi proportionatæ, & intellectus cui ſint connaturales.

Poſsunt infũdi ſpecies repræſentatiuæ futurorũ.

Et quidem S. Thomas 1. p. q. 57. a. 4. 5. probat ſupernaturalia, & futura libera non cognoſci ab Angelo virtute propria; ſed ratio eius quia pendēt à ſola voluntate Dei, habet difficultates, apud Scotum diſſentientem in concluſione ipſa, & apud Suarium & Vazq. loc. cit. conſentientes in aſſertione, ſed rationi non acquieſcentes: Neutra eſt contra nos de potentia abſoluta dumtaxat diſputantes, & nullam inuenientes repugnantiam. Et ſane S. Bonau. in 2. diſt. 3. a. 2. q. 1. in fine reſol. Deus (inquit) in Angelis cõcreauit ſpecies vniuerſalis omnium ſecundarum rerum &c. igitur & futurorum, ad quorum tamen cognitionem actualem, alia quidem in requiruntur, ſed non ſpecies nouæ iuxta doctrinam Sancti. Multa alia obijcit Suarius c. illo 29. contra modos Incarnationis & Euchariſtiæ, vt probet non poſſe ab Angelo cognoſci; ſed argumenta ſunt contra Vazq. & in quęſtione de facto, de quo non diſputo; de poſſibili autem non valent, vt patet ex ſolutionibus allatis, nullum enim ipſorum oſtendit implicantiam.

AN VISIO BEATA

Poſſit eſſe connaturalis alicui creaturæ.

CAP. VIII.

I. Referuntur variæ ſententiæ.

II. Inter has etiam negatiua fatetur non apparere implicantiam.

III. Eligitur tamen negatiua vt conformior auctoritati Sacræ.

IV. Auctoritas ſcholaſticorum, præſertim

tiu S. Bonauenturæ ad eam probandam.
V. *Rationes ad idem.*
VI. *Explicatur, & defenditur ratio S. Thomæ.*
VII. *Item, & Scoti.*
VIII. *Defenditur contraria ſententia à cenſura recentiorum quorundam*

XXXIII. NON eſt eadem quæſtio formaliter cum illa an poſſibilis ſit creatura aliqua impeccabilis ex ſua natura, licet ſit connexa cum illa; quia neceſſario eſt impeccabilis ſi ex ſua natura eſt beata per viſionem; ſed non viceuerſà ſi eſt impeccabilis; eſt etiam beata, quia ſunt excogitabiles alij modi impeccabilitatis diſtincti à viſione. Neque item eſt eadem quæſtio cum illa an ſit creabilis ſubſtantia ſupernaturalis, quia ſi eſſet poſſibilis, non tamen neceſſario eſſet impeccabilis, & beata, vt aduertit P. Ripalta, & alij apud ipſum loco mox citando.

Poteſt autem fingi poſſibilitas creaturæ habentis viſionem cõnaturalem varijs modis, puta ſi eſſet in tali rerum ordine, vt ei deberetur lumen gloriæ, & alij habitus ſupernaturales, non ſecus ac debentur animæ ſuæ potentiæ ad operandum, ipſi proportionatæ: Item ſi ſubſtantia illa haberet intellectum ita perfectum, vt æquaret in virtute intelligendi alterum lumine gloriæ perfuſum, quod Molinę viſum eſt non implicare, vt infra dicetur. Quicumque vero excogitetur modus alius improbabilis eſt, & habet contra ſe torrentem ſanctorum patrum, & ſcholaſticorum, etiamſi non ita facile aſſignari queat implicantia eius, vt fatentur Val. 1. p. q. 12. punct. 12. Suar. l. 2. de attrib. negat. c. 9. Molin. 1. p. q. 12. a. 4. 5. diſp. 2. & in concord. q. 14. a. 13. diſp. 38. Beccan. 1. p. tract. 1. c. 9. q. 5. Ripalt. de ente ſupern. diſp. 23. paſſim, & ſect. 6. profitens non terreri ſe auctoritatibus, & rationibus ſententiæ communis negatiuæ, & referens pro ſe veteres aliquos, & recentiores Theologos. Nihilominus ſit, Suar. Val. Mol. Bec. Ripal.

Prima Aſſertio.

IMpoſſibilis eſt creatura cui connaturalis ſit viſio beata, ſeu quæ ex viribus ſuæ naturæ debitis poſſit abſq; dono ſupernaturali ſibi indebito videre clarè, & intuitiuè diuinam eſſentiã. Ita cum S. Thomæ illius interpretes 1. p. q. 12. a. 4. 5. & in 2. diſt. 23. & in 4. diſt. 49. Scotiſtæ ibidem. Suar. loc. cit. de attrib. negat. Sal. 1. 2. tom. 2. diſp. 3. ſect. 2. Vazq. 1. p. diſp. 45. c. 1. 2. Faſol. 1. p. q. 12. a. 4. dub. 1. Ripalt. diſp. illa 23. & alij apud ipſos. XXXIV. S. Thom.

Probatur primo auctoritate S. Bonauenturæ in 2. diſt. 24. p. 1. a. 1. q. 1. ad arg. agnoſcit implicantiam ijs verbis. *Quod conuenit alicui per gratiam, non conuenit per naturam.* Et ſi objicias quod Deus potuit dare naturæ, quod dedit gratiæ. *Dicendum quod natura non fuit nata ſuſcipere: Sicut enim alia eſt natura operationis moralis, alia naturalis, nec proprietas operis moralis poteſt conuenire operi naturali, niſi naturale deſineret eſſe naturale, non enim poteſt laus, & vituperium, quæ eſt proprietas operis moralis, ſecundum quod huiuſmodi competere operi naturali, in quantum tale; Sic & in propoſito &c.* Nimirum eſſe impoſſibile quod creatura vlla rationalis ſit naturaliter inflexibilis ad malum, proinde neque naturaliter beata, quia viſio beatifica reddit inflexibilem ad malum.

In eodem 2. diſt. 29. a. 2. q. 1. ad vltimum. Dicendum, inquit, quod etſi ipſe poſſit omnia, tanquam omnipotens; natura tamen non eſſet capax, vnde impoſſibilitas illa venit ex parte creaturæ. Si enim hoc faceret, nihil aliud eſſet facere, quam quòd facere donum gratiæ, donum eſſe naturæ, & gratiam eſſe naturam: hoc autem impoſſibile eſt, cum donum gratiæ ſit vltra terminos naturæ. Vnde ſicut impoſſibile eſt quod homo fiat à Deo beatus per naturam, quamuis poſſit creari beatus, quia beatitudo conſiſtit in bono, quod eſt ſupra omnem naturam; Sic etiam intelligendum eſt & in gratia, &c. Quod ſcilicet poſſibilis ſit creatura, quæ ſine munere gratiæ ſit grata Deo; Et quoad hoc pares facit Sanctus gratiam iuſtificantem, & viſionem, quæ eſt gratia conſummata: quæ rationes

ſup.

Digitized by Google

ſupponunt id quod eſt eſſentialiter tale non poſſe non eſſe tale, proinde gratiam, & viſionem, quæ ſunt eſſentialiter ſupernaturales, non poſſe non eſſe tales, atque ita indebitas cuilibet naturæ.

XXXV. Dices, hæc ratio neque ſecundum ſe valida eſt; neque noſtris principijs conſentanea. Primum patet, quia ſi poſſibilis eſſet ſubſtantia ſupernaturalis, eſſet illi connaturale, ac debitum accidens ſupernaturale non minus quàm ſubſtantiæ naturali debeatur accidens naturale; Non probatur autem impoſſibilitas ſubſtantiæ ſupernaturalis. Secundum probatur, quia ſupra tom. 1. diſp. prima quæſt. 1. c. 5. diximus ſupernaturale creatum in genere eſſe id, quod ſaltem ratione modi à ſolo Deo producibile eſt; hoc enim poſito aſſumitur in argumento id quòd eſt probandum, nimirum quod non ſit poſſibile ſubiectum diuerſi ordinis ab omnibus alijs creatis, cui viſio beata debeatur, & vtrunque ſit ſupernaturale; illud quidem quia & à ſolo Deo produci poſſit, & in ſe ſit talis perfectionis, vt exigat viſionem; hæc vero quia proportionatur ſuo principio, & à nullo poſſit effici niſi ab eo quod ſit ordinis diuini ſuperioris cunctis creaturis, tam actu exiſtentibus; quàm poſſibilibus. Vnde enim horum implicantia? Quia, in quis, viſio eſt eſſentialiter ſupernaturalis, & ordinis gratiæ; ſi autem deberetur alicui ſubiecto, deſineret eſſe talis, quia naturaliter conueniret ſubiecto ſuo, non ſecus ac intellectio de facto conuenit ſuo; proinde amitteret eſſe gratiæ, & acquireret eſſe naturæ, quod implicat, quia eſſet gratia ex ſuppoſitione; Et non eſſet, quia naturaliter conueniret, & deberetur alicui ſubiecto.

Viſio eſſentialiter eſt ſuper naturalis.

At niſi fiat contentio de vocibus, ſed de re ipſa ſit diſputatio, quæritur an dari poſſit tale ſubiectum, cui ſit proportionata viſio, vt eſt modo diſcurſus homini; ſiue deinde illud naturam voces, ſiue non; & ſiue viſio dicatur illi naturalis, id eſt congenea, & proportionata, quia ab illo operante per ſua principia intrinſeca producitur; ſiue alio vocabulo id explicare mauis, quod parui refert, ſi ſemel admittas poſſibilitatem ſubiecti viſionẽ dipoſcentis, illamque elicientis per vires intrinſecas. Igitur ex hoc capite nõ probatur contradictio, quæ penes res ipſas, & non penes vocabula attenditur niſi vt ſignificatiua rerum oppoſitarum, & incompoſſibilium formaliter, & reſpectu eiuſdem, quales non ſunt ſupernaturalitas viſionis, & connaturalis conuenientia eius alicui ſubiecto data poſſibilitate eius, quæ eſt in controuerſia. Nihilominus ratio XXXVI. S. Bonauenturæ aſſumit quod ſuo tẽpore pro certo cõmuniter habebatur in ſcholis non eſſe poſſibilem naturam cui gratia, & viſio deberetur ex intrinſecis principijs, cum nulla ſit impeccabilis, neque poſtulans beatitudinem, quæ eſt ex mera liberalitate Dei, & nõ ex debito creaturæ; Ideo vrgeri poteſt, quia quod eſt mere gratuitum, & ex ſola Dei liberalitate non poteſt eſſe connaturale, vel debitum ex principijs naturæ cuiuſpiam, Gratia, & Gloria ſeu viſio beata eſt huiuſmodi ergo &c. Maior eſt vera non ſolum de facto; ſed etiam de poſſibili, tum quia vbi eſt exigẽtia in natura non dicitur dari ex mera liberalitate creatoris, cũ ipſi ſit debitum ex ſuppoſitione quod Deus illud producat; tum quia apud Theologos communiter contradiſtinguuntur dona naturalia à gratuitis, quòd hæc cum ſint ordinis gratię, nulli ſunt debita, ac proinde neque connaturalia; illa vero & debita, & connaturalia ſint, quia principia quibus creatura conſtat, atque adeo creatura ipſa ex eo quod talis eſt, tales poſtulat dotes, loquendo de phyſica exigentia & non de morali ex libera actione. Minor de facto eſt de fide; de poſſibili patet ex probatione maioris, quia alioqui iam non eſſet gratia ſi eſſet debita naturæ, diſtinguitur enim gratia à debito & illud excludit iuxta illud Apoſt. Rom. 12. Merces non deputatur ſecundum gratiam; ſed ſecundum debitum; opponitur igitur gratia, & debitum, qualecunque iſtud ſit, quia hoc poſito, gratia iam non eſt gratia, vt idem c. 11. Vnde S. Auguſt. ſerm. 16. de verb. Dom. c. 1. Ideo gratia quia gratis data. Sicut igitur proprietas operis moralis non poteſt conuenire operi naturali, niſi deſinat eſſe naturale, ita neque gratia naturę cui.

Gratia non eſt ex debito

cuipiam, niſi deſinat eſſe gratia, quia quod debetur gratia non eſt; quod autem connaturale eſt creaturę; præſertim vt principium operationis propriæ, vel vt operatio ipſa, debetur illi, & ab ea ita exigitur vt contra naturam eius fiat ſi denegetur. Atque ita patet verum eſſe dictum S. Bonau. quod naturá non eſt apta ſuſcipere id quod eſt gratiæ, quia videlicet gratia deſineret eſſe gratia, & natura non eſſet natura ſi ex principijs intrinſecis exigeret gratiam, quæ nulli naturæ poteſt eſſe debita, vel connaturalis vt cætera quæ connaturalia dicuntur, ac proinde ſi quæ res ſit poſſibilis cui gratia debeatur, iam non eſt natura.

Inſtabis, non laboremus de voce, neque nominetur res illa appellatione naturæ, ſed vel eſſentiæ, vel ſubſtantiæ, aut ſimilis, tunc non valebit hæc ratio quod gratia non debetur naturę, quia eſſentia illa, vel ſubſtantia erit ſuper naturam, atque adeo gratia diuina, quæ in ſua entitate ſupernaturalis eſt, illi eſſet proportionata, ac debita, & non deſineret eſſe gratia, quia licet detur gratis, vt ſit gratia; tamen hoc conuenit gratiæ quæ datur ſine meritis, præterquam quod poteſt dari alia gratia vel eiuſdem, vel diuerſæ rationis, quæ debeatur ſubſtantiæ ſupernaturali vt eius proprietas, ita vt non excludat debitum, & exigentiam illius, ſicut etiam de facto viſio quæ eſt ſumma gratia conſummata debetur meritis vt merces; Vel certè aſſignetur implicantia talis ſubſtantiæ exigentis ex ſuis principijs gratiam, & viſionem beatam.

Reſpōdeo quocumque nomine vocetur talis ſubſtantia, non poteſt fieri talis quæ exigat gratiam, & viſionem beatam, cuius illa eſt ſemen, quia ex ſcriptura & patribus nobis innoteſcit de ratione gratiæ eſſe quod detur gratis, aut meritis in ipſa fundatis; proinde quæcumque alia qualitas fingatur, cui non conueniat dari gratis omnino, aut ex merito propter ipſam, iam non eſt gratia, de qua eſt quæſtio, ſed alia quæ non meretur hanc appellationem; atque ita digredimur ad extraneam diſputationem; ſtando autem in propoſito, & recepta ſignificatione gratiæ, & viſionis, dicimus non deberi ſubſtantiæ vlli creabili, quia deſineret eſſe illa gratia quę nobis innotuit ex ſcripturis ob rationem dictam; Et quamuis hoc ſufficeret ad probandam impoſſibilitatem ſubſtantiæ, cui deberetur; quia videlicet habita à ſcripturis notitia gratiæ de ratione eius dicimus vt ex mera liberalitate donetur ſi ſit prima, & fundamentum meritorũ, aut vt ijs reddatur, & non inſeratur vt naturæ proprietas; nihilominus adhuc probari poteſt directe oſtendẽdo impoſſibilitatem talis ſubſtantiæ, cui debeatur gratia, & viſio beata, & ſimul reſpondendo alteri dubitationi paulo ante propoſitæ ex definitione entis ſupernaturalis.

Secundo igitur hoc probatur, & confirmatur aſſertio ex abſurdis quæ ſequerentur. Primo nanque ſi aliqua creatura poteſt ex proprijs viribus videre Deum, ergo poterit eidem, vel alteri communicari vis creatiua non minus ſibi debita, quàm vis videndi Deum. Patet ſequela quia non eſt maior ratio vnius, quàm alterius, neque minoris excellentiæ Deum videre, & eſſe eius filium, quàm creare; nam inter omnes operationes ſubſtantiæ rationalis excellentiſſima eſt intellectio, & inter intellectiones viſio beata præſtat omnibus, vt propterea etiam in diuinis creatio vt eſt actio tranſiens nobilitate cedat intellectioni; vt eſt actio immanens, ſeu ad intra; proinde ex hypotheſi quod daretur creatura videns Deum virtute propria ab illo accepta, & potens creare; antecelleret virtus viſiua, virtuti creatiuæ, ſed hæc non poteſt conuenire ex intrinſecis principijs, vt concedunt etiam aduerſarij cum reliquis Theologis tantũ diſputantibus an poſſit creatura concurrere vt inſtrumentum ad creandũ, aut ad ſummum per qualitatem aliquã ſupernaturalem ſibi indebitam, ergo neque poteſt eidem conuenire virtus viſiua Dei ex ijſdem principijs debita. Ex quo patet. XXXIV.

Falſitas conſequentis, quæ vlterius confirmatur, quia poſſet etiam dari creatura potens mortuos ſuſcitare, tranſubſtantiare vnam ſubſtantiam in aliam, producere gratiam, & alia ſimilia præſtare ex quibus Sãcti patres, imo Chriſtus ipſe ſuam diuinitatem probat, & irrefragabiliter, quia nulla poſſibilis creatura eſt, quæ ſeiuncta di

uini.

uinitate vt cauſa principali operari illa ſit potens; ſecus enim probatio non euinceret, quod nefas eſt cogitare, vt pluribus egi tom. 1.

Dices hæc eſſe miracula, & proinde ſupra virtutem cauſarum ſecundarum, etiam ſupernaturalium; Ex quo apparet implicantia virtutis illorum effectricis, & creaturæ, quia per hoc quod illa fierent, vel ipſa non eſſet creatura, quia tranſcenderent virtutem creaturę; vel illa non eſſent miracula, quia non tranſcenderent virtutem creaturæ; quorum vtrumque eſt contra ſuppoſitionem; hoc autem nõ valet de virtute videndi Deum clare, ſiquidem de facto per intellectum lumine perfuſum videtur, & creatura tamen eſt.

Contra quia de facto non minus tranſcendit virtutem creaturæ clare videre Deum, quàm mortuum ſuſcitare, vtrunque enim eſt plane impoſſibile per vires naturæ creatæ: de poſſibili autem eſt quæſtio cur ſi fieri poteſt ſubſtantia ſupernaturalis, cui ſit connaturalis, & debita ex proprijs principijs viſio Dei, non poſſit etiam fieri ſubſtantia potens creare, ſuſcitare mortuos &c quo caſu quæ de facto, & abſolute ſunt miracula, non dicerentur miracula niſi reſpectiue in ordine ad creaturas de lege ordinaria creabiles; Nec valet dicere quòd eſſent miracula ex ſuppoſitione, & nõ miracula eo quod non excederent vires creaturæ, nam eodem modo dicam viſionem illam eſſe miraculoſam; quia ſuperat vires creatas, & non eſſe miraculoſam, quia connaturalis eſt creaturæ illi; quod ſi reſpondeas gratis aſſumi quod ſuperet vires creatas contra aſſerentem non aſſignari implicantiam talis creaturæ; ego pariter reſpõdebo gratis aſſumi quòd creare, ſuſcitare mortuos &c. ſuperet vires creatas loquendo de abſoluta potentia.

Et ſi diſparitatẽ aſſignes quòd hęc opera requirunt potentiam infinitam, & dominium ſupra creaturam vniuerſam, quod ſolius eſt Dei creatoris; non item viſio clara ipſius, quã communicari creaturę certum de fide eſt per lumen gloriæ eleuans intellectum, & cõſtituens cum illo vnam cauſam finitam, & non conſtat cur non ſit creabilis ſubſtantia cum intellectu æque perfecto, vt eſt de facto intellectus beati cum lumine gloriæ. Si hoc inquam, diſcrimen aſſignes, haud ſatisfacis, dato enim quod non ſit poſſibilis ſubſtantia infinita in communi ſententia Philoſophorum cum Ariſtotele 3. Phyſ. t. 15. & Theologorũ cum S. Thoma 1. p. q. 7. a. 2. 3. 4. & alibi; nihilominus admiſſa poſſibilitate ſubſtantiæ, propria virtute, videntis Deum clare, cum hæc ſit finita, & perfectior, quàm potẽs ſuſcitare mortuos, aut creare intra certos limites, vel mutare vnam ſubſtantiam in alteram per tranſubſtantiationem, adhuc ſtat difficultas cur ſi ad viſionem non requiritur infinita virtus, requiratur ad alias operationes minus excellentes, vel ſi ad has requiritur, non requiratur etiam ad illam, ſiquidem ex operationibus perfectioribus arguimus ad principia ipſis proportionata, ac proinde nobiliora. manifeſtum autem eſt ad videndum Deum non requiri virtutem infinitam, ſiquidem de facto videtur à finita, & conſequenter ſi daretur ſubſtantia potens videre ex ſe Deum non argui validè quod eſſet infinitæ virtutis, & tamen eſſet perfectior quàm altera potens creare, & viuificare, ſed non videre Deum: Si ergo non eſt poſſibilis iſta imperfectior, eò quòd operum illorum mirabilium ſolus eſt auctor Deus; neque poſſibilis cenſenda eſt illa perfectior, eò quòd eſſet principium operationum nobiliorum & requirentium excellentiorem virtutem quàm ſit creatiua &c. Perfectius eſt, creaturã proprijs viribus clare videre Deũ, quam mortua ſuſcitare &c.

Probatur tertio Aſſertio ratione S. Thomæ.

Hic p. p. q. 12. a. 4. Sic probat. Cognitio contingit ſecundum quod cognitum eſt in cognoſcente. Cognitum autem eſt in cognoſcente ſecundum modum cognoſcentis. Vnde cuiuslibet cognoſcentis cognitio eſt ſecundum modum ſuæ naturæ: Si igitur modus eſſendi alicuius rei cognitæ excedat modum naturæ cognoſcẽtis, oportet quod cognitio illius rei ſit ſupra naturam illius cognoſcentis. Et poſt explicationem aſſumpti concludit XXXVIII.

dit. *Relinquitur ergo quod cognoſcere ipſum eſſe ſubſiſtens ſit connaturale ſoli intellectui diuino, & quod ſit ſupra facultatem naturalem cuiuslibet intellectus creati, quia nulla creatura eſt ſuum eſſe, ſed habet eſſe, participatum &c.*

Quæ ratio non ſolum habet varias inſtantias, Scoti, & aliorum tam veterum, quàm recentium Theologorum, & pares vtrorumque reſponſiones; Sed etiam diuerſas explicationes, vt videre eſt apud Capr. in 4. diſt. 49. q. 4. Ferrar. 3. cont. gent. c. 53. & alios Thomiſtas 1. p. quæſt. 12. art. 4. Eas fusè perſequuntur recentiores 1. p. q. 12. vt præſertim ex noſtris aliqui efficaciſſimam cenſentes hanc S. Doctoris probationem: & quamuis pleriſque non videatur demonſtratiua, tamen ſuſtineri poteſt vt demonſtrationi proxima, vt patet non tantum ex ſolutionibus ipſorum ad impugnationes aduerſariorum prolatis; ſed ex fundamentis quibus nititur confirmata, & bene declarata. Et ſane cognitum, vt connaturaliter cognoſcatur, debet eſſe in cognoſcente ſecundum modum naturæ cognoſcentis; quia quicquid recipitur per modum recipientis recipitur; hæc autem receptio cogniti in cognoſcente eſt intentionalis, ſeu per formam aliquam intentionalem repræſentatiuam obiecti cogniti, ac proinde per ſpeciem aliquam tam impreſſam, quàm expreſſam: Dei autem impreſſa ſpecies in ſententia S. Thomæ 1. p. q. 12 Repugnat; & ipſa diuina eſſentia, ſi fungitur vice ſpeciei impreſſæ, non poteſt eſſe debita alicui creaturæ cum ſit ſupra omne debitum, & exigentiam naturalem illius ob ſui eminentiam; & dato quod non implicet ſpecies impreſſa ab ipſa diſtincta; tamen nec ipſa cuiquam intellectui deberetur, quia eſſet diuerſi ordinis, & abſtractionis, & in infinitum ſuperioris ſicut, & ipſe Deus, & conſequenter indebita, & naturaliter non proportionata, non ſecus ac de facto homini non debetur ſpecies intuitiua Angeli, neque huic ſpecies intuitiua Dei. Hoc autem poſito neque connaturaliter poteſt Deus eſſe in cognoſcente per ſpeciem expreſſam, quia hæc non eſt connaturalis, aut debita intellectui, cui eſt indebita, & innaturalis impreſſa ad illam prærequiſita. Sed quia poſſet ſpecies eſſe indebita, & tamen connaturalis, id eſt accommodata naturæ intellectus, puta ſi Angelo ab initio, vel nunc plures ſpecies ipſi proportionatas infunderet Deus, aut homini quę ad ſcientiā copioſam, & præcellentem rerum naturalium eueheret: ideo reddenda eſt ratio cur non poſſit ſpecies diuinæ eſſentiæ eſſe connaturalis intellectui cui non deberetur: Illa igitur ab excellentia obiecti petenda eſt, quod cum ſit ordinis, & abſtractionis in infinitum ſupra quàm cogitari poteſt ſuperioris omni poſſibili creaturæ, & actus puriſſimus omnis expers potentialitatis, ac ipſum eſſe ſubſiſtens, vt loquitur S. Thom. nō poteſt eſſentia eius per ſe, vel per ſpeciem eius repræſentatiuam habere cōnaturalitatem, ac proportionem in eſſe repræſentabilis cum potentia intellectiua creaturæ, qualis requiritur ad hoc vt dicatur connaturaliter fieri viſio clara, & intuitiua. Quod confirmatur ex eo quòd quemadmodum potentia cognoſcitiuę inferiori puta oculo non poteſt eſſe proportionata, & connaturalis ſpecies potentię ſuperioris puta Imaginatiuæ; neque huic ſpecies ſpiritualis intellectus; ita neque intellectui vlli poteſt eſſe connaturalis ſpecies diuinæ eſſentiæ, quæ longè in infinitum plus diſtat à creatura qualibet, quàm diſtent potentiæ cognoſcitiuæ cuiuſcunque generis inter ſe, & ideo non poteſt vlli connaturalis eſſe, vt verū ſit quod ait S. Thom. ſi modus eſſendi rei cognitæ excedat modum eſſendi naturæ cognoſcentis, oportet quòd cognitio ſit ſupra naturam eius; Igitur improportio diuinæ eſſentiæ in eſſe clarè cognoſcibili cum intellectu creato, & infinita diſtantia in ordine, & modo eſſendi, ratio eſt quòd cognitio clara ipſius non poteſt eſſe connaturalis illi; plus enim diſtat à Deo intellectus quilibet creabilis, quam hic quantumuis excellentiſſimus diſtet ab homine vt Greg. Naz. orat. 2. de Theol. atque adeo eius etiā intelligentia; vt fatetur ibidem. Totum diſcurſum confirmat Inductio S. Thomæ per potentias agnoſcitiuas. Nam ſenſus ſolum percipit ſingularia, quia eſt organicus; & ideo non fertur in

Capr. Ferrar.

XXXIX.

Nullo intellectui creato poteſt eſſe cōnaturalis ſpecies eſſentiæ diuinæ.

in vniuerſalia: Intellectus humanus cum ſit ſpiritualis,& inorganicus, hoc, eſt liber à materia percipit vniuerſalia; ſed ſpiritualia vt ſunt in ſe non percipit, quia in operari pendet à phantaſmatibus dum eſt in corpore; Angelicus cum in eſſe & operari non pendeat à corpore vllo, cognoſcit naturas rerum, etiam ſpirituales, vt ſunt in ſeipſis; Et tandem Deus ſolus cognoſcit ſuam eſſentiam intuitiuè, & comprehenſiuè ex infinitate virtutis intellectiuæ, reliqui Angeli, & homines eleuari tantum poſſunt per donum gratiæ ſuæ ad viſionem claram: Igitur modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi, & vbi eſt exceſſus iſtius tantus; vt inducat ordinem, & abſtractionem diuerſam, non poteſt ille eſſe connaturalis cognoſcenti. Et hoc eſt quod docet idem S. Thom. in 4. diſt. 49. q. 2. a. 6. Facultas (ait) ſiue potentia creaturæ non ſe extendit, niſi ad ſui generis formam, & ſic eſſentia diuina quæ eſt extra omne genus, excedit facultatẽ cuiuslibet intellectus creati. Vniuerſim igitur exceſſus in modo eſſendi poteſt eſſe talis, vt tollat proportionẽ requiſitã ad intelligẽdũ.

Intellectus humanus dum eſt in corpore operatur dependẽter à phãtaſmatibus.

Ratio Scoti ad probandam aſſertionem.

XXXX. Hic in 4. diſt. 49. q. 11. confutatis aliorum, & præſertim S. Thomæ rationibus, ſic probat quod anima humana, non eſt ſufficienter actiua ex puris naturalibus ad videndũ Deum. Impoſſibile eſt intellectum eſſe cauſam viſionis, niſi habeat in ſe obiectum cognitum, vel aliud in quo eminentius continetur; Sed natura humana nõ habet in ſe ex ſe præſentẽ ſibi Deũ ſub ratione obiecti, nec in alio in quo eminentius continetur, quia in nullo alio poteſt eminentius contineri, ergo ex ſe non ſufficit ad habendam cognitionem diuinæ naturæ intuitiuam. Præterea viſio eſt cognitio intuitiua rei in ſe; ſed natura humana non poteſt habere ex ſe præſentem Deum in ratione obiecti, licet ſit ſibi præſens per illapſum, ergo non poteſt ex ſe habere viſionem naturæ diuinæ. Sic ille.

Minorem primi argumenti, & minorem ſecundi non probat Scotus, ſed ſupponit, & tamen ſi ſermo ſit de potentia abſoluta, & de quocunque intellectu creabili, probatione indiget, quia aduerſarius contendit non implicare quod Deus in ratione obiecti ſit præſens alicui intellectui connaturaliter, & non tantum per illapſum; Neque contrarium euinceret quod videatur id non decere independentiam, & libertatem Dei, aut quod eſſentia diuina non moueat immediatè, ſed voluntas; nam & libere Deus crearet talem intellectum, & liberè concurreret cum ipſo, ſicut cum reliquis cauſis ſecundis ad operandum; & tunc eſſentia diuina concurreret immediatè, vt obiectum eodem volente Deo, in quo non apparet vlla indecentia, & impoſſibilitas oſtendi debet.

Suppoſita autem explicatione rationis S. Thomæ facile probari poteſt minor illa propoſitio Scoti, quòd Deus non poſſit eſſe præſens in ratione obiecti mouentis, & actuantis intellectum, vt requiritur ad viſionem ipſi connaturalem. Nam vel eſſet præſens per ſuam eſſentiam immediatè; vel per ſpeciẽ impreſſam ipſius repræſentatiuam clarè, & intuitiuè, neutrum dici poteſt, quia propter exceſſum Dei ſupra omnem creaturam, & omnimodam improportionem in entitate, non poteſt eſſe conuenientia requiſita inter intellectum creatum, & eſſentiam diuinam, vel ipſius ſpeciem in ratione receptiui, & receptibilis connaturalis, etiam intentionaliter, ſemper enim attenta excelſitate diuina verum eſt dicere, quod omnis creatura nihil eſt comparatione ipſius, & quod reſpectu immenſæ lucis tenebra eſt, idque non metaphoricè, & per exaggerationem; ſed proprie, & ſimpliciter, vt ſcriptura, & patres; quomodo igitur dicatur eſſe tanta ſimilitudo, & conuenientia cum creatura, vt illi adaptetur tanquàm ſpecies, vel forma intentionalis, & quod connaturaliter ipſi conueniat? hoc autem poſito facile apparet quomodo non poſſit eſſe præſens in ratione obiecti, ſcilicet connaturaliter, quia ſupernaturaliter præſens eſt de facto. Neque hoc idem eſt ac non videri, quia præſentia obiecti ſupponitur in actu primo ad viſionem actualem, atque adeo probatio Scoti non eſt eadem cum concluſione, vt illi

Omnis creatura eſt tenebra, falſitas, nihil S. Th. 2. 2. q. 5. a. 1. 2.

Digitized by Google

illi opponit Sot. in 4. diſt. 49. q. 2. a. 2. & Faſol. 1. p. q. 12. a. 4. n. 23. Ex quo patet argumentum S. Thomę requirentis proportionem inter obiectum, & potentiam non ſumi ex immaterialitate, & ſimplicitate obiecti comparati cum ſuppoſito cognoſcente, ita vt nunquam poſſit dari intellectus propria virtute videns Deum, quia nunquam peruenire poteſt ad ſimplicitatem Dei, vt proponitur à quibuſdam Doctoribus; ſed potius in tali exceſſu modi eſſendi Dei, qui nunquam proportionari poſſit modo naturę cognoſcentis, ita vt illi conuenire poſſit tanquam aliquid connaturale, etiam in ratione formæ intelligibilis, quia etiam quoad hoc nulla participatio lucis ad tenebras. Et licet in modo eſſendi Dei inuoluatur immaterialitas, tamen formaliter ſumpta non inſeruit pro medio termino ad probandum intentum S. Doctoris loquentis de exceſſu modi eſſendi Dei, vt comprehendit eſſentiam, & eſſe per ſe ſubſiſtens, in quò inuoluũtur omnes perfectiones, diuinæ, quãuis teneat argumentum de qualibet in particulari idẽtificata realiter cum eſſentia, quæ, & ipſæ ſunt immateriales ſicut eſſentia, vt immaterialitas excludit omnem compoſitionem tam phyſicam, quam metaphyſicam; nunquam enim concluderet argumẽtum probans, non poſſe videri, quia non poteſt æquari in immaterialitate, niſi accipiatur realiter immaterialitas pro eſſe Diuino ſubſiſtente, quòd ſemper excedit, & modo non proportionabili modum naturę cognoſcentis.

Modus eſſendi Dei nunquam proportionari poteſt modo naturæ cognoſcentis.

Patet Secundo argumentum S. Th. non niti inductione, ſed eſſe à priori. Inductionem autem afferri ad explicationem, & confirmationem demonſtrationis ductę ex diſtantia, & improportione obiecti cum intellectu creato in ſenſu declarato.

Aliqui probant ex eo quod talis creatura eſſet libera, & ſerua; filia, quia ex ſua natura hæres regni; & non filia, quia ex eo quod eſt creatura, eſt tenebra, nihil, &c. hoc eſt carens ſimilitudine quoad Beatitudinem cum Deo, vt ſupra dictum eſt.

Alijs non videtur vrgens argumentum, quia ſecundum diuerſas rationes eſſet talis creatura filia, libera, ſerua, ſicut de facto eſt ratione gratiæ, & amicitiæ cum Deo.

Verum omnibus rationibus anteponenda eſt ſcripturę, & Patrum auctoritas indicans abſolutè impoſſibilitatem hanc. 1. Timoth. 6. Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt. Io. 1. Deum nemo vidit vnquam. Et ratio videtur quia lucẽ habitat inacceſſibilem, vt dicitur 1. Tim. 1. & ſimilia, quæ explicantur à patribus de inuiſibilitate reſpectu cuiuſcumque intellectus, quia in nullo poſſibilem putant, niſi per gratiam, non autem per naturã: Idque accipiendo gratiam propriè, & non latè vt ſignificat quale cũque Dei beneficiũ, ſic enim dicitur Io. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, quod eſt gratiæ munus; non ſolum reſpectu fidei, quę datur ſine meritis, ſed multo magis reſpectu viſionis claræ, quæ eſt merces, & corona ex meritis; & licet aliquando gratiæ vocabulum pro alijs Dei muneribus accipiatur apud Sanctos Patres, præſertim Auguſtinum, l. 13. Confeſ. c. 3. tamen vita æterna, & viſio beata propriè gratia nuncupatur, conſummata videlicet.

Scripturæ, ac Patrum auctoritas.

Omnibus auctoritatibus Sãctorum Patrum reſpondẽt eos loqui de beatitudine eſſentiali, indepẽdente, neceſſaria, ſubſtantiali, infinita, quę ſolius Dei propria eſt, & nulli creaturæ communicabilis; non autem de accidentali, depẽdẽte, finita, &c. quam de abſoluta potentia dicunt communicabilem alicui creaturæ, cui eſſet connaturalis.

Sed attentis rationibus patrum negantium poſſibilitatem, quia creatura quælibet eſt ex nihilo, & tenebra quæ ſplendere ex ſe non poteſt; & ſimilia, minus conſona illorum ſenſui eſt hæc expoſitio. Ex ijs.

S. Cyrill. Alexandr. l. 1. in Io. c. 8. diſcrimen ponit inter S. Ioannem Baptiſtam, Sanctoſque reliquos, ac Chriſtum Dominum, quòd hic per naturam eſt lux illi per gratiam. Nihil inquit, pręter illam vera lux eſt; nec quicquam aliud propria virtute, atque natura ornatum luminis edere poteſt, ſed quemadmodum ex nihilo producta ſunt; ſicut à tenebris ſplendore veri luminis accepto, & ſplendore illius illu-

Digitized by Google

ſilluſtrata imitatione illius in lucem tranſeunt,&c. Eadem ratione ducta ex nihilo vtitur S.Proſp.l. ſent.143.& alij Patres, quæ ſicut eſſentialis eſt cuilibet creaturæ poſſibili ; ita probat impoſſibilitatem viſionis cõnaturalis. Eamdem affert S.Aug.l.12. Ciuit.c. 1.

Aliqui recentiores ob auctoritates tam multas Patrum, & Scholaſtico. rum prope omnium damnãt erroris, & temeritatis, ſententiam contrariam aſſerentem poſſibilem talem creaturam natura ſua beatam, & proinde etiam impeccabilem. Sed P. Ripalta diſp. 23. cit. ſect. 2. num. 6. candidè fatetur non terreri ſe iſtis minis, quibus pauidiores Theologi terrentur, & ſect. 6. num. 15. mirari ſe, quod viri docti tantum illis fiderint. Allatis autem explicationibus ad textus ſacros, & Patrum adiungit aliam ad Auguſt. potiſsimum mẽtem intelligendam, nimirum repugnantẽ aſſeri creaturã rationalem per ſe beatam; non quidem perſe tanquam per principiũ beatitudinis formalis,ſed tanquã per obiectũ, beatitudine formali poſſeſſum. Itaque creatura; quia ex nihilo producta,nõ aſſeritur impotens elicere actum ſuæ beatitudinis formalis per innatam virtutem; ſed ſolum impotens ſua bonitate poſſeſſa beare ſeipſam, ſuique omnem appetitum ſatiare, quia creatura non poteſt eſſe ſummum bonũ, quòd ſolum ſua bonitate, & perfectione ſatiare poteſt.

Sed hanc interpretationem non admittunt plures auctoritates contendentes ex eo quod creatura eſt, & ex nihilo, eſſe tenebram, impotentem ex ſe emittere lucem, ad differentiam Chriſti, & Dei, qui lux ſubſtantialis eſt: item eſſe miſeram ex ſua natura, & carentem vera beatitudine, quam ſolus Deus dare poteſt. Verum quidem eſt quod Patres ſubinde aſſerunt ſolum Deum eſſe obiectum veræ beatitudinis, nullam creaturam poſſe quietare appetitum noſtrum, aut eſſe vltimum finem in quo quieſcat; ſed hinc non infertur quod etiam non aſſerant patres nullam creaturam poſſe natura ſua eſſe beatam: vtrumque enim negant, & quod poſſit eſſe obiectũ ſuæ beatitudinis,&quod poſſit eſſe principium effectiuũ propria virtute.

Liceat hic mihi vti verbis modeſtiã S. Bonauenturæ oſtendentibus, qui in ſecundo ſent. diſt. 4. ar. 3. quæſt. 1.ad primum concilians duo loca S. Auguſtini de cognitione matutina, & veſpertina Angelorum in creatione ipſorũ hoc,inquit, curialius eſt dicere,quã dicere quod Aug.dicat cõtraria, & tãquã inſtabilis modo dicat hoc, modo incontrariũ, &c. In propoſito pariter præſtat imitari curiales morigeratos abſtinendo à cenſura, & ſeueriori nota, vbi nihil ab Eccleſia definitum eſt; ſed relicta diſputationi controuerſia, quæ ſalua fide, & caritate, more ſcholaſtico tractari poteſt, ſi rationum momenta, & patrum explicationes examinentur; Præſertim vbi non deſunt vtrique parti auctores graues, quales adducuntur plures à P. Ripalt. loc. cit. inter quos Maior in 4.diſt. 49. q. 4. dubitans an de facto alicui Angelo tanta perfectio collata ſit. Longe tamen plures tam veteres, quam recentes ſunt pro contraria, & ideo ita huic hæremus, vt à damnatione affirmantis, abſtineamus, & doctrinam S.Bonauenturæ pro communi ſtantis, defendamus. Fatemur autem non inuiti argumẽtis quibus communis munit ſe ingenioſas afferri reſponſiones ab auctoribus, quibus videtur poſſibilitas creaturæ tam excellentis intra limites illimitatos diuinæ potentiæ contineri; quarum tamen nulla omnino ſatisfacit principio aſſumpto à Sanctis Patribus, in eo nixo,quòd cum omnis creatura ſit ex nihilo, ex ſeipſa tendit in nihilum, tenebroſa eſt, ac miſera, ac vertibilis:proinde ſi ex ſua natura, & propria virtute eſſet beata, ſequeretur eſſe creaturam, & non creaturam. Cuius dicti veritas non poteſt euidentius probari, quam comparando reſponſiones ad rationes varias negatiuę ſententiæ, quam ſequimur, & ad illam potiſſimum, quam Sancti Patres adducunt,& pro fundamento nos ponimus,vt appareat magis.

S Bonau. modeſtia.

Confirmatio ſententiæ communis.

Prima eſt.

QVia gratia non poteſt eſſe connaturalis vlli creaturæ, ergo XLII.

Digitized by Google

neque viſio propter quam datur vt diſpoſitio. Antecedens probatur tum quia gratia eſt remiſſiua iniuriæ factæ Deo; nulla autem creatura poteſt pro illa ſatisfacere, vt patet ex materia de incarnatione, ergo neque habere gratiam ſibi connaturalem, quia per illam vt per quid ſibi proprium, ac debitum ſatisfaceret, & fieret formaliter amica Dei; non poteſt autem deberi gratia niſi ſatisfacienti ad æqualitatem. Tum quia deberetur etiam caritas, ſiue ſit diſtincta à gratia à qua inſeparabilis eſt; ſiue ſit eadem: hoc autē eſt impoſſibile, quia nec poſſibile eſt creaturam inclinari naturaliter ad amandum aliquid ſupra ſe, caritas autem inclinat ad amorem Dei ſupra ſeipſum; ſicut ergo non poteſt conuenire naturaliter homini virtus ad volandum, ita nec vlli creaturæ inclinatio ad amandum aliquid ſupra ſeipſum.

Reſpondebunt negando antecedēs. Ad probationem, confundit vim ſatiſfaciendi, cum exigentia connaturali gratiæ: concedo puram creaturam non poſſe ſatisfacere ad æqualitatem pro iniuria Deo illata: Nego hinc oſtēdi non poſſe gratiam eſſe connaturalem vlli creaturæ; hæc enim eſſet impeccabilis poſcens gratiam, & viſionem, & ideo non opus eſſet vlla ſatiſfactione pro iniuria; Et per gratiam non diceretur ſatisfacere, quia poteſt hæc eſſe ſine ſatisfactione, vt patet in Chriſto Domino B. Virg. Angelis, primo homine non egentibus ſatisfactione in infuſione gratiæ. Non ergo valet ſequela, Nulla cratura poteſt pro iniuria Deo illata ſatisfacere, ergo neque vlla fieri, cui ſit connaturalis gratia, & viſio: ad illud enim requiritur, & in creatura ipſa facultas reproducendi gratiam amiſſam per peccatum; & in creatore offenſo acceptatio ſatisfactionis; ad hoc autem ſufficit non repugnantia accipiendi talem naturā, & modum eſſendi, cui eſſet connaturalis gratia, & viſio; ideo niſi oſtendatur vnde repugnet, ſicut oſtenditur impoſſibilitas ſatisfactionis in materia Incarnationis, argumentum hoc nihil concludit.

Nulla pura creatura ſatisfacere poteſt ad æqualitatem, pro iniuria facta Deo.

Ad alteram partem conceſſa ſequela negant fieri non poſſe creaturam naturaliter propenſam ad amandum Deum ſupra ſeipſam, licet de lege ordinaria non contingat etiam in Angelis, niſi gratia roboratis: Idque etiamſi proponerentur magna damna pœnæ, à quibus natura abhorret, nam ſubiretur ab illa creatura, non quia ad ipſa inclinetur; ſed quia ferretur pōdere naturali, & rationali in Deum, eūque ita appeteret, vt cætera ſiue bona, ſiue mala præ illo paruipenderet.

Quod ſi aſſumatur principium illud Patrum. Quælibet creatura ex eo quod eſt ex nihilo eſt miſera, ergo nulla creatura ex ſua natura eſt beata, ergo nulli poteſt eſſe connaturalis viſio, neque gratia, argumentum valet.

Secunda eſt, quia talis creatura eſſet filia, & ſerua, quæ duo implicant in eodem ſubiecto reſpectu eiuſdem tituli, nam ſeruitus excludit libertatem ius hereditatis, honorabilitatem, & ſimilia, quæ includit filiatio, ſi enim filius, & hæres, & liber, & honorabilis ſupra ſeruos: creatura autem ex eo quod creatura preciſè eſt ſerua Dei, quia omne creatū neceſſe eſt vt creatori deſeruiat, ait Aug. homil. 6. in die Pentecoſt.; igitur non poteſt eſſe filia ex vi creationis, ſed tantum per gratiam.

Confirmatur, quia Sancti Patres probant Chriſtum Deum non eſſe ſeruum, quia eſt filius naturalis Dei, ſuppoſūt ergo vt clarum non poſſe eundem eſſe filium, & ſeruum, at creatura videns Deum naturaliter eſſet filia naturalis, & non ſerua, & tamen ex alia parte de ratione creaturæ eſt eſſe ſeruam: ſic S. Baſil. l. 4. cont. Eunom. ſi filius, inquit, creatura Dei eſt, omnis vero creatura Creatoris ſerua, Chriſtus Dei ſeruus eſt, & non filius, &c.

Deinde illa creatura eſſet filia per adoptionem, quia per naturam ſolus Chriſtus eſt filius Dei; ſed adoptiuus dici non poteſt, (ait Concil. Franford. col. 5.) niſi is, qui alienus eſt ab eo, à quo dicitur adoptatus, & gratis ei adoptio præſtatur, &c. quod ſi connaturalis eſſet gratia, & viſio alicui ex debito naturæ eſſet filius, non naturalis, ergo adoptiuus, & non ex indulgentia.

Denique eſſet amica per naturam, ergo

ergo non ſerua:antecedens patet,quia per gratiam, & viſionem beatam eſſet amica;ſequela probatur,quia ſeruitus, & amicitia in eodẽ ad eundẽ repugnãt iuxtà Philoſ. 1. Polit. c. 8. & 7. Magn. mor. cap. 11. requirentem æqualitatẽ quandam, & paritatem inter amicos qualis inter deum, & creaturam non eſt poſſibilis,niſi per gratiam eius;nam ſpectando conditionem creaturæ magis diſtat ab ipſo, quàm vile mancipiũ à principe, & proinde ſicut, illi non poteſt eſſe debita amicitia regis;multo minus amicitia Dei vlli creaturæ.

Varia acceptio ſerui,& Filij.

Reſpondebunt eſſe ſeruum accipitur latè, & ſtrictè humano more, primo modo dicit omnimodam dependentiam quoad eſſe, & operari illius qui eſt ſubiectus Domino, & hæc competit creaturæ ſolum reſpectu Dei. Secundo modo, dicit ſubiectionem vnius hominis ad alterum nõ iure naturali, ſed iure gentium introductam, & hæc eſt minor quam prima. Similiter filius dicitur & naturalis per veram, & propriam genituram; & adoptiuus per gratiam, vel ciuilem inter homines; vel ſupernaturalem inter creaturam rationalem, ac Deum: hæc autem gratia eſt, quæ de lege ordinaria datur creaturę rationali per meram Dei liberalitatem, citra vllum naturæ debitum:ſed præter hãc prima ſententia aſſerit non eſſe repugnantiam cur creetur ſubſtantia, cui ſit connaturalis, ac debita; & reſpondet argumento diſtinguendo antecedens & concedendo non poſſe ſtare ſimul filiationem naturalem in primo ſenſu, & ſeruitutem in vtroque; ideo Chriſtum Dominum non poſſe dici ſeruum etiam ratione humanitatis, quia hæc propter ſummam, & intimã vnionem cum Verbo deificata eſt, & habet communicationem in bonis, nimirum deitate, dignitate ſedis, maieſtatis, latriæ & ſimilium, quæ conuenire ſeruo non poſſunt, vt fuſe docet Vazq. tom. 1. in 3. p. diſp. 80. præſertim c. 8. At vero filiatio tam per gratiam minimè debitam, qualis de facto infunditur à Deo; quàm per con naturalem creaturæ poſſibili non excludit ſeruitutem latè ſumptam,vt dicit ſubiectionem omnimodam creaturæ ad Deum, cuius ſunt omnia, vt domini ſupremi, & creatoris: ſed ſolum vt habet ſubiectionem, & carentiam communicationis in bonis, ac iuris ad hæreditatem, & pœnalitas quædam eſt hominis ſeruitium exibentis alteri cum quadam coactione, & libertatis priuatione: Ideò cum hac non ſtat filiatio, neque naturalis, neque per adoptionem, quæ huiuſmodi malorum eſt expers, & bonorum contrariorum particeps. Cæterum non aſſignatur ratio cur dari non poſſit creatura tam perfecta, vt ſimul ſit ſerua. Et omnino ſubiecta dominio Dei, à quo non poteſt eſſe libera, & tamen ſit filia quia habet à Deo, vt per vires proprias illum videat, quod ſtat cum ſubiectione, & dependentia totali ab ipſo.

Ex quo patet ad primam confirmationem, & ad auctoritatem S. Baſilij probantis cõtra hæreticum, Chriſtum eſſe filium conſubſtantialem Dei, & iccirco non poſſe dici ſeruum, quia cum tali filiatione coniuncta eſt communicatio in bonis omnem excludens ſeruitutem.

Dices, S.Baſilius ſumpſiſſet id quod erat probandum, nimirum Chriſtum eſſe filium conſubſtantialem Patri, quod negabat hæreticus;qui cum alioqui concederet eſſe filium Dei ex ſcriptura clarè hoc teſtante, & non niſi per gratiam accidentalem, intelligendus eſt de gratia connaturali, & debita, alioqui ſatis norat Baſilius de facto iuſtum eſſe filium adoptiuum per gratiam, & ſeruum per naturam; vt ergo valide inferat Chriſtum non eſſe creaturam, aſſumit quod dabat hæreticus eſſe filium diuerſo modo à cæteris iuſtis, hoc eſt per gratiam connaturalem, & debitam,quæ excludit ſeruitutem, vt valeat, Chriſtus eſt filius Dei, ergo non eſt ſeruus;eſſet autem ſeruus,ſi creatura eſſet.

Contra eſt primo, quia Baſilius intendit probare Chriſtum eſſe verè Deum conſubſtantialem Patri, quod minimè probaſſet aſſumendo eſſe filiũ, cui debetur gratia, ſic enim dediſſet aduerſario quod volebat, nimirum Chriſtum eſſe creaturam reliquis nobiliorem, & ſimilis, non eiuſdẽ cum patre ſubſtantiæ, & cum hac filiatione ſtare ſeruitutem illam nobilem nõ

ex-

excludentem libertatem, honorem, ius ad hæreditatem, ac cætera bona; ſed dicentem ſubiectionem plenam ad Deum ratione creationis, conſeruationis &c.

Secundo igitur, vt probet hanc cõſubſtantialitatem aſſumit quod filius ſit, & non ſeruus, filium autem eſſe non probat, quia hoc non negabat hæreticus, ſed aſſumit ex ſcripturis; & quia iſtæ loquuntur de filiatione per genituram, & non per gratiam accidentalem, ex eo probat Chriſtum non eſſe creaturam, quia genitus eſt à patre, & non creatus, vt creaturæ reliquæ, & ideo filius eſt, & non ſeruus, eſſet autem ſeruus ſi creatura eſſet: Nõ ergo petit principium Baſilius, quia ſumit ex ſcriptura quod Chriſtus ſit filius per generationem, ex quo ſequitur quod non ſit ſeruus, qualis eſſet ſi non eſſet filius generatione, ſed effectione vt creaturæ reliquæ, etiam quæ naturaliter Deum viderent. Quod niſi ſumat Baſilius, vt notum ex ſcriptura, Chriſtum eſſe genitum, & non factum à patre, non eſt vndè probet non eſſe creaturam, & ſeruum.

Ad ſecundam confirmationem. Talis creatura eſſet filia adoptiua, vt adoptio diſtinguitur à filiatione per generationem; ſed diuerſo etiam modo ab adoptione quæ de facto eſt per gratiã; quia illi eſſet connaturalis viſio, neq; tamen eſſet eiuſdem naturę cum adoptante Deo, neque ſine indulgentia eiuſdem, quia liberè, & gratuitò crearet, ac conſeruaret.

Ad tertiam eſſet illa amicitia alterius ordinis, ac rationis ab ea quam norunt ſapientes, & ideo non conuenirent illi conditiones ab illis requiſitę; Sed aliæ nobiliores, quas inueſtigare licet ex ijs, quæ tribuuntur amicitiæ per gratiam, & caritatem, & colliguntur ex ſcriptura paſſim.

Quæ reſponſiones ſi ſubſiſterent, rueret principium illud patrum, quod tamen aduerſarij ſaluum volunt, & ratio firmum eſſe dictat; ex eo enim quod creatura eſt ex nihilo miſera eſt, quantum eſt de ſe, & ſolum ex gratia, & Dei liberalitate habet quod ſit fœlix, filia, & amica Dei, quæ prærogatiuæ bene perpenſæ adeo ſunt excellentes, vt nequeant eſſe congeneæ creaturæ de ſua natura miſeræ, ſicut non poteſt in moralibus eſſe connaturale, ac debitum ruſtico regimen imperij, aut amicitia Regis, aut conſulatus. Adde quod ſententia communis valde incommodat Arianis, qui comminiſcuntur filium Dei de facto eſſe creaturam ſimilem illi, quam aduerſarij dicunt eſſe poſſibilem, vt proinde vel hoc nomine ſit reijcienda illorum ſententia, & noſtra negans amplectenda.

Tertia eſt quia implicat contradictionem intellectus infinitus, ergo & cui ſit connaturalis viſio clara Dei. XLIII.
Antecedens probatur, quia implicat ſubſtantia infinita, ergo & intellectus infinitus; qui deberet illi commenſurari, vt proprietas naturalis ipſius. Conſequentia patet quia potentia finita non poteſt ſe extendere vltra terminum finitum; Deus autem clarè viſus eſt infinitus.

Cõfirmatur primo quia intellectus finitus non poteſt eſſe principium intellectionis infinitæ, ergo neque verſari circa obiectum infinitum, quia nõ minus eſſentialiter hoc reſpicit, quàm illam; imò magis cum obiectum reſpiciat vt quod, intellectionem vt quo.

Secundo. Cauſa licet ſit ſuperioris ordinis nõ poteſt attingere effectũ infinitũ ordinis ſuperioris ex hoc præciſe, quòd eſſet infinitus; ſic Angelus nõ poteſt producere qualitatem, aut velocitatem motus infinitam, ſi eſſent poſſibiles, igitur nec intellectus poteſt attingere obiectum infinitum ordinis ſuperioris, patet ſequela; quia illud non poteſt ob limitationem potentiæ, ergo neque hoc; non enim minus ſpecificatur intellectus ab intelligibili, quã potentia effectiua ab effectibili, ſed hæc arctatur ad effectibile finitum, ergo & illa ad obiectum finitum.

Tertio. Ob hanc eandem limitationem potentia viſiua non perciperet coloratum infinitum, ſi daretur, & omne agens creatum determinat ſibi certam ſphæram, & ſpatium, vltra quod non agit in diſtans; Et ſi Deus produceret infinita obiecta, non poſſet ſimul illa cognoſcere intellectus creatus; multo igitur minus obiectum infinitum continens multo excellentius omnia creata, & de facto Angeli non intelligunt omnia poſſibilia natu-

ralia

Digitized by Google

ralia ob eãdem limitationem, quæ militat in omni intellectu creabili.

Ad primum negant ſequelam; ad probationem negãt aſſumptum; omnis enim potẽtia extendit ſe ad obiectum ſibi adæquatum, & proinde intellectiua ad omne ens; & verum, quale eſt non ſolum finitum, ſed etiam infinitum.

Potentia ſe extendit ad obiectum ſibi proportionatum.

Ad primam confirmationem negãt pariter ſequelam, diſparitas petitur ex eo quod omnis potentia actiua debet cõtinere in ſe virtualiter effectum, & ipſi proportionari in ratione cauſæ productiuæ; atque adeo ſi ſit finita non poteſt continere, neque dare perfectionem infinitum; at vero obiectũ non debet continere, neque producere, ſed ſolum illud attingere per actũ, ſeu tendentiam, & illi proportionari in ratione attingibilis, & potentis attingere.

Dices intellectus continet in ſe virtualiter id quod intelligitur ſub eſſe intentionali, non minus quàm cauſa contineat virtualiter effectum ſub eſſe reali, repræſentando enim intra ſe obiectum, dat illi eſſe intentionale, ſicut cauſa effectui dat eſſe reale.

Dare eſſe intentionale, eſt intelligere obiectum

Quęſo te, quid eſt dare eſſe intentionale niſi intelligere obiectũ? proinde dare hoc eſſe eſt producere intellectionem verſantem circa obiectum; & non producere actum infinitum, ſed finitum tendentem in infinitum, cum non requiratur ad hoc virtus infinita, ſed ſolum proportionata in ratione intellectiui, & intelligibilis, qualis poteſt eſſe inter potentiam finitam, & obiectum infinitum, vt patet non ſolũ quia intellectus creatus concurrit per virtutem innatam, ac vitalem eleuatam ad viſionem beatam, & voluntas ad amorem; ſed etiam quia cognitione abſtractiua percipit Deum, & proprietates eius. Ex quo patet.

Ad ſecundam confirmationem, & eius exempla, quæ ſunt à virtute finita ad effectum infinitum, & nihil concludunt. Ad rationem probantem paritatem quicquid ſit de ſpecificatione potentiæ actiuæ ab effectu, dico prætereà in ipſa requiri continentiam virtualem effectus, quæ non poteſt eſſe reſpectu infiniti cum ſit ipſa finita; at reſpectu obiecti ſufficit attingibilitas,

In potentia actiua debet cõtineri virtualiter effectus.

quæ poteſt eſſe in obiecto infinito ſi alioqui ſit intra obiecta potentiæ.

Ad tertiam eſt contra te, nam data hypotheſi colorati infiniti poſſet virtus viſiua in illud tendere, quid enim prohiberet oculum percipere colorẽ aliquem infinitum in extenſione, vel intenſione ſi ſibi obijceretur? Licet non totaliter videret, ſicut neque creatura illa beata compræhenderet Deũ. De actione in diſtans non eſt certum eam eſſe impoſſibilem per diuinam potentiam, ſi quidem admittitur de facto à Scotiſtis, negabo igitur non poſſe dari. Et idem dicam de intellectu cognoſcente infinitas creaturas. Inſtabis prædictam reſponſionem valere de obiecto infinito ſpecificatiuè, & materialiter, non autem formaliter vt infinitum eſt, nam ad hoc vt clare videatur naturaliter, requiritur virtus intellectiua infinita, multo magis ſi videat etiam creaturas infinitas.

Reſpondeo quod reduplicatiuè infinitum dupliciter intelligi poteſt, vel vt reduplicat rationem infiniti, vt attributi particularis; vel vt comprehẽdit quicquid eſt in eo, & ſecundum omnem rationem cognoſcibilitatis. Primo modo poteſt Deus cognoſci ab intellectu creato, ſicut & ipſa eſſentia cum quà identificatur proprietas infiniti. Secundo modo non poteſt quia comprehenderetur, quod impoſſibile eſt creaturæ. Sed hinc nihil concluditur contra ſententiam contrariam, quia ſolum contendit videri Deum infinitum, non infinitè, neque ſub omni ratione cognoſcibilitatis.

Verum iſtæ reſponſiones multa gratis aſſumunt, quæ facilè negantur, & in illis confutandis non immoramur, quia inſtantias inter probabiles rationes ponimus, & ijs pręponimus adductam ſupra ex ſanctis patribus.

Quarta inſtantia, eſt quia poſſet dari creatura æterna, & immenſa naturaliter, ſi poſſibilis eſt aliqua videns connaturaliter Deum, & naturaliter beata. Nec valet dicerę quod æternitas, & immenſitas important infinitatem, illa in duratione, hæc in ſpatio, quia infinitas vtriuſque eſt extrinſeca ratione temporis, ac ſpatij, quæ ſunt connotata illarum, & in viſione etiam obiectum eſt extrinſecum, igitur eſt XLIV.

pa-

Digitized by Google

paritas; & ſi quæ eſt diſparitas, potius obſtat, quia viſio de ſe & eſſentialiter eſt tendentia in obiectum infinitum ex ſua intrinſeca natura.

Confirmatur quia æternitas, & immẽſitas ſunt incommunicabiles ex eo quod reſpiciant terminum extrinſecũ infinitum, tempus ſcilicet, ac ſpatium, ergo multo minus erit communicabilis viſio, patet ſequela quia reſpicit terminum infinitum excedẽtem omnem infinitatem creatam.

Reſpondeo ſi ſenſus ſit quod poſſet dari creatura æterna, ideſt cui deberetur æternitas, vt quid conueniens naturæ eius, nego ſequelam, quia hoc dicit exigentiam productionis ab æterno, non poteſt autem creatura, quæ non eſt, & nihil eſt, exigere productionem ſui, vt ſibi debitam; etiamſi ſequare ſententiam admittentem poſſibilem creaturam permanentem ab æterno, vt Suar. diſp. 20. ſect. 6. Metaph. cum S. Thoma, & alij. At vero viſio ſupponit exiſtentiam, ſiue rem in ſuo eſſe conſtitutam, quæ tantæ ſit excellentiæ, vt connaturaliter videat Deum.

Quod attinet ad immenſitatem, hæc etiam ita Dei propria eſt vt creatura deberi nequeat; ſupponit enim ſubſtantiam perfectionis infinitæ, quæ implicat, vt communiter Theologi, cum Philoſophis, docent; nam eò perfectior eſt, quò maiori ſpatio poteſt coexiſtere, igitur infinitę perfecta erit, ſi infinito poſſit ſimul coexiſtere. Non enim hic valet dicere quod eſſet diuerſi ordinis, ſed finiti, ſicut quæ poteſt per ſuas vires videre Deum; nam ſicut infertur validè ſpatium illud eſſe infinitum, ex quo partes maiores, & maiores in infinitum ſunt deſumibiles; ita & ſubſtantia illam eſſe infinitam, cuius gradus perfectionis reſpõdent ijſdem partibus perfectiores maioribus in infinitum: quo ſimili argumento vti non licet in viſione æquiualente cognitionibus naturalibus in infinitum perfectioribus, proportio enim inter ipſas eſt geometrica, ex qua non concluditur infinitas, niſi ſecundum quid; at in immenſitate in ordine ad ſpatium eſt arithmetica, ſicut eſt partium ſpatij, quibus cum reſpondeant ſemper gradus perfectiores ſubſtantiæ in infinitum, bene concluditur quod ſit infinita ſubſtantia, cui conueniant illi gradus.

Immenſitas eſt propria Dei, nulli creaturæ deberi patet.

Ad cõfirmationem duratio ęterna, & coexiſtentia ad ſpatiũ infinitũ ſunt repugnantes ob rationes allatas, quæ locũ non habent in viſione, quia ex eo quod ſit tendentia in obiectũ infinitũ, nullũ ſequitur incõmodũ, vt in æternitate, & immẽſitate; ſufficit enim proportio, & conuenientia potentiæ inintellectiuæ cum obiecto cognito in ratione intelligibilis, & intellectiui, quæ ſtat cum illius infinitate, vt ex dictis manifeſtum eſt.

Inſtabis, quia æternitas, & immenſitas non dicunt tãtam perfectionem in Deo, quantam dicit viſio, qua ſe ipſo beatus eſt formaliter, ergo ſi illæ non ſunt communicabiles creaturæ, vt proprietates connaturales, neque viſio erit communicabilis, quæ habet maiorem exceſſum perfectionis ſupra creaturam.

Reſpondẽt primo neque viſionem Dei eſſe communicabilem, quatenus eſt comprehenſio, quæ conuenire creaturæ non poteſt, in quocunque deinde poſita ſit ratio comprehenſionis.

Secũdo negãt ſequelam, quia æternitatem exigere nequit quod nihil eſt, nec immenſitatem quod finitum eſt, vt patet ex dictis, viſio ſuppnit eſſe rei, nec exigit vim infinitam.

In ijs item reſponſionibus aſſumuntur, quæ controuerſa ſunt, & negantur à multis, vt quod non poſſet dari creatura æterna, vt infra in quæſtione propria diſputabimus; & vrgeri poteſt argumẽtum à paritate immenſitatis, quæ realiter, vt eſt diuina identificatur cum viſione item diuina, neque maior, neque minor eſt illa; formaliter autẽ & abſtractè accepta minus nobilis, & perfecta intelligitur, quam viſio, quæ eſt actus vitalis perfectiſſimus; & redit argumentum, cur non ſit cõmunicabilis creaturę, ſi communicatur viſio beata, quæ eſt participatio viſionis increatæ; Quę & ſimiles inſtantiæ non valent contra negantes poſſibilitatem creaturę de ſe beatæ, quia pariter negat poſſibilitatem creaturæ immenſæ, ac æternæ.

Quinta petitur ab exceſſu obiecti

ſupra

Digitized by Google

ſupra potentiam quamlibet creatam, & creabilem, nam Deus, vt ob eſtum excedit de facto intellectum humanum, & angelicum, quatenus creati & finiti ſunt; & proinde vt ens increatûm, & infinitum, quia non excedit vt ens eſt, ſed vt tale ens, nimirum illimitatum, infinitum, &c. quæ ratio reperitur in eo, reſpectu cuiuſcunque intellectus creati, & ideo vt obiectum eſt ſemper excedit, & non poteſt attingi ab illo; ſicut data quantitate infinita, ſemper excedit finitam, quantumuis multiplicatam, & nunquam adæquari, vel proportionari poteſt.

Confirmatur quia viſio de facto dicitur ſupernaturalis, in quantum eſt repræſentatio obiecti ſupernaturalis; at ſupernaturalitas obiectiua, Dei propria dicitur per exceſſum ad naturam creatam, & creabilem, vt finita, & participata eſt; & proinde viſio nunc dicitur ſupernaturalis homini, & Angelo in quantum ſunt intra ſubſtantias finitas, & participatas: cum igitur omnis intellectus creabilis ſit finitus, ac participatus, nulli erit viſio naturalis, ſed ſupernaturalis.

Reſpondent primo per inſtantiam quia de facto Deus excedit intellectũ, & lumen vt ens infinitum, increatum &c. & tamen attingitur, & clare videtur; quia eleua ur potentia, & fit proportionatum ipſi obiectum in ratione intelligibilis. Deinde directe obiectũ infinitum excedit ſemper potentiam quamlibet finitam in ratione entis talis, concedo; quia nunquam fieri poteſt creatura ita excellens, vt non ſemper in infinitum ſit inferior Deo. In ratione vero obiecti, ſi facit ſenſum quod ita excedit, vt non poſſit attingi, nego, petitur enim principium: nam ego dico obiectum tale proportionari poſſe in ratione cognoſcibilis alicui intellectui æquiualenti in virtute cognoſcitiua lumini, & intellectui angelico, & humano, qui de facto ſunt, quæ ratio cognoſcitiui, & cognoſcibilis non habet locum in quantitate, & ideo non eſt ad rem exemplum ab ea petitum.

Viſio etiam dicitur ſupernaturalis, quia eſt a principio ſupernaturali.

Ad confirmationem viſio dicitur ſupernaturalis, non ſolum quia eſt obiecti ſupernaturalis; ſed etiam quia à principio ſupernaturali, quod eſt lumen, cui æquiualere poteſt intellectus creabilis; & ideo viſio eſſet illi connaturalis, licet finito, ac participato.

Sexta eſt quia ſequeretur accidentia ſupernaturalia, vel omnia, vel aliqua in ſubiecto naturali exiſtentia, fore per totam æternitatem in ſubiecto ſibi improportionato extra ſuum ſtatum naturalem, quod eſt inconueniẽs, quia Deus in vnoquoque ordine agit iuxta naturas rerum, & ideo ſicut accidens naturale producit, & conſeruat in ſubiecto naturali; ita & in ordine ſupernaturali, deberet producere, & conſeruare accidens ſupernaturale in ſubiecto ſupernaturali, ſi eſt poſſibile; & ſicut eſſet inconueniens producere accidens ſpirituale, illudque perpetuo conſeruare in corpore, cum ſit poſſibilis ſubſtantia ſpiritualis; ita &c. & vice verſa, ſi accidens naturale produxiſſet in ſubiecto ſupernaturali.

Reſpõdent creaturam rationalem præditam Dei imagine, & conditam ad finem ſupernaturalem eſſe ſubiectũ proportionatum accidentium ſupernaturalium; quod ſufficit ne dicantur eſſe violentè in ea extra proprium ſubiectum, ſicut ſi ponerentur in lapide, vel ligno. Quod autem Deus noluerit condere ſubſtantias ſupernaturales magis adhuc illis proportionatas, quis ab illo requirat? aut conſiliarius eius ſit? Idem dicito ſi voluiſſet alium rerum ordinem inſtituere, & producere, ac conſeruare accidens ſpirituale in corpore, vel naturale in ſubiecto ſupernaturali.

Verum reſponſiones prædictæ ad quintam, & ſeptimam inſtantiam admittunt quod ratio patrum refellit creaturam ex nihilo factam habere intellectum proportionatum obiecto infinito clare videndo, non obſtante improportione infinita in ratione entis: Item exigere ex ſua natura accidens non vtcumque ſpirituale, ſed quo reddatur beata; quod repugnat argumento patrum conferẽtium creaturæ cuiuslibet vilitatem, cum ſuper excellenti Dei perfectione.

Quod ſi inſtis patres petere principium, & non probare quod repugnat creaturæ ex nihilo tanta perfectio, vt videre poſſit clarè Deum propria virtute. Reſpondeo fieri in hac inſtantia tran-

tranſitum à quæſtione ad queſtionem, hoc eſt ab auctoritate ad rationem. Deinde nego à patribus aſſumi gratis illud principium, quia conſideranti quid ſit creatura, & quid creator, & bene percipiēti diſcrimen inter vtrūque, per ſe notum eſt dictum illud.

XLV. Septima. Afferunt recentiores quidam aliam implicantiam, & ſupponūt ex libris de anima, quod viuere in actu ſecundo, eſt formaliter mouere ſe, & non ab alio, & proinde non debetur rei pro inſtanti ſuæ productionis, quia quicquid debetur pro primo inſtanti tribuitur generanti; debetur ergo pro tempore ſequenti quo poteſt mouere ſe; & per hunc motum, ſeu vitam diſtingui à non viuente, tanquā per terminum primarium ſpecificatiuum principij viuentis, quod non haberet ſi deberetur in primo inſtanti, quia nec operatio illa eſſet vitalis eo modo, quo requiritur ad terminum primarium, non enim eſſet motus à ſe, ſed à generante. Hinc inferunt non poſſe dari creaturam, cui viſio ſit connaturalis; quia nec deberetur illi pro primo inſtanti, nec pro tempore ſequenti, neque vt terminus primarius, neque vt ſecundarius, quod fusè probant.

Reſpondēt quod tali creaturæ deberetur viſio pro primo inſtāti, & tribueretur quidem illā creanti, quia daret potentiam intellectiuam à qua illa eſſet, & concurreret, cum ipſa iuxta eius exigentiam ad intellectionem; ſed non vt producenti per ſe ſine concurſu vitali eiuſdem potentiæ: exemplum eſt in ſole, qui pro primo inſtanti ſuæ productionis illuminaret, Deo ſimul cum ipſo concurrente, quo exemplo vtuntur qui dicunt cum Scoto Angelum potuiſſe peccare in primo inſtanti ſuæ productionis, & negant refuſum iri peccatum in creatorem, quia hic daret pro primo inſtanti ſimili creaturę omnia neceſſaria ad operandum, & non eſt aliunde aſſignare impoſſibilitatem operationis; iccirco operatio illa eſſet formaliter vitalis, & à principio vitæ, non ſecus ac quæ fit, vel perſeuerat tempore ſequenti. Sed iam conſtat ex dictis ſimpliciter non deberi viſionem beatam, vlli creaturæ iuxta patrum doctrinam, & ideo neque in primo inſtanti creationis, neque tempore ſequenti fore ex ſe beatam.

Probant inſuper alij ex eo quod talis creatura eſſet ſubſtantia ſupernaturalis, quod cenſent impoſſibile, quia non apparet, in quo conſiſteret illa ſupernaturalitas. Quod argumentum ſi valet, firmat noſtrā ſent. ſed explicādum eſſet quid ſit ſupernaturalitas, quæ eſt diſputatio aliena ab hoc loco. Quam 1. tom. diſp. 1. expediuimus: Si non valet, aliunde probata eſt noſtra ſententia. Ex dictis ſequitur quod licet ad cognitionem non requiratur ſimilitudo quoad eſſe inter obiectum, & potentiam, requiritur tamen proportio in ratione actuabilis, & actuatiui intentionaliter, quæ vt ſit connaturalis, & debita alicui creaturæ rationali, debet habere fundamentum in modo eſſendi, qualis non eſt in creatura vlla reſpectu creatoris, hic enim dicitur à patribus, præſertim à S Dionyſ. de diuin. nom. cap. 8. & lib. 2. de cœleſti hierarchia ſupra omnem virtutem, infinitiuè infinitus, ſuper ſubſtantialis, & ſimilia quæ indicant exceſſum ſupra quamlibet virtutem, & potentiam ad clare intuendum ipſum ſine auxilio ſupernaturali indebito creaturæ, vt explicat S. Thom. 1. p. cit. & in 4. diſt. 49. q. 2. a. 6. Talis autem exceſſus non eſt niſi inter Deum, & creaturam, quia hæc quamtumuis ſit nobilis, ſicut habet ſemper conuenientiam in modo eſſendi cum alia creatura, ita habet proportionem cum intellectu quolibet in ratione actuabilis, & actuatiui intentionaliter; non item qui eſt actus puriſſimus, & non clarè attingibilis proprijs viribus ab vllo intellectu creato ob excellentiam infinites, infinitam, non habentem conuenientiam in modo eſſendi cum creatura, ad eam autem pertinet non poſſe cognoſci clarè niſi per donum gratiæ, atque ita non vrget argumentum Scoti in 1. diſt. 3. q. 3. contra rationem D. Thomæ quod modus cognoſcendi, ſequatur modum eſſendi, quia licet non requiratur ſimilitudo inter obiectum, & potentiam, quoad eſſe, requiritur tamen proportio actuabilis & actuatiui intentionaliter, quæ non ſtat cum tanto exceſſu inter creatorem ſupra creaturam.

Si

Si inſtas, quod iſte exceſſus eſt etiã ſupra intellectum eleuatum lumine gloriæ, Reſpondeo per lumen gloriæ quod eſt ordinis diuini eleuari intellectum ad participationem illius eſſe, atque adeo proportionari in ratione actuabilis, & actuatiui intentionaliter, cum obiecto ad cuius viſionem eſt ordinatum, quod inde patet, quia intellectus ſic eleuatus agit virtute luminis, & non propria, niſi vt eleuata per illud, quo modo affecto debetur concurſus ſupernaturalis ad viſionem nulli puræ creaturæ debitus.

AN SIT POSSIBILIS

Creatura intellectualis ex ſua natura impeccabilis.

CAP. IX.

I. Senſus quæſtionis.
II. Prima Sententia affirmat.
III. Secunda Sent. negat, & eſt communis.
IV. Probatur auctoritate S. Bonau. Patrum reliquorum, & ratione.
V. Confirmatur, & explicatur magis ex doctrina SS. Bonau. & Thomæ.

XLVI. SI ſola viſio beata redderet impeccabilem creaturam rationalem quæſtio hæc ex ſuperiori eſſet definita, quia ſicut impoſſibils eſt creatura ex ſua natura beata; ita & impoſſibilis eſſet quæ peccare non poſſet; ſed quia aliũde intelligi poteſt prouenire impeccabilitas, & eſſe diuerſi generis, ideò.

Quæſtio ſit in vniuerſum de creatura non defectibili in moralibus ex principijs intrinſecis, quæcumque illa ſint; & de quolibet peccato cuiuſcumque generis illud ſit, & non excluditur Dei concurſus neceſſarius ad eſſe, & operari creaturæ; ſed diſquiritur, an poſſibilis ſit creatura talis perfectionis ab ipſo condita, vt ei debeatur ad bonum, & honeſtum, in quod determinatè propendat, & non ad turpe, in quod ferri, & adhærere nequeat; & ſermo eſt de creatura, ſecundùm conditionem naturæ, non ſecundùm dona gratiæ, puta viſionis beatæ, vnionis hypoſtaticæ &c. (Explicatus ſenſus quæſtionis.)

Prima Sententia affirmat, Angelum in naturalibus, ſeu circa finem, & bona, ac dictamina rationalia peccare non poſſe. Capr. in 2. diſt. 2. ar. 3. ad argumenta Durandi, Caetani 1. p. q. 63. a. 1. §. circa conſequentiam Ferr. 3 cont. gent c. 109. Dur. & aliorum apud Suar. l. 3. de Ang. c. 7. Ripaltam diſp. 23. ſect. 12. (Capr. Caiet. Ferrar.)

Secunda Sententia docet abſolutè etiam in naturalibus Angelum peccare poſſe ex ſua natura, & nullam creaturam fieri poſſe impeccabilem, niſi ex gratia, quæ eſt communis omnium ferme Theologorum, cum Mag. in 2. diſt. 7. a. 2. S. Bonau. in 2. d. 24. a. 1. q. 2. S. Thoma in 3. d. 23. q. 1. a. 1. & lib. 3. cont. gent. c. 109. de Verit. q. 24. a. 7. 1. p. q. 63. a. 1. Scot. in 2. d. 23. q. vnic. §. Dico igitur. Suar. loc. cit. de Ang. & lib. 7. c. 3. Vazq. 1. p. diſp. 231. c. 3. & alij ferme omnes relati à recentioribus. (S. Bonau. S. Thom. Scot. Suar. Vazq.)

Prima Aſſertio.

XLVII. TEnendum eſt impoſſibilem eſſe vllam puram creaturam ex ſua natura omnino impeccabilem, & ſolũ ex gratiæ munere talem eſſe poſſe. Probatur ex S. Bonau. in 2. diſt. 24. a. 1. q. 1. *Dicendum, inquit: quod impoſſibile fuit hominem, vel aliquam creaturam rationalem per naturam habere liberum arbitrium inflexibile ad malum: hoc enim repugnat naturæ ipſius creaturæ rationalis, & à parte principij initialis, & à parte termini finalis &c.* Et declarans primum caput ex parte principij initialis. *Tale inquit, arbitrium careret vanitate per naturam ſuam, ergo iam non eſſet creatura, nec productum ex nihilo; Cum omnis creatura vanitati ſubiecta ſit: Et ita hoc eſſet contra naturã principij initialis, quantum ad hoc quod dicimus creaturam rationalem ex nihilo eſſe productam &c.* Ex parte autem principij finalis idem oſtendit, quia liberum arbitrium factum eſt ad laudis, & gloriæ præmium aſſequendum, quem finem non aſſequeretur ſi arctaretur ad bonum, ſicut lapis ad motum deorſum; quod ſi non arctaretur, ſed ita ſe determinaret ad bonum, vt non poſſet

Digitized by Google

poſſet deficere in malo iam careret prædicta vanitate. Atque ita ex eo quod creatura rationalis etiam ipſa ex nihilo eſt, probatur quod neque naturaliter beata eſſe poſſit. vt patet ex dictis; & quod natura ſua nequeat eſſe impeccabilis, vt S. Bonau. hîc, qui in prima ratione affert auctoritatem S. Damaſ. & Auguſtini aſſerentium iſta duo eſſe conuertibilia eſſe creatum, & eſſe vertibile, & cum in creatum ſpirituali non ſit vertibilitas ſecūdum ſubſtantiam, oportet vt ſit ſecundum electionem. Idem habet in 1. diſt. 8. p. 1. a. 2. q. 2. vt infra referam.

Idem probant alij patres varijs teſtimonijs Scripturæ Sacræ Iob. 4. & in Angelis ſuis reperit prauitatem: ex quo loco docet Hier. l. 2. contra Iouin. paulo poſt à principio, omnem creaturam eſſe peccabilem, & ad Galat. 6. ait omnem creaturam, licet non peccet, tamen poſſe peccare. Et pſal. 142. Nō iuſtificab.tur in cōſpectu tuo omnis viuens; ait Hier. epiſt. 146. ad Dam. de filio prodigo, *non Euangeliſta, non Apoſtolus, non Propheta; ad maiora conſcendo, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Poteſtates, cæteræque Virtutes: ſolus Deus eſt, in quem peccatum non cadit, cætera cùm ſint liberi arbitrij, in vtramque partem ſuam poſſunt flectere voluntatem.*

Solus Deus eſt in quem peccatū cadere non poteſt.

Prima Timot. 6. Qui ſolus habet immortalitatem, de immortalitate etiam oppoſita corruptioni peccati explicāt Patres; Aug. in primis l. 3. cont. Maxim. c. 12. *Cuicumque inquit, creaturæ rationali præſtatur, vt peccare non poſſit, non eſt hoc naturæ propriæ, ſed Dei gratia,* & c. 23. Eodem modo exponit illud Chriſti Matt. 19. Nemo bonus, niſi ſolus Deus, & 12. Ciu. c. 9. explicans rationem vniuerſalem habet, quia creatura eſt ex nihilo, ideo defectibilis.

Quod creatura peccare non poſſit, prouenit ſolum ex Dei gratia.

S. Gregor. l. 5. Moral. c. 28. *Natura Angelica etiamſi contemplatione Auctoris ſui inhærendo in ſtatu ſuo immutabiliter permanet, eo tamen ipſo, quo creatura eſt, in ſemetipſa viciſſitudinem mutabilitatis habet; & lib. 25. c. 5. ex eo quod creatura eſt, deorſum ire habet.*

S. Ambroſ.

Ad idem ſunt alij Patres, Ambroſ. l. 3. de fide c. 2. & l. 5. c. 6. Omnis creatura accidentia boni, & mali recipit, iuxta ſuæ capacitatem naturæ, ergo corruptionis, & mortis, etiamſi nōn moriatur, aut peccet, capax eſt omnis creatura. Anſel. l. 2. cur Deus homo c. 10. Niſſ. l. 7. Philoſophiæ, quæ eſt de lib. arb. c. 3. Fulgent. l. de fid. ad Pet. c. 3. & 23. aſſerens ideo creaturas à Deo factas deficere poſſe peccando, quia ex nihilo conditæ ſunt; & alij dicētes, nō poſſe Deū facere creaturā impeccabilem, quia illa eſſet Deus. Naz. orat. in plagam Grandinis, omni vitio carere proprium Dei aſſerit, & orat. in Pent. Hoc tributum Angelis à Spiritu Sancto, vt non peccent &c. quòd ſua natura habere non poſſint. Vt meritò dixerit Scot. loc. cit. Teneo igitur propter auctoritates magis, quòd Deus non poteſt facere voluntatem impeccabilem per naturam, ſed per donum ſupernaturale.

S. Anſelm. 1. Niſſen. S. Fulgent. S. Nazianz.

Neque valet reſponſio, vel quòd Patres, & Scriptura loquantur de potentia ordinaria, & de creaturis, quæ de facto ſunt: vel quòd de immutabilitate; & impeccabilitate, cum omnimoda independentia, quæ ſolius eſt Dei: nam rationes ab ipſis adductæ illam non admittunt, quales ſunt inter cæteras, quòd creatura ex nihilo facta in nihilum tendit ex ſeipſa, & ideò peccabilis, quòd quia libera eſt, deflectere in vitium poteſt: hæ namque, & ſimiles locum habent in omni creata voluntate poſſibili, & ideo nulla impeccabilis.

Creatura ex eo, quod libera eſt, in peccatum labi poteſt.

Secundo probatur aſſertio Rationibus.

P. Vazq. inde probat, quia nulla eſt poſſibilis creatura, quæ non poſſit efficaciùs apprehendere obiectum turpe, quàm honeſtum, ergo & poteſt præferre turpe honeſto: voluntas enim ſequitur maiorem apprehenſionem intellectus. XLVIII. P. Vaz.

Deinde ad vitandum peccatum neceſſaria eſt congrua cogitatio: at hāc non tenetur magis Deus immittere, quàm non congruam vlli creaturæ. Non placet prima, quia voluntas ſequi poteſt ex duobus obiectis minùs efficaciter apprehenſum pro ſua libertate; Deinde poſſet circa vtrumque ſuſpendere actum. Tertio, Cur impoſ-

poſſibilis ſit creatura ſemper magis attenta, & propenſa ad præferendum honeſtum?

Neque ſecunda, ſiue quia talis congrua cogitatio poteſt eſſe beneficium ad ordinem naturæ pertinens, & non ad gratiam, vt Suar. l. 3. de Ang. c. 7. n. 16. poſt dicta lib. 1. de gratia: Siuè quia non apparet implicantia creaturę cui debeatur ſolùm concurſus ad honeſtum, & proinde ad cogitationem illi præuiam.

S. Thom. Alij aliter probant, ſed vix ſatisfaciunt intellectui quærenti implicantiam. S. Thom. in 2. Sent. diſt. 23. q. 1. a. 1. Dicendum, inquit, quòd nulli Creaturæ communicatum eſt, nec communicabile fuit, quòd peccare nō poſſet per conditionem naturæ ſuæ. *Cuius ratio eſt, quia cùm omne creatum dependeat ſicut à cauſa ſui eſſe à Deo, oportet, quòd ſi ſibi relinquatur, deficiat: quandiu autem cauſæ influentiam recipit, conſeruetur: ſed applicatio cauſati ad cauſam ſuam poteſt eſſe dupliciter, vel ita quòd ſit in poteſtate cauſati à cauſa ſua recedere, quantum ad aliquid; vel non recedere; vel ita quòd non ſit in poteſtate eius; & primum pertinet ad liberũ arbitrium, quia hoc eſt eſſentiale libero arbitrio, vt poſſit facere, vel non facere; ſi autem cauſæ ſuæ non inhæret, oportet, vt deficiat; vnde dicit Aug. 8 ſuper Gen. Homo, Deo ſibi præſente illuminatus, abſente autem continuò tenebrabitur; & ideo impoſſibile fuit, vt ſeruata libertate arbitrij, alicui creaturæ conferretur, vt ſecundùm conditionem ſuæ naturæ peccare non poſſit; eſt enim quaſi quædam contradictionis implicatio, quia ſi eſt liberum arbitrium, oportet, quod cauſæ ſuæ poſſit inhærere, & ſi non poteſt peccare, non poteſt cauſæ ſuæ non inhærere, & ſic ſequitur contradictio &c.* Ratio ergo petitur à libertate arbitrij creati, de cuius eſſentia eſt poſſe eligere quod vult.

Dices, poſſe peccare non eſt perfectio arbitrij, ſed potius imperfectio, vt ſæpe diximus ex eodem S. Thoma, & Aug. ergo ex hoc capite non repugnat.

Reſpondeo, hanc imperfectionem neceſſariò annexam eſſe perfectioni naturali arbitrij creati, vt S. Thom. q. 24 de Ver. a. 7. 4. quartum, niſi per gratiam tollatur, vt in Chriſto Domino, & B. Virgine. Idque ex eo quod non eſt regula ſuæ operationis, quæ eſt altera ratio allata ab eodem S. Thoma 1. p. q. 63. a. 1. c. vbi ſic ait. *Dicendum, quòd tam Angelus, quàm quæcũque creatura rationalis, ſi in ſua natura conſideretur, poteſt peccare, & cuicumque creaturæ hoc conuenit, vt peccare non poſſit, hoc habet ex dono gratiæ, non ex conditione naturæ. Cuius ratio eſt, quia peccare nihil eſt aliud, quàm declinare à rectitudine actus, quam debet habere, ſiue accipiatur peccatum, in naturalibus, ſiue in artificialibus, ſiue in moralibus.* Cuicunque creaturæ cō petit, vt peccare nequeat, hoc habet tantum ex dono gratiæ.

Solum autem illum actum declinare à rectitudine non contingit, cuius regula eſt ipſa virtus agentis. Si manus artificis eſſet regula inciſionis, nunquam poſſet artifex, niſi rectè lignum incidere: Sed ſi rectitudo inciſionis ſit ab alia regula, contingit inciſionem eſſe rectam, & non rectam. Diuina autem voluntas ſola eſt regula ſui actus, quia non ad ſuperiorem finem ordinatur. Omnis autem voluntas cuiuslibet creaturæ rectitudinem in ſuo actu non habet, niſi ſecundùm quod regulatur à voluntate diuina, ad quam pertinet vltimus finis, ſicut quælibet voluntas inferioris debet regulari ſecundum voluntatem Superioris, vt voluntas militis ſecundum voluntatem Ducis exercitus. Sic igitur in ſola voluntate diuina peccatum eſſe non poteſt &c. Et hęc quidem ratio ob varias inſtantias, variè explicatur: ſed vix vnquam aſſignatur implicantia, cur non poſſit dari creatura, quæ per cognitionem videat Deum, vt finem vltimum, & per voluntatem ſit determinata ad illum quęrendum in omnibus, & amandum, ita vt ab ipſo declinare non poſſit, quia naturaliter tendat in illum: atque adeo licet non ſit ipſa ſibi regula operationis rectæ, ſit tamen coniuncta per cognitionem, & amorem primæ regulæ, à qua deflectere nequeat operando. Sola diuina voluntas eſt regula ſui actus.

Nihilominus ex ijs, quæ S. Doctor habet loc. cit. & q. 24. de Ver. a. 7. & 3. cont. gent. c. 109. explicari poteſt, & confirmari hæc probatio, quia rectitudo infallibilis operationis omnis tam in naturalibus, quàm in artificioſis, ac moralibus debet habere aliquã certam, ac determinatam regulam, accipiendo pro regula quamlibet cauſã, XLIX.

à qua

Digitized by Google

à qua infallibiliter prouenit talis rectitudo, quomodo in naturalibus virtutes agentium ſunt regula ſuorum actuum, quia per ſe loquendo non poſſunt declinare ab eorum rectitudine, ad quam ſunt à natura determinata, & ideo dicuntur eſſe regula ipſorum, vt aduertit Caet. in q. 63. p p. a. 1. cit. & in artificioſis manus periti cytharædi eſt regula rectitudinis ſoni, & in moralibus honeſtas finis eſt regula rectitudinis actus, igitur omnis rectitudo actus eſt ab aliqua regula: hęc autem in actibus voluntatis non eſt intrinſeca, quia nec ipſa voluntas eſt regula ſibi, cum pendeat ab alia extrinſeca, cui nonformari debet; nec iudicium rationis, quia ad hoc etiam pertinet directio ad talem conformitatẽ, & tali directione poſita, adhuc voluntas eſt libera in electione boni repræſentati, igitur non habet determinatam regulam rectitudinis actuum ſuorum ex natura ſua: & hoc eſt quod dicebat ſupra S. Thomas, eſſe de eſſentia liberi arbitrij, vt poſſit facere, & non facere, & huius ratio habetur ex eiuſdem doctrina, quia cætera agentia ſunt determinata ad fines, & bona particularia; voluntatis autem obiectum eſt bonum vniuerſale, ſicut intellectus eſt verum: vt etiam S. Bonau. in 2. d. 24. cit. Cum igitur ſub illo cõprehendatur tam honeſtum, quàm vtile, & iucundum, deeſſet voluntati ſuum obiectum, ſi limitaretur ad vnũ genus boni, vel proſecutionis eius, ſublato autem obiecto, non conſiſtit potentia circa illud.

Omnis rectitudo actus eſt ab aliqua regula.

Dices, ſi daretur intellectus potens intelligere tãtum vnùm verum, adhuc eſſet intellectus, & potentia viſiua potens tendere tantùm in vnum viſibile, adhuc eſſet verè potentia viſiua, ſicut & materia determinata ad vnam formam, eſſet verè materiam, ergo & voluntas determinata ad vnum bonum adhuc retineret eſſentiam voluntatis.

Reſpondeo, nego ſequelam, quicquid ſit de antecedente: diſparitas eſt, quia de eſſentia voluntatis, ſeu liberi arbitrij eſt poſſe facere, & non facere, vt SS. Bonau. & Th. & proinde poſſe deficere à fine debito: & ideo ſublata, hac indifferentia radicali, non manet liberum arbitrium, ſed natura determinata: de ratione enim libertatis eius eſt, vt etiam poſitis requiſitis ad agendum, & proinde apprehenſione boni quantumuis honeſti, poſſit non amplecti, qualibet vrgente obligatione, ac à recto deficere; potentiæ autem intellectiuæ, & viſiuæ conceptus ſaluaretur per hoc quod poſſent exire in actus circa determinatum obiectum ex hypotheſi poſſibilitatis huiuſmodi, ſicut & materiæ, ſi determinaretur ad vnam formam, quia maneret ratio actuabilis, & actuatiui: At poſita determinatione voluntatis ad vnam partem contradictionis, non remaneret perfecta ratio libertatis creatæ, quæ non eſt regula rectitudinis ſui actus, neque neceſſariò vnita regulæ ſuperiori, qualis eſt increata, quæ à ſe deficere non poteſt, cum ſit finis ipſa ſibi, & omnium aliorum: In quo eſt fęlix neceſſitas coniuncta cum libertate, reſpectu operationum ad extra, & creaturarum omnium, quibus liberè dat, & conſeruat eſſe. Quòd ſi harum alicui concedit, vt à prima regula declinare nequeat, hoc eſt donum gratiæ, non naturæ, quæ libera non eſſet cum determinatione ad vnum, & declinare non poſſet ad oppoſitum.

Sed quia adhuc non quieſcit intellectus vlteriùs requirens aſſignari implicãtiam, cur cum determinatione ad honeſtum non ſtet eſſentia liberi arbitrij: ſiquidem cum illa remanet indifferentia ad multos actus ex diuerſis motiuis, ſecundùm diuerſas circumſtantias intrinſecas, ac extrinſecas, ideo recurrendum eſt ad vltimam radicem huius aſſertionis, quam ex SS. Patribus affert S. Thom. loc. cit. & S. Bonau. in 1. diſt. 8. 1. p. a. 2. q. 2. ad quintum.

Dicendum eſt, inquit, quòd qualibet creatura vertibilis eſt per naturam, ſi ſibi relinquatur. Si quæritur cauſa huius, dicendum, quòd huius verſionis cùm ſit defectus purus, non eſt reddenda cauſa efficiens, vel reducens in non eſſe, ſed ſolùm deficiens. Propter quod notandum, quòd natura dicitur naturalis origo: origo autem creaturæ, & eſt ex nihilo, & eſt ex ſuis principijs. Secundùm hoc dupliciter dicitur aliquid ipſi creaturæ naturale, vel quia ineſt ei ex eo quod eſt ex nihilo, vel quia ineſt ei ex eo quod eſt ex ſuis

Omnis creatura vertibilis eſt ſua, te natura, ſi ſibi relinquatur.

Digitized by Google

ſuis principijs, & quia nihil nullius eſt cauſa efficiens, ſed deficiens, ideò proprietates, quæ inſunt creaturæ, ratione eius, quod eſt ex nihilo, non ſunt poſitiones, ſed defectus: nec ſunt à virtute, ſed à defectu virtutis, nec habent cauſam efficientem, ſed deficientem, & tales ſunt vanitas, inſtabilitas, vertibilitas &c. Igitur ex eo quod creatura eſt ex nihilo, eſt vanitati ſubiecta; ac proinde peccabilitati, quæ eſt ſequela SS. Patrum, præſertim Damaſceni l. 2. fid. c. 27. relatus à S. Thom. de Verit. cit. & S. Bon. ſupra, *S. Auguſtini ſupra*; & aliorum loquentium abſolutè de creatura poſſibili, & non ſolùm de facta; quia quælibet eſt ex nihilo, & proinde ex ſe tendit in nihilum.

Confirmatur; quia ſaltem reſpectu finis, & legis ſupernaturalis, omnis voluntas eget auxilio ſpeciali, naturæ non debito; ergo ſine iſto defectibilis eſt, quæ eſt ratio quarta S. Thomæ de Ver. qua vtitur Ban. & alij in 1. p. cit. q. 63 a. 1. dub. 1.

Aliæ confirmationes explicantes magis doctrinam SS. Bonauenturæ, & Thomæ.

I. PRima eſt, quia poſita qualibet cõſideratione, præter viſionem beatam, voluntas remanet libera quoad exercitium ad eligendum, omittendũ &c. Ergo etiamſi nullus eſſet error in intellectu, adhuc voluntas poſſet omittere, & eligere. Antecedens patet, quia vbi intellectus non proponit voluntati obiectum ſub omni ratione boni, relinquitur libera; radix enim libertatis eſt intellectus, vt D.Thom. 1. p. q. 83. a. 3. ſeu cognitio, quæ niſi ſit obiecti habentis omnem rationem boni, proponit voluntati cum indifferentia, & hæc liberè amplectitur, vel refugit. Suadet idem probabiliter ratio.

Intellectus ſeu cognitio eſt radix libertatis.

Secunda. Gradus perfectionis, qui non eſt communicatus aliquibus ſpeciebus, non eſt communicabilis creaturis, ergo cum incapacitas peccati nõ ſit communicata, neque etiam eſt cõmunicabilis, quia talis creatura differret non ſolum ſpecie, ſed etiam gradu ab omnibus creatis, quod eſt contra perfectionem vniuerſi requirentis omnes gradus, & ordines, vt D. Thom. in 2. d. 23. q. 1. a. 1. & 1. p. q 50. a. 1. & Caetano ibidem.

Tertia. Etiam per intrinſeca dona gratiæ non poteſt fieri creatura impeccabilis, præciſa vnione, & viſione, ergo neque per dona naturæ. Antecedens probatur, quia cum illis ſtat inconſideratio aliqua eorum quæ pertinent ad honeſtatem naturalem, & nõ tantùm ſupernaturalem, vt patet de facto in Angelis peccantibus, ergo & peccabilitas, quæ ſequitur defectum conſiderationis. Sequela patet à maiori ad minus. Ratio huius videtur eſſe, quia creatura quælibet ex eo quod facta eſt ex nihilo, non eſt purus actus, atque adeo nec omnia ſemper actu cõſiderat, neque neceſſariò actu diligit diuinum bonum, à cuius rectitudine omnis alia rectitudo pendet. Vel etiã ex hoc quod omnis voluntas creata eſt bona per operationes accidentales, & non per eſſentiam, & ideo mutabilis eſt.

Quarta. Præciſa viſione, nulla creatura plenè ſatiatur vllo bono creato, ergo ferri poteſt deſiderio in varia bona particularia, vel realia, vel apprehenſa, igitur non hæret immobiliter ſummo bono; declinare autem ab illo peccatum eſt.

Nulla creatura plenè ſatiatur vllo bono creato abſque viſione.

Quinta. Si fieri poteſt huiuſmodi creatura, vnde conſtat non eſſe factã? Siquidem hoc pertinet ad perfectionem vniuerſi, & commendationem diuinæ potentiæ.

Sexta. Non eſſet capax meriti, neque dimeriti, quia hæc non ſtant ſine libertate ad bonum, & malum, proinde nec illi dari poſſet gloria, vt corona: neque gehenna, vt pęna, quod videtur abſurdum, vt arguit S. Bonau. in 2. Sent. diſt. 24. cit.

Septima. Si poſſibilis eſt voluntas determinata ad bonum, & honeſtum, ergo & ad malum, & illicitum, quia non eſt maior ratio vnius, quàm alterius, Falſitas conſequentis patet ex abſurdo, quòd creatura rationalis non poſſit velle niſi illicitum, quod eſt cõtra naturam eius, quia voluntas omnis eſt dirigibilis ab intellectu, alioqui non eſſet naturalis: hæc autem dirigibilitas fert ſecum neceſſariò capacitatem affectus honeſtatis propoſitæ, vt con-

Digitized by Google

conuenientis; & quia ſi eſt voluntas, fertur liberè in amorem ſui obiecti: atque ita poteſt omittere obiectum turpe, quod eſt non eſſe ad illud determinatam; tum quia Deus eſſet cauſa determinans ad malum, quod implicat.

Deus non poteſt eſſe cauſa determinans ad malum.

Neque tamen prædictæ auctoritates faciunt concluſionem fide Theologica certam, aut ratione euidentem, ita vt contraria mereatur notam vel erroris, vel temeritatis à recentioribus nonnullis inuſtam, pro quo ſubijcio caput, & aſſertionem ſequentem.

DEFENDITVR OPINIO

contraria à cenſura ſeueriori recentiorum.

CAP. X.

I. *Ex varijs explicationibus patrum, & rationibus defenditur à cenſura ſententia adſtruens poſſibilitatem creaturæ impeccabilis.*

II. *Confirmatur explicatione modorũ impeccabilitatis.*

III. *Quæ argumenta, & confirmationes ſuadent abſtinendum à cenſura prædicta, non tamen recedendum à communi.*

IV. *Non quia manifeſta appareat contradictio in contraria; ſed quia obſtat auctoritas patrum.*

V. *Et in primis S. Bonauenturæ, vt explicantur à maiori parte Theologorum.*

LI. SENTENTIAM affirmantem non repugnare per diuinam potentiam produci creaturám impeccabilem, nihil cõtinere apertè contrarium ſacræ ſcripturę, aut doctrinæ Patrum, probant eius patroni aſſerendo, quòd Patres ſolùm contendunt creaturam quicquid habet, à Deo habere: proinde ex ſe deficere, non autem, quòd à Deo nõ poſſit habere eſſe, cui ſit debitus cõcurſus ad non deficiendum, ſicut debetur ſoli, exempli gratia, ad illuminandum, & ſubſtantiæ ſpirituali carenti contrario, ad permanendum in eſſe &c.

Confirmant quia plerique ipſorum ita loquuntur de mortalitate, vt de peccabilitate, tribuentes vtramque omni Creaturæ intellectuali, vt patet ex aperta auctoritate Ambroſij 3. de fid. cap. 2. ſupra cit. S. Bonauent. & alijs. Sicut ergo de facto dicitur mortalis comparatiuè ad Deum, qui ſolus per ſe immortalis eſt, & cuius conſeruatione libera perſeuerat in eſſe Angelus, & anima rationalis, de quibus tamen verum eſt dicere, quòd ſint immortales, quia natura ipſorum exigit concurſum conſeruatiuum in æternũ: ita creatura quęlibet dicitur peccabilis, quia de ſe; id eſt relicta ſuæ naturæ, talis eſt; cum quo tamen ſtat, vt poſito concurſu ſibi debito, ſit impeccabilis naturaliter, ſiue per dona naturæ, ſicut eſt de facto beatus per dona gratiæ. In eodem ſenſu à S. Damaſ. 2. fid. c. 3. dicitur Angelus non natura; ſed per gratiam immortalis, quia videlicet gratiæ Creatoris eſt cõſeruatio ipſius, ideſt beneficentiæ non debitæ merito, ſed natura ipſius illam exigenti, ſicut exigunt aſtra, & cæteræ ſubſtantiæ incorruptiles.

Clariùs, ac fuſiùs S. Aug l. 3. cont. Maximin. c. 12. quo vtuntur aduerſæ partis Auctores. *Immortalitatem, inquit, Deus habere dicitur ſolus, quia eſt immutabilis ſolus: In omni enim mutabili natura nonnulla mors eſt ipſa mutatio, quia facit in ea aliquid non eſſe, quod erat. Proinde & ipſa anima humana, quæ propterea dicitur immortalis, quia qualitercumque ſecundùm modum ſuum nunquam deſinit viuere: habet tamen pro ipſo modo ſuo quandam mortem ſuam &c.* Ac per hoc (ſubdit) ſolus Deus habet immortalitatem, qui non cuiuſquam gratia, ſed natura ſua nec potuit, nec poteſt aliqua conuerſione mutari, nec potuit aliqua mutatione peccare. Sed cum hoc ſtat, quòd Angelus, & anima ſunt immortales ſua natura in ſenſu allato, ergo mens Auguſtini eſt Deum dici ſolum immortalem, quia ex ſe, & non dependenter ab vllius gratia, ſeu beneficio talis eſt; cætera dependenter ab ipſo immortalia ſunt, & tamen dicuntur ex natura ſua hoc habere, quia poſtulãt ab eo conſeruari, & idem eſt de impeccabilitate, quæ etiã eſſet dependenter à Deo, & non neceſſaria abſolutè: quod

S. Aug.

Digitized by Google

quod etiam fatetur. Vazq acerrimus patronus contrariæ; nam diſp. 23. n. 20. fatetur, quòd licet aliqua creatura ex ſolo dono creationis Deum videret: nihilominus peccare poſſet, ſubtrahente Deo cõcurſum ad viſionem, non item relicta ſuæ virtuti cum debito ſibi concurſu.

Poteſt præterea Deus dici ſolus immortalis, quia ſolus omnis penitus mutationis expers, quod nulli creaturæ conuenit. In eodem ergo ſenſu dicitur ſolus impeccabilis, quia ex ſe hoc habet, & non ab alio: omnis autem creatura, cui præſtatur, vt peccare nequeat, beneficio ipſius præſtatur, quia in ſe pręcisè conſiderata, eius concurſu deſtituta peccaret; & hoc tantum ſignificant verba in argumento allata. Eſt autem aduertendum in diſcurſu SS. Auguſtini, & Damaſceni gratiam accipi latiùs, quàm cõmuniter accipiatur à Theologis pro dono ſupernaturali infuſo animæ, & Angelo: dicitur enim Deus habere immortalitatẽ non cuiuſquam gratia, ad differentiã reliquorum, quæ immortalia ſunt ipſius gratia: neque tamen Angelus, aut anima immortalis eſt per gratiam illam infuſam, ſed per beneficium conſeruationis ſuæ naturę debitæ: Vt hinc ſatisfiat pluribus alijs auctoritatibus Patrum non aliud ſpectantium, quàm vt oſtendãt, omne donum à Deo eſſe, qui in ſeipſo, & per ſeipſum bonus; ac diues eſt; & nihil eſſe per ſemetipſum ſtabile, nihil immutabile, nihil bonum, niſi ſolam Deitatem; omnes verò creaturas, vt beatitudinem æternitatis, vel immutabilitatis obtineant, non hoc per ſuam naturam, ſed per creatoris ſui participationem, & gratiam conſequi, vt loquitur idem Aug. ſer. 43. de temp. vel alius eius nomine in appendice ſerm. 31. vbi gratia latiùs accipitur pro quolibet diuino beneficio, etiam naturæ, quod eſt participatio quædam bonitatis eius, qui per naturam, & eſſentiam bonus eſt, ac fons bonitatis, & perfectionis, in quo ſenſu accipit nomen gratiæ S. Bonau. in 2. d. 4. a. 1. q. 3. ad primum.

Gratia latius accipitur, pro quo libet beneficio etiã naturæ.

S. Fulg.

S. Fulg. de fid. ad Pet. c. 3. in hoc diſtinguit Deum à creaturis, quòd nõ ſolùm eſt ſummè bonus, *ſed etiam ſummum, atque incommutabile bonum, nullum habens defectum quia non eſt ex nihilo factum: nullum habens profectum, quia nullum habens initium: Ideo quippè naturæ à Deo factæ proficere poſſunt, quia eſſe cœperunt: ideo deficere, quia ex nihilo factæ ſunt: Ad defectum eas cõditio ducit originis, ad profectum verò prouehit operatio creatoris &c* Loquitur autem de defectu in vniuerſum, tam quoad eſſe, niſi conſeruetur à Creatore; quàm quoad operari, niſi adiuuetur ab eodem, à quo etiam in operatione pendet. *Patet ex verbis ſequentibus. In eo igitur Trinitatis, quæ Deus verus eſt, æternitas ſine initio naturalis agnoſcitur, quia quædam ita fecit, vt cum eſſe cæperint; tamen non eſſe aliquando non poſſint &c.* quia videlicet *ex ſua natura ſunt incorruptibilia, & nihilominus defectum habent, quia ſunt ex nihilo, & non ſunt incommutabile bonum, vt Deus*. Eodem ergo modo creatura illa eſſet impeccabilis, quia ex ſua natura determinata eſſet ad honeſtum, & non poſſet aliquando non determinari de lege ordinaria, & tamen defectũ haberet, quia cum ſit ex nihilo, pendet à creatore in hac determinatione, qui ſi ſubtraheret concurſum alioqui debitum intellectui repræſentanti potenter honeſtum, vt amplectendum voluntati, & vires voluntati ipſi non ſuppeditaret, quas indidit in creatione, labaret, & laberetur in malum. At hinc non infertur validius, non fore impeccabilem, quam non eſſe Angelum de facto incorruptibilem, quia ſubtrahente Deo concurſum rediret in nihil, vnde fuit per creationem eductus Quo ſenſu S. Iuſtin. quæſt. vlt. ad Gent. in fine ait; *Etſi incorruptibile cœlum dicimus, non eodem modo dicimus id incorruptibile, quo Deum: Deus enim increatè ex ſua ipſius ſubſtantia, & æterna incorruptibilitatem habet; at mũdus creatè ex Dei voluntate incorruptibilitatem habet*. S. Iuſt.

In eundem ſenſum refert S. Aug. l. 22. Ciu. c. 26. Platonem in Timæo inducentem in colloquium Deum non factum cum Dijs factis, *Quoniam, inquit, eſtis orti, immortales eſſe, & indiſſolubiles non poteſtis: non tamen diſſoluemini, neque vos vlla mortis fata periment, nec erunt valentiora, quàm conſilium meum, quod maius eſt vinculum* S. Aug.

lùm ad perpetuitatem veſtram, quàm illa, quibus colligati eſtis. Sic etiam S. Damaſc. l. 2. fid. c. 3. & 27. Angelum ait conſecutum eſſe immortalitatem κατὰ χάριν. Secundùm gratiam. Et Synod. 6. act. 10. negat animas noſtras, & Angelos eſſe natura immortales, quia ſolo Dei nutu poſſunt interire.

S. Damaſc.

Angeli, animæque noſtræ ſolo Dei nutu interire poſſunt.

S. Hieron.

De potentia quoque extraordinaria intelligendus S. Hieron. cum ait, excepta Trinitate, omnem creaturam, licet non peccet, tamen peccare poſſe; quia certum eſt de lege ordinaria, beatos de facto peccare non poſſe. Chriſtus etiam ſecũdùm naturam humanam creatura fuit, & tamen peccare non potuit. Stat igitur libertas arbitrij ſine peccato, quia tam beati, quàm Chriſtus eo ſunt præditi, & non ſunt capaces peccati: quod quidem munus eſt gratiæ: *Sed ſi cum ipſo ſtat libertas, & impeccabilitas, infirma* eſt conſequentia, creatura illa libera eſſet, ergo peccabilis de lege ordinaria: ſufficit enim, quòd de lege extraordinaria non præciſè, quia liberi eſſet arbitrij, ſed quia cum ſit ex nihilo, pendet in eſſe, & operari à Deo, quo ſubtrahente concurſum ſi vellet, vt poteſt abſolutè, deflecteret in malum, aut etiam in nihilum, quantæcumque eſſet excellentiæ, & ordinis. Neque aliud oſtendi poteſt ex S. Hieron. non enim quærit in vniuerſum, an Deus potuerit facere Creaturam impeccabilem, ſed ſolùm vtrum fecerit Angelos, & primum hominem, qui peccare non poſſent, & tamen de iuſtitia ſua laudandi eſſent, ſicut fecit Chriſtum: & reſpondet, ideò non feciſſe, quia non decuit illos creari Deos, aſſumendo ſcilicet illorum naturas ad ſubſiſtentiam diuinam, quomodo ſolùm fuiſſent impeccabiles impeccabilitate conuenienti ſuppoſito diuino, quod ſeipſo iuſtũ, & laudandum eſt, & non ab alio iuxta Anſelmum.

Si dicas. Ex impeccabilitate infert Anſ. Deitatem, quaſi conuertantur impeccabilitas, ac Deitas.

Reſpondent ex tali impeccabilitate, ſeu iuſtitia conueniẽte, per propriam, ac æternam immutabilitatem inferri. Deitatem, non autem per eam, quæ communicatur, & non habet neceſſitatem, & immutabilitatem propriam, ſed pendentem ab aliena voluntate, qualis eſſet in creatura poſſibili, de qua eſt Aſſertio. Patet hoc ex eius diſcurſu, cum enim probaſſet c. 9. neceſſe fuiſſe verbum, & hominem in vnam conuenire perſonam, c. 10. docet hominem iſtum non ex debito mori, quia cùm ſit Deus, non eſt capax peccati; & quia eorum, quæ neceſſaria ſunt, non eſt laus, nec vituperatio, quærit, quomodo homo iſte, qui neceſſariò non peccat, ſit laudandus, & concludit eſſe laudandum, quia cum ſit Deus, non neceſſitate, ſed æterna, & propria immutabilitate, habet bona, quæ ſeruat. Non poteſt autem hoc vlli puræ creaturę conuenire, quia Dei proprium eſt, eſſe iuſtum ſeipſo, & immutabilem; ſiue deinde: poſſibilis ſit creatura natura ſua impeccabilis, & iuſta dependenter à creatore, ſiue nõ ſit poſſibilis, quod non erat propoſitę quæſtionis limitatæ ad talem hominẽ, qui ſimul eſſet Deus, & ſeipſo iuſtus, ac laudandus; igitur nulla affertur auctoritas Patrum, quæ impugnet hanc ſententiam; ideò pro illa eſt auctoritas Scholaſticorum aliquot, præſertim Nominalium.

Proprium Dei eſt, iuſtũ eſſe ſeipſo, & immutabilẽ

Nominales.

Ita Ocham in 1 d. 44. q. 1. ad 1. putans icircò produci poſſe hominem, LII.
& Angelum ſpecie diuerſos ab ijs, qui creati ſunt. Gabr. in 2. d. 23. a. 1. & 2. Maior in primo d. 44. c. 2. aſſerens talem creaturam non fore liberam. Bacchon. in 2. d. d. 38. q vn. a. 1. & ex recentioribus tenentes poſſibilem creaturam non beatam, & ſupernaturalem, quos refert, & ſequitur P. Rip. diſp. 23. per aliquot ſectiones, & Pater Arriaga tom. 1 de Deo diſp. 5. ſect. 4. ſub ſect. 2. quin & Mag. Sent. apertè docet, fieri poſſe creaturam impeccabilem in 2. diſt. 23. c. 2. citans Aug. ſuper Gen. ad litt. L. 11. c. 7. *Talem potuit Deus hominem feciſſe, qui nec peccare poſſet, nec vellet: & ſi talem feciſſet, quis dubitat, eum meliorem fuiſſe?* Et quamquam Aug non habet citata verba, ſed tantùm aſſerit, meliorem eſſe naturam, quæ omnino peccare nolit, quàm eam, quæ poteſt, & vult peccare, vt notat Vazq. 1. p. d. 131. c. 5. tamen Magiſter huius eſt ſententiæ: probat enim Deum meliora facere potuiſ-

Ripal.

Arriag.

ſe,

Digitized by Google

ſe, quàm fecit exemplo hominis, quem impeccabilem, & meliorem eo, qui peccabilis eſt, creare potuiſſet, quod refert, vt dictum Aug. tamen diſcurſus eius eſt, quem exprimunt verba, nam duas ponit naturas, quarum altera melior ſit, ſcilicet quæ peccare nolit; altera tamen non mala, quæ poſſet non peccare, ſi vellet; *Concedimus, inquit, meliorem eſse naturam, quæ omnino peccare nolit: concedant & ipſi, non eſse malam naturã, quæ ſic facta eſt, vt poſset non peccare; oportet igitur primam peccare nolle, & non poſse, vt ſit melior ea, quæ poteſt peccare, & vult: alioqui ſi prima etiam poteſt: in quo melior eſt eà, quæ peccare vult?* Nam vtraque poteſt, & quoad hoc par eſt vtriuſque conditio, quòd vna nolit, non arguit excellentiam naturæ ſupra alteram, ſed electionem voluntatis, quæ poteſt eſſe inferior illa, vt patet in Angelo ordinis vltimi, qui ſtetit in gratia, præuaricante primo longè excellentiore, in ſententia communiori agnoſcente in Angelis diuerſitatem ſpecificã. Cum igitur Auguſtinus meliorem aſſerat eam, quæ peccare nolit, ea, quæ poteſt non peccare, oportet in eo præferri, quòd etiam non poſſit. Quod manifeſtius eſt ex verbis ſequentibus. *Sicut ergo ratio vera docet, meliorem eſse naturam, quam prorſus nihil delectat illicitum &c.* Cum enim voluntas ſequatur id, quod delectat, ſi nihil illicitum, ſeu inhoneſtum delectat, hoc eſt delectare poteſt, nihil etiam illicitum ſequi poteſt: vt modò contingit in Beatis, qui non ex ſua natura, ſed ex gratia conſecuti ſunt, vt nihil illicitum ſequi poſſint.

Dices, Auguſtinum in hoc facere diſpares Angelos ab hominibus, quòd illi gratuitam confirmationem quaſi à principio creationis acceperunt: iſti non niſi per longum tempus, vt S.Th. in 2. Sent. d. 23. q. 1. a. 1. ad 1.

Fateor, & in hoc differre Angelos ab hominibus, ſed Auguſt. etiam in hoc maximè illos præfert, quia illi ſunt de natura, quæ peccare non poteſt, non item iſti; non igitur de impeccabilitate ſolùm per gratiam, quã & homines habere poſſunt, ſed per naturam, quam habere non poſſunt.

LIII. Ad hoc idem caput pertinet, quòd graues Scholaſtici ſupra citati docent, poſſibilem eſſe creaturam intellectualem natura ſua impeccabilem circa materiam, & finem naturalem, ſiue quia fieri poteſt ita perſpicax, vt nullus in ea ſit defectus, vel erroris, vel inconſiderãtiæ circa naturalia, ſiue quia nõ contingit aliunde peccatum; & tales eſſe angelos de facto affirmat Dur. in 2. d. 23. q. 1. Siuè quia quoad exercitium Deum neceſſariò amant, quem perpetuò cognoſcunt ſui auctorem, & ſummè amabilem. Siue denique quia non minùs conueniens eſt in ordine ſpirituum dari creaturas non peccantes, quàm in ordine corporum ſubſtãtias non errantes, vt ſunt cæli, & aſtra, & quamquam Scotus, & alij, quibus aſſentitur Suar. l. 3. de Ang. c. 7. putant in naturalibus angelos errare poſſe, tamen hoc non officere ſibi exiſtimat contraria opinio, nam angelus, vel factus, vel creabilis poteſt eſſe ita perfectus, vt non ſit peccabilis in ſententia probabili circa naturalia, ergo probabile eſt dari poſſe abſolutè impeccabilem. Patet ſequela, quia ſi non, maximè quia circa ſupernaturalia poteſt errare; ſed hoc non obſtat, nam peccatum non eſt, niſi ſit voluntarium, poteſt autem eſſe voluntas tã recta, vt nihil illam delectet illicitum; & ita determinata ad honeſtum, vt per modum naturæ refugiat ab omni ſpecie inhoneſti, ſicut de facto bruta naturaliter ferũtur in delectabile ſenſui, & abhorrent ab iniucundo, cum hoc diſcrimine, quòd bruta neceſſariò operantur, natura verò intellectualis etiã poſita determinatione voluntatis ad honeſtum, poſſet vti libertate. Neq; ad hoc requiritur cognitio omnium poſſibilium, ſine qua ſtare poteſt error aliquis, & inaduertentia in intellectu, ac proinde defectus in voluntate, vt quidam arguunt, quia poteſt determinari voluntas ad honeſtum abſque cognitione omnium poſſibilium, vt infra patebit.

Scotus, & alij putant in naturalibus Angelos errare poſſe.

Rationibus interpretationem Sanctorum Patrum confirmant.

PRimò. Quia vt D. Thom. q. illa 24. Ver. a. 1. 18. aliquod eſt verũ, quod propter impermixtionem falſi de LIV.

de neceſſitate ab intellectu recipitur, vt prima principia; & aliquod eſt bonum, quod propter malitiæ impermixtionem de neceſſitate a voluntate appetitur, ſcilicet ipſa fælicitas; ergo etiam fieri poteſt intellectus tam excellens, vt claré, & ſine errore vllo cognoſcat bonum honeſtatis, & volũtas tam perfecta, vt neceſſarió naturali inclinatione in illud feratur, vt nunquam deflectere poſſit. Probatur ſequela primo quia ſi de facto voluntas ex neceſſitate fertur in bonum, id eſt in felicitatem, cur de abſoluta Dei potentia creari non poſſit aliqua ſaltem diuerſæ ſpeciei, quæ per modum naturæ feratur in honeſtum? Deinde quia appetitus ſenſitiuus determinatur à cognitione ſenſitiua ad obiectũ delectabile propoſitum vt conueniens ſenſui, ergo poterit dari appetitus rationalis, qui determinetur à iudicio rationis proponentis obiectum honeſtum, vt omnino conueniens, & turpe, vt omnino diſconueniens; ſicut datur de facto iudicium imaginationis proponens ſenſui obiectum, vt omnino conueniens. Patet conſequentia, quia ſi quid obſtaret, maximè quia ratio non proponit ſub omni ratione boni, ac proinde ſemper remanet libertas in voluntate ad proſequendum, vel refugiendum: at hoc non obſtat, quia non apparet, cur non poſſit aliqua voluntas determinari ad honeſtũ, & circa illud, vt ſic non eſſe libera, retinendo tamen libertatem ſimpliciter, ſiue quia vti poteſt libertate contradictionis, omittendo honeſtum, cuius omiſſio non ſit peccatum; ſiue quia ex hoc, vel illo motiuo actus elicere poſſit circa materiale honeſti, ſiue quia hoc vel illo modo, puta intenſiori conatu, vel remiſſiori ferri in illud &c. Determinatio namque ad honeſtum non eſt contra libertatem arbitrij, ſed potius pertinet ad eius perfectionem, vt ſupra diximus. Ex quo arguunt.

Determinatio ad honeſtum, non opponitur libertati arbitrij.

Secundò. Quia duæ potiſſimæ rationes contrariæ ſententiæ ſunt, quòd omnis creatura intellectualis eſt libera circa omne obiectum, quod non proponitur appetitui ſub omni ratione boni. Deinde quòd creatur ex nihilo, & ideo mutabilis eſt moraliter, hoc eſt à bono ad malũ: Sicut eſt phyſicè ſubiecta varijs accidentibus loci, cogitationum, affectionum &c. Sed neutra obſtat; non prima quia non eſt limitanda diuina potentia ad vnum modum determinandi voluntatem circa bonum, vt per viſionem beatam ſolùm determinare poſſit; cur enim idem nequeat creando appetitũ aliquem ita propenſum ad honeſtum, & auerſum ab inhoneſto, vt ab illo refugere non poſſit actu poſitiuo, & in iſtud tendere? ſicut creauit appetitum ſenſitiuum, qui neceſſarió fertur in delectabile, & declinat à moleſto, etiã ſi repræſentetur à cognitione ſenſitiua tantùm vt conueniens, ſeu iucũdum, & non ſub alia ratione boni, vt paulo poſt oſtendam: recurſus enim ad libertatem, quaſi de ratione eius ſit poſſe deflectere à bono, & adhærere malo, non euincit, vt patet ex dictis. Nequæ obſtat ſecundum, quia cum mutabilitate, & defectu, quem ſecum fert creatura in ſuo fieri ex nihilo, ſtaret immutabilitas, & impeccabilitas, ex hypotheſi creationi cum tali perfectione ſicut ſtat immortalitas de facto, poſita creatione Angeli, & animæ rationalis. Ex quo probant.

Tertiò, quia datur de facto natura angelica, & anima rationalis de ſe, & intrinſecè immortalis, ergo iſti termini creatura, & immortalitas non repugnant, igitur nec creatura, & impeccabilitas. Patet ſequela, quia vtraq; eſt perfectio naturæ intellectualis; & ſicut vna ſtat cum creatione ex nihilo, in quod rediret, niſi conſeruaretur à Deo: ita altera ſtat cum libertate arbitrij, quod perficit, & non deſtruit, vt patet in Beatis, qui neceſſitantur ad bonum per viſionem, quæ eſt munus gratiæ conſummatæ. Sed non eſt, cur negetur Deo facultas creandi intellectum tam claré, & profundè percipiẽtem rationem honeſti, & proponentem voluntati ità in illud inclinatæ, vt deflectere non poſſit, aut certè aſſignetur repugnantia, quandoquidem hactenus allata ex eo, quòd ſemper huiuſmodi voluntas eſſet libera, & quòd eſſet creata ex nihilo, non ſubſiſtit.

Quartò. Probabilis eſt Sentẽtia admit-

mittens poſſibile eſſe infinitum actu tam in numero, quàm in perfectione creaturarum, ergo & probabilis admittens creaturam rationalem impeccabilem. Patet ſequela, quia in multitudine infinita voluntatum rectarum, & propenſarum ad honeſtatem, aliqua erit infinitè recta, & perfecta: ac proinde ſine imperfectione potentiæ ad peccandum. In ſententia verò admittente tantùm infinitum Syncategorematicum, non apparet, cur creari nequeat voluntas perfectior, & perfectior in infinitum, ergo & vſque ad gradum impeccabilitatis, qui non deſtruit, ſed perficit liberum arbitrium; & proinde non poteſt dici, quòd in eo ſtatu eſſet vltra gradum voluntatũ; ſicut ſi fieret gradatio in creatione ſubſtãtiarum ſemper magis perfectarum, & deueniretur ad ſpiritualem aliquã, quæ diceretur eſſe non ſolùm perfectior, ſed etiam ſupra gradum corporearum omnium: nam poſita quacumque perfectione, ſemper eſſet principium appetitiuum eius, quod repræſentatur vt appetibile, ac bonum, ſiue tendat in illud neceſſariò, vt contingit in patria, vbi Deus repræſentatur ſub omni ratione boni, & trahit per modum obiecti clarè cogniti ad ſui amorem neceſſariò; & in via, vbi per modum naturalis inclinationis voluntas ſemper tendit in fœlicitatem cognitã in confuſo: ſiuè tendat liberè, vt accidit in proſecutione reliquorum obiectorum, ſatis eſt quòd determinatio voluntatis illius circa honeſtum eſſet quædam magna perfectio; quia non poſſe peccare perfectio eſt liberi arbitrij, vt ſupra, & non habet repugnantiam cum voluntate creata, ſeu creabili, & ideo in ſtatu ſummæ perfectionis, qualis eſt Beatorum, illi communicatur de facto per donum ſupernaturale, & non apparet, cur extra illum communicari non poſſit modo aliquo inferiori.

Non poſſe peccare eſt perfectio liberi arbitrij.

Explicant magis ſuam doctrinam, & aduertunt quòd.

LV. IMpeccabilitas prædicta cum multiplex in ſpecie eſſe poſſit, in genere tamen omnis proueniret ab excellentia intellectus, & perfectione voluntatis ſolum honeſtum appetentis, cum enim omnis peccans ſit ignorans, vbi nulla eſt ignorantia, nullum erit peccatum: poteſt autem fieri intellectus, quem nulla lateat honeſtas naturalis, quandoquidem de facto dantur Angeli in ſententia probabili rerum omnium naturalium ſcientia prę diti. Honeſtatem naturalem vocant omnem conuenientiam cum ratione naturaliter cognoſcibilem, & multò magis ſupernaturaliter in rebus fidei, ſi tali intellectui reueletur. Proinde primum locum tenet inter honeſta huiuſmodi dilectio, & laus Dei; tum reliqua ad virtutes, & mores pertinẽtia. Poteſt enim vis intellectiua adeo excellens creari, vt cum Dei ordinario concurſu ſummè penetret eius infinitam bonitatem, potentiam, ſapientiam, & omni cultu, amore, veneratione dignam maieſtatem: quandoquidem ſempiterna eius virtus, ac diuinitas, per ea, quæ facta ſunt, à Philoſophis conſpecta fuere, quorum ingenium ſi comparetur cum angelicis creatis, veſpertillo eſt aquilæ collatus: ſi cum creabilibus, tenebra eſt luci ſolari comparata: Sit autem huiuſmodi intellectus duplo, & ſi opus ſit, centuplo, aut eo amplius excellentior, quàm ſit de facto ſupremus angelus, ſi quidem quocumque dato, creari poteſt alius, & alius ſublimior, in quem nullus cadat error, vel prauæ diſpoſitionis, vel inconſiderantiæ, circa cognoſcibilia ad honeſtatem ſpectantia.

Peccans eſt ignorans.

Huius voluntas cùm ſit proportionata intellectui, erit in gradu altiſſimo nobilitatis, & conſequenter carens, imperfectione maxima cæterarum voluntatum propria, quæ eſt inflexibilitas in malum: cum enim non ſit de eſſentia liberi arbitrij, quod ſtat cum determinatione ad bonum, neque ſit proprietas inſeparabilis, quandoquidem de facto ſeparatur, cur non poſſit paulatim ita imminui ad augmentum propenſionis in bonum, vt tandem deueniatur ad eam perfectionem, quæ penitus excludat imperfectionem maximam, quæ eſt peccabilitas? Gratis enim dicitur ex ſuppoſitione, quòd ſit in genere voluntatis creatæ fore volubilẽ ad malum; quia

quæ-

quæritur, cur dari nequeat voluntas creata immobilis in bono, ob determinationē ad illud acceptam à Creatore. Pono autem caſum metaphyſicum, quia non diſputo, an creabilis ſit homo diuerſæ ſpeciei ſiue liber, ſiue libertate carens: neque an fieri poſſit voluntas diuerſæ tantùm perfectionis indiuidualis ab ea, quæ de facto eſt, & determinata ad honeſtum: Inſtitutæ namque diſputationi ſufficit aliquam creari poſſe, quæcumq; illa foret, tam perfectà, vt in malum deflectere non poſſet, ob intrinſecam determinationem ad honeſtum, à quo neceſſariò traheretur ſtatim ac ab intellectu proponeretur, ſi non poteſt voluntas ferri, niſi in bonum cognitum, & apprehenſum vt conueniens.

Diſcōueniēs eſt naturę intellectuali malū morale, ſeu inhoneſtum.

Secundò. Malum morale, ſeu inhoneſtum eſt diſconueniens naturæ intellectuali, ergo ad illud vt ſic non habet inclinationem, ſed potiùs auerſionem, quia naturale eſt viuentibus cognoſcitiuis refugere ab obiectis diſconuenientibus; vnde eſt axioma cōmuniter receptum: *Voluntas non fertur in malum*, ſcilicet formaliter, licet in materiale ipsū tendat ob apprehenſionem aliquam boni in eo: & tunc ſemper eſt aliquis defectus intellectus, vel minus apprehendentis, vel non conſiderantis honeſtatem. Poteſt autem augeri in voluntate auerſio huiuſmodi, & auferri ab intellectu aliquo omnis defectus conſiderationis, adeout repræſentet voluntati illicitū non minus diſconueniens, quàm cognitio ſenſitiua repræſentet ſenſui obiectum nocens, imo & longè magis, ſiquidem maius malum, & maior diſconuenientia eſt inhoneſtum, quàm noxium ſenſui, igitur voluntas per modum naturæ ab eo refugit; ſiquidem ad tendentiam neceſſaria eſt apprehēſio boni, quæ non cadit in intellectū, qualem ponimus ſublimiſſimū verſantem circa inhoneſtum, quod non poteſt apprehendi ab illo, vt bonum.

Dices, infra Deum nulla res eſt ita bona, in qua nō poſſit apparere aliqua ratio mali, ergo quælibet natura intellectualis libera eſt ad eam amandam, vel odio habendam; ex hac enim varietate cognitionis, quæ dicitur indifferentia oritur libertas in ipſa facultate appetente; quòd ſi aliqua natura ex cogitatione alicuius boni non poſſet non moueri ad illud proſequendum, ſignum eſt, non eſſe intellectualem. Ita Vazq. 1. p. d. 131. n. 12. poſt auctoritatem Patrū, præſertim Damaſceni probantis omne arbitrium liberū eſſe obnoxium mutationi peccati.

Reſpondeo, nego antecedens: Dilectio enim Dei, exempli gratia, cogniti modo ſupra explicato ab intellectu illo præſtantiſſimo, non habet vllam rationem mali in ſe, neq; in executione voluntatis rectiſſimæ: proinde non eſt obiectum fugæ, ſed tantùm proſecutionis; & quidem neceſſariæ quoad ſpecificationem, & exercitium, quando proponitur ita licitum, vt omitti citra inhoneſtatem nequeat; & idem eſt de cæteris honeſtis in ſe. Certè Chriſtus erat liber, & tamen peccare non poterat: & Beati liberi ſunt, & impeccabiles per gratiam; ſtat ergo libertas cum determinatione ad bonum.

Stat libertas cū determinatione ad bonum.

Confirmatur, quia cum determinatione ad bonum in communi ſtat libertas; ergo poterit etiam ſtare cum determinatione ad tale bonum; vt enim ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter; ita etiam ſecundùm quid ad ſecundùm quid, & ideo ſi libertas ſtat cum determinatione ad bonum ſimpliciter; ita eſt ſtare poteſt ad bonum quid, id eſt cum determinatione ad bonum in ſpecie, quod dicitur ſecundum quid comparatione boni ſecundùm ſe ſumpti: vocatur autem ſecūdùm quid, non quia ſit diminutum bonum, ſed quia particulare contentum ſub bono in genere, vt commune eſt honeſto, iucundo, vtili, & conſequenter ad fugā mali particularis eſt, & limitata ad malum inhoneſtū, à quo naturaliter auerteretur illa voluntas, non autem à malo iniucundo, niſi vt includeret inhoneſtatem, & cum vtraque determinatione ad proſecutionem boni, & auerſionem à malo particulari retineret libertatem, ſicut retinet in determinatione in communi quoad exercitium.

Ratio à priori eſt, quia neceſſitas ad aliquam operationem non tollit libertatem, quæ ſaluatur alijs modis, & operationibus ad libitū, vt ſupra diximus; Sic in via Ariſtotelis intelligentiæ motrices cælorum neceſſariò illis torquē-

dis

Poſita creatura poſsibili, vt aſſeritur circa hæc, & illa honeſta electione vti poſſet.

dis adſiſtunt, & nihilominus cum ſint intellectuales, aliquam arbitrij libertatem habent; & poſita creatura, qualē hactenus poſſibilem eſſe coniecimus, optione vti poſſet circa hæc, & illa honeſta: licet nō poſſet circa honeſtatem. Atque ita creatura tal.s eſſet in ſtatu beatitudinis naturalis ex vi ſuæ conditionis ſemper in actu ſecundo perfectiſſimæ cognitionis rerum altiſſimarum, & dilectionis Dei, vt auctoris naturæ, & ſui in neceſſitate fælici libera, & in perfecta libertate bono addicta longè adhuc felicior, quàm primi parentes, ſi ſtetiſſent in iuſtitia, quantum ad fælicitatem naturalem attinet. Propter prædictas Patrum expoſitiones, & argumēta probabilia; non apparet hactenus cur temeritatis & erroris damnanda ſit ſententia, affirmans non implicare contradictionē creaturam impeccabilem; & profectò illam aſſignare fatētur difficilè graues Theologi capite ſuperiore citati, & nō verentur opinionem affirmantem inter probab les reputare: eò quòd non careat auctoritate, & rationibus non leuibus. Quicquid autem de probabi itate ſit, tamen neq; erroris, neque temeritatis notare auſim; at ne ſubſcribam auctoribus illam ſequentibus vetat auctoritas S. Bonauenturæ ſuperius allata, imo & Sanctorum Patrum, quos ille in ſenſu communis ſententiæ interpretatur, & implicantiam aſſignat, quam capite antecedenti attulimus deductam ex principio ipſorum Patrum, quod creatura ex eo quod eſt ex nihilo vertibilis eſt ad malum, & ex ſe tendit in nihilum, quod ex ſe miſera eſt, tenebroſa deficit à bono, ſi ſit intellectualis, imo etiam ab eſſe, & vt D. Thom. q. 3. de potentia a. 3. 6. comparatur aeri cuius lux pendit ab illuminatione Solis; ſicut enim aer ſine luce Solis tenebroſus eſt; ita & creatura intellectualis ſine influxu diuino tenebra eſt, prauitas, nihil, de quo etiam q. 2. de verit. a. 3. c. & 1. 2. q. 109. a. 2. 2. Igitur quod ſit recta, non deflectat à regula, rationis, non ſit praua, & tenebroſa, non competit creaturę ex ſua natura, ſed ex dono gratiæ propriæ acceptæ; quia gratia late accepta pro quolibet Dei beneficio non facit quin competant naturæ dona ipſi debita naturaliter, atq; ita ſi eſſet creatura aliqua intellectualis impeccabilis, diceretur impeccabilitas illi debita ex natura rei, ſicut debetur animæ, ex. gr., intellectus, & voluntas, quod negant Patres ex eo quod omnis creatura eſt ex nihilo.

Neque ſatisfacit diſtinctio de impeccabilitate independente, quæ ſoli Deo competit, creaturæ autem depēdenter à Deo, quod intendunt Patres; nam iuxta hanc interpretationem non plus tribuerent creaturę propter impeccabilitatem; quàm cælis, vel Angelis propter incorruptibilitatem; & ſicut illi ſunt natura incorruptibiles, quia debetur illis concurſus Dei conſeruantis iuxta exigentiam naturæ; ita & creatura illa intellectualis, ſi poſſibilis, eſt eſſet natura ſua inuertibilis à malo, & deberetur illi concurſus Dei præſeruantis à malo, ita exigente illius natura, quod eſt contra Patres in nulla creatura hoc debitum cognoſcentes, ſed potius flexibilitatem, prauitatem tenebram ex eo quod eſt ex nihilo, & vergat in nihilum; quod ſi aliqua talis eſſet, cui deberetur concurſus naturalis ad bonum honeſtum, tam dici poſſet impeccabilis ex ſua natura, quàm cælum incorruptibile ex ſua, atq; ita impotentia ad peccandum non tribueretur gratiæ, reclamante ſcriptura, & Patribus.

Dices à Patribus aſſeri quod Angeli reſpectu Dei ſint defectibiles, quia ſi ſubtraheret ſuū concurſum redirent in nihil, & nihilominus vocantur natura ſua immortales, ergo & creatura illa poſſet dici defectib lis, quia ſublato concurſu Dei ad bonū, deficeret, licet ex natura ſua illum concurſum exigeret, & ideò diceretur natura ſua indefectibilis.

Reſpondeo vnicuiq; creaturæ deberi concurſum primæ cauſæ accommodatum naturæ ſuæ, proinde cælo, & Angelis contrario carentibus exhiberi perpetuum influxum conſeruatiuum in eſſe, & operari: creaturæ verò cuilibet intellectuali deberi concurſum iuxta exigentiam naturæ potentis eligere quod vult ex ijs quæ proponuntur ab intellectu voluntati: quod ſi

Digitized by Google

ſi determinata eſt ad vnum in genere honeſtatis, iam vel non eſt ex nihilo, quod eſt contra ſuppoſitionem, & apertam veritatem; Vel ſi ex nihilo, ex hoc patres inferunt,eſſe natura ſua defectibilem,non vt dicuntur cœli incorruptibiles; ſed vt dicitur intellectualis creatura flexibilis ex natura ſua ad malum, quod minus apte diceretur de creatura, quæ ex ſua natura eſſet determinata ad bonum, & non valeret ſequela patrum, creatura intellectualis eſt, igitur natura ſua vertibilis in malum, quia ex nihilo eſt. Atq; ita patet diſcrimen inter creaturas de ſua natura phyſicè, ac de lege ordinaria incorruptibiles, & inter intellectuales moraliter, ideſt quoad mores, & electionem boni, ac mali inuertibiles: illis, enim debetur Dei concurſus conſeruatiuus iuxta exigentiam naturalem: in ijs nulla poteſt eſſe exigentia naturalis, quia quæ ex nihilo ſunt de ſua natura vertibiles ſunt ad malum iuxta patres. Idque tam circa obiecta naturalia, quàm circa ſupernaturalia, cum ad hæc formaliter accepta maiori ſit opus auxilio gratiæ, quàm ad naturalia. Non reſp. ad rationes oppoſitas, quia inſtituti mei in præſentia eſt niti auctoritati Patrum vt intelliguntur à S. Bonauentura, & ab omnibus fermè Theologis.

AN SIT POSSIBILIS

Viſio beata ſine lumine gloriæ.

CAP. XI.

I. Prima ſententia negat.
II. Secunda affirmat.
III. Probatio huius auctoritate, ac ratione.
IV. Non poteſt oſtendi implicantia à negatiua.
V. Huius argumenta ſoluuntur.
VI. Non obſtat concilium Viennenſe.

LVII. QVOD ſine aliquo auxilio ſupernaturali ſit impoſſibilis, certum eſt ex diſinitione Concilij Vienneñſis infra citandi; ſed quia hoc auxilium multis modis impendi poteſt, inter quos vnus cogitari poteſt per extrinſecam eleuationem voluntatis diuinæ applicantis ſuam omnipotentiam, vt ſupra explicatum à nobis eſt, quærimus, an poſſibilis ſit iſte modus; an verò neceſſaria ſit eleuatio per aliquid intrinſecum, ſiue tranſiens, ſiue permanens, quodcumq; illud ſit.

Status quæſtionis.

Prima Sententia eſt Thomiſtarum, quos longa ſerie numerant recentiores in 1. p. S. Thomæ q. 12. a. 1. vniuerſaliter requirentem ad omnem actum ſupernaturalem auxilium intrinſecè afficiens potentiam, vel habitualiter, vel tranſeunter, vt fiat proportionatum principium effectus ſupernaturalis, quod docuerat Capreol. in 4. diſt. 46. q. 4. ad 3. & 4. contra ſecundam concl. Ferrar. 3. c. g. c. 53. & alij apud recentiores. Faſol. 1. p. q. 12. a. 5. num. 44. Ripal. de ente ſupern. diſp. 34. ſect. 2. Herice diſp. 35. c. 1.

Prima ſententia Thomiſtarum. Capr. Ferrar. Faſol. Ripal. Herice.

Secunda ſententia communior eſt aſſerentium hoc eſſe poſſibile; numerat pro iſta idem Ripalt. ſect. 3. vltra 40. inter quos Scot. in 4. diſt 49. q. 11. & eius interpres Faber. in 3. diſp. 32. c. 3. & omnes noſtri de hoc ſcribentes, præſertim Suar. lib. 3. de attrib. negat. c. 16. num. 5. & tom. 2 de gratia l. 6. c. 4. & 6. Vaz. 1. p. diſp. 46. c. 2. Salas tom. 1. in 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 4. Molina 1. p. q. 12. a. 5. diſp. 1. & alij noſtri.

Scot. Suar. Vazq. Salas. Molin.

Vtraq; ſententia varijs vtitur rationibus, ſed omnes tandem huc reducuntur, quia prima putat implicare contradictionem, quòd intellectus eliciat actum ſecundum viuendi, niſi priùs conſtituatur potens in actu primo per aliquid intrinſecum, quia per extrinſecam adſiſtentiam, & auxilium manet intrinſecè immutatus, ac proinde non potens elicere actum ſuperioris ordinis.

Deinde adhoc vt intellectus videat clarè Deum, debet habere diuinam eſſentiam, vt formam intelligibilem ſibi vnitam, ergo per aliquam vnionem, vel per aliquid ſupplens vicem vnionis, quale eſt lumen, ita vt ſine hoc ſit impoſſibilis viſio, vt S. Th. 1. p. q. 12. a. 5. præter alia argumenta hoc ſuadentia.

Secunda verò ſententia concedit quidem neceſſarium eſſe, vt cauſa in actu primo conſtituatur potens operari antequam operetur; ſed negat hoc fieri non poſſe ſine additione alicuius

Digitized by Google

cuius intrinſeci, ac inhærentis, eò quod complementum neceſſarium ad conſtituendam potentem poſſit eſſe cauſa extrinſeca, præſertim ſi ea ſit principalis, cui altera ſubordinetur.

Per extrinſecam coniunctionem poteſt cōpleri cauſa vt ſit potens in actu primo agens.

Huic adhæſi tom. 1. diſp. 1. q. 4. c. 1. vniuerſaliter tenens poſſe per extrinſecam coniunctionem vnius cauſæ ad alteram compleri, vel vnius, vel vtriuſque potentiam, vt patet in calore, qui adiunctus animæ potens eſt concurrere ad plures effectus vitæ, vegetationis, ſenſionis &c. ad quos ſeparatus eſt ineptus; in calamo, qui retentus à digitis proximè redditur potens formare characteres; & alijs ſimilibus, quibus nihil additur intrinſecum, quo reddantur potentia in actu primo. Et tamen talia & eſſe, & intelligi debent, quia quæ operantur in actu ſecundo aliquid, priùs apta ſunt operari, cum actus ſecundus ſupponat primum vltimo completum, vt de ſe manifeſtum eſt.

Hoc ſi verum eſt in cauſis creatis, multò magis locum habet vbi Deus applicat cum pſis ſuam omnipotentiam, quæ continet in ſe virtutes omnium agentium, & ſe ſola poteſt efficere quicquid cum illis efficit, & ſupplere actiuitatem partialium, cum poſſit totalium, ſaltem non vitalium. Cùm igitur lumen gloriæ non ſit cauſa vitalis, dato quòd intellectus ſuppleri non poſſent vices, eò quòd eſſentialiter ab ipſo dependeat actus vitalis; tamen non apparet, cur non poſſint luminis: atque adeo valet argumentum commune, quòd nihil ſit denegandum diuinæ omnipotentiæ, quòd nullam inuoluit implicantiam vel immediatam, vel mediatam; ſed in hoc quòd intellectus ſine lumine eleuatus per adſiſtentiam diuinæ omnipotentiæ eliciat viſionem, nulla eſt implicantia, ergo.

Non implicat intellectum fieri potentem indere per adſiſtentiam diuinæ omnipotentiæ.

Minorem variè probant recentiores, & potiſſimum ex eò quòd neq; vt vitalis eſt viſio, pendeat eſſentialiter à lumine non vitali; neque vt ſupernaturalis eſt, quia ad ſupernaturalitatem concurrit Deus vtens intellectu beati, vt cauſa partiali ſibi ſubordinata, quàm ſupplere poteſt.

Sed auctores contrariæ in eo agnoſcunt implicantiam, quòd intellectus de ſe impotens debet reddi potens in actu primo ad eliciendam viſionem beatam, alioquin faceret id quod non poteſt facere, quæ eſt implicantia manifeſta: & cùm non fiat potens, niſi per aliquid intrinſecum, ſi eliceret viſionem ſine lumine, ſimul eſſet potens, quia operaretur; & non potens, quia intrinſecè maneret immutatus, cum per adſiſtentiam diuinæ omnipotentiæ non mutetur intrinſecè; quæ reſponſio ſupponit doctrinam communem, quòd cauſa in actu primo continet effectum, quem productura eſt, & proinde potens eſt producere. Deinde quòd virtus proxima, etiam partialis debet eſſe eiuſdem ordinis cum effectu; intellectus autē ſecundùm ſe non eſt ordinis ſupernaturalis, & diuini, vt eſt viſio beata, igitur non habet virtutem illi proportionatam, ac proinde quantumuis Deus influat in viſionem, impotens ille eſt ſimul influere ſine virtute influendi: quæ videtur ratio D. Thomæ p. p. cit. & 2. 2. quæſt. 175. a. 3. & l. b. 2. contra gentes c. 5.

LVIII. Hæc ratio non euincit, nam ſumit quòd eſſet probandum, nimirum intellectum, quem de ſua natura concedimus eſſe improportionatum viſioni, & impotentem illam ſua virtute attingere, ſolum fieri potentem per aliquid ſuperadditum intrinſecum, & non oſtendit, cur non poſſit per adſiſtentiam diuinæ omnipotentiæ: quamenim ab hac non informatur, neque intrinſecè mutatur: tamen per illapſum magis intimum habet Deum, quàm vllam qualitatem ſibi impreſſam, vel imprimendam; non apparet autem implicantia, cur non poſſit per intimam hanc vnionem reddi potens operari, ſicut redditur per informationem luminis, aut cur ad hoc neceſſaria ſit intrinſeca mutatio; quemadmodum enim ſpecies impreſſa in ſententia probabili poſita in intellectu abſq; informatione redderet ipſum potentem in actu primo ad intelligendum; ita & diuina omnipotentia intimè præſens multò præſtantius idem efficeret, præſertim quia ſuppleret vicem luminis, in genere cauſæ efficientis, cùm ſpecies ſuppleat in genere

cauſæ obiectiuæ non minùs neceſſariò requiſitæ ad intellectionem.

Deinde vtraque ſententia admittit in intellectu virtutem inchoatam, ac remotam, ſeu radicalem ad viſionem, & controuerſia eſt non vtrum egeat eleuatione, quòd nemo negat; ſed vtrum ad eleuationem opus ſit aliquo intrinſeco ſuperaddito, quod negat ſecũda ſententia exiſtimans hanc remotam virtutem fieri proximam per extrinſecam adſiſtentiam diuinæ potentiæ, quæ applicatur per diuinum decretum; Atqui altiùs philoſophando, ſi per impoſſibile Deus non eſſet præſens intimè creaturis, & tamen eſſet omnipotens, & virtutis infinitæ, ac decerneret concurrere cum intellectu ad viſionem, cur ex vi decreti non fieret potens proximè intellectus ipſi cooperari? Quia, inquis, non mutatur intrinſecè, & manet impotens, vt priùs, eò quòd diuinum decretum non immutat ſine productione rei alicuius ad extra, & ipſum ad intra ſit immutabilis eſſentia, ac deitas.

Vi decreti diuini fiunt mutationes reales, & obiectiuæ.

At ſupra tom. 1. diſp. p. q. 5. cap. 3. conſequenter ad dicta quæſt. 4. cap. 3. oſtendimus, quomodo, & quàm variè per decretum diuinum fiant mutationes tum reales, tum obiectiuæ, non ſolùm quando actu producitur aliquid noui, ſed etiam quando producendum eſt, ita vt fiat tranſitus à contradictorio in contradictorium, per hoc quod res diuerſomodo comparetur ad decretum ſecundùm ſigna priora, & poſteriora; & in propoſito per hoc quod Deus decernit concurrere ad viſionẽ, & vult quod ſecum intellectus beati operetur, hoc ipſo eſt potens cooperari, quia virtus eius remota indifferens eſt ad hoc, vt fiat proxima per lumen, vel per aliquid loco luminis, qualis eſt diuina potentia adſiſtens, & parata in actu primo ad producendam viſionem; per quam adſiſtentiam dico ego reddi potentem intellectum in actu primo ad cooperandum Deo; Tu negas, at non oſtendis implicantiam, niſi aſſumendo quod eſt in quæſtione, videlicet non reddi potentem, niſi per intrinſecum ſuperadditum; deberes autem oſtendere implicantiam, cur non poſſit per quid extrinſecum, quod ego aſſero nixus axiomate non eſſe denegandum diuinæ potentiæ, quod non oſtenditur implicare; hactenus autem à te deſideramus oſtendi implicantiam, & non aſſumi, vt certum, & impoſſibile, quod opponimus vt poſſibile.

LIX. Lumen gloriæ non eſt cauſa totalis viſionis beatæ.

Confirmatur ſecunda ſententia, quia prima admittit concurſum intellectus ad viſionem, & non ſolùm luminis gloriæ, quod non eſt cauſa totalis, ſed ſolùm partialis, igitur potentia remota affecta lumine influit in viſionem per ſuam intrinſecam, & innatam vim ad videndum, quàm ſe ſola exerere non valet, ſed indiget adiutorio ſuperioris virtutis, cui ſubordinatur: hoc autem in actu primo nihil eſt aliud, quàm vnio vtriuſque, & in actu concurſus vtriuſque: ſuperioris quidẽ per virtutem propriam independentem; intellectus verò per virtutem innatam, ſed eleuatam, & dependentem: quæ eleuatio de potentia ordinaria fit per lumen, de extraordinaria fieri poteſt per applicationem diuinæ omnipotentiæ, ita vt ipſa ſuppleat vicem luminis tam conſtituendo intellectum potentem in actu primo, quàm influendo in actu ſecundo; quia ſicut lumen neq; intendit, neq; auget vim intellectiuam, ſed ſolùm eleuare dicitur, quia ipſi vnitur; ita eleuare poteſt diuina omnipotentia per ſuam intimam vnionem, ſuppoſito decreto concurrendi cum ipſa ad viſionem: & tunc erit vnum principium adæquatum, & proportionatum, ſeu eiuſdem ordinis cum viſione: non ſecus ac eſt complexum ex lumine, & intellectu, tanquam ex duabus cauſis principali, ac ſubordinata ipſi, ſiue inſtrumentalem, ſiue minùs principalem appelles. Neque facile eſt aſſignare cauſam, cur ex ijs duobus, intellectu ſcilicet beati, & omnipotentia ipſi adhunc finem adſiſtente non poſſit conſtitui vnum principium viſionis ſine vllo ſuperaddito intrinſeco, ſiquidem hoc ſuperadditum non intendit, neque auget vim intellectiuam, ſed tantùm cum ipſa conſtituit vnum principium operandi in eodem ordine, quod pręſtare poteſt diuina omnipotentia.

Poſito decreto commorandi cum intellectu conſtituitur vnum principium ope

Confirmatur, quia ſi quid repugnat, vel primò quia non poteſt ſubſtantia eſſe partiale conſtitutiuum principij ope-

operandi effectum, quem ordinariè producit virtus vltimò completa per accidens intrinſecum: & hoc non, quia in ſententia probabili Angelicus intellectus alterum Angelum cognoſcens per ſpeciem illius repræſentatiuam, poteſt intimè ſibi præſentem cognoſcere ſine ſpecie; & in eo caſu ſubſtantia Angeli pręſentis ſimul cum intellectu angeli cognoſcentis conſtituit vnũ integrum principium cognoſcendi, igitur non eſt neceſſaria inheſio ad cõſtitutionem hanc, & multò minùs in diuina potentia illabente intellectui creato. Vel ſecundo quia neceſſaria eſt inhæſio, ad hoc, vt fiat principiũ proportionatum, & eiuſdem ordinis: & neque ad hoc opus eſt inhæſione, ſed ſolùm cauſa, quæ ſuo conſortio eleuet concauſam, vt poſſit cooperari ipſi ad effectum ſuperiorem ſuis viribus ſolitariè ſumptis: quid enim faciat inhæſio concauſæ ſuperioris, ſi tantùm ſeipſam exhibet, & non intendit vim intellectiuam, neque aliter illam immutat, ſed tantùm in ea recipitur tanquam in ſubiecto? non quia nõ ſit ipſa operatiua ſine inhæſione, aut quia per inhæſionem det vim cognoſcendi intellectui: ſi quidem ſi in eo ſuſtentaretur à Deo ſine inheſione retineret eandem virtutem operandi ſupernaturaliter, & ad eundem modum operandi eleuaret, vim natiuam intellectus, cui vnitur ſine inhæſione in vnitatem principij actiui. Exemplum eſt in naturalibus actionibus, ad quas concurrunt agentia ſuperiora, & inferiora, puta cæli, elementa, atque adeo prima cauſa, à qua dependent cæteræ in eſſe, & operari: oportet enim in actu primo omnes eſſe paratas ad concurrendum per modum vnius principij integri, & adæquati, licet vna dependeat ab alia, & nequeat ſe ſola attingere effectum poſtulantem omnium influxum: & diſcrimen ſolũ eſt, quòd effectus eſt eiuſdem ordinis cum illis, qualis non eſt viſio beata, cum intellectu creato; Verumtamen hoc non obſtat, ſed potiùs declarat propoſitionem noſtram, quia ſi naturaliter vniri poteſt cauſa inferior cum ſuperiore ad producendum effectum, quem neutra poteſt ſingillatim, neq; partialiter, neque totaliter, cur nequeat intellectiua virtus vniri diuinæ omnipotentiæ ad attingendam viſionem, quam per ſeipſam non attingeret? Aut cur Deus poſſit quidem conſtituere ſeipſo integrũ principium cũ cum cauſa naturali ad effectum naturalem, non autem poſſit cum virtute eiuſdem inchoata ad effectum ſupernaturalem, ſupplente eius omnipotentia per adſiſtentiam peculiarẽ vicem qualitatis informantis, quæ nõ datur, vt informet, ſed vt ſit concauſa, & ſui conſortio adiuuet intellectũ, & vno, ac eodem influxu attingat viſionem, quam ſe ſolo non attingeret.

Poteſt Angelus cognoſcere Angelum ſibi intime præſentem ſine ſpecie.

Vel tertio requiritur inhæſio luminis, aut alterius qualitatis ſupernaturalis, quia cum viſio ſit ſupernaturalis in ſua entitate, & non tantùm ſecundùm modum, ad eamque concurrat intellectus, non poteſt hoc fungi munere, niſi informatus lumine, per quod eleuetur, & fiat principium, à quò manare poſſit effectus ſupernaturalis.

Sed hoc eſt, quod vrgemus, cur implicet fieri principium proportionatum ſine informatione qualitatis vllius, & non poſſit per ſolam vnionem cum diuina potentia? quandoquidem informatio, vel inhæſio neque intendit, neque extendit vim natiuam intellectus, & eleuatio nihil ponat in ipſa, neque ſignificet aliud, quàm qualitatem inhærentem, & non appareat, quid conferat ipſa, quod non conferri poſſit, à diuina potentia applicata intimè, & habente ſe per modum habitus cum potentia: illapſus enim, & applicatio per decretum præualet inhæſioni accidentali quoad hoc, quod eſt eleuari intellectum in actu primo, & in actu ſecundo, quis non videat præualere actiuitati luminis, quod eſt ens creatum, & finitum participans à diuina potentia quicquid habet virtutis, & entitatis?

Vel quarto neceſſaria eſt inhæſio luminis, quia concurrit non ſolùm efficienter, ſed etiam in genere cauſæ formalis ad viſionem, quatenus viſio dicit ordinem, & dependentiam eſſentialem ad ipſum, vt conſtitutiuum potentiæ in ordine ſupernaturali, ac diuino. Vnde ſicut intellectio angelica dicit ordinem eſſentialem ad intellectum

lectum angeli: ita & viſio ad intellectum informatum lumine, in quo eſt cauſalitas quædam formalis, quæ à Deo ſuppleri non poteſt, vt arguunt quidam Thomiſtæ.

Contra, quia hæc eſt ſimilitudo tãtùm remota cauſæ formalis, quæ reperitur in potentijs vitalibus, & pluribus alijs efficientibus, quæ reſpiciuntur eſſentialiter à ſuis effectis, attenta lege ordinaria cauſarum ſecundarum, qui tamen de potentia abſoluta à Deo ſolo, vel vtente creatura pro inſtrumento produci poſſunt. Deinde vel conſideratur viſio, vt talis actio eſt in indiuiduo, & ita reſpicit eſſentialiter lumen, à quo fit, cum actio ſit eſſentialis dependentia à ſuo Agente; vel conſideratur ſecundùm ſpeciem, vt tendit in tale obiectum formale,& tũc ſicut aliæ actiones poſſunt fieri, vel à Deo ſolo, vel aſſumente creaturas ad cooperandum, ita & poteſt viſio. Tertio. Hoc apparet in exemplo eodem intellectionis angelicæ, quę eadem ſpecie poteſt fieri à diuerſis cauſis:nam Gabriel, qui Michaelem abſentem cognoſcit per ſpeciem eius, præſentem intimè noſſe poteſt ſine ſpecie ſupplẽte vicem eius ſubſtantia indiſtante,& vniuerſaliter poſſibiles ſunt plures ſpecies repræſentatiuæ eiuſdem obiecti, & pro diuerſo concurſu ipſarum erũt diuerſæ numero cognitiones: ita in propoſito viſio beata procedens à lumine, & intellectu, erit diuerſa numero à viſione procedente à Deo ſupplente vicem luminis, ſicut eſſet diuerſa, quæ procederet à diuerſo lumine. Itaque non affertur implicantia petita à ſecunda ſententia, niſi quòd intellectio eſſet potens, & non potens, ſi videret ſine lumine; nec oſtenditur, cur nequeat eſſe potens per diuinam aſſiſtentiam intimam intellectui, & infinitæ virtutis; atque adeo poſſeſſio ſtat pro axiomate non eſſe negandum diuinæ omnipotentiæ, quod non oſtenditur implicare, vel immediatè, vel mediatè.

XL. Et quidem ſi oſtenderet, aduerſarius requiri informationem luminis ad denominandum intellectum potentem in actu primo, haberet intentum; ſed hoc non oſtendit, & nos arbitramur, non requiri: quia cum lumen habeat quòd ſit accidens, & quòd ſit actiuum; ratione primi poſtulat ineſſe, quia naturaliter accidentia non poſſunt eſſe ſine ſubiecti: at ſecundum non habet ex informatione, aut inhæſione, quia etiam abſque illa eſſet actiuum, ſi à Deo ſuſtentaretur, vt ſunt actiua accidentia Euchariſtica nulli inhærentia, ideoque ſupplere poteſt eius vices diuina potentia, quia ad viſionem requiritur, vt eſt principium eius effectiuum non accipiens, neque dans virtutem operandi per inhæſionem. Vnde ſi per impoſſibile eſſet ſubſtantia adiuncta intellectui ſimul cum ipſa concurreret, etiamſi non informaret: & cùm Deus per ſe poſſit quod poteſt cum cauſis ſecundis, vt S. Th. 1. p. q. 105. a. 1. Saltem quoad efficientiam non vitalem, poterit ſupplere concurſum luminis quod non eſt potentia vitalis. Deus ſe ſolo poteſt efficere quod efficit cum cauſis ſecundis.

Confirmatur, quia per te eſſentia diuina vnitur intelligibiliter intellectui, & fungitur munere ſpeciei impreſſæ, cur ergo non poſſit vniri ipſa potentia, vt fungatur vice luminis?

Dices, ad vnionẽ iſtã eſſentiæ per modũ ſpeciei intelligibilis cũ intellectu creato requiritur lumen, quia cũ illa ſit intimè præſens rebus omnibus, & non intelligibiliter, ad hoc vt fiat obiectum formaliter intelligibile, & vt ſpecies vniatur intellectui, requiritur aliqua ratio vnionis, quæ in præſenti non apparet, quæ alia ſit præter lumen, per quod & intellectus eleuatur, & fit proportionatum principium actus attingentis obiectum,& quo medio eſſentia vnitur per modum ſpeciei quia fungitur munere ſpeciei excellẽtiùs,quàm fungeretur ipſa ſpecies eius vicaria, ſi daretur; conſequenter ex hoc probaretur potiùs eſſe neceſſariũ lumen ad viſionem.

Reſpondeo, quòd vtrum vniatur eſſentia per modum ſpeciei, patebit infra; interim etiam hoc dato, dico non eſſe neceſſarium lumen, loquendo de potentia abſoluta,ſed poſſe vniri ſeipſa immediatè.

Vel quinto requiritur lumen, quia vniuerſaliter cauſa inferior perfici non poteſt, niſi per receptionem alicuius intrinſeci deriuati à cauſa ſuperiore; ſic color aliquid reale recipit à luce ex

Ari-

Ariſtotele 2. de Anima t. 70. & Caie. tano ibidem aſſerente, quòd ex participatione lucis, & ſubſtantiarum ſeparatarum recipit virtutem ad immutandas ſpecies intentionales; & ſimiliter phantaſma, & cogitatiua aliquid recipiunt, per quod illud ex eleuatione intellectus agentis poſſit inſtrumentaliter influere ad productionem ſpecierum intelligibilium; hæc verò ex participatione alicuius deriuati ad ipſum ab intellectu poſſibili fit potens ad diſcurrendum circa ſingularia, vt Capr. in 2. d. 11. q. 2. a. 3.

Duæ cauſæ licet non ſubordinatæ ex ſola coniunctione fiunt vnum principium operandi.

Sed contra primo in vniuerſum, duæ cauſæ efficientes non ſubordinatæ ex coniunctione ſola fiunt potentes producere effectum, quem neutra ſingillatim poteſt ſine vlla intrinſeca receptione, aut immutatione, vt patet in duobus trahentibus nauim, vel põdus attollentibus, quod neuter ſolus attollere poſſit, ergo etiam ſubordinatæ ex ſola coniunctione poterunt aliquid, quod illa præciſa non poſſunt; nam ſubordinatio non exigit deriuationem alicuius intrinſeci, ſed debitam coniunctionem,& applicationem ad operandum, vt patet in inſtrumentalibus, vt in calamo, & manu, quæ dicuntur eſſe in actu primo completũ principium ſcribendi, ſi vniantur: motus enim ſubſequens, & quicquid à manu prouenit in ſcriptione non tenet ſe ex parte actus primi, ſed ſecundi, & idem eſt de inſtrumento naturali, [illegible]

Secundò. In genere cauſæ ſupernaturalis, quale eſt lumen gloriæ, Sacramenta &c. v.g. materia, & forma Baptiſmi nihil recipiunt intrinſecum in actu primo, per quod conſtituantur apta producere gratiam, ſed ſolùm eleuantur in actu ſecũdo ad illam producendam: cùm igitur debeant eſſe in actu primo apta producere, priuſquam in actu ſecundo producant, non per aliud habent hanc aptitudinem, quàm per hoc quod habent adſiſtentiam, ſeu voluntatem Dei paratam ad concurrendum cum illis, idque in tua ſententia, quòd producant phyſicè gratiam.

Dices, eleuari per qualitatem ſuperadditam; ſed contrarium oſtendo in propria quæſtione, & interim ſatis apparet, hoc improbabile, quia illa qualitas eleuatiua non poteſt dare vim productiuam gratiæ à Deo tantùm principaliter producibilis, atque adeo tam ipſa, quàm Sacramenta deberet rurſus eleuari ad producendam gratiam, non per aliam qualitatem, ne detur abyſſus in infinitum, ergo ſufficit adſiſtentia diuina ad conſtituendũ in actu primo, & propter hanc vna aqua exempligratia dicitur apta concurrere ad productionem gratiæ, quia aſſumitur à baptizante, alia non dicetur, quia non aſſumitur: & proinde Deus non decreuit cum illa concurrere; & magis apparet hæc veritas, ſi fingamus, Deum decreuiſſe cum illa non concurrere, ſed cum alia: hæc enim erit magis proximè apta producere gratiam, quàm illa, cui deeſt eſſentialiter requiſitum diuinæ voluntatis, etiã ſi non addatur priori aliquid intrinſecum, per quod reddatur aptior; cur ergo non dicatur abſolutè apta proximè, ſiquidem per ſolam additionem extrinſeci requiſiti reddatur aptior, quàm altera, quæ illo caret?

LXI.
In inſtrumẽtis tota vis agendi attẽditur pœnes virtutem agentis principalis.

Ratio in vniuerſum eſt, quia in meris inſtrumentis tota vis agendi attenditur penes agens principale, vnde non oportet addi aliquid intrinſecum inſtrumento, ſi æquè, illo addito, improportionatum eſt effectui, ſed ſufficit, vt aſſumatur à principali eleuante illud ad producendum effectum per ſuum concurſum in illum; Atque ita cùm Sacramenta, quolibet ſuperaddito, adhuc ſint improportionata gratiæ producendæ, non eſt neceſſarium vt quicquam ſuperaddatur: ſed ſolùm vt aſſumantur à Deo in actu ſecundo, ante quem dicuntur inſtrumenta apta proximè in actu primo per ſolam aſſiſtentiam diuinam, ſeu per decretum cum illis concurrendi, quicquid deinde illud ſit. Et idem eſt, ſi aſſumeretur creatura ad creandum, vt cauſa inſtrumentalis.

Idem igitur dici poteſt de intellectu, quòd ſcilicet intelligatur in actu primo potens producere viſionem per ſolam adſiſtentiam loco luminis, & in actu ſecundo eleuetur actualiter ad illam, vt inſtrumentum vitale influens vitalitatem non propria virtute, ſed diuina illam eleuante, ideſt conſtituẽ-

te

Digitized by Google

te integrum principium viſionis ſimul cum illo.

Tertiò in particulari, quidnam eſt hoc, quod recipit, color à luce, ratione cuius fit potens immutare organũ? aut cur poſita luce, non redditur potens ſine alio ſuperaddito? Vel enim illud ſuperadditum neceſſarium eſt, vt ſpecies tranſmittat color: & hoc non, quia lux eſt quidem conditio, cur vniãtur potentiæ, vt reddatur completè potens videre: ſed hoc præſtat ſeipſa, & non per qualitatem ſuperadditam colori, quia color immutat organum per ſpecies, & iſtæ tranſmittuntur media luce, recepta in ſubiecto colorato, quod videtur, & medio perſpicuo: & lux quidem neceſſaria eſt ad coniunctionem ſpecierum cum potentia, & vt vltima diſpoſitio potentię, vt illi vitaliter vniantur; ſed fictitium videtur quicquid vltra requiritur, vel à luce, vel à ſubſtantijs ſeparatis.

Ariſt. Neque verò Ariſtoteles t. illo 70.2. de Anima docuit, quòd color recipit aliquid diſtinctum ab ipſa luce: à tex. enim 66. vbi incipit agere de colore vſque ad 71. & vltrà nihil reperies dictum a Philoſopho, ex quo colligas colorem aliquid à luce recipere diſtinctum ab ipſa luce. (Color nil recipit à luce diſtinctum ab ipſa.) Cum enim ſibi propoſuerit de aſpectu agere, ſeu de potentia viſiua, & ab obiecto eius cognitionem venari, iuxta regulam t. 33. traditam, quòd potentiarum notitia ex obiectis ſit haurienda; De aſpectabili dicere aggreditur, quatenus comprehendit quicquid videri poteſt, id eſt colorem, & alia quædam innominata, quæ etiam in tenebris conſpiciũtur vt fungus, cornu, capita piſcium, ſquammæ, & vniuerſim quæ nocte lucent. Coloris autem nomine, lucem quoque comprehendit, quam tex. 69. docet eſſe colorem perſpicui, & ratione eius aer, & aqua dicuntur colorata lib. de ſenſu, & ſenſili c. 3. Propterea de luce etiam agit, quæ & per ſe videtur, & eſt conditio neceſſaria, vt color videatur tam ex parte obiecti, quã ex parte medij, vt in ipſo motus coloris recipiatur; nullibi autem vel leuiter innuit, quod ad ipſum colorem virtus aliqua deriuetur diſtincta à lumine, ſed totus eſt in explicando colore, lumine, perſpicuo, ſeu medio illuminato, quæ omnia requiruntur ad viſionem; quod argumento eſt nõ admitti à Philoſopho aliam qualitatẽ deriuatam à lumine in colores, quia de illa aliquid dixiſſet, cùm tractet exactè de aſpectabili, quod eſt obiectum viſus, & proinde de colore, de luce, de medio perſpicuo, neceſſarijs ad viſionem; quòd ſi præterea aliquid deriuatur a luce in colorem tanquam neceſſarium, ad hoc vt color conſtituatur in actu primo aſpectabilis, mancus eſſet Philoſophus, qui hoc conſtitutiuum ſub ſilentio reliquiſſet; & falſus, qui colorem aſpectabilem eſſe per lumen pronunciarit t. 67. videlicet completè, & vltimò, ſi præter lumen requiritur præterea aliqua virtus impreſſa colori à lumine; & quædam aſpectabilia dixerit in tenebris, in quibus virtus hæc non imprimitur ab vllo lumine, quod tunc non eſt; & quando aduenit, deſinunt illa videri, vtpotè abſorptà à luce maiori.

Neque obſtat, quod affertur ex Caietano, nam neque Philoſophus ibi meminit ſubſtantiarum ſeparatarum, vt conſtat percurrenti omnes illos textus à 66. ad 71. neque in reipſa apparet, quomodo ex participatione ſubſtantiarum ſeparatarum deriuet lux virtutem in colorem; aut quid ſit iſta virtus, vel quomodo à ſubſtantijs ſeparatis dimanet.

Et hinc ſumi poteſt argumentum contra te, quia ex iſta participatione ſine vllo ſuperaddito lux fit potẽs influere virtutem prædictam in colorẽ, ergo ſola ſubordinatio, & participatio ſufficit ad denominationem hanc. Ariſtoteles quidem t. 68. ait in aere, & aqua eſſe naturam, quæ in ſempiterno illo ſuperiore corpore eſt; ſed hoc nihil ad rem præſentem.

Solutio argumentorum primæ Sententiæ.

PRimum eſt, quia intellectus non poteſt eleuari per viſionem increatam ad videndum formaliter in actu ſecundo, ergo neque per diuinam potentiam ad aptitudinem videndi in actu primo. Sequela probatur à paritate. Antecedens admittitur ab vtraque Sententia. LXII.

Reſpondeo, nego ſequelam, diſparitas eſt, quia actu videre inuoluit actionem potentiæ vitalis, ſiue intentionem, & tendentiam eius in obiectum: & ſic dicit ordinem eſſentialem ad potentiam, iuxta communem ſententiam quæ eſt S. Auguſtini lib. 10. de Trinit. c. 4. & 6. t. 3. relati à D. Thoma q. 13. de ver. a. 3. c. illam agnoſcẽtis in actu cuiuslibet potentiæ cognoſcitiuæ: iuxta alios aſſerentes, intellectionem fieri poſſe à Deo ſolo, & per eam reddi intellectum formaliter intelligentem, neceſſe eſt, vt in eo recipiatur; Increata verò intellectio irreceptibilis eſt, cùm ſit ipſa eſſentia diuina realiter, & ideo dare non poteſt denominationem intelligentis, quæ eſt intrinſeca potentiæ; at verò poſſe intelligere eſt denominatio partim intrinſeca, quia includit virtutem intellectiuam intrinſecam ſubiecto: partim extrinſeca, quia compleri debet ab extrinſeco, puta ad obiecto, vel eius ſpecie; aut à ſuperaddito ſupernaturali, ſi ſit ad actum ſuperioris ordinis: idque reſpectu intellectus ſingillatim conſiderati, nam toti complexo, vt eſt principium proximum operandi conuenit denominatio intrinſeca potentis.

S. Aug. S. Thom.

Per viſionẽ increatam non poteſt reddi vidẽs formaliter intellectus creatus.

Secundum eſt, quia diuina omnipotentia eſt intima omni Creaturæ, cùm in ea ſit per eſſentiam, potentiam, præſentiam. atque ita omnis intellectus diceretur proximè potens videre Deũ clarè, quod eſt abſurdum. Neque eſt, quòd dicas, debere applicari per diuinam voluntatem, quia magis applicari non poteſt, cùm ſit intima: & præterea deberet aſſignari aliqua extrinſeca mutatio reſpondens diuinæ volitioni, ac decreto, ratione cuius dicatur vni, & non alteri intellectui applicata.

Reſpondeo ad primam partem argumenti, negando ſequelam, quia præſentia intima Dei, vt ſuppleat vicem luminis in intellectu, ſupponit decretum concurrendi pro ipſo ad viſionem; atque ita patet ad ſecundum; nam decreto Dei de concurrendo reſpondet extrinſecè concurſus futurus, & ante ipſum mutatio obiectiua æterna complectens totum hoc, quod intellectus ex non potente per ſe videre, fit potens videre ex eo, quòd Deus cum ipſo velit hic, & nunc concurrere, de quo pluribus egi tomo primo diſp. prima q. 4.

Tertium eſt, Quia voluntas non poteſt eleuari extrinſecè ad actus liberos ſupernaturales, ergo neque intellectus. Probatur antecedens, quia voluntas efficit liberè ſolùm actus, ad quos habet intrinſecam inclinationẽ, ſed ſecundùm ſe non habet inclinationem ad actus ſupernaturales, ergo debet præcedere aliqua infuſa inclinatio: nam actus liberi procedunt à principio formali extrinſeco, à quo denominantur liberi, & non ſolùm ab ipſo, vt à cauſa efficiente, ergo eſſentialiter ſupponunt aliquam inclinationem, vel innatam, vel infuſam. Ita Arrub. 1. p. diſp. 20. c. 5.

Reſpondeo, nego antecedens; ad probationem diſtinguo Maiorem: nã inclinatio alia eſt merè naturalis ad actus eiuſdem ordinis: alia eſt obedientialis ad actus ſuperioris ordinis: & hęc ſufficit ad hoc, vt extrinſecè eleuari poſſit, & ſupponitur actibus ſupernaturalibus, neque in voluntate requiritur maior, quàm in intellectu ad actus ſupernaturales; vtraque enim habet potentiam remotam ad ipſos: neutra habet proximam. Quare negandum eſt ex eo quòd actus liberi procedunt à principio libero, argui in ipſo aliam inclinationem, vel potentiam, quàm obedientialem, ſi ſint ſupernaturales; ſicut non arguitur maior in principio vitali, quam obedientialem. Illa autem in voluntate includit libertatem, quæ cum ſit à natura, nõ tribuitur ab eleuatione; & ideo non eſt neceſſaria in ipſa alia inclinatio ad actus ſupernaturales, quàm quæ confert ad libertatem ipſorum: hæc autẽ eſt obedientialis ſola.

Tam voluntas, quam intellectus habet potẽtiam obediẽtialem.

Quartum eſt. Quia viſio eſt actio vitalis, ergo petit eſſentialiter cauſam proximam vitalem, Deus autem ad vitalitatem concurrit ſolùm, vt cauſa vniuerſalis, præter quam requiritur cauſa particularis completa in ratione potentiæ vitalis, & proinde complemento intrinſeco.

Confirmatur ex S. Thoma 2. contra gentes c. 59. rat. 4. vbi ad intelligendum docet debere ineſſe formaliter homini intellectum, & ideo non poſſe intelligere per intellectum ſeparatum;

S. Thom.

Digitized by Google

Ariſt. tum;& Ariſtoteles 2.de Anima t.24.definit animam eſſe actum intrinſecum corporis, igitur principium intelligendi non poteſt eſſe extrinſecum. Ad argumentum reſpondeo, concedendo antecedens, & conſequens, quia requiritur potentia intellectiua, à qua pendet eſſentialiter actio videndi, quæ vitalis eſt: ſed nego complementum eius in ordine ad actus ſupernaturales debere neceſſariò eſſe aliquid intrinſecum: probatum eſt enim ſupra non implicare, quòd compleatur extrinſecùs.

Requiritur ad actus vitales potentia vitalis, ſed compleri poteſt extrinſece ad operandum ſupernaturaliter.

Si quæras, cur integrum principiũ intellectionis non poſſit eſſe extrinſecum, ſicut poteſt vna pars eius, reſpõdetur, quia intellectio eſt operatio vitalis, & proinde à vita, ſine qua non eſt vitalitas: vita autem eſt intrinſeca viuenti. Ex quo patet.

Ad confirmationem: ibi enim diſputat S.Thom. contra Auerr. aſſerentem hominem diſtingui à brutis per intellectum paſſiuum, & ponentem intellectum vniuerſalem, per quem intelligat: probat autem intellectum, & voluntatem eſſe intrinſecam homini multis rationibus, quas non admittimus; ſed hinc non infertur, quòd intellectus non poſſit eleuari, per aliquid extrinſecum; multò minùs infertur ex eo, quòd anima eſt actus corporis organici, quæ eſt enim conſequentia, intellectus debet eſſe intrinſecus homini, & anima cum ſit eius forma, & actus, debet intrinſecè informare corpus, ergo etiam omnis cauſa eleuans ad operandum ſupernaturaliter, debet neceſſariò intrinſecè afficere,& informare? Certè nulla, vt patet ex dictis.

Quintum eſt. Quia ad actus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis neceſſaria eſt gratia præueniens, & auxilium Spiritus Sancti afficiens animam, & eius potentias ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 3. ergo ſine intrinſeco ſuperaddito iſtæ potentiæ ſunt impotentes operari ſupernaturaliter, alioqui non requireretur gratia præueniens, ſed ſufficeret concomitans, quæ poteſt eſſe extrinſecum Dei adiutorium. Multò magis id locum habet in viſione, quæ eſt ſupremus actus ſupernaturalis.

Reſpondeo, hinc ſumi argumentũ efficax contra primam Sententiam: nã licet neceſſaria ſit gratia præueniens ad actus iſtos ſupernaturales, tamen illa non eſt quid inhærens animæ, vel potentijs per modum actus primi, & principij illorum effectiui; ſed in peccatore, vel infideli ante gratiæ, & habituum infuſionem eſt ipſa actio vitalis, vt pendens à Deo concurrente per auxilium ſpeciale, non imprimendo aliquid animæ, ſed ſeipſo immediatè efficiendo ſimul cum potentijs illam actionem vitalem, vt docet Suar. l. 3. de aux. c. 4. à n. 7. & alibi; Sicut ergo Deus ſeipſo ſupplet vicem habituum nondum infuſorum in iſtis actibus, ita & in viſione poteſt ſupplere vicem luminis: quin neceſſaria iſthæc ſunt in genere cauſæ efficientis, quam Deus ſupplere poteſt, reſpectu omnium effectuum creatorum. Suar.

Sextum eſt, quia intellectus concurrit, vt potentia ſubordinata Deo, & accipiens virtutem ab ipſo, ergo concurrit vt inſtrumentum: hoc autem mouet motum, igitur per aliquid intrinſecum acceptum extrinſecè, nam per adiunctionem extrinſeci non dicitur moueri.

Reſpondeo, intellectum poſſe dici cauſam principalem, & inſtrumentalem ſecundùm diuerſas rationes, vt oſtendi tom. 1. diſp. 4.

Quod attinet ad præſentem difficultatem, reſpondeo dici inſtrumentã ẽ, non quia moueat, id eſt operetur, motus per aliquam receptionem intrinſecam præuiam viſioni, ſed ex eo quòd agat, vt inſeruiat agenti principali, qui eſt Deus, à quo eleuatur per potentiam ſuam applicatam ad eum finẽ, vt ſimul cum ipſo eliciat viſionem, de quo fuſiùs egi tom. 1. diſp. 1. quæſt. 4. c. 8.

Quomodo intellectus dici poſſit inſtrumentum ad viſionem

Septimum eſt, quia diuina eſſentia ſupplendo vices luminis, haberet aliquas proprietates lumini conuenientes, quales ſunt recipi, & finiri à potentia eleuata, concurrere vt cauſam materialem diſpoſitiuam potentiæ, & ſimiles, quæ repugnant eſſentiæ diuinæ.

Reſpondeo primo, per inſtantiam, nam per te diuina eſſentia concurrit per modum ſpeciei impreſſæ, abſque eo quòd illi conueniant eius munera

in-

inuoluentia imperfectionem, igitur idem dicam de ſupplemento luminis. igitur directè nego aſſumptum: cum enim diuina eſſentia contineat in ſe perfectiones omnium creaturarum ſine imperfectionibus, ſupplere poteſt efficientiam illorum, abſque eo quòd ſubeat conditiones ipſarum, & poteſt vniri, vt concauſa creaturæ, quam eleuat ad opera ſupernaturalia modo explicato ſuperiùs.

Octauum petitur ex auctoritate Concilij Viennenſis, cui conformis eſt doctrina S. Bonau. & S. Thomæ, & quia recentiores quidam afferunt illã pro vno principali fundamento ſuæ Sententiæ, exiſtimantque nefas eſſe ab illa recedere, ideo paulo accuratiùs videndum eſt, an ſecunda ſententia aliquid habeat, in quo diſſentiat ab ipſo.

An Concilium Viennenſe definiat eſſe impoſſibile videre Deum de potentia abſoluta ſine lumine gloriæ.

ITa videtur aſſerendum ex verbis eius in 3. tom. Conciliorum ſub Clemente V. anno Domini 1311. quæ & referuntur in Clementina Ad Noſtram de Hæret. vbi damnatur quintus error Beguardorum, & Beguinarum aſſerentium non eſſe opus lumine gloriæ ad videndum Deum. Quælibet (inquiunt) intellectualis natura in ſeipſa naturaliter eſt beata, & anima non indiget lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè perfruendum.

Oppoſitum definit Concilium, ita vt ſecundum ipſum tenenda ſit hæc propoſitio. Anima indiget lumine ad videndum Deum, & contradictoria tanquam erronea reijcienda, Anima non indiget lumine &c. Quòd ſi abſq; lumine videre poſſet, non diceretur illo egere, quia non egemus medio, ſine quo finem poſſumus aſſequi.

Neque valet communis reſponſio, nomine luminis gloriæ venire quodlibet auxilium ſupernaturale eleuans naturam; Primo, quia verba Concilij in ſenſu proprio ſunt accipienda, alioqui nihil erit firmum in definitionibus Conciliorum: per lumen autem gloriæ paſſim intelligunt Theologi qualitatẽ ſupernaturalem intellectus, eumque habilitantem in actu primo ad videndum Deum, cùm de ſe ſit impotens, & minimè proportionatus viſioni.

Secundò. Si quid aliud venire poteſt nomine luminis, maximè vel ipſa viſio, quaſi videri non poſſit Deus, & hoc non, quia non negabatur à Beguardis: vel influxus Dei concomitãs, & neque hoc, quia eſt idem realiter, cum ipſa viſione, vt pendet à Deo, etiam per te, & proinde definijſſet Cõcilium, non poſſe videri Deum ſine influxu ipſius, id eſt, ſine viſione, vt priùs.

Tertiò: Requiritur igitur à Concilio aliquid prius ipſa viſione à Deo impreſſum, per quod potentia obedientialis vltimò compleatur in actu primo ad videndum in actu ſecundo, idq; ex natura actus requirentis principiũ ſufficiens, & ſibi proportionatum, ac proinde formam, qua conſtituatur tale, quod eſt lumen, quia inſufficientia, & intrinſeca improportio tolli non poteſt ſine lumine; & ideo à Concilio definitum fuit, quòd ſit neceſſarium.

Sed hæc non obſtant, neque probant ita requiri lumen à Concilio, vt definiat etiam de potentia abſoluta nõ poſſe ſine ipſo videri Deum. Primò quia noluit demittere ſe ad decidendã controuerſiam inter Theologos agitatam; & ideo plures eorum, qui paulo poſt Concilium floruere, ſecundam ſententiam ſecuti ſunt, vt Aureol. Durand. Mayro, Ocham, Baccon. S. Antoninus, & alij, quibus adhærere recentiores fermè omnes, præter Thomiſtas.

Secundò. Hi probè nouerunt, mẽtem Concilij fuiſſe ſolùm damnare errorem aſſerentium poſſe naturæ viribus Deum videri, proinde non refragari Concilio, qui ſupernaturale auxilium ad hoc requirunt lumini æquiualens, & intellectum eleuans, in quo nulla eſt diſſenſio inter Catholicos fatentes infirmitatem virium naturalium ad operandum ſupernaturaliter, niſi diuinitus iuuentur. Solum damnat aſſerẽtes poſſe viribus naturę Deũ videri.

Tertiò. Modus arguendi aduerſarij eſt vitioſus, & proinde ineptus ad Concilij mentem declarandam; eſt enim à ſecundùm quid ad ſimpliciter, ſicut ſi diceretur: Panis eſt neceſſa-

rius ad vitam, ergo ſine pane eſt ſimpliciter impoſſibile viuere:cum tamen alijs cibarijs vita ſuſtentari queat,licèt ordinariè ad illam adhibeatur panis. Eſt etiam argumentum ab affirmatiua de predicato ſuperiore ad negatiuam de eodem: vt ſi dicas, homo eſt animal, ergo quod non eſt homo, non eſt animal, non valet. Neq; hæc alia in propoſito, lumen gloriæ eſt neceſſarium, & ſufficiens cum intellectu ad viſionem, ergo quod non eſt lumen, neq; neceſſarium eſt, neq; ſufficiens cum intellectu ad viſionem, non concludit; Antecedens enim eſt verum de lege ordinaria, falſum de potentia abſoluta: conſequentia idcirco negatur. Concilium igitur loquitur de potentia ordinaria,cum lumen definit eſſe neceſſarium: extraordinariam relinquit diſputationi Scholaſticorum, qui omnes in hoc conueniunt; vel lumen, vel quid aliud lumini æquiualens ſemper eſſe neceſſarium ad videndum Deum.

Concilium loquitur de potentia ordinaria.

Ex quo patet ad inſtantias allatas. Ad primam concedo, lumen accipi à Concilio, vt communiter accipitur à Theologis, quia loquitur de facto, & non de poſſibili, ſecundùm abſolutam Dei potentiam. Ideo non ſunt contradictoria, non poſſe de potentia ordinaria, & poſſe de extraordinaria. Hinc patet.

Ad ſecundam. Nam per lumen non intelligitur à Concilio neq; viſio, neq; influxus, ſed qualitas eleuans intellectum; ſed hinc non infertur,quòd implicet ſine ipſo videri Deum, aut quòd hoc intenderit Concilium.

Ad tertiam, concedo primam partem argumenti, nego alteram, quia nulla eſt exigentia neq; in intellectu, vt eleuetur per lumen: neq; in actu, vt producatur potius à lumine, quàm ab alio principio ſupernaturali, licèt ex diuina inſtitutione ordinante hominem ad viſionem beatam infundatur lumen, vt potentia connaturalius operetur informata habitu.

Ad auctoritatem SS. Bonauent. & Thomæ, vt reſpondeatur, videndum eſt de quolibet ſingillatim, quid ſenſerit.

AN IN SENTENTIA

S. Bonauenturæ implicet Deum videri ſine lumine gloriæ.

CAP. XII.

I. *Non implicat Deum videri ſine lumine gloriæ iuxta principia S. Bonau.*

II. *Soluuntur obiectiones ex eius auctoritate petitæ.*

III. *Non tamen videri Deus poteſt abſq; auxilio ſupernaturali.*

NVLLIBI ex profeſſo tractauit quæſtionẽ hanc Doctor Seraphicus, ſed poſſe adnumerari Auctoribus ſecundæ Sententiæ ſuadent coniecturæ ſequentes. LXIV.

Primo, quia ſic ſentiunt Interpretes eius Petr. Trig. 1. p. q. 7. a. 1. dub. 5. Franciſcus Longhus 1. p. q. 12. art. 3. Petrus Maria Zamoro tract. 2. q. 9. a. 1. quamquam enim hic non explicat S. Bonau. vt cæteri expoſitores, tamen initio operis profitetur ſe conciliatorem in præcipuis quibuſdam difficultatibus trium Doctorum SS. Bonau. Thomæ, & Scoti, vt proinde conformes, & in hoc ſint omnes tres; cùm igitur de mente Scoti res ſit in comperto, idem iudicium ferendum de SS. Doctoribus, quos illi conciliare ſatagit.

Ita ſentiunt eius interpretes.

Secundò indicant hoc principia S. Bonauenturæ in aſſignando modo, quo cognoſci poſſit, an res aliquæ implicent, quem retulimus primo tomo diſp. p. q. Doctrina quippe vniuerſalis eius eſt, quam tradit in 1. ſentent. diſt. 42. art. 1. qu. 3. Deo omnia eſſe poſſibilia, quæ non inuoluunt priuationem omnis exiſtentiæ, vt facere, quòd non fuerit id quod fuit: aut quę ſunt impoſſibilia ſecundum illuſtrationem veritatis æternæ, & ordinem diuinæ ſapientiæ, vt quòd duo oppoſita inſint eidem ſecundùm idem; hoc enim veritas æterna eo ipſo quòd veritas eſt, iudicat impoſſibile, ſicut & hoc, quòd duo, & tria non ſint quinque; & vniuerſaliter quæ continent affirmationem, & negationem de eodem

Digitized by Google

dem, ſiue ens, & non ens dicuntur impoſſibilia ſecundùm ſe, & inuoluere priuationem omnis exiſtentiæ, & iudicari impoſſibilia à prima veritate, cuius participatione omnis intellectus cratus per lumen, ſiue illuſtrationem naturalem iudicat repugnantia; Atqui intellectum creatum poſſe per extrinſecum adiutorium eleuari ad videndum Deum, non inuoluit affirmationem, & negationem de eodem, quia per illud redditur potens, ne dicas gratis, quòd ſimul eſſet potens, & non potens, igitur in ſententia S. Bonauenturæ nulla eſt repugnantia.

Tertiò. Poteſt Deus reſtituere innocentiam, & delere culpam, non infundendo gratiam, vt docet idem in 2. diſt. 28. a. 1. q. 1. ad vltimũ, quo caſu ex odibili, & inimico fieret homo non odibilis, & non inimicus, ergo multò magis poteſt facere intellectum potentem videre per extrinſecum adiutorium ſine infuſione luminis. Patet ſequela, quia in primo caſu nihil extrinſecum producit concurrens ad reſtitutionem innocentiæ, ſed per ſolam condonationem culpæ fit ex peccatore, & inimico non peccator, & non inimicus licet non iuſtus complete. In ſecũdo autem addetur adiutorium Dei, quod in actu primo eſt diuina adſiſtentia, in ſecundo eſt ipſe cõcurſus.

Quartò. In 3. ſent. diſt. 21. a. 2. q. 2. ſecundùm affert diſcrimen inter carnem Chriſti, & animam, quòd illa vnita quidem erat Verbo in triduo mortis, ſed non recipiebat ab ipſo vitam, quia non eſt viuificabilis niſi à forma proportionata: hæc verò cùm ſit Imago Dei, & immediatè nata ferri in Deum, capax eius eſt, & particeps eſſe poteſt, & ita immediatè habitab illo, & in illo viuere per cognitionem, & amorem, concurrendo ſcilicet cum anima ad has operationes particulares in genere cauſæ efficientis, diuerſo modo, quàm concurrat cum alijs, quibus non eſt vnitum hypoſtaticè, igitur ſupplere poteſt, vicem luminis ſi habet immediatè ab ipſo cognitionem, & amorem.

Quintò. Huc pertinet, quod in genere cauſæ efficientis poteſt Deus ſe ipſo facere quod facit per cauſas ſecundas, vt docet in 1. diſt. 4. a. 1. q. 1. cum S. Th. 1. p. q. 105. a. 2. ſupra citato, igitur poteſt facere ſe ſolo quod facit cum lumine, quod concurrit in genere cauſæ efficientis, vt conſtat ex eodem S. Bonau. in 3. diſt. 14. a. 1. q. 1. & alijs communiter; ob hanc enim cauſam infunditur vt potentia intellectiua ſimul cum ipſo fiat ſufficiens principium viſionis, & ipſam eliciat ſimul cum illo. Et quamuis inhærendo potentiæ in genere cauſæ formalis ipſam afficiat: tamen hoc eſt per accidens virtuti effectiuæ, quæ non pendet ab inhærentia in productione viſionis, ſed ſolùm in quantum eſt accidens, quod operaretur etiam non inhærens, vt ſupra dixi.

Sextò. Plura ſunt, quæ videntur difficiliora, & ea tamen explicat S. Bonau., ſoluitque obiectiones in contrarium, quidni igitur concedat hoc, quod eſt facilius, & à tam multis Theologis defenditur? Antecedens patet inducendo per fidei myſteria ab ipſo elucidata, & per alias quæſtiones à Scholaſticis agitatas. Talis eſt conceptio Verbi diuini à Virgine, cuius potentiam generatiuam docet fuiſſe eleuatam in 3. diſt. 4. p. 2. a. 1. qu. 2. [illegible] enim in hoc mirabili opere miracula? Item quòd corpus Chriſti Domini mutatum in cœlo incipiat eſſe in plurimis hoſtijs per conſecrationem, vt habet in 4 diſt. 10. a. 1. q. 1. & ſeq. nam multiplicatio iſta, conuerſio vnius ſubſtantiæ in aliam ſubſtantiã exiſtentiam accidentium ſine ſubiecto, & ſimilia, quæ de facto contingunt, videntur magis repugnare, quàm quòd Deus ſe ipſo præſtet, quod cum lumine præſtaret.

Quod autem affertur in contrarium, non poſſe ſuppleri cauſalitatem formalem, & informationem luminis, quæ hîc interuenit, & falſum eſſe ſupra viſum eſt Auctoribus ſecundæ ſententiæ requirentibus probationem efficacem vbi agitur de diuina omnipotentia, & ſtando in diſcurſu naturali, non habet maiorem vim, quàm ſi Philoſophus diceret de ratione accidentis eſſe actualem inhæſionem, & non aliunde probaret, quàm quòd hæc ſit eius eſſentia, quod tamen non ſubſiſtere fide diuina docti confitemur. Similiter quòd lumen eleuet intellectum in- LXV.

Digitized by Google

trinſecè afficiendo, de facto omnes concedimus, quòd aliter eleuari ſit impoſſibile, cùm non probet aduerſarius, poſſeſſio ſtat pro Dei omnipotentia attingente valenter quicquid non implicat, licet non informet.

Tale etiam reputatur, quòd tres perſonæ diuinæ poſſint vnam, & eandem numero naturam aſſumere; ſi enim neges poſſe, quia cùm ſubſiſtentia ſit vltimus terminus, ſequeretur naturam illam eſſe vltimò terminatã, quia ſubſiſtit per vnam ſubſiſtentiam, & non vltimò terminatam, quia rurſus ſubſiſtit per alias, diceres aliquid in ſpecie probabilius, quàm quòd intellectus ſine lumine eſſet potens, quia videret, & non eſſet potens, quia ſit talis per lumen, & non aliter, quod gratis aſſumis. Et nihilominus S. Bonau. in 3. diſt, 1, a. 1. q. 3. ad argum. In hoc tamen, inquit, non excluditur omnis alius modus aſſumptionis, quia cum multa Deus poſſit facere, quæ intellectus noſter non videtur poſſe capere, quis audebit aſſerere, quòd tres perſonæ non poſſit vnum, & eumdem hominem aſſumere,& ratio eſt ex parte Dei infinita potentia eius, ex parte verò creaturę omnimoda ſubiectio ad omnes tres perſonas, ob quam nulla apparet in hoc repugnantia: Et idem iudicium eſt de cæteris mirabilibus noſtræ fidei, quæ vel ex inſtituto, vel per occaſionem perſequitur S. Bonau. in ſuis libris,& eorum rationem à diuina omnipotentia, & ex intrinſeca rerum poſſibilitate deſumendam docet.

Tres perſonę poſſunt vnam,& eandem naturã aſſumere.

Obijcies primò, quia S. Bonau. in 3. diſt. 2. a. 3. q. 2. quærit, an anima Chriſti aſſumpta fuerit à Verbo mediante aliquo habitu gratuito, & arguit, quòd ſic, quia plus eſt animam vniri Verbo, quàm frui Deo, at non fruitur Deo, niſi mediante aliquo habitu gloriæ, per quem fit deiformis, ergo nec vnitur Verbo, niſi medio aliquo habitu gratiæ, per quam fit deiformis excellentiùs, quàm per gloriam.

Reſpondens autem huic argumento, negat paritatem, quia fruitio dicit actum animæ, reſpectu cuius gratia eſt cauſa, quia ab ipſa habilitatur, adiuuatur,& regulatur ad ipſum eliciendum: natura autem humana vnitur Verbo ſine vllo actu ſuo, & habet rationem paſſiui, & ideo non eget habitu adiuuante, & regulante. Ex qua doctrina ſic argumentor. Lumen gloriæ ponitur propter viſionem, ergo ſine illo non poteſt eſſe viſio, quia anima de ſe non eſt potens, ſed debet adiuuari. Deinde ad fruitionem requiritur gratia, vt cauſa, ergo & ad viſionem lumen.

Neq; valet diſtinctio de potentia, ordinaria, & abſoluta, quia hic ſermo eſt de abſoluta: ait enim impoſſibile eſſe animam aſſumi medio aliquo habitu creato vt cauſa, eò quòd hæc vnio faciat hominem eſſe Deum, quòd per nullum habitum creatum effici poteſt.

Reſpondeo, quòd tàm fruitio, quàm viſio ſunt actus ſupernaturales,& ideo ad ipſos requiritur auxilium aliquod ſupernaturale, cùm ſuperent vires naturæ, & hoc tantùm intendit S. Bonau. Verùm hoc auxilium de facto eſt lumen gloriæ ad viſionem, & gratiæ, quæcumque illa ſit ad fruitionem: de abſoluta potentia non negat poſſe eſſe diuinam omnipotentiam in ſenſu prædicto, in quo eſt diſparitas ab humana natura, quæ non habet rationem agentis, vniendo ſe Verbo, ſed paſſiui, vel recipiendo in ſe vnionem, ſi eſt modus diſtinctus; vel immediatè ſubſiſtendo per verbum, cui ſeipſa vnitur, operante Deo, ſi non datur modus diſtinctus, iuxta varias ſententias de re iſta.

Tam ad fruitionem quã ad viſionem requiritur auxilium ſupernaturale.

Obijcies ſecundo, quia S. Bonau. in 3. diſt. 14. a. 1. qu. 1. quærit, qua cognitione Chriſtus cognoſcat Verbum, & reiectis alijs modis, hunc probat, qui eſt per aſſimilationem cognoſcentis ad cognitum, & ita per aliquam influentiam, quæ ipſam animam cognoſcentem faciat Deo ſimilem, ac Deiformem, atque adeo per aliquid inhęrens animæ creatum, ſiquidem increatum non poteſt eſſe forma animę; quomodo enim (inquit) anima poteſt æternum lumen cognoſcere, & claritatem ſummam intueri, quin ipſa efficiatur clara, & luminoſa? &c. Ergo non ſufficit ad viſionem adiutorium extrinſecum: per hoc enim non efficitur anima luminoſa, quia non influit

fluit in ipſam. ſed in viſionem.

Confirmatur, quia ſi hoc requiritur in anima Chriſti vnita, & per illud deificata, quantò magis in reliquis bonis carentibus hoc dono?

Reſpondeo, ſolùm contendit ab anima Chriſti cognoſci Verbum per cognitionem creatam, & non per ſapientiam ipſam increatam Verbo identificatam realiter, vt quidam putabant; an autem illa creata cognitio fieri poſſit à Deo ſine lumine, neque ibi tangit S. Doctor, neque ex eo deduci poteſt, quòd Chriſtus Dominus cognitione creata cognoſcit Verbum; Et ita nego ſequelam, quia anima ex hoc quod Verbũ intuetur, fit luminoſa per ipſam viſionẽ, neq; poſſibile eſt, non fieri talem; & quamquam per lumen in actu primo fit luminoſa, tamen ibi ſermo eſt de actu ſecundo viſionis, per quẽ fit deiformis, quia aſſimilatur obiecto viſo. Patet hoc ex toto diſcurſu queſtionis, An anima Chriſti per aliquid creatum videat Verbum, ideſt, an per cognitionem diſtinctam à Verbo. Ex quo reſponſum eſt confirmationi, eadẽ enim quoad hoc eſt ratio animæ Chriſti Domini, & cæterorũ. Sed tunc.

Anima Chriſti fit luminoſa, & deiformis per viſionem qua aſſimilatur obiecto viſo.

Obijcies tertio, quia ibi afferens rationem à priori ſuæ aſſertionis docet ſufficere ad cognitionem quamlibet vnionem, etiamſi ſit hypoſtatica, ſed talem, quæ reddat intellectum ſimilem obiecto intelligibili, & quodammodo formetur ab ipſo; at hæc conformitas, & formatio non poteſt fieri formaliter niſi ab aliquo intrinſeco, quod ſe teneat ex parte actus primi: nam anima vt videat claritatem illam, debet eſſe Deiformis, igitur deiformitas eſt ante viſionem, & non niſi per quid informans.

Duplex eſt deiformitas.

Reſpondeo duplicem eſſe conformitatem obiecto, ac deiformitatem obiecto vna eſt inchoata, & quaſi in via, per quam potẽtia naturalis eleuatur in actu primo: altera perfecta, & vltimata, per quã actualiter tendit in obiectũ, & ipſum exprimit, fitq; ſimilis, imò & idem, iuxta dictum commune, quòd intellectus fit idem cum re cognita ex 3. de Anima tom. 37. *omnia ea, quæ ſunt quodammodo eſt anima*, de quo S. Th. 1 p. q. 12. a. 2. & Caet. ibi, quæ dicitur conſideratio ſummi veri, & actus perfectiſſimus in contextu illo. Prima ſuppleri poteſt, quod non negat ibi S. Doctor. Secunda non poteſt, quia eſt vitalis expreſſio obiecti, & proinde actus creatus à potentia naturali manens, eamq; formaliter intelligentem denominans; & ideo ipſam intrinſecè afficiens, quod præſtari non poſſe ab increato verbo pluribus docet ibi S. Bonau. qui vniuerſaliter docuerat in 1. diſt. 17. a. 1. q. 1. in arg. 2. Sed contra; Deum neq; afficere, neque recipi potentiæ in ſubiecto.

Ariſt.

QVID SENSERIT

Sanctus Thomas de hac controuerſia.

CAP. XIII.

I. *Afferuntur varia loca S. Thomæ fauentia noſtræ ſententiæ.*

II. *Conciliantur quæ in ſpecie videntur inter ſe contraria.*

III. *Reſponſio ad argumenta.*

NOSTRI ſcriptores communiter patrocinium ſuæ ſententiæ, quę eſt ſecunda ſupra relata, quærunt à S. Thoma; præcipui Thomiſtarum adnumerant, vt patronum primæ; Ego cum noſtris cenſeo, non denegaſſe S. Doctorem diuinæ potentiæ, quòd poſſit ſupplere vicem luminis gloriæ, quia clariora habeo pro iſta opinione, quàm pro contraria; quicquid conentur ea interpretari aliter, vel eludere, qui aduerſantur noſtræ ſententiæ. LXVI.

Primum eſt in 4. diſt. 49. qu. 2. a. 7. Poteſt; inquit, miraculosè fieri, quòd diuina virtute aliquis intellectus creatus non habens niſi diſpoſitionem viæ eleuetur ad videndum Deum per eſſentiam &c. Diſpoſitiones autem viæ appellat, per quas videri nequeunt, niſi res creatæ per ſpecies à ſenſu abſtractas, vt patet ex verbis antecedentibus, homo enim, *inquit*, *per diſpoſitiones omnes, quas in ſtatu viæ habet, non poteſt aliquid amplius, niſi vt intelligat omne*, quod intelligit per ſpecies à ſenſu abſtractas, &c.

Intellectus cum ſolis diſpoſitionibus viæ eleuari poteſt ad videndũ Deum ex S. Thom.

Ibidem ad quartum, ait viſionem Moyſi conceſſam non fuiſſe ex diſpoſitione

ſitione in intellectu exiſtente, ſed ex ſola diuina virtute. Et ratio vniuerſalis eſt, quam habet ibi in corpore articuli, quia quæ fiunt miraculosè, non dicuntur poſſibilia ſecundùm naturam, in qua fiunt, ſed ſecundùm virtutem facientis tantum, &c.

Actionis principium intrinſecum, & extrinſecum.

Altera auctoritas eſt q. 10. de Verit. a. 11. vbi primum diſtinguit actionem in eam, cuius principium eſt in agente, vt contingit in omnibus naturaliter operantibus; & in eam, cuius principium eſt extrinſecum, ſicut eſt, inquit, in motibus violentis, & ſicut eſt in operationibus miraculoſis, quæ non fiunt niſi virtute diuina, vt illuminatio cæci, ſuſcitatio mortui, &c. Menti autem noſtræ in ſtatu viæ non poteſt conuenire viſio Dei per eſſentiam, ſecundùm primum modum.

Et ſtatim reddit rationem, quia ſicut diuinę omnipotentiæ, ait, ſubiecta ſunt corpora, ita, & mentes. Vnde ſicut diſpoſitio in ipſis corporibus nō inuenitur, v. g. Petrum ſuper aquis ambulare, ſine hoc, quod dotem agilitatis ei tribueret; ita poteſt mentem ad hoc perducere, vt diuinæ eſſentiæ vniatur illo modo, quo ſibi vnitur in patria ſine hoc quod à lumine gloriæ perfundatur.

Dices cum Capreolo in 4. diſt. 49. q. 4. ad 4. Dur. quem plures Thomiſtę ſequuntur, S. Doctorem retractaſſe in ſumma locis mox citandis.

Omitto coniecturam aſſerentium D. Thomam in libros Sentent. admouiſſe calamum poſt abſolutam ſummam, quia Commentaria in Magiſtrũ fuiſſe primum eius ingenij partum communis eſt opinio more Academiæ Pariſienſis confirmata, in qua iuuenis admodum ad cathedram Theologalem aſſumptus libros illos illuſtrare cæpit ea eruditione, ac plauſu, vt nata deinceps occaſione multiplici, & plurium ad S. Doctorem, vt ad oraculum quoddam recurrentium poſtulatione, tractatus varios compulſus ediderit: ac demum vniuerſam pęne Theologicam materiam varijs, vt luminibus diſperſam in ſummam methodo mirabili reduxerit, cui neque manum extremam dare potuit auocatus neceſſitate boni communis Chriſtianæ Reipublicæ, & morte immatura præuentus; quamquam & opinantibus gratis poſteriorem tempore eſſe explicationem librorum Sententiarum idem adeſt labor conciliandi cum ipſis dicta in ſumma, niſi forte, mutatam ſententiã à S. Doctore aſſerant, & illi ſtandum, quam ſenior, retractata priore, amplexus eſt. Ego inire malim rationem aliquam concordiæ inter dicta S. Thomæ, ne ſibi concors non videatur, aut reuocaſſe in ſumma, quod alibi non ſemel diſertè ſerioque docuerat: quamquam id ægrè fieri poſſe videtur conferenti ſuperiores auctoritates cum ſequentibus, quas loco argumentorum ſubijcio.

Commentaria in libros ſententiarũ ſcripta ante ſummam à S. Thoma.

Primò namque 2. 2. q. 175. a. 3. ad 2. ait; *diuina eſſentia videri ab intellectu creato non poteſt, niſi per lumen gloriæ, de quo dicitur in Pſalmo 35. In lumine tuo videbimus lumen, quod tamen men dupliciter participare poteſt, vno modo per modum formæ immanentis, & ſic beatos facit Sanctos in patria. Alio modo per modum cuiuſdam paſſionis tranſeuntis, ſicut dictum eſt de lumine Prophetiæ, & hoc modo lumen illud fuit in Paulo, quando raptus fuit.*

Lumen gloriæ dupliciter participari poteſt.

Quæſt. 13. de Verit. a. 2. *Lumen, inquit, gloriæ dupliciter menti infunditur, vno modo per modum formæ materialis, & permanentis; & ſic facit mentem ſimpliciter beatam, & hoc modo infunditur beatis in patria. Alio modo contingit mentem humanam tamen gloriæ, ſicut quædam paſſio tranſiens: & ſic mens Pauli in raptu fuit lumine gloriæ perfuſa vel illuſtrata.*

Item 3. p. q. 45 a. 2. c. *eodem modo loquitur de claritate, & agilitate, & ait, quòd claritas in transfiguratione Chriſti Domini non fuit per modum qualitatis immanentis, & afficientis ipſum corpus, ſed magis per modum paſſionis tranſeuntis, ſicut cùm aër illuminatur à Sole; vnde ille fulgor tunc in corpore Chriſti apparens miraculoſus fuit, ſicut & hoc ipſum, quod ambulauit ſuper vndas maris, &c.*

Iuxta diſtinctionem iſtam ſæpiùs à S. Thoma repetitam intelligi volunt plerique Thomiſtarum auctoritates alias Sancti Doctoris, in quibus abſolutè pronunciat poſſe per abſolutam potentiam videri Deum ſine lumine

vide-

videlicet permanenti, cum non poſſit ſine tranſeunte. Sed quia expoſitio iſta videtur violenta textui excludenti omnem diſpoſitionem ſupernaturalem ab intellectu videntis Deum in via tranſeunter; ideo alij apertè fatemur cũ Capreolo ſupra Doctorem S. retractaſſe in ſumma. Alij aliter explicant, vt videre eſt in promptu apud recentiores eorum reſponſiones examinantes.

LXVII. Suar. Mihi arridet ſententia Suarij loc. cit. de Attrib. S. Thomam in Sententijs, & vbicumque affirmat videri poſſe Deum ſine vlla diſpoſitione ſupernaturali, loqui de potentia abſoluta. Vbi verò requirit lumen, vel per modum habitus, vel per modum tranſeuntis, attendiſſe ad legem ordinariam, iuxta quã agentia cõnaturalius agunt informata aliquo intrinſeco principio, quod poteſt eſſe aliqua qualitas tranſiens, vt dixi tom. 1. diſp. 1.

Confirmatur reſponſio principalis ad quæſitum, & ſimul diſtinctio iſta, primo, quia Durand. in 4. diſt. 49. q. 2. num. 23. ita D. Thomam interpretatur. Et Palud. ibid. q. 1. art. 3. habet, quòd de potentia Dei abſoluta poſſet eſſe viſio Dei ſine habitu, & ſine diſpoſitione, & ſubdit rationem, quia cum omnis potentia cognitiua extendatur ad cognoſcendum omne, quod cadit ſub formali ratione ſui obiecti, idque habeat per eſſentiam, & non ex aliquo habitu, vel diſpoſitione ſuperueniente, Deus eſſet imperfectæ potentiæ actiuæ, niſi nudam potentiam poſſet reducere ad actum, ad quem eſt; quæ ratio ſupponit, non eſſe dependentiam eſſentialem viſionis à lumine, & proinde neque repugnantiam, quòd ſuppleatur eius actiuitas à Deo valente ſupplere omnem actiuitatem Creaturæ, vt ſupra ex D Thoma cùm ſit virtutis infinitæ, & virtus virtutum, vt loquitur S. Bonau. in 1. diſt. 43. a. 1. q. 1. c. ex propoſitione 16. lib. de Cauſis. Conſequenter continet quicquid eſt perfectionis in cauſa creata finita non ſolùm naturali, ſed etiam ſupernaturali; vnde ſi poteſt hanc eleuare ad agendum per auxilium ſupernaturale, poterit etiam per ſeipſum.

Durand.

Palud.

Deus infinitæ virtutis, & virtus virtutum.

Inſtabis. Ideo S. Paulo communicatum eſſe ait lumen tranſiens, quia ſine lumine impoſſibile eſt videri eſſentiam diuinam; quòd ſi de potentia abſoluta poſſit, cùm raptus ille fuerit effectus potentiæ abſolutæ, cõſequentiùs erat, vt illi reſponderet modus agendi de potentia abſoluta, qui eſt ſine lumine vllo.

Reſpondeo effectus miraculoſos poſſe multis modis fieri à diuina potentia; in primis enim ipſa facti ſubſtantia vires naturę ſuperans poteſt ad abſolutam potentiam pertinere, quando nulla poſita lex à Deo illius cauſationis, vt poſita eſt in Sacramentis, ſed extraordinariè fit, vt contingit in reſuſcitatione mortui. Deinde quoad modum cauſandi talem effectum poteſt Deus ſe ſolo, vel cum creatura operari; idque vel imprimendo ipſi aliquid intrinſecum, vt eleuetur, & fiat potens operari ſupernaturaliter, de quo non eſt controuerſia inter Catholicos admittentes qualitates ſupernaturales; vel applicando ſuam omnipotentiam per decretum operandi cum creatura effectum ſupernaturalem, quod negat ſecunda ſententia, ſed ſine fundamento oſtendente implicantiam; & ideo dico, vtrumque modum eſſe congruentem effectui ſupernaturali, quia cùm pendeat à diuina voluntate citra creaturæ exigentiam, tota congruentia ab illa attendi debet; ſiue enim per ſe immediatè, ſiue media qualitate intrinſecè eleuante creaturam agere velit, congruum eſt quod vult; Nihilominus imprimens potentijs aliquid intrinſecum, dicitur agere ſecundum legem ordinariam, non quia ſemper effectus ſupernaturalis manet à tali qualitate: ſed quia quando emanat, actio eſt conformior agentibus, quæ ſecundùm legem ordinariam à conditore impoſitas agunt per virtutes ab ipſo acceptas; & ad hanc reſpiciens S. Thomas in prædictis effectibus agnoſcit aliquid per modum qualitatis tranſeuntis, quos tamen aliàs fieri poſſe affirmat ſine vlla diſpoſitione intrinſeca, vt contingit in motibus violentis, qui fiunt virtute extrinſeca paſſo.

In modo operandi miracula congruum eſt quod Deus vult.

Inſtabis, quia in 4. Sent. affert idem exemplum Moyſis, & S. Pauli, quod & in Summa, & in quæſt. 13. de verit. igitur

igitur vbique requirit in eorum viſionibus lumen per modum paſſionis trāſeuntis, cum eleuati fuere ad videndā Dei eſſentiam, quia de hoc expreſsè meminit his locis, & cum in 4. Sent. aſſerit habuiſſe i los ſolùm diſpoſitiones viæ, non excludit lumen per modum paſſionis tranſeuntis, quia hoc eſt proprium viæ, nam beati habent lumen habitualiter permanens.

Reſpondeo, hinc confirmari aſſertionem noſtram, quòd vtroque modo poſſit Deus eleuare potētiā vitalē ſcilicet per paſſionem tranſeuntem, & per adſiſtentiam diuinam, ſine illa qualitate, & cùm non conſtet, quo potiſſimùm vtatur, de vtroque probabiliter loquitur S. Thom. quia alterutro vti potuit, & indifferenter vtrumque vſurpat: alioqui non ſolùm Summa aduerſaretur Sententijs, ſed etiam articulus 13. articulo 11. de Veritate citato ſuperiùs, in vno enim nō requirit lumen, in altero requirit. Neque valet diſtinctio de tranſeunte, & permanente, quia vtrumque illuſtrat mētem, quam tamen art. 11. neque perfuſam, neque illuſtratam in viſione illa docet. S. Doctorem à contradictione liberas, ſi dicas, vel illum problematicum in re dubia, & aduertas ad textum Sententiarum, in quo inter viæ diſpoſitiones non poteſt ponere lumen tranſiens, quia per hoc non videntur res, quarum ſpecies abſtractæ ſint à ſenſibus, quales ſunt omnes viæ diſpoſitiones, vt ſupra notauimus; vel de diuerſa potentia explices.

D. Thomæ cōciliantur loca in ſpeciem contraria.

Reliquum eſt argumentum principale, quia vt videatur clarè diuina eſſentia, neceſſe eſt, vt vniatur intellectui per modum ſpeciei impreſſæ; ſed hæc vnio non poteſt fieri ſine lumine, ergo neque viſio. Maior probatur ex 1. p. q. 12. a. 2. ad vlt. & 3. cont. gent. c. 51. Manifeſtum eſt igitur (ait) quòd eſſentia diuina poteſt comparari ad intellectum creatum, vt ſpecies intelligibilis, qua intelligit, &c. Minor etiam probatur ex eadem quæſt. a. 5. c. vbi requirit lumen tanquam diſpoſitionem ad hoc, vt diuina eſſentia fiat forma intelligibilis intellectus creati. Quod repetit 3. cont. gent. c. 52. & de Verit. q. 8. a. 3. & alibi, ob eam maximè rationē, quia vniuerſaliter quod eleuatur ad aliquam formam ſupra ſuam naturam, debet diſponi aliqua diſpoſitione ſuperante eandem naturam, quia forma, & vltima diſpoſitio eius debent eſſe eiuſdem ordinis.

Neque valet dicere, cum Vazq. 1. p. diſp. 43. c. 3. hoc verum eſſe de forma, quæ inhæret ſubiecto, non de diuina eſſentia, quæ inhærere non poteſt, quia diuina eſſentia vnitur, vt forma intelligibilis, & ideo requirit etiam ſuam diſpoſitionem, ſicut forma naturalis requirit ſuam. Deinde quia hoc eſt proprium ſpeciei intelligibilis formaliter ſumptæ, vt vniri non poſſit, niſi potentiæ habenti virtutem ſufficientem ad intelligendum obiectum talis ſpeciei: tum quia ad hoc vnitur, vt potentia illa vtatur, ac proinde nō poteſt vniri potentiæ non valenti ea vti; tum quia vltimatè complet potentiam, atque adeo ſupponit in ea, quæ requiruntur ad intelligendum ex parte ipſius; tum quia ſicut repugnat vniri formam materiæ primę, quæ non eſſet intra latitudinem materiæ, ita & repugnat vniri ſpeciem intelligibilem potentiæ, quæ non habet vires ſufficientes ad intelligendum.

Cum igitur intellectus creatus ſit impotens ex ſe ad videndam eſſentiam diuinam, debet fieri potens per lumē, ad hoc, vt eſſentia vniatur ipſi in ratione ſpeciei intelligibilis.

Neque valet ſecundo ſi dicas, cum eodem Vazq. quòd licet ad formam naturalem ſubſtantialem requiratur aliqua diſpoſitio vltima eidē proportionata; non tamen ad formam ſupernaturalem, quia cùm talis diſpoſitio debeat eſſe ſupernaturalis, requireretur ad ipſam alia diſpoſitio, & ſic in infinitum. Non valet, inquam, quia non quælibet forma petit diſpoſitionē prȩuiā, ſed quæ eſt vltima in aliquo genere, vt patet in formis naturalibus, in quibus forma dans eſſe ſpecificum requirit diſpoſitiones in ſubiecto: iſtæ tamen non requirunt alias in infinitum; & in ſupernaturalibus gratia ſanctificans, quæ eſt vltima conſtituens in eſſe ſupernaturali animam, quam reddit participem diuinæ naturæ, requirit diſpoſitiones in adultis, & vniuerſaliter ſaltem habet ſecum habitus infuſos, qui ſunt priores in genere cau-

ſe

ſæ materialis, & diſpoſitiuæ.

Reſponſio huius argumenti inuoluit quæſtiones varias, puta, an diuina eſſentia vniatur intellectui beati per modum ſpeciei intelligibilis, quod affirmant Thomiſtæ in q. illam 12. primæ partis, negat Suarius l. 2. de Attrib. c. 12. putans coniungi, & concurrere ſolùm per modum obiecti, & Vazq. negans alium concurſum, quàm vniuerſalem eſſentiæ, quia ad particularem ſufficit lumen à quo viſio habet eſſe ſupernaturale &c. Item an ad coniunctionem eſſentiæ cum intellectu, ſiue per modum ſpeciei intelligibilis, ſiue ſolùm per modum obiecti ita ſit neceſſarium lumen, vt implicet ſine illo talis coniunctio, & ſimiles, quibus in noſtra ſententia ſatisfit, negando talem neceſſitatem, vel implicantiam, quæ nunquam oſtenſa eſt; tamen in forma ad argumentum.

Suar.

Vazq.

LXVIII. Reſpondeo diſtinguendo maiorem, nam vniri, vt ſpeciem intelligibilem accipitur, vel ſtrictè, ac rigorosè, ſecundùm omnia munera ſpeciei impreſſæ; vel latè, & ſecundùm ſimilitudinē aliquorum munerum. Hoc ſecundo modo eſſentia diuina dici poteſt vniri per modum ſpeciei, quia mouet intellectum, & concurrit cum illo, ac determinat ad talem cognitionem. Primo modo non dicitur concurrere, vt ſpecies, quia non inhæret, neque informat intellectum, vt omnes aliȩ ſpecies impreſſæ, quæ ſunt vicariæ obiecti, illique aſſimilant potentias, quoad eſſe cognoſcibile.

Ex quo patet ad probationem ex S. Thoma, non enim quoad omnia munera ſpeciei impreſſæ adſimilat diuinā eſſentiam, ſed quoad aliqua, ratione quorum recipit hanc denominationem.

Ad minorem argumenti reſpondetur, negando hanc vnionem fieri non poſſe ſine lumine, & ad probationem dico, non oſtendi implicantiam, cur vnio formæ ſupernaturalis vltimatæ fieri non poſſit per abſolutam potentiam ſine præuijs diſpoſitionibus, dato quod illæ eſſent neceſſariæ, ſecundùm legem ordinariam; Prȩterquam quòd diuina eſſentia non venit ſub regulam iſtam, quia non eſt forma, quȩ ad ſui receptionem requirat diſpoſitiones in ſubiecto, & quantumuis appelles formam intelligibilem; nunquam tamen probas implicare vnionem in eſſe intelligibili ſine diſpoſitione inhærente intellectui. Ex quo patet ad inſtantias contra Suarium, & Vazq. quatenus pugnant contra nos, alioqui enim nō approbo quod ſuperfluum eſſet lumē, ſi diuina eſſentia concurrit vt obiectum, concurſu particulari: nam lumē datur, vt eleuet potentiam intellectiuam in genere cauſæ efficientis: eſſentia autem concurrit in genere cauſæ obiectiuæ, quicumque demum ſit talis concurſus, de quo Philoſophi.

Hic ſolum conſequens eſt diuinam eſſentiam quæ de lege ordinaria vnitur intellectui per lumen, quo redditur deiformis, vt loquitur S. Bonau. & potens in actu primo ad viſionem beatam; de potentia abſoluta vniri poſſe ſine lumine; ſi enim non repugnat ſupplente Deo concurſum eius actiuum, elici viſionem ſine illo, fatendum eſt in eo caſu vniri eſſentiam intellectui carenti lumine in eſſe intelligibili, quia prius intelligitur vnita intelligibiliter in actu primo, quàm exeat in actum ſecundum, & ad illud ſufficit decretum concurrendi abſque lumine ſine vlla intrinſeca mutatione potentiæ, ſicut ſi fingamus infundi lumen ſine decreto concurrendi cum illo ante vnam horam, vel diem, ea elapſa intellectus de non potente videre, fit potens ſine vlla intrinſeca mutatione, per hoc decretum quod intelligitur applicare omnipotentiam ad concurrendum poſt horam, & cum illa reddi vnitum intellectum eſſentiȩ, ac potentem eſſe in actu primo ad videndum, ſiue deinde eſſentia concurrat tanquam ſpecies intelligibilis impreſſa; ſiue ſolum vt obiectum, iuxta varias ſententias, vt ſupra.

AN SIT POSSIBILIS

Intellectus tam perfectus, vt ex viribus naturalibus cognoſcat Deum eſſe trinum in perſonis.

CAP. XIV.

I. *Senſus quæſtionis, & opinio affirmans reiecta.*

II. *Sententia negans probatur auctoritate, & rationibus SS. Bonau. & Thomæ.*

III. *Non implicat intellectus cognoſcens viribus naturæ probabile eſſe dari myſterium Trinitatis.*

IV. *Neque qui euidenter per notitiam abſtractiuam imperfectam.*

V. *Idque varijs rationibus oſtenditur.*

LXIX. NON eſt eadem quæſtio præſens cum præcedente, an fieri poſſit Creatura tam ſublimis, vt lumen gloriæ connaturale habeat, ſed an vi ſui Intellectus ſine lumine gloriæ, cum Dei concurſu ordinario penetrare poſſit ad myſterij Trinitatis cognitionem, vt quemadmodum ex Creaturis cognoſcitur Creator ex capite primo ad Romanos, non ſolùm quòd ſit, ſed etiam quid ſit, licet imperfecte, & Angelus in ſeipſo tanquam in ſpeculo naturaliter nouerat Deum, vt ſupra ex S. Bonau. dictũ fuit; ita & fieri poſſit tam perfectus, vt agnoſcat trinum, non quidem intuitiuè, quod eſſe ſupra omnes vires creatas naturalis, certum eſt; ſed cognitione inferiore, certa tamen, & euidenti quoad An eſt: idq; tam non ſuppoſita reuelatione vlla myſteriorum fidei, quàm ſuppoſita.

Raymundus Lullus, Vazq. Suar. Raymundus Lullus, quem refert, ac reijcit Vazq. 1. par. diſp. 133. c. 1. Suar. l. 1. Trin. c. 11. putat, ſe demõſtraſſe naturali ratione dari Trinitatẽ, argumentis tam euidentibus, vt euincant infideles; Vocat as demonſtrationes æquiparantiæ, an quia æquiparanda ducit demonſtrationibus proprijs à cauſis, ſeu à priori? Comitem habet alterum Raymundum de Sabũde infra citandum, qui plurimus eſt in aſſerendis demonſtrationibus ſuo iudicio efficacibus.

Alij omnino ex oppoſito exiſtimant notitiam hanc ſupra vires naturę creatæ, aut creabiles, & faciunt propoſitionem de fide, quod verum eſt de cognitione intuitiua, & perfecta eſſentię, non de abſtractiua, & exiſtentiæ, ad quod explicandum ſit.

Prima Aſſertio.

VEra eſt communis Sententia negans poſſe naturæ viribus cognoſci intuitiuè myſterium Trinitatis. Ita Scholaſtici in 1. diſt. 3. & 1. p. S. Thomæ q. 32. quos ſequitur Suar. de Trin. lib. 1. c. 11. aſſerens nec poſſe cogitari quidem poſſibile cum aſſenſu probabili, vel opinatiuo. Probat S. Bonauentura hoc modo. *Pluralitas Perſonarum cum vnitate eſſentiæ eſt proprium diuinæ naturæ ſolius, cuius ſimile nec reperitur in Creatura, nec poteſt reperiri, nec rationabiliter cogitari; ideò nullo modo Trinitas perſonarum eſt cognoſcibilis per Creaturam, rationabiliter aſcendendo à Creatura in Deum: Sed licèt nõ habeat omnino ſimile, habet tamen aliquo modo quod creditur ſimile in Creatura vnde dico, quod Philoſophi nunquam cognouerunt per rationem perſonarũ Trinitatem, nec pluralitatem, niſi haberent aliquem habitum fidei, ſicut habent aliqui Hæretici &c.* In quibus verbis apertum eſt loqui Sanctum de medio quod cognitum ducat in cognitionem Trinitatis, ſiue per diſcurſum, ſiue per repræſentationem, ita vt in ipſo, ſicut in puro ſpeculo appareat Trinitas, quo modo ſupra dixerat Angelo in ſua natura repræſentari Deum, vt in ſpeculo. Vnde ſic conficitur argumentum. Medium iſtiuſmodi cognitionis, vel eſt cauſa, & hoc non, quia Trinitatis non datur cauſa, cum ſit cauſa Cauſarum omnium; vel effectus aliquis, quo argueretur à poſteriori; & neque hoc dici poteſt, quia omnes effectus procedunt quidem à tribus Perſonis, ſed non vt tribus diſtinctis, verùm vt vnũ ſunt in natura, & communem habent vim productiuam, vt cum Scoto in 2. d. 1. q. 1. probat Suar. loc. cit. contra Henricum.

S. Thom. Suar. — S. Bonau. — Nulla eſt cauſa trinitatis, quæ eſt cauſa omniũ cauſarum.

Secundo Probatur argumento eiuſdem S. Bonau. ibidem, quia myſteriũ Trinitatis ſupra rationem eſt, ergo non poteſt cognoſci per Creaturas. Conſequentia patet, quia dupliciter contingeret cognoſci per Creaturas, aut affirmando quod eſt in illis ſaltem ſimile, aut, remouendo: non primũ, quia inter Creaturas non inuenitur pluralitas ſuppoſitorum in vnitate eſſen- S. Bonau.

Digitized by Google

ſentiæ; neque ſecundum, quia Trinitas non cognoſcitur per remotionem, ſed per poſitionem: quicquid enim remoueatur à Deo, adhuc non innoteſcit Trinitas Perſonarum, & vnitas naturæ.

Antecedens explicatur, & probatur, quia non ſolùm ſupra rationem videntur, ſed etiam contra rationem quæ de Trinitate fide creduntur, v. g. quòd Pater ſit idem realiter quod eſſentia, Filius item ac Spiritus Sanctus non diſtinguantur ab eſſentia, & tamen realiter diſtinguantur inter ſe, & falſum ſit illud Axioma: quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, quòd præciſa reuelatione non admitteret reſponſiones, quæ excogitatæ ſunt ad oſtendendum, quomodo locũ habeat, & in quo ſenſu locum non habeat in diuinis. Item ſummæ ſimplicitati videtur repugnare multiplicitas ſubſiſtentiarum, quam tamen non obſtare, ſed iuuare potiùs ſuppoſita fide demonſtramus. Difficile item eſt intellectu, quomodo Perſona ſecunda aſſumpſerit naturam humanam, & ſit incarnata, & non eſſentia, quæ illi identificatur: Vndæ variæ natæ ſunt diſtinctiones inter Theologos, quarũ aliqua eſt admittenda, vt reſpondeatur quæſito; & alia paſſim creduntur de hoc myſterio, quæ niſi fides vera eſſe perſuaderet, falſa exiſtimaret ratio naturalis inuentrix artis ſyllogiſticæ, quæ corruere videtur in hac abyſſo, & nihilominus luce fidei perficitur. Denique tria eſſe vnum, & vnum tria ratio naturalis non capit, & tamen ait Anſelmus lib. de Incarn. c. 8. vnum eſt ibi tria, & tria vnum. Et quidem non defuere, qui dixerint, illa eſſe cõtra rationem, vt refert Suar. loc. cit. & alij, qui minimè audiendi ſunt. — S. Anſ.

Tertio Probatur à S. Thom. 1. p. q. 32. a. 1. & de Ver. q. 10. art. 13. & alibi, quia naturali ratione ſolùm cognoſci poſſunt de Deo, quę illi conueniũt, vt eſt principium rerum ad extra; ſed eſt principium ratione eſſentiæ, quæ vnica eſt, ergo ſola vnitas cognoſci poteſt. Quæ ratio, vt vim habeat, intelligẽda eſt iuxta declarationem paulo ante allatam ex S. Bonau. quòd ſcilicet aſcenſus ille mentis ad cognoſcẽdum Deum, fiat ex Creaturis, in quibus nulla eſt, quæ oſtendat Deum vt trinum, ſed ſolum, vt vnum in eſſentia tanquam principium earum: alioqui non negat S. Thomas, quin poſita cognitione, quod ſit cauſa, & primum principium omnium Creaturarum, nõ poſſit deinde intellectus de diuina natura plura cognoſcere, quæ illi conueniunt præciſe à potentia creatiua; ſic enim Ariſtoteles in Metaphyſ. lib. præſertim 12. & alibi de illa ſcripſit quæ Theologia tanquam vera approbat. — S. Thom.

Denique Aſſertioni huic aptantur Scripturæ loca, quibus dicitur, à nullo vnquam viatore viſum Deum, & Patrem à Filio ſolùm agnitum, quæ ſupra recenſuimus, & de potentia, ſeu lege ordinaria expoſuimus: nam de extraordinaria, infra dicetur.

Et ita intelligendi Patres negantes hanc poſſibilitatem etiam Angelis. Hilar. de Trin. l. 2. *Archangeli neſciunt, Angeli non audierunt, ſæcula non tenent.* Ambroſ. l. 1. de fide c. 8. *Mens deficit, vox ſilet non mea tantùm, ſed & Angelorum ſupra Poteſtates, ſupra Cherubim, ſupra Seraphim, ſupra omnem ſenſum eſt.* — Neque Angeli habent hanc poſſibilitatem.

Secunda Aſſertio.

LXX.

De abſoluta Dei potentia loquendo, non eſt impoſſibilis intellectus creatus, qui per vires naturales à Creatore acceptas cognoſcat euidenter, quoad eſt myſterium Trinitatis eſſe probabile; hoc eſt, cui euidens ſit probabilitas, quod Deus ſit trinus. Probatur, quia ad cognitionem iſtam requiritur, & ſufficit, quòd ſoluantur argumenta, quæ obijci poſſunt, ita vt ſit euidens ſolutio, & infringi ab Aduerſario nequeat; & præterea, vt ſint rationes poſitiuæ euidenter probabiles, quibus poſſibilitas aſſeritur: ſed dari poteſt intellectus adeo excellens, vt trumque præſtet, ergo &c. Maior probatur, quia ad præſtandum aſſenſum euidenter probabilem alicui veritati mouetur intellectus argumentis probabilibus, ſicut ad aſſenſum certum mouetur demonſtrationibus, ita vt nequeat iudicare, eſſe improbabile, quod rationes ſuadent eſſe probabile, & nulla in contrarium afferatur, quę non euidenter ſoluatur: quamuis enim

Digitized by Google

dubitare valeat, an aliqua ſit occulta inſolubilis, tamen quamdiu ea latet, non admit hæc dubitatio vim argumentis euidenter probabilibus, ita vt libere poſſit intellectus ferre iudiciũ, quod non ſit probabile, etiamſi poſſit ſuſpendere aſſenſum ad vtramq; partem determinantem, quia ad neutram determinat euidentia alterutrius.

Poſita Trinitatis reuelatione, intellectus inuenit rationes ad aſſerendam eius probabilitatem

Minor item probatur, quia poſita reuelatione Trinitatis, humanus intellectus inuenit rationes ad probabilitatem eius aſſerendam, quod certò tenet ex fide, & ſoluit argumenta omnia contra illud, idque præſtat ex vi ſua naturali cum ordinario Dei concurſu, vt patet ex tractatibus Sanctorum Patrum Hylarij, Auguſtini, & aliorum, qui latè de hoc ſcripſere; quidni igitur creari poſſit intellectus longè humano, imo & Angelico, qui de facto creatus eſt, præſtantior, qui etiam præciſa reuelatione poſſibilitatem myſterij penetret, obiectiones contrarias ſoluat, rationes probabiles intueatur ſuadentes quod de facto datur?

Multi Philoſophi conati sũt oſtendere Deum vnũ eſſe, & trinũ rationibus naturalibus.

Confirmatur ex modo ratiocinandi, quo plerique Philoſophorum conati ſunt naturalibus rationibus demonſtrare, quod Deus vnus eſt ac trinus: Earum aliquæ ſuppoſita fide efficaces ſunt, & oſtendunt conuenientiam ac neceſſitatem Trinitatis præciſa fide ſaltem probabilitatem euidentem gignunt. Congerit eas Raymundus de Sabunde in lib. Theologiæ naturalis, & explicat à tit. 47. per ſequentes, qualis eſt, quòd productio conueniens Deo vt Deus eſt, illi tribuenda eſt rationabiliùs, quàm quæ conuenit, vt artifex eſt; ſed productio ad intra conuenit illi quà Deus eſt, productio ad extra, vt artifex eſt, ergo &c. Item quia Deo conuenit perfectiſſima dilectio, & complacentia; hæc autem maior eſt, & perfectior de producto ad intra, quàm de creato ad extra, quia illud eſt omnino ſibi ſimile, & ſicut eò maior eſt complacentia de productione Creaturarum, quò magis illæ ſibi ſunt ſimiles, v. g. de Angelis, quàm de elementis; ita ſumma complacentia eſt productionis de ſua ſubſtantia, & eiuſdem naturæ, hanc autem oportet eſſe in Deo, & innuitur hæc ratio in verbis: hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, & patet ex eo quòd ſi Deus complacet ſibi de ſocietate externa, quia ſecus non produxiſſet mundum, & angelos ex nihilo, ergo magis ſibi complacet de ſocietate perſonæ ex ſua ſubſtantia productæ. Item Deus eſt infinitæ virtutis, & ſummæ actiuus, ergo in eo eſt infinita, & ſumma productio, qua maior eſſe nequit, quia eſt ſecundùm totam virtutem, alioqui otioſa eſſet illa virtus, quæ nunquam reduceretur ad actum, quia productio mundi reſpectu illius eſt veluti productio puncti, ſiquidem tota Creatura comparata ad Creatorem, eſt veluti gutta roris antelucani. Vt ergo ſit in illo tota plenitudo, & perfectio productionis, qua maior excogitari nequeat, ſicuti de nihilo produxit finitum, ita neceſſe fuit, vt de ſe produceret infinitum, & quidem productione naturali, quæ prior eſt artificiali.

Raymundus de Sabunde.

In Deo eſt infinita, & sũma productio, quæ maior eſſe non poteſt.

Confirmatur, quia homo productioni naturali producit hominem ſibi ſimilem, & ſui imaginem, & productionem artificiali producit domum, & idem apparet in agentibus vniuocis, ergo in Deo, qui dedit hanc naturam homini, & continet eminentiſſimo modo quicquid in Creaturis diſperſum eſt, reperitur primùm virtus productiua ſui ſimilis, ac proinde actus puriſſimi, ſimpliciſſimi, & intellectiui in ſummo cum cæteris attributis omnipotentis, immenſi, infiniti, æterni, quæ Theologia in ipſo agnoſcit.

Abſq; sũma iucunditate non eſt perfecta felicitas.

Item nihil amabilius ſumma iucunditate, ſine qua non eſt perfecta felicitas, igitur hæc deneganda non eſt Deo, at hæc non conſiſtit ſine conſortio ſibi ſimilis in natura, qui reſpondeat in amore, ex quo pariter iucunditas, ergo ne quid deſit ſummæ illius perfectionis, admittenda eſt productio Perſonæ ſimilis, ſine qua non conſiſtit ſummus amor, & iucunditas inde manans.

Item Dei proprium, & naturaliſſimum eſt dare, vt patet in productione mundi, per quam dat eſſe, & conſeruat omnia, quia hoc pertinet ad ſummam eius nobilitatem, & bonitatem, igitur admitti debet in illo tale dare, quo maius excogitari non po-

teſt

reſt, & proinde oportet, quod ſuam naturam communicet, alioqui non eſſet datio, qua maior excogitari non poſſet, & hæc debet eſſe actualis, non potentialis, ſubſtantialis, non accidentalis, æterna, & non temporalis, de ſua natura, & non de nihilo. Ex quo ſequitur, quòd dans, ac recipiens ſint eiuſdem naturæ, & non differant, niſi quia vnus eſt dans alter recipiens, ſiue vnus producens, & alter prductus. & ideo vnus non eſt maior, aut perfectior altero, quia habent idem eſſe, poſſe &c.

Et cum hoc eſſe ſit ſummè intellectiuum, oportet etiam quod ſit volitruum, & liberale, nam dans recipientem amat, & viceuerſa amatur, & ſic eſt tertia res producta, id eſt mutuus amor, qui non eſt pater, neque filius ſed procedens ab vtroque. Et quia procedens per intellectum ex cognitione ſui producentis oritur, ideo vocatur Verbum, & quia perſona producta eſt perfecta imago producentis, ideo dicitur filius, & eius productio dicitur generatio. Productus verò per modum voluntatis dicitur donum, nexus, vinculum, amor, caritas.

Productio filij dicitur generatio.

LXXI. Quòd autem ſit in ijs tribus vna natura probari contendunt ex eo quod eſt ſumma vnitas, ſimplicitas, concordia &c. perfectiſſima, quæ non ſtant in diuerſitate naturarum.

Confirmant, quia ſicut in pluribus Indiuiduis humanis reperitur vna ſpecies, cur aſcendendo in infinitum quoad gradus perfectionis non detur vna natura numero in tribus perſonis, quæ ſupponuntur iam productæ ſimiles per communicationem eiuſdem naturæ?

Addunt exemplum Verbi Actiui, & Paſſiui, nam Actiuum à nullo producitur, & producit Paſſiuum, & à ſe habet totum ſuum ſignificatum, ſicut Pater habet à ſe plenam Deitatem, & totum eſſe diuinum: & quemadmodum actiuum ex ſe paſſiuum producit, ita Pater producit Filium, & eſt prima Perſona improducta in Trinitate & Filius producitur à Patre tanquam à ſuo Actiuo. Item neceſſariò paſſiuum eſt ab actiuo, & ſunt neceſſariò connexa, & non prius vnum, quàm alterum, niſi origine: Item actiuum dat ſuum eſſe paſſiuo dempta ſua proprietate, ac modo, & nihil eſt in vno, quod non ſit in alio præter modum actiui, & paſſiui, & omnia quæ ſunt in Patre ſub proprietate perſonali. Simile eſt quod actiuum ſuum caſum v.g. accuſatiuum dat Paſſiuo, ſed alium etiam caſum communicat, quem non habet, vt actiuum eſt, quia alij caſus pertinent ad rem ſignificatam, & non ad modum ſignificandi: Ita Pater habet quædam quæ ſibi conueniunt ratione eſſentiæ, & ſunt communia, &c. En luſum grammaticalem in materia ſuper omnes ſeria.

Pater habet à ſe plenam deitatem, totumque eſſe diuinum.

Similia argumenta ſunt Raymundi Lullij relata, & ſoluta à Vazq. 1. par. diſp. 133. à c. 2. Suar. loc. cit. 2. Trin. c. 11. quòd in Deo ſit productio, quia in eo eſt bonificabile, bonificatiuum, & bonificare in ſummo, ac proinde productio ſubſtantialis, quòd ſit pluralitas Perſonarum, quia inter bonificatiuum, & bonificabile eſt æqualitas, & eſt concordia, quæ non eſt niſi in pluribus, & non niſi in tribus, quia illa eſt perfectiſſima eſſentia, qualis eſt diuina, in qua reperitur vnicum Agens, ſeu producens, vnicus actus, & vnicum productum, ſiue vnicum bonificatiuum, vnicum bonificabile, vnicum bonificare: diuina autem eſſentia eſt in maioritate actionis, vt loquitur, hoc eſt perfectiſſima, ergo illa tantùm tria ineſſe debent.

Vazq. Suar.

Verùm ſi non fiat vis in vocabulis quæ explicanda, vel mutanda ſunt, vt quòd ſit vnum productum &c. non egent prolixa confutatione argumenta Raymondi vtriuſque; non enim aliud ſignificant, quam quod fides docet in Deo eſſe productiuum, producibile, & productionem; Eſt autẽ Pater productiuus Filij per intellectionem, & filius conſequenter eſt producibilis, & idem cum Patre eſt productiuus Spiritus Sancti, qui & ipſe eſt producibilis per amorem, ſed præciſa reuelatione, myſterij ſublimitas ſuperabat intelligentiam hominum, & Angelorum, vt Patres ſupra. Si quam tamen vim habent argumenta prædicta, hoc ſuadent, quòd ſicut poſita fide intellectus, vi ſua naturali inuenit rationes certas ad illam roborandam; ita illâ præciſâ potuiſſet creari tam per-

In Deo eſſe productiuũ, producibile, & productionem fides docet.

Præciſa reuelatione, ſublimitas myſterijs ſuperat humanã intelligentiam, & angelicam.

perfectus, vt eaſdem excogitaret, & quia verum ab intellectu perſpicaci poteſt defendi ſolutione argumentorum contra illud, potuiſſet ille idem ſoluere quæ obijcerentur in contrarium poſſibilitatis myſterij Trinitatis.

[illegible]

Confirmatur, quia vt ait Ricard. de Sancto Victore l. 1. de Trin. c. 4. citatus à S. Th. vbi ſupra. *Ad quamcumq; explanationem veritatis, non modo probabilia, imò etiam neceſſaria argumenta non deſunt. vnde etiam ad probandum Trinitatem Perſonarum aliqui induxerunt rationem ex infinitate bonitatis diuinæ, quæ ſeipſam infinitè communicat in proceſſione diuinarum perſonarum. Quidam verò per hoc, quòd nullius boni ſine conſortio poteſt eſſe iucunda poſseſſio &c.* Quæ tamen rationis congruenter adſtruuntur poſita notitia Trinitatis per reuelationem, vt ibidem S. Thom. At non apparet, cur non cogitari poſſit ab intellectu creabili, præciſa reuelatione, & exiſtimari probabiles.

Ex infinita Dei bonitate nõnulli probabant trinitatem perſonarum.

Ab intellectu, inquam, creabili; nam creati cuiuslibet vires excedere cum communi aſſerendum; quamuis enim dent aliqui Platoni hanc laudē, vt Verbum diuinum agnouerit, imò S. Auguſt. l. 7. Confeſſ. c. 9. teſtetur ſe legiſſe in libris Platonicorum multis ſuaderi rationibus quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: Tamen vt explicat S. Thomas per Verbum non intelligebant Perſonam diuinam, ſed rationem Idealem, per quam Deus omnia condidit, vel certè Platonici ponebant vnum primum Ens, quod vocabant Patrem vniuerſitatis, & ſub eo aliam ſubſtantiam quam vocabant mentem, & primum intellectum, in qua erant rationes omnium rerum, & hoc fortè erat exemplarum diuinum aſſertum à Platonicis, quod vnam ex cauſis faciebant mundi, vt refert S. Bonau. in 2. diſt. 1. dub. 2. Minus fauet Trimegiſti dictum in Pimandro dial. 4. Monas genuit Monadem, & in ſe ſuum reflexit ardorem, quo videtur indicari Proceſſio Filij, & Spiritus Sancti; Significat enim ab vno Deo productum eſſe mūdum vnum propter ſui ipſius amorem.

S. Aug.

S. Thom.

Platonici cõſtituebant vnum primum ens, quod Patrē vniuerſitatis vocabant.

Monas genuit Monadem.

Quòd ſi antiquorum Philoſophorum nonnulli expreſsè de Dei filio meminere, & Trinitatem varijs emblematis, & hyeroglificis adumbrauere, à Moyſe, & Chaldæis eius, ſucceſſoribus edocti fuere, quorum tamen pars magna dicitur in tertio ſigno defeciſſe, vt Gloſ. in cap. 7. Exodi & in 1. Rom. de Magis Pharaonis loquitur, hoc eſt in Spiritu ſancto, qui tertia perſona eſt, vel quia ab eius bonitate deflectentes cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, vt S. Thomas explicat; vel quia opus redemptionis non agnouere, vt S. Bonau. in 2. citato.

Itaq; concluſio eſt citra reuelationem nulli hominum myſterium Trinitatis innotuiſſe quod nemo Catholicorum negat, ſed cum hoc ſtat quod poſſit à Deo creare intellectus tam excellens, vt cognoſcat euidenter poſſibilitatem eius, & iudicet probabiliter quòd ſit.

Tertia Aſſertio.

PRobabile eſt in theſauris infinitæ LXXII.
Dei potent æ, ac ſapientiæ latere poſſibilem Creaturam intellectualem tantæ perfectionis ſupra iam productas, vt cognoſcat hinc determinatè, hinc euidenter per notitiam abſtractiuam dari de facto Trinitatem in diuinis, licet non videat intuitiuè naturā, & attributa eius perfectè, vt vidētur à B atis. Quæ ſecunda pars ſupponitur vt de fide. Primam verò ſuadent primò argumenta probantia de facto ab Angelis cognoſci intuitiuè cognitione immediata entia ſupernaturalia, quæ eſt opinio Scoti, & ſuorum, quos in propria quæſt. recitau mus, ac proinde pr babilis: ea enim admiſſa, & ſuæ probabilitati relicta, ſi Angelus de facto cognouit actus internos ſupernaturales fidei Trinitatis, adorationis eius, & ſimiles, ergo multo magis hæc cognitio concedenda eſt Angelo creabili excellentioris intellectus ſupra creatos: hoc autem poſito cognitio intuitiua, & immediata huiuſmodi actuum eſſet abſtractiua, & mediata Trinitatis, ad quam terminantur. Et ne dicas, illos ſupponere reuelationem myſterij, eadem ratio eſt de lumine gloriæ, quod eſſentialiter eſt oſtenſiuum Trinitatis, ac proinde cogni-

Lumen gloriæ eſſentialiter oſtendit Trinitatem.

Digitized by Google

cognitum ducit in cognitionem eius vt termini exiſtentis.

Per ſcientiã infuſã, Chriſtus & beati, extra viſionem, cognoſcunt trinitatem. Suar. Sal.

Idem eſt de ſcientia infuſa, per quã Chriſtus Dominus & Beati cognoſcũt Trinitatem extra viſionem beatam, vt docet Suar. 3. par. diſput. 27. ſect. 1. Salaſ. 1. 2. quæſt. 3. tract. 2. diſp. 6. ſect. 7. & alij contra Bannes 1. par. quæſt. 32. art. 1. & 2. 2. quæſt. 1. ar. 5. & quæſt. 5. artic. 1. Intellectus ergo cognoſcens hanc ſcientiam intuitiuè, cognoſcit etiam obiectum eius, quoad an eſt.

Secundo. Probabilis eſt opinio Scoti concedentis dari poſſe ſpeciem impreſſam repræſentantem eſſentiam Dei abſtractiuè, ergo poſſibilis etiam eſt ſpecies repræſentans hanc veritatẽ, Deus eſt trinus; cum autem omnis ſpecies ſit connaturalis alicui intellectui, poſſibilis eſſe debet aliquis intellectus, cui ſi infundatur, illa vtetur tanquam medio incognito ad veritatem illam cognoſcendam.

Quarto. Hinc ſequitur in Sententia probabili negante ſpecies impreſſas, intellectum illum, qui cum ſpecie intelligeret eam veritatem illis ablatis habere vim cognoſcendi obiecta earum; quo modo docet S. Bonau. in 2. diſt. 3 a. 2. q. 2 ad 1. ait, quòd Angelus habet in ſe ſine ſuſceptione ſpecierum, aliquid quo Deum cognoſcit in via, videlicet veritatem, quod ſit Deus, eſt enim hęc intellectui Angelico proportionata, ac proinde cognoſcibilis; ob quam rationem Scotus aſſerit, entia ſupernaturalia cognoſci ab Angelo, quia ſunt obiecta ipſi proportionata, vt ſupra vidimus; cur igitur non potuit condi intellectus tam ſublimis, cui ſit proportionata dicta veritas, Deus eſt trinus, & cui facilis ſit ſolutio argumentorum aduersùs illam? nullum enim eſt incõueniens, quia omnia ſunt falſa, & hoc nouit intellectus ille; ſiquidem etiam humanus nouiſſe poteſt ſuis viribus, ſuppoſita reuelatione, quę formaliter non auget vires naturales; ſed eſt conditio, qua poſita intellectus multa cognoſcit ex ſe, quæ illa ablata nouiſſe non poterat: ſicut ignis exempli gratia poſita approximatione comburit, aut calefacit, quæ ſine approximatione comburit, non poteſt: per reuelationem enim applicatur intellectus ad penetranda myſteria, & occultas veritates, quas ſine illa penetrare non poterat, ſed ea poſita ex ſua naturali virtute poteſt.

Quinto. Loquendo de intellectione; vt abſtrahit à creata, & increata, poſſet ille intellectus perſpicaciſſimus noſſe illam eſſe productiuam Verbi, & nullam apparere implicantiam, cur aliquod Verbum ſit ſubſtantiale, & eiuſdem naturæ cum producente; optimè iudicaret; imò rationes illas penetraret; quæ ſumma communicatione ſummi boni ex S. Dionyſio afferuntur; & alias longè præſtantiores, & efficaciores, quàm à Philoſophis, & Theologis poſita fide inuentæ ſunt, ad oſtẽdendam neceſſitatem myſterij, ergo & determinatè aſſentiri veritati exiſtentiæ Trinitatis. Poſita fide, ſunt inuentę rationes ad oſtendendã neceſſitatẽ trinitatis.

Sexto. Conferenti in hunc locum regulas cognoſcendi impoſſibilitatem, & contradictionem, quas tom. 1. diſp. 1. fusè explicauimus, nulla euincit, non poſſe creari intellectum tãtæ virtutis, vt cognoſcat abſtractiuè exiſtentiam Trinitatis, aliquæ poſitiuè ſuadẽt eſſe creabilem, quales ſunt, quas ex Sanctis Patribus attulimus, qui in probandis myſterijs nouæ Legis, præſertim Incarnationis, & Euchariſtiæ argumentantur à ſimilibus, & rurſus ad probationem minorum aſſumunt, hęc maiora. Ex regulis autem ea potiſſima eſt, quam tradit. S. Bonauentura, vt videatur, an repugnet illuſtrationi veritatis æternæ, & ordini æternæ ſapiẽtiæ, quam affinem diximus ibi traditæ à S. Thomæ, an prædicatum repugnet ſubiecto: Certè hic neutrum inuenitur, neque enim apparet repugnantia inter hoc ſubiectum intellectus perfectiſſimus, & prædicatum potens ſuis viribus noſſe abſtractiuè exiſtentiam Trinitatis, neque repugnat hoc obiectum lumini naturali, ſeu illuſtrationi veritatis æternæ, quia quæ talia ſunt, ſtatim apparent difformia rationi; hòc autem, de quo quæſtio eſt, pluribus ſapientibus viſum eſt ita conforme rationi, vt demonſtrabile prædicent per rationes ab humano intellectu excogitatas. Hinc S. Bonau. S. Thom.

Septimo. Probatur Aſſertio, quia maior eſt diſtãtia inter iſtos terminos Deus homo, quàm inter iſtos intellectus

ctus

ctus cognoſcitiuus ſua virtute exiſtentiæ Trinitatis, ſed illos duos ita coniūxit Deus, vt factus ſit homo, & homo Deus, ergo & iſtos poteſt coniungere, ſi velit. Maior patet, quia Deus, & homo in infinitum diſtant, & proportione ita carent, vt Dei comparatione homo ſit nihil; Intellectus autem ille eſſet tantùm differens ſecundùm magis, & minus ab intellectibus de facto creatis, ac proinde maiori pollens virtute naturali in intelligendo, quàm reliqui, dato quòd ea ſe extenderet ad notitiam exiſtentiæ Trinitatis, ac proinde magis ſunt vnibiles prædicti duo termini diuerſi ſolùm ſecundùm gradus genericos intellectui quàm Creatura, & Creator infinities infinitè diſcrepantes. Minor eſt certa de fide. Conſequentia tenet à potentia maioris ad minus.

Comparatio ne Dei homo nihil eſt

Denique ſi poſſibilis eſt intellectus, cui ſit connaturale lumen gloriæ in Sententia probabili, quam ab omni cenſura liberam aſſeruimus, multò magis poſſibilis eſt alius intellectus, in quo ſignet lumen ſuum Dominus tam excellens, vt attingat cognitionem veritatis exiſtentiæ Trinitatis, ſicut attingit, quilibet intellectus exiſtentiam Deitatis. Patet ſequela, quia ſi crearetur intellectus cum lumine gloriæ, videret intuitiuè Deum trinum, & vnum, & attributa eius, & eſſet beatus: at cum lumine naturali excellentiſſimo videret ſolùm abſtractiuè veritatem hanc, Deus eſt trinus in perſonis ob rationes conuincentes, vt diximus, ergo à maiori ad minus tenet argumentatio, quod ſi poſſibile eſt priùs poſſibile eſt hoc poſterius.

LXXIII. Valet etiam hæc regula, Nihil eſſe denegandum omnipotentiæ, quod nullam inuoluit contradictionem, quæ nulla apparet in intellectu prædicto.

Argumenta afferri ſolita è Scriptura, & Patribus negantibus cognitionem Trinitatis etiam Angelis ſupremis, ob quæ tanquam de fide defenditur contraria à pleriſque Theologis, probant de cognitione intuitiua Trinitatis, quæ beatos reddit videntes, & hanc ſupra naturæ creatæ vires aſſeruimus, Vel de lege ordinaria, & de intellectibus creatis, non de creabilibus, dato quod nullus Angelorum, qui de facto creati ſunt, cognitione peruaſerit ad exiſtentiam Trinitatis. Vel tertiò loquuntur de perfecta notitia myſterij, & eius comprehenſione, quæ ſolius eſt Dei; nobis ſermo eſt de imperfecta, quæ non fertur in eſſentiam, ſed in exiſtentiam, modo explicato.

In eodem ſenſu ſatisfit rationibus, non quidem impugnātibus myſteriū, ſed eius cognitionem quo ad An eſt. Alia vniuerſim remouent à naturæ cuiuſcumque viribus notitiam entium ſupernaturalium, præſertim vnionis hypoſtaticæ, quæ dicitur ob id myſterium abſconditum & ignotum etiam Angelorum Primati, vt loquitur S. Dionyſ. c. 2. de diuin. nom. Quæ poſitio non habet locum in cognitione abſtractiua, quicquid ſit de intuitiua, quam admittit Scotus, & nos cum illo c. ſeq. dato quod excipienda eſſet vnio hypoſtatica, de qua eſt peculiaris difficultas, ob quam excipitur à Scoto ſuprà.

S. Dion.

Illa item, quòd modus cognoſcendi ſequitur modum eſſendi, ex quo inferunt, quòd ſupernaturalia habentia modum eſſendi ſuperiorem modo eſſendi potentiæ naturalis, & proinde etiam modum cognoſcendi ſuperiorē, facile negatur à Scoto omne ens creatum ponente intra limites intellectus, tanquam proportionatum obiectum. At eius rationis efficacitas ſuperius à nobis explicata non obſtat, quia hic ſermo eſt de cognitione abſtractiua, & imperfecta, illa procedit de perfecta, & intuitiua.

Simile eſt, quod entitas rei eſt intelligibilitas eius, ergo ſi entitas eſt ſupernaturalis, etiam intelligibilitas eſt ſupernaturalis, igitur naturaliter non poteſt intelligi, alioqui intelligibilitas eſſet naturalis; reſpondetur enim, quod Antecedens eſt verum materialiter, non formaliter, quia intelligibilitas ſupra ens addit, vel reſpectum rationis, vel denominationem extrinſecam ab obiecto, vel vtrumque iuxta varias ſententias, atque adeo negatur Conſequentia; alioqui ſequeretur, quòd nullum Ens naturale attingi poſſet notitia ſupernaturali, neque lumine gloriæ videri poſſe creaturas naturales, quia earum entitas eadem eſt cū in-

intelligibilitate, atque adeo ſi vlla eſt naturalis, & hæc erit naturalis.

Nec illa concludit, quod ſine ſpeciebus non ſit cognitio, quæ debent eſſe ſupernaturales ſupernaturalium, ac proinde nulli naturæ debitæ. Quid enim ſi negentur ſpecies; & cũ negantibus dicam in cognitione abſtractiua ſufficere ſpecies alienas naturales? alioqui non poſſet cognoſci naturaliter, quòd Deus eſt.

Tandem ad ſolutionem huiuſmodi Argumentorum recolendum quod nõ ſemel tom. 1. oſtendi, ſupernaturalia attingi poſſe à potentijs naturalibus tã actibus naturalibus ex propria virtute, quàm ſupernaturalibus auxilio gratiæ, vt patet in Dei cognitione, & amore, qui poſſunt eſſe naturales, & ſupernaturales.

AN REPVGNET

Oculum corporeum eleuari ad videndum eſſentiam diuinam.

CAP. XV.

I. *Neque de abſoluta potentia videri poteſt eſſentia diuina oculo corporeo.*

II. *Probatur rationibus SS. Bonau. & Thomæ.*

III. *Oculus corporeus eleuabitur ad videndum Deum in reſurrectione, non in ſe, ſed in creatura ex S. Auguſt.*

IV. *Explicatio dicti S. Auguſt. de hac eleuatione ex S. Bonau.*

V. *Soluuntur argumenta contra aſſertiones contenta cap. 16.*

LXXIV. REFERT, refutatque S. Aug. ep. 111. & 112. errores varios hæreticorum malè de Dei ſubſtantia ſentientium, & intra obiecta viſibilium conſtituentium; cęterùm apud bene ſentientes certum eſt primo.

Quòd ſecundùm legem ordinariam videri non poſſit Deus ab oculo corporeo. Eſt de fide, quia in ſcriptura paſſim dicitur inuiſibilis 1. Timoth. 1. Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili; &, Quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt prima Timoth. 6. &, Deum nemo vidit vnquam Io. 1. Quibus vtitur S. Ambroſ. c. 1. in Luc. & S. Aug. loc. cit. pluribus docens, quomodo videatur à mundis corde. S. Ambroſ.

Secundò certum eſt quod tenet cõmunis Sententia Scholaſticorum negans, Deum videri poſſe oculis corporeis, etiam de potentia abſoluta. S. Thomas 1. p. q. 12. a. 3. & Thomiſtæ ibi Suar. l. 2. de Attrib. Dei neg. c. 6. Vazq. 1. p. q. 12. cit. Sal. 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. P. Recup. 1. p. q. cit. lib. 6. c. 2. vendicans contrariam à nota hæreſis, vel erroris inuſtam à pleriſque, & ſolùm damnans temeritatis, quòd habeat cõtra ſe omnes Scholaſticos, cum quibus ſunt & Patres, Aug. maximè, qui viſus fuerat quibuſdam problematicus, eo quòd dubitatiuè, & ſub cõditione loquatur in lib. 22. Ciu. c. 29. vt explicat S. Thom. Nec de potentia abſoluta oculo corporeo Deus videri poteſt. S. Thom. Suar. Vazq. Sal. Recup.

Quæſtio ſit in vniuerſali, abſtrahendo à ſpeciebus viſionis, vel ſpiritualis, ſi dari poſſit; vel materialis, & corporeæ; & ſiue vtraque, vel alterutra à Deo ſolo ſit producibilis: ſiue eſſentialiter requirat concurſum potentię, ſiue nõ quamquã ſi poſſet à ſolo Deo, produci, & in oculo recipi, adhuc eſſet locus quæſtioni, an dicendus eſſet videre. Pro explicatione autem ſententię huius communis ſit.

Prima Aſſertio.

IMpoſſibile eſt oculum corporeum eleuari ad videndam diuinam eſſẽtiam, quocumque genere viſionis fingatur eleuatio. Eſt ita certa, vt contraria non ſit tolerabilis ob auctoritates ſcripturæ negantis Deum videri poſſe, quæ licet explicentur commodè de potentia naturali, vel ordinaria intellectuali; tamen multò magis valent de potentia ſenſitiua, etiam ſecũdùm legem extraordinariã, vt Patres arguunt, & ratio demonſtrat. Patrũ auctoritates fusè recenſent recentiores, & S. Aug. ep. cit. 111. ad Fortun. citat. pro ea SS. Athanaſium, Nazianzenum, Hieronymum, Ambroſium, illiſque adhæret; & ep. 112. agitatis hinc inde explicatiſque varijs ſcripturæ teſtimonijs, concludit cum illis, quòd res incorporalis corporalibus oculis non videtur; *Has, inquit* S. Auguſt. S. Aug.

ſententias de re tanta virorum tantorum non ob hoc interponere volui, vt cuiuſquam hominis ſenſum tanquam ſcripturæ canonicæ auctoritatem ſequendam arbitreris; ſed vt illi, qui aliter ſapiunt, conentur mente videre quod vnum eſt, &c.

S. Bonau.

Rationes, afferuntur variæ ab antiquis, nouiſq; Theologis; S. Bonau. vtitur duabus, quarum altera petitur ex conditione obiecti, quod eſt inuiſibile: altera ex natura potentiæ viſiuæ, quæ eſt magis determinata, quàm intellectiua; & ideo non ſe extendit ad ſpiritualia, cùm ſit ipſa corporea,& ad obiecta ſibi proportionata. Primam habet in 2. Sent. diſt.8.p.p.dub.3. in illa verba Auguſtini relata à Magiſtro: viſibile enim quicquam non eſt, quod non ſit mutabile, ex quo infert eſſentiam Dei non eſſe viſibilem oculis corporalibus, quia eſt immutabilis.

S. Bonau.

Quæritur, ait S. Bonau. quæ neceſſitas ſit, quòd viſibile ſit mutabile, cùm ita bene ſenſus iſte participet corpora incorruptibilia. Reſpondeo dicendum, quòd Auguſt. intelligit de viſu corporali, & de hoc verum eſt quod dicit, quòd omne viſibile eſt mutabile; Nibil enim poteſt videre ſenſus corporalis ſine extenſione quantitatis, vbicumq; autem eſt extenſio quantitatis, ibi eſt compoſitio, vbi verò compoſitio eſt, poſſibilis eſt reſolutio, & mutatio ad minus quantum eſt ex natura rei. Solum enim omnino ſimplex eſt immutabile ſimpliciter; & ideo neceſſariò ſequitur, quòd ſi aliquid videtur ſenſu corporeo, quod ſit mutabile, &c.

Nihil videre poteſt ſenſus corporalis abſq; quantitatis extéſione.

Quod argumentum nititur duobus principijs certiſſimis: alterum eſt philoſophicum, quod indiuiſibile, & ſpirituale per ſe videri non poteſt, vt probant omnia, quæ docet Philoſophus 2. de An. à t. 66. de obiecto viſus, & neceſſarijs ad viſionem; quamuis enim de viſione vt naturaliter fit ab oculo, intelligenda illa ſint; tamen ſuo modo conueniant eidem, ſi ſupernaturaliter eleuetur, neceſſarium eſt, quia explicant naturam viſionis, quam ſupernaturalitas non deſtruit, ſi per innatam virtutem influit in ipſam potentia viſiua eleuata, vt manifeſtum eſt de operationibus intellectus, ac voluntatis operantium ſupernaturaliter, & de potentia generatiua Virginis eleuata ad Verbi conceptionem, vt ſupra diximus cum S. Bonau. Cùm igitur de ratione viſus ſit, vt fiat per immutationem organi ab obiecto proportionato potentiæ, & per lumen, ac illuminationem ex parte eius, aut medij perſpicui, aut vtriuſque, & per congregationem, vel diſgregationem, ſi hæc deſint vel nihil operatur oculus, vel ſi operari dicatur ſupernaturaliter, illa operatio non eſt viſio, atque adeo non dicetur per illam videre: atqui vbi obiectum eſt indiuiſibile, ac ſpirituale iſta deeſſe oportet, quia nec lumine reddi poteſt vltimò completum viſibile, nec ſpecie obiecti informari potentia, nec aliud eorum intercedere, quæ requiruntur ad viſionem, vt à Philoſophis explicatur, eius natura, & eſſentia.

Ariſtot.

S. Bonau. De ratione viſus eſt, vt fiat per immutationẽ organi ab obiecto potẽtiæ proportionato.

Confirmant Perſpectiuis aſſerentes, quòd protenditus pyramis ab obiecto in quo eſt baſis in organum viſorium, in quo eſt conus, ſeu cuſpis, vel ſpecierum in ſententia illas admittente; vel luminis in negante per medium conſpicuum, vt coniungatur obiectum potentiæ, quod requiritur ad viſionem, vt S. Bonau. in 4. d.49.a.3.q.1. & 2. & alij communiter: ac proinde meritò aſſumitur, quòd omne viſibile eſt extenſum. Hanc doctrinam ſequitur S. Bonau. in 4. diſt. 10. in fine ad probandam quod oculus non poteſt videre corpus Chriſti ſub ſpeciebus. *Videre (inquit) eſt ſecundùm triangularem directionem radiorum, ita quod baſis eſt res viſa, & angulus intelligitur fieri circa pupillam oculi.*

Alterum principium eſt Theologicum de fide, quòd Deus eſt immutabilis, cùm ſit actus purus carens quacumque potentialitate: eſſet autem mutabilis, ſi viſibilis oculo corporeo, quia omne viſibile eſt extenſum, & omne extenſum compoſitum ex partibus, & proinde obnoxium reſolutioni, ac mutationi ſaltem ex natura rei.

Confirmatur hæc ratio petita ab obiecto, quia ſi eſſentia diuina videri poteſt ab oculo, ergo eſt obiectum viſibile, igitur ratio viſibilis eſt quid cõmune obiectis viſibilibus naturaliter, & incorporeis viſibilibus ſupernaturaliter, & cũ de Deo dicatur propriè, deno-

denominabitur, & erit viſibilis contra Scripturam, & Patres prædicantes inuiſibilem, ſicut & immortalem, ac immutabilem; non ſecus ac eidem conuenit denominatio intelligibilis, vt abſtrahit à naturali, & ſupernaturali, quia vtroque modo attingi poteſt ab intellectu.

Confirmatur ſecundo, quia potentia viſiua, ſicut & aliæ ſenſitiuæ ſpecificantur ab obiecto ſenſibili ſibi proportionato, quod ſolum eſt corporeum, & extenſum, vt infra dicam.

Dices, cur implicat potentia ſenſitiua, verbi gratia viſiua diuerſæ ſpeciei, quæ habeat pro obiecto corporeum, & ſpirituale, illudque vel naturâ ſua, vel dono gratuito attingat?

Valent. Suar. Sal. Valen. 1.p.q.12.a.3.p.8. reſpondet, non ſatis apparere implicantiam, impugnat Suar. l.2. cit. c.6.n.6. Sal. diſp. 5.cit. ſect. 1. n.4. Sed ex tradita doctrina S. Bonau. reſpondeo, quòd eſſet viſiua, & non viſiua: primum ſupponitur, ſecundùm deducitur, quia tenderet in non viſibile, hoc eſt in ens ſpirituale, ac inextenſum, quod non habet vlla conditionem requiſitam ad hoc vt moueat potentiam, & terminet actum eius, vt patet ex dictis, ac proinde nulla eſſet potentia eius viſiua contra ſuppoſitionem.

LXXV. Secunda ratio affertur ab eodem S. Bonau. in 1. diſt. 3. p.p. diſt. ar. 1. qu. 1. ad 2. cum enim obieciſſet, quòd plus diſtat verum increatum ab intellectu humano, quàm quodlibet creatum intelligibile à ſenſibili, & proinde quòd intellectus non poſſit eleuari ad cognitionem intelligibilis increati, quia ſenſus non poteſt ad cognitionem intelligibilis creati, reſpondet eſſe diſparitatem, quia ſenſus eſt potentia determinata, non autem intellectus; non eſt autem intelligendus Seraph. de indeterminatione intellectus abſolutè, ſed comparatiuè; quia tam quoad eſſe, quàm quoad operari, intellectus eſt potentia creata, & finita: reſpectu tamen potentiarum ſenſitiuarum dicitur indeterminata, quia extendit ſe ad omne ens, cum ſenſus limitetur ad ſenſibile. Eſt autem hæc ratio à priori, qualis eſſet illa, ſi quæreretur, cur corpori repugnet immenſitas, non autem ſpiritui: rectè enim reſponderetur, quia de ratione corporis eſt eſſe determinatum ad locum, cùm ſit quantum, & commenſuratum loco: non item de ratione ſpiritus. Ita in propoſito quærenti cur intellectus extendat ſe ad omne ens, non item ſenſus, rectè reſpondetur, quia ſenſus naturâ ſuâ eſt determinatus ad ſenſibile, cum ſit quid materiale: intellectus non habet hanc determinationem, cum ſit ſpiritualis. Ex quo rurſus apparet implicantia, cur eleuetur, quia eſſet ſenſus, & non eſſet ſenſus, cuius natura eſt determinari ad ſenſibile, ſicut ſi intellectus determinaretur ad ſenſibilium cognitionem, iam eſſet intellectus ex ſuppoſitione, & non eſſet, quia natura intellectus eſt eſſe indeterminatum, & non limitatum ad vnum genus entis.

De ratione corporis eſt eſſe determinatum ad locum.

Dices, quæſtionem eſſe an ſenſus ſit determinatus ad ſenſibilia percipienda cum repugnantia eleuationis ad inſenſibilia, & proinde non ſatisfieri, dando reſponſionem, quæ eſt in quæſtione, nimirum quòd ſit determinatus, cur enim cum determinatione naturali non ſtat poſſibilitas eleuationis ſupernaturalis?

Reſpondeo, quæſtionem fieri de operatione oculi, & reſponderi per principium operationis, ſeu per naturam oculi, & ita non peti principium: ſicut quærenti, an homo hinnire poſſit, reſpondetur, non poſſe, quia eſt animal rationale, cui repugnat hinnibilitas: ita oculus corporeus, & vniuerſaliter ſenſus non poteſt percipere ſpiritualia, quia eſt determinatus ex natura ſua ad ſenſibilia, cùm ſit materialis, quam naturam non retineret, poſita eleuatione; & ideo iſti termini, eleuatio ad percipienda ſpiritualia, & potentia ſenſitiua ſunt incompoſſibiles ea incompoſſibilitate, quam Seraph. in 1. d. 42. a.1.q. 3. appellat ſecundùm illuſtrationem veritatis æternæ, & ordinem diuinæ ſapientiæ, quia ſcilicet veritas æterna iudicat, & illuſtrat impoſſibile, quòd duo oppoſita conueniant eidem ſecundùm idem, qualia ſunt ſenſus, & non ſenſus, intellectus, & non intellectus.

Inſtabis, vnde conſtat, naturam ſenſus eſſe, vt ſit determinatus ad ſenſibilia,

bilia, ita vt illi repugnet eleuatio ad inſenſibilia; quòd enim de facto non eleuetur, non eſt argumento, quòd repugnet, ſicut olim non erat argumento, quòd accidens eſſet inſeparabile à ſubiecto, eò quòd ante inſtitutionem Sacramenti venerabilis nunquam ſepararetur, igitur probandum eſt, & quòd ſenſus, qui de facto eſt, eleuari nequeat, & quòd repugnet alius perfectioris ſpeciei, qui tendere poſſit in ſpiritualia.

Reſpondeo, vtrumque ex pluribus capitibus colligi poſſe, ſed ex eo potiſſimum, quo probatur Concluſio.

Secundò, quia ſi non haberet determinationem ex naturâ ſuâ repugnantem cum eleuatione haberet inchoatam virtutem attingendi ſpiritualia, atque ita non eſſet omninò materialis. Pro explicatione recole, quòd ſenſus dupliciter poteſt intelligi eleuari ad viſionem ſpiritualem, primò vt ſit merum inſtrumentum in ſententia non alligante actuum vitalium productionem ita ad ſua principia naturalia, quin poſſit à ſolo Deo produci, & ſe ſolo, & multò magis mediâ creaturâ, vt inſtrumento. Secundò ita vt concurrat vitaliter per innatam virtutem eleuatam, ſicut concurrit intellectus. Primo modo dato quòd cognitio nō dependeat eſſentialiter ab intellectu in ea ſententia, poſſet oculus eleuari, vt agens inſtrumentale mortuo modo concurrens; ſed non eſt ad preſentem quæſtionem, quia poſſet eleuari quælibet alia creatura, ſicut & ad gratiam producendam. Secundo igitur modo inſtituitur diſputatio, an oculus ita poſſit eleuari ad videndum Deum, vt ipſe natiua ſua virtute influat vitalitatem in actum ſuum, ſicut influit intellectus in ſuum; quærenti enim cur intellectus, & voluntas eleuentur ad actus beatificos, reſpondetur, quia habent maiorem proportionem cum obiecto ſupernaturali, quàm ſenſus, quæ proportio fundatur in natura ſpirituali ipſarum, apta perfici per dona gratiæ, per quæ conſtituitur integrum principium operandi cum illis, & non cum alijs potentijs materialibus, ergo ad hanc eleuationem ſupponitur aptitudo in natura, & quaſi quædam inchoatio conſiſtens in eſſe ſpirituali: at ſi ſenſus haberet ex ſua natura vim inchoatam influendi vitaliter in actum attingentem Deum, non eſſet perfectè materialis, quia vis inchoata, & natiua ipſius eſſet ſpiritualis, vtpotè habens pro obiecto Deum, ſicut habet intellectus, conſequenter eſſet indeterminata ex ſua natura, quia poſitis requiſitis, poſſet percipere obiectum ſpirituale, & non ſolùm ſenſibile. Quòd ſit incōueniens apparet autē ex conuenientia reſponſionis Seraph. petita ex determinatione ſenſus oppoſita indeterminationi intellectus; ratio autem determinationis eſt materialitas.

Inſtabis, quòd intellectus cum ſit potentialis, debet eſſe determinatus ad intelligibile potentiale, ſicut ſenſus ad ſenſibile, cur enim materialitas in ſenſu affert hanc determinationem, & illa non affert potentialitas in intellectu? *Determinatio ſenſus opponitur indeterminationi intellectus.*

Reſpondent variè recentiores, ſed breuiter reſpondeo, diſparitas eſt, quòd eſſe potentiale eſt quid tranſcendens per omnem creaturam, & ipſi eſſentiale, ſicut & poſſe non eſſe, cùm ſit contingenter, pendeatque à voluntate Dei liberè conſeruantis, ac proinde conſtet eſſentia, & exiſtentia, genere, ac differentia, potentia, & actu, ſubſtantia, & accidente, ad differentiam creatoris, qui eſt neceſſariò independenter actus puriſſimus expers omnis compoſitionis: eſſe verò materiale eſt quid limitatum ſub eſſe potentiali tanquam inferius ſub ſuperiore, & vniuerſaliore.

Potentiale igitur conuenire poteſt creaturæ cuilibet etiam nobiliſſimæ, & proinde minùs determinatæ ad operandum, quàm materiale, quia illud contrahi poteſt à differentia entis perfectiſſimi, & ſpiritualis; hoc verò nequaquam, & cum operari ſequatur ad eſſe, quo erit hoc nobilius, eò etiam erit minùs determinatum ad operandum: conſequenter intellectus, qui eſt ſpiritualis, minùs erit determinatus, quàm ſenſus, qui eſt materialis, etiamſi vterque ſit quid potentiale. Ex quo apparet diſparitas inter potentialitatem, & materialitatem, & reſponſio in forma ad inſtantiam, nam potentialitas ſtat cum nobiliori *Potentiale competere poteſt cuilibet creaturę quamuis nobiliſſimæ.*

biliori eſſe, quàm materialitas; & cum operari ſequatur ad eſſe, illa minùs determinata eſt, quia nobilior, quàm iſta, quæ ignobilior: proinde non repugnat illi attingere Deum, ſed iſti, ne ſimul dicatur ſpiritualis, & materialis ſecundùm idem ſuum eſſe, ideſt materialis, & non materialis, quæ ſunt contradictoria: ex eo namque quòd tenderet ad obiectum ſpirituale eſſet ſpiritualis, & ex eo quod eſt ſenſitiua, & principium ſenſationis, eſſet materialis.

LXXVI. S. Thomas 1. p. cit. probat ratione non diſſimili: Omnis potentia ſenſitiua eſt actus corporalis organi, actus autem, & forma proportionatur ei, cuius eſt actus, ergo eſt corporalis, ergo non poteſt ſe extendere vltra corporalia; cùm igitur Deus ſit incorporeus, nec ſenſu, nec imaginatione videri poteſt, ſed ſolo intellectu.

Quoniam Deus eſt incorporeus ſolo intellectu videri poteſt.

Dices, argumentum hoc valere in actibus naturalibus, ad quos neceſſaria eſt proportio potentiæ, & obiecti, & ideo repugnat naturaliter, iſtos fieri, vbi illa deeſt, ſed non in ſupernaturalibus, qui per potentiam obedientialem poſſunt eſſe ad obiecta improportionata naturaliter.

Reſpondeo, concluſionem argumenti, quòd videlicet ſenſus non ſe extendere poteſt vltra corporalia; niti principio certo, illudque ſupponere, nimirum quòd nulla potentia feratur extra ſuum obiectum adæquatum; cuius ratio eſt, quia obiectum eſt quędam menſura potentiæ, & ſpecificatiuum ipſius, vnde ſi extra limites eius tenderet potentia ad extranea obiecta, ſequeretur, quòd eſſet talis potentia, quia ſpecificatur à tali obiecto, & non eſſet talis, quia præter illud habet aliud obiectum; item quòd eſſet menſurata, & limitata ad tale obiectum, & non eſſet, quia vltra menſuram eius egreditur ad alia obiecta, v. g. ſi potentia viſiua extenderet ſe ad ſonum, eſſet viſiua ex ſuppoſitione, & non eſſet, quia eſſet ſimul auditiua, eò quòd tenderet in viſibile, ſeu coloratum, aut luminoſum vt in obiectum adæquatum, & non adæquatum, quia tenderet etiam in ſonum, atque adeo eſſet in duplici ſpecie, quod eſt impoſſibile.

Nulla potentia tendit extra ſuum obiectum adæquatum

Inſtabis. Viſibile eſt obiectum adæquatum potentiæ viſiuæ, & ideo non poteſt ferri extra illud, & proinde neque in ſonum: at controuerſia eſt, an Deus ſit extra obiectum iſtud, quia non apparet implicantia, cur non dari poſſit viſibile abſtrahens à corporeo, & ſpirituali, quod ſit obiectum adæquatum potentiæ viſiuæ, ſicut datur intelligibile, ſeu verum abſtrahens à naturali, & ſupernaturali, quod ſit obiectum adæquatum intellectus.

Reſpondeo, non poſſe dari obiectũ huiuſmodi potentiæ viſiuæ, quia cùm ſit forma organi corporalis, de rationem enim eſt, vt tendat in ſuum obiectum modo conuenienti ſuæ naturæ, etiam cum eleuatur ad operandum, ſi ex intrinſeca ſua virtute influit in actum, & non vt mortuum inſtrumentum concurrit: alioqui illa operatio non eſſet viſio; modus autem conueniens naturæ potentiæ viſiuæ quomodocumque operetur, exigit eſſentialiter conditiones, quæ reperiri nequeunt vbi obiectum eſt ſpirituale; & ideo non poteſt terminare actum viſionis, nec ſpecificare ipſum, vel potentiam, vt ſupra; ſecus eſt de intellectu, qui cum ſit potentia ſpiritualis, & non determinata ad vnum genus entis, poteſt verſari circa omne ens, etiam ſupernaturale actu, qui ſit propriè intellectio, non minùs quàm ſit naturalis.

Confirmatur ex incommodis, quæ ſequerentur, puta, quòd poſſet imaginatio eleuari ad cognoſcendum Deũ, ac proinde aſinus, & equus beatificari; quòd poſſet potentia vegetatiua eleuari ad percipiendum obiectum ſenſibile, atque adeo planta ad viſionem, auditionem &c. minùs enim eſt proportionata eſſentia diuina ſenſui corporali, quàm operationes prędictę potentiæ vegetatiuæ; ſi ergo ille poteſt elicere operationem tendentem in Deum, & iſta poterit ſenſationes ſiſtentes in creatura; quin & auris videre poſſet, & oculus audire, quæ ſunt abſurda.

Ex dictis probata manet implicantia tam ex parte potentiæ viſiuæ, quæ eſt determinata ad viſibile, cùm ſit materialis, & actus corporalis organi, quàm ex parte obiecti ipſam ſpecificantis, & menſurantis, quod eſt viſibile

bile extenſum, iam

Probatur ex parte viſionis, qui eſt actus elicitus à potentia viſiua, & tendens in obiectum viſibile: probatur autem ſit, quia viſio eſt quædam ſenſitiua cognitio, & proinde vitalis expreſſio, & imago obiecti cogniti; vel igitur illa, quæ per te tendit in Deum, eſt materialis, vel ſpiritualis: Si primum, quomodo poteſt eſſe expreſſio, & imago Dei ſupremi ſpiritus, & actus puriſſimi, cùm nullam habeat ſimilitudinem cum illo, niſi communem cæteris entibus materialibus? neq; vllam conuenientiam cum obiecto viſionis corporeæ in ratione obiecti viſibilis, ſeu colorati: requiritur autem ſimilitudo inter imaginem, & id quod repræſentat, ac exprimit, & conuenientia in ratione obiecti, quæ duo ſi reperiuntur in viſione naturali hominis, reperiri etiam poterunt in viſione & imaginatione beſtiarum, vt ſupra. Si ſecundum igitur potentia viſiua habet virtutem naturalem inchoatam ad eliciendam viſionem ſpiritualem, ſicut intellectus habet ad intellectionem ſupernaturalem, igitur non eſt forma materialis, quia poteſt eleuari ad actũ ſpiritualem, ac ſupernaturalem, in quem virtute natiua influat, ſi iuuetur; vel ſi neges conſequentiam, admittis potentias materiales eleuari poſſe ad actus ſpirituales circa obiecta ſpiritualia, & concedere teneris de omnibus potentijs vitalibus materialibus, quia non eſt maior ratio de vna, quàm de altera: Falſitas autem conſequentis patet ex eo quod ſic omnis ſenſitiua, & vegetatiua eleuari poſſent ad actus ſpirituales per vim natiuam eliciẽdos: quod eſt abſurdum non minùs quàm ſi dicas, oculum eleuari ad percipiendum ſonum, aut lapidem ad ſentiendum: vtrobique enim eſt incapacitas, & repugnantia.

Viſio materialis non poteſt eſſe expreſſio, & imago Dei ſupremi ſpiritus.

Secunda Aſsertio.

LXXVII. Oculus corporeus in Reſurrectione eleuabitur ad videndum Deum, non in ſua eſſentia, ſed in creatura ita relucentem, vt intellectui planè conſtet de eius præſentia, non ſecus ac quàm nunc de vita, vbi corpora viuentia conſpicatur. Eſt in terminis S. Aug. l. 22. de Ciu. cit. c. 29. vbi diſtinguit illam viſionem ab iſta, qua nunc inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur per ſpeculum in ænigmate, & ex parte, vbi plus valet fides, qua credimus, quàm rerum corporalium ſpecies, quas per oculos cernimus corporales; *ſed ſicut homines (inquit) inter quos viuentes, motuſque vitales exercentes viuimus, mox vt aſpicimus, non credimus viuere, ſed videmus, cum eorum vitam ſine corporibus videre nequeamus, quam tamen per corpora in eis remota omni ambiguitate conſpicimus; Ita quacumque ſpiritualia illa lumina corporum noſtrorum circumferemus, incorporeum Deum omnia regentem etiam per corpora contuebimur, &c.* videlicet non in ſeipſo, vti per viſionem beatam, ſed in creatura, viſione quadam ſpeciali, qua tamen non formidat dicere videri Deũ in ſeipſo, S. Auguſtinus. S. Auguſt.

Erit autem illa viſio longè hac, quam nunc elicimus, præſtantior, & habens quid ſimile intellectuali, *quia, ita Deus nobis erit notus, atque conſpicuus; vt videatur ſpiritu à ſingulis nobis, in ſingulis nobis; videatur ab altero in altero, videatur in ſeipſo videatur, & per corpora in omni corpore quocumque fuerint ſpiritualis corporis oculi, acie perueniente directi, &c.* quis non videat his verbis, viſionem quandam adſtrui ab Auguſtino, quâ Deus oculis corporeis fiat conſpicuus; diſtinctam tamen ab illa, qua videtur eſſentia ab intellectu, quam oculo corporeo eſſe impoſſibilem vehementer contendit probare epiſt. cit. ad Fortun. 111. cuius doctrina non aduerſatur huic; admiſsâ hac diſtinctione; neque retractatur, vt patet ex lib. 2. retract. c. 43. vbi meminit librorum Ciuitatis, & corrigit paucula inibi contenta, non autem quod dixerat de viſione hac; ſicut neque quod de eodem argumento egerat epiſt. cit. tantum retractat dicta quędam in ſeptem epiſtolis; inter quas non eſt 111. ad Fortun. Quòd ſi dubitaſſet Auguſt. in libris de Ciu. an oculi eleuari poſſint, ad videndam eſſentiam, cum id tam conſtanter, aſſeueranterque neget in epiſtola, par erat, vt alterutrum corrigeret; aut dubium, aut aſſeuerationem S. Auguſt.

nem indubiam; ſed ideo non præſtitit, quia etiam quando pluſculum concedit oculo, quàm videatur ferre conditio eius, hoc etiam diſcriminat à viſione intellectus, & habere tantum vult quidpiam ſimile, ob excellentiam, quâ cernitur Deus in creaturâ longè clariùs, quam in hac vita per ſpeculum in ænigmate, ſed longè imperfectiùs quàm per intellectum; Qui igitur hanc aſſertionem improbat, Auguſtino ſe aduerſarium profitetur, & S. Bonauenturæ illius ſectatori.

Aliud eſt cognoſcere Deum in creatura, & aliud per creaturas.

Huic enim Auguſtini doctrinæ affinis eſt, quam tradit Seraph. in 1. d. 3. a. 1. q. 3. c. Aliud eſt (*inquit*) *cognoſcere Deum in creatura, aliud per creaturas: cognoſcere Deum in creatura eſt cognoſcere ipſius præſentiam, & influentiam in creatura. & hoc quidem eſt Viatorum ſemiplenè; ſed comprahenſorum perfectè vnde dicit Aug. 22. Ciu. Dei cit. c. 29. quòd tunc expreſsè Deus videbitur, quando Deus erit omnia in omnibus; qui modus cognoſcendi eſt intuitus quidam intellectus non diſcurrentis, ſed apprahendentis, quod clarè videtur ab oculo viſione ſibi propria magis perfecta, quàm in hac vita ſit poſt lapſum Adæ, & quàm fuiſſet etiam in ſtatu naturæ integræ, in quo tamen homo cognouiſſet Deum per creaturam, tanquam per ſpeculum clarum, cum nunc cognoſcat per ſpeculum obnubilatum tam ex parte potentiæ, quàm obiecti, ſeu vt loquitur idem Seraph. propter obnubilationem intellectus, & peiorationem rerum. Ex quo infertur, quòd reductis ad peroptimum ſtatum intellectu, & rebus, cognitio in creaturis, & per creaturas erit excellentior, & in ipſis oculus etiam videbit reſulgentem Deum, ſicut vidit Deum vitam animantem viuentia in præſenti vita, & longè perfectiùs, quia Deus erit vita, & omnia in omnibus, & ipſe erit in ſpiritum viuificantem ei, qui factus eſt in animam viuentem*, quæ eſt doctrina S. Auguſtini ſupra, &

Erit Deus vita, & omnia in nobis

Confirmatur, quia ſi non repugnat intellectum, & voluntatem eleuati vt inſtrumenta Dei ad operationes ſupra vires naturales ipſorum, & corpus ipſum reddi ſpirituale per dotes glorioſas conferentes ipſi facultates ſimiles ſubſtantijs incorporeis, agilitatis, impaſſibilitatis, ſubtilitatis &c. cur non poterit etiam potentia ſenſitiua ſimili priuilegio perfrui, & eleuari ad operationem ſupra ſuas vires naturales?

Neq; tamen dico operationē huiuſmodi fore ſpiritualem, ſicut neque motus ab agilitatis dote proueniens eſſet ſpiritalis, ſed intra latitudinē materialitatis eſſe perfectiſſimam, & ſimilem ſpirituali, vt docet Auguſt. Sicut neq; corpus ipſum fiet ſpirituale, ſed ſimile ſpiritui, vt Aug. lib. 1. retract. c. 26. & l. 13. Ciu. c. 20. *Sicut enim (inquit) ſpiritus carni ſeruiens non incongruè carnalis, ita caro ſpiritui ſeruiens rectè appellatur ſpiritualis, non quia in ſpiritum conuertetur, ſicut nonnulli putant, ex eo quod ſcriptum eſt, ſeminatur corpus animale, reſurget corpus ſpiritale, ſed quia ſpiritui ſumma, & admirabili obtemperandi facilitate ſubdetur, vſque ad implendam immortalitatis indiſſolubilis ſecuriſſimam voluntatem, omni moleſtiæ ſenſu, omni corruptibilitate, & tarditate detracta.*

S. Auguſt.

LXXVIII.

Secundò probatur concluſio, quia in reſurrectione reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ Philip. 3. tanto ſcilicet ſplendore perfundendo, quantum vix humana mens capere nunc poteſt, atque adeo omnes potentiæ, & organa eius mirabili decore, ſicut intellectus glorioſo lumiue imbuentur, quo ſenſu accipi poteſt dictum Origenis in libris περὶ ἀρχῶν aſſerentis omnem ſubſtantiam corpoream in ſpiritualia corpora mutatam iri, & cunctam ſubſtantiam in vnum corpus mundiſſimum omni ſplendore purius, & Deum forè omnia in omnibus iuxta 1. Cor. 15. quia vniuerſa natura corporea redigetur in eam ſubſtantiam, quæ omnibus melior eſt, in diuinam ſcilicet, qua nulla eſt melior: quæ ſanè accipienda ſunt, non vt ſonant voces ex Aug. loc. cit. mutatio enim hæc erit accidētalis, & corpus non mutandum eſt in ſpiritum, & multò minùs in ſubſtantiam diuinam, quod implicat; ſed tam excellens formoſitas corporum omnium tam præclaræ dotes humanorum, vt videri poſſint in meliorem ſubſtantiā reformata, idq; iuxta doctrinam Apoſtoli 1. Cor. 15. cit. ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale. Conſequenter ad rem noſtram oculi ipſi

In reſurrectione omnes potentię & organa corporis mirabili imbuētur decore.

affatim

affatim perfuſi gloria habebunt obtutum centuplo perfectiorem, quàm habeant expertes gloriæ. Rurſus in obiectis viſibilibus Deus erit magis conſpicuus, quàm ſit modo in viuentibus, vt Aug. ſupra, igitur oculi eum ſic relucentem videbunt, non in ſua eſſentia, ſed in ſua creatura.

Abſit, (*inquit Aug.*) *lib.13.Ciu.c.23. vt ſpiritus ea credamus futura; ſed corpora carnis habitura ſubſiſtentiam, ſed nullam tarditatem, corruptionemq; carnalem ſpiritu viuificante paſſura; Tunc jam non terrenus, ſed cæleſtis homo erit, non quia corpus, quod de terra factum eſt, non ipſum erit; ſed quia dono cæleſti iam tale erit, vt etiam cælo incolendo, non amiſſa natura, ſed mutata qualitate conueniat; In hoc igitur corpore tam formoſo, ac ſplendido oculus & ipſe reformatus Deum videbit inſidentem, & viuificantem vita longè præſtantiori, quàm ſit anima viuens, quia ipſe eſt via, veritas, & vita, qui factus eſt in ſpiritũ viuificantem 1. Cor. 15.* Atque ita non fertur oculus extra ſuum obiectum, quia videt Deum in obiecto ſenſibili, ſicut videt vitam in corpore animato, quod habet ſimilitudinem quandam cum viſu obiectorum communium, v. g. diſtantiæ, motus, & ſimilium, quæ videntur in corporibus, & non ſunt color, neque lux, ſed coniuncta colori, & luci, etiamſi in pluribus ſit diſparitas, quia hæc omnia quanta ſunt, & materialia; magis ad rem eſt exemplum Auguſtini de vita, quæ cerni in viuente dicitur, præſertim ſi vita hæc ſit ſpiritus.

Et hoc modo poſſent explicari varia ſcripturæ loca, quæ diuerſas habent interpretationes apud Patres, & Scholaſticos, v. g. in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, oculo quidem mentis poſt reſurrectionem, vt S. Aug. c.29. de Ciu l.22. cit.; aut etiam corporis Chriſtum Dominũ intuentibus, vt Suar. 1. p. tract. 1. l. 2. c. 6. cui fauet lectio vulgata in vſu apud Eccleſiã legens, Saluatorem, quod non habetur in Hebræo, vt notat Vazq. diſp. 40. n. 6. non probandus in eo quod approbat explicationem Eugubini de Reſurrectione non ad vitam, ſed ad ſanitatem, cum Patres hoc potiſſimùm teſtimonio vtantur ad probandam reſurrectionem ex mortuis. Addi igitur poteſt, hæc expoſitio, videbo Deum in carne mea, ideſt ita præſentem, & reſulgentem in corporibus glorioſis, vt multo magis in illis ſe prodat, quàm ſe prodat anima in corpore viuente, non ita tamen vt per carnem, ſeu carnis oculos eſſentiam eius in ſeipſa videam, quia per iſtos inuiſibilis eſt in ſe, quæ viſibilis eſt in alio, & per aliud de quo plura mox in reſponſione ad argumenta.

Iob 4. S. Auguſt. Suar.

SOLVTIO ARGVMENTORVM.

CAP. XVII.

PRIMVM eſt, quia Iob 19. dicitur & in carne mea videbo Deum meum. Neque valet dicere, quòd concomitanter in carne, & non per carnem efficienter hoc intelligitur, iuxta S. Thom. & Auguſt. interpretationem, quia ſubditur, & oculi mei conſpecturi ſunt, ideſt corporei. LXXIX.

Confirmatur ex S. Auguſt. lib. 22. de Ciu c.29. dubitante, an data fuerit ad horam hæc virtus oculis Iob cernendi Deum in hac vita, & de oculis corporis glorificati, ait, *Vis itaq; prapollentior oculorum illorum, non vt acutiùs videant, quàm quædam perhibentur habere ſerpentes, vel aquilæ; quantalibet enim acrimonia cernendi eadem quoque animalia, nihil aliud poſſunt videre, quàm corpora, ſed vt videant & incorporalia.* Igitur ſecundùm Auguſtinum corporeus oculus ferri poteſt in incorporea obiecta; Sic enim conſtat videri corpora ſpiritu, quid ſi tanta erit potentia ſpiritalis corporis, vt corpore videatur & ſpiritus? ait ibidem.

Et confirmat experientia, quia de facto videmus vitas in corporibus, quę in ſe ſunt inuiſibiles, igitur incorporea videri poſſunt. Deinde, inquit, vitam quidem ſuam, in qua nunc viuit in corpore, & hæc terrena membra vegetat, facitque viuentia interiore ſenſu quiſque non per corporeos oculos nouit, aliorum verò vitas, cùm ſint inuiſibiles, per corpus videt &c.

Fauetque ratio, quia ſi fiet corpus ſpiritale, & habebit dotes reddentes ipſum quaſi ſpirituale, ideſt ſimile ſpiritui,

ritui, cur non poterit oculus fieri per donum aliquod ſimilis intellectui?

Reſpondeo cum S. Aug. c. 29. cit. *Illud etiam inquit, quod ait ſupra memoratus Iob, ſicut in exemplaribus, quæ ex Hebræo ſunt, inuenitur, & in carne mea videbo Deum, reſurrectionem quidē carnis ſine dubio prophetauit, non tamen dixit per carnem meam, quod quidem ſi dixiſſet, poſſet Deus Chriſtus intelligi qui per carnem in carne videbitur &c.* Quæ expoſitio ex ipſo textu elicitur: Scio, quòd redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra reſurrecturus ſum &c. Fauetque vulgata lectio Eccleſiæ, videbo Deum ſaluatorem meum: ideo eam amplectuntur S. Hieron. ep. 6. S. Thom. & alij interpretes in c. illud 19.

Chriſtus Deus per carnē in carne videbitur.

Simili ratione reſpondetur teſtimonijs ſcripturæ, quibus dicitur Deus à Sanctis viſus, non enim viſus eſt in ſe, ſed creatura, & Imago aliqua aſſumpta ab ipſo, vel ab Angelo ſuſtinente perſonam Dei, vt S. Aug. ep. 111. cit. & alij Patres communiter, quorum aliqui putant ita appauiſſe ipſi S. Iob. dicenti c. 42. Nunc autē oculus meus videt te, vt Greg. l. 8. Moral. c. 37.

Ad confirmationem patet ex dictis, nam S. Aug. ibi ſolùm dubitatiuè loquitur diſputantis perſonam ſuſtinens, nihilque aſſertiuè definit, ſed in exemplis citatis diſertè negat. Deum videri poſſe oculis corporeis &c. Ideo ad rationem eius c. 29. reſpondetur, negando paritatem, quia intellectus eſt potentia ſpiritualis minùs determinata, quàm ſenſus alligatus corpori, & propterea ſe extendit ad omne verum ſenſus autem ſolùm ad ſenſibile.

Ad aliam confirmationem vita videtur per accidens in corporibus, quatenus oculus videt corpora per illam animata, & viuentia, & hoc modo videbit oculus Beatorum Deum ita refulgentem in Creaturis, vt quaſi ſit ipſi conſpicuus, iuxta explicationem S. Auguſtini, vt ſupra aſſert. 2. Sic docet Caiet. 3. p. q. 76. a. 7. fin. modum ſacramentalem videri per accidens à Chriſto Domino vidente ſe ſub ſpeciebus.

Ad alteram partem per nullum donum extrahetur corpus, aut oculus ab eſſe materiali, & ideo non fiet principium operationis ſimilis intellectuali quoad hoc quod eſt attingere entia ſpiritualia.

SECVNDVM ARGVMENTVM EST.

Quia corpora reddi poſſunt inuiſibilia, quod multipliciter poteſt fieri, ſed potiſſimum ſi omni colore ſpolientur, ſicut de facto eſt aër ſuæ naturæ relictus, igitur & Spiritus reddi poteſt viſibilis. Patet ſequela, quia ſicut eſſe inuiſibilem conuenit per ſe ſpiritui, ita eſſe viſibile conuenit per ſe corpori, ergo ſi hoc poteſt reddi inuiſibile, ille poteſt fieri viſibilis. LXXX.

Confirmatur primo, quia ſicut poteſt auferri color à corpore, ita poteſt poni in ſubſtantia ſpirituali, vt probaui ſuperiori tomo igitur hæc fiet viſibilis per coloris poſitionem, non ſecus ac ille per eiuſdem receptionem.

Secundò quia corpus Chriſti ſub ſpeciebus ſacramentalibus ſupernaturaliter ab alijs videri poteſt, vt S. Th. 3. p. q. 76. a. 8. & naturaliter à ſuo oculo intuente ſeipſum præſentem, vt ibidem a. 7. Eſt autem corpus Chriſti ſacramentaliter ibi ad modum ſpiritus, cùm ſit totum in toto, & totum in qualibet parte, & proinde inuiſibile reſpectu aliorum, viſibile reſpectu ſui.

Tertiò. Accidens corporeum in Sacramento ſeparatur à ſubiecto, ad quod dicit ordinem eſſentialem, & poſſet poni in corpore Chriſti, & in anima eius per abſolutam Dei potentiam, ergo & oculus ferri poteſt ad videndum ſpiritum, etiamſi eſſentialiter tendat in corpora ſenſibilia; patet ſequela, quia ita eſſentiale eſt accidenti ſubiectari in corpore, vt oculo ferri in ſenſibile, ſi ergo illud poteſt ſeparari à ſubiecto, ita & hoc poteſt ferri in non ſenſibile.

Reſpondeo ad argumentum, ſi in aliquo caſu reddatur corpus actu inuiſibile, illud eſſe per accidens, nam per ſe retinet viſibilitatem in actu primo, quia omne corpus receptiuum eſt coloris, aut accidentis viſibilis, at ſpiritus eſt per ſe inuiſibilis, & ſolùm per accidens, & indirectè fieri poteſt vi-

viſibilis non in ſeipſo, ſed in alio, in quo, vel ſub quo poni poteſt, ſicut vita dicitur videri per corpus, vel in corpore, quod informatur anima. Ex quo patet.

Ad primam confirmationem, ſi enim auferatur color à corpore, fit inuiſibile per accidens in actu ſecundo, & remanet viſibile per ſe in actu primo; vice verſa ſi ponatur in ſpiritu color fit viſibilis per accidens in actu ſecundo, & indirectè, remanet autem in actu primo per ſe inuiſibilis, quia in ſe attingi nequit ab oculo: vnde abſolutè non poteſt ſpiritus dici viſibilis, ſicut ſubſtantia corporea, quæ eſt ſubiectum proprium accidentium, per quæ videri denominatur.

Chriſtus diuidet ſuum corpus ſub ſpeciebus videt.

Ad ſecundam. Illa eſt confirmatio aſſertionis noſtræ, nam Chriſtus videt ſuum corpus ſine nouo miraculo ſub ſpeciebus, cæteri non viderent, niſi miraculosè; Sed viſio iſthæc ad corpus ſenſibile terminatur, modus autẽ, quo ibi eſt ſacramentaliter, intellectu ſolùm cognoſcibilis eſt, & non ab oculo viſibilis, vt diſertè S. Thom. ibi, & in 4. ſent. diſt. 10. q. 1. a. 4.

Ad tertiam. Negatur ſequela: ad probationem nego paritatem, nam viſio eſt actualis tendentia in viſibile, idque eſſentialiter ipſi conuenit, quomodo enim ſit viſio actualis, niſi viſibilis? at accidentium eſſentia non eſt actualis inhæſio in ſubiecto, ſed aptitudinalis; ideo poteſt hoc exiſtere ſine ſubiecto, vt docet fides, non item viſio ſine viſibili obiecto proportionato.

Inſtabis, quia poteſt durare viſio, deſtructo obiecto, ſi eius ſpecies in oculo perſeuerent, vel naturaliter, vel miraculosè per Dei conſeruationem; cur ergo non diceretur ferri in ens ſpirituale, ſi ſpecies eius produceretur à Deo in oculo, non enim tunc haberet minorem vim ad repræſentandum ens ſpirituale exiſtens, quam ſpecies corporis ad repræſentandum corpus non exiſtens.

Reſpondeo, dato antecedente, de quo non diſputo in præſentia, nego ſequelam: diſparitas eſt, quia rei ſpiritualis non datur ſpecies ſenſibilis in oculo, cui ſit proportionata ad conſtituendum principium videndi obiectũ inſenſibile; ſed rei corporalis poteſt dari ſpecies repræſentatiua obiecti ſẽſibilis, etiam deſtructi, in quo eſt ſimilis cognitioni abſtractiuæ, quæ fertur in rem non exiſtentem.

TERTIVM ARGVMENTVM EST.

Non magis eſt extra obiectum potentiæ viſiuæ ens ſpirituale, quam ſit gratia, vel aliud donum ſupernaturale extra effectus poſſibiles produci ab aqua, vel alia creatura, aut cruciatus damnatorum ſpirituum extra effectus ab igne producibiles; ſed aqua eleuatur in Sacramẽto Baptiſmi ad productionem gratiæ, & ignis ad torquendos Dæmones, & animas, ergo & oculus eleuari poteſt ad videndum ſpiritum. LXXXI.

Reſpondeo, nego maiorem, quia creaturæ reliquæ comparantur ad effectus ſupernaturales, vt mera inſtrumenta diuinæ omnipotentiæ eleuantis illa ad operandum ea, cum quibus nullam habent proportionem, & quæ nõ habent, cum inſtrumentis aſſumptis ex natura rei vllam connexionem, aut exigentiam dependentiæ, vt patet in gratia, quæ non poſtulat produci ab aqua potiùs quàm ab alio corpore; at vero omnes actus vitales habent proportionem aliquam cum potentijs, & exigunt ab illis fieri, & iſti ſupponunt, ac requirunt eſſentialiter proportionẽ potentiarum ad obiecta, in quæ tendunt ſiue naturaliter, ſiue ſupernaturaliter, vt patet ex dictis de auditu, qui non poteſt ferri in colorem, & de viſu, qui nequit percipere ſonum: huiuſmodi autem proportio non eſt inter oculum, & entia ſpiritualia, quia ex eo quod eſt actus corporalis organi, & materialis, determinatus eſt ad corporea, & extenſa. Quòd ſi conſideretur, vt creatura eſt ſubdita creatori, poteſt illi inſeruire pro inſtrumento ad producendam actionem tendentẽ in obiectum ſpirituale, ſed tunc concurret mortuo modo, vt reliqua inſtrumenta, non autem vt potentia vitalis influens vitaliter in actum tendẽtem in obiectum ſpirituale.

QVAR-

QVARTVM ARGVMENTVM.

LXXXII. Spirituale creatum minùs diſtat à ſenſu in ratione entis, quàm Deus ab intellectu creato, ergo ſi intellectus poteſt tendere in Deum, poterit & ſenſus in obiectum ſpirituale; antecedens patet, quia hic eſt ens infinitum, & increatum: illud verò finitum, & creatum; Probatur ſequela, quia prout ſe habet res ad eſſe, ita & ad intelligi; Si ergo illud, quod magis diſtat quoad eſſe ab intellectu cognoſcibile eſt ab ipſo, illud, quod minùs diſtat quoad eſſe à ſenſu, poterit & ab ipſo percipi.

Reſpondeo primò per inſtantiam, quia eodem argumento probaretur, quòd viſus ferri poteſt in ſonum, quia minùs diſtat in ratione entis ſonus à colore, quàm ens infinitum ab ente finito. Si igitur intellectus, qui eſt potentia finita, ferri poteſt in Deum infinitum, poteſt etiam viſus ferri in ſonum, quod eſt obiectum finitum, in quod fertur auris plus conueniens cũ oculo, quàm cum intellectu, qui percipit tam ſonum, quàm colorem; & tamen etiam per te abſurdum eſt dicere, quòd viſus ferri poſſit in ſonum, vel auditus in colorem: igitur non attenditur maior conuenientia, vel minor in ratione entis, ad hoc vt conſtituatur obiectum vnius potentiæ, ſed aliunde attendenda proportio.

Minus diſtat in ratione entis ſonus à colore quàm ens infinitum ab ente finito.

Reſpondeo ſecundo directè ex doctrina S. Bonauenturæ ſupra cit. in 1. diſt. 3. a. 1. q. 1. 2. non eſſe attendendã diſtantiam potentiæ cognoſcitiuæ ab obiecto cognoſcibili in ratione entis, ad hoc vt videatur quæ potentia in quod obiectum ferri poſſit, vel non poſſit; ſed ſecundùm rationem cognoſcibilis, ſecundùm quam minùs diſtare poſſunt, quæ magis diſtant in ratione entis, vt patet in exemplis allatis.

Sed vnde petenda eſt regula diſtantiæ ſecundùm rationem cognoſcibilis, vel conuenientiæ? in eadem ſiquidem dicet aduerſarius ſpiritum, & coloratum conuenire in ratione viſibilis, nõ ſecus ac Deus, & creatura in ratione intelligibilis, quæ tamen maximè diſtant in ratione entis.

Si reſpondeas, Deum, & creaturam magis quidem diſtare, ſed minùs opponi, non ſecus ac calor infinitus magis diſtat à calore finito, quàm à frigore finito; tamen magis opponitur, & eodem modo potentiam viſiuam, cùm ſit corporea, minùs diſtare ab obiecto ſpirituali creato, quàm diſtet intellectus finitus ab obiecto infinito, tamẽ magis opponi, quia corporeum, & ſpirituale intrinſecè opponuntur, non item ſpiritus creatus, & increatus, quæ opponuntur tantùm ſecundùm exceſſum, & defectum intra eandem rationem ſpiritus, & ideo conuenire in ratione cognoſcibilis, & cognoſcitiui.

Contra eſt, quia in ratione entis nõ opponuntur ſenſus, & ens ſpirituale, ſed potiùs conueniunt, ſecundùm verò rationes proprias, & intrinſecas opponuntur, & non tantùm ſecundùm exceſſum, & defectum Deus, ac intellectus, quia ille eſt actus purus, increatus, independens, neceſſarius, hic verò potentiale quid eſt, creatum, dependens, non neceſſarium; ſi ergo tanta diſtantia, & oppoſitio non obſtat rationi cognoſcibilitatis, & cognoſcitiui, cur obſtabit in ſenſu, ne feratur in ſpirituale obiectum, licet ſit materialis, & organicus? & alioqui ſi diſtantia oppoſitionis ſecundùm rationes intrinſecas obſtat cognoſcibilitati, minùs erit cognoſcibilis Deus ab intellectu, quam corpus à Spiritu, quia maior eſt inter illa diſtantia, & improportio.

Si item reſpondeas, magis diſtare in genere entis Deum ab intellectu finito, quàm Spiritus diſtet à potentia viſiua, non tamen in ratione obiecti, quia Deus etiam vt infinitus eſt ens, & proinde contentus intra obiectum intellectus, quod eſt verum, & intelligibile: ens verò ſpirituale coloratum non eſt, ac proinde extra rationem obiecti viſibilis, non ſatisfacis, quia hoc eſt in quæſtione, an aliquid non coloratum poſſit per diuinam potentiam attingi à viſu, ac proinde an ſit intra obiecta viſibilia licet non colorata; de hoc enim dubitabat ſupra Valentia non videns repugnantiam, quæ etiam minùs apparebit aſſerenti ferri poſſe ſenſum diuerſæ ſpeciei, ac perfectionis ab ijs, qui ſunt facti.

Digitized by Google

Ens ſpirituale nõ poteſt habere ratio nem obiecti attingibilis à ſenſu.

Reſpondeo igitur, verum eſſe, quòd ens ſpirituale non poteſt habere rationem obiecti attingibilis à ſenſu, non propter oppoſitionem, aut diſtantiã in entitate, ſed ob defectum proportionis requiſitæ inter potentiam, & obiectum, cuius nulla reddi poteſt cauſa prȩter ipſam conditionem naturarum, quæ tales ſunt, vt vna non proportionetur alteri, neque conueniat ipſi vt bonum ſuum, & proinde altera non feratur in illam, vt in appetibile ſuum, v.g. quærenti, cur guſtus non habeat proportionem cum ſono, neque auditus cum colore, reſpondetur, quia talis naturæ ſunt, vt ſonus non ſit bonus palato, neque color auri, neque huius vlterior poteſt reddi ratio, niſi ipſa natura rerum; ſic quare ſenſus habeat proportionem cum ſenſibili, & non cum inſenſibili, non poteſt ratio vlterior aſſignari, niſi natura ipſorum, ex eo enim quod eſt forma corporalis organi, non habet proportionatum obiectum, niſi corporeum, & talis ſenſus tale corporeum, & quod non habeat ad aliud, ratio eſt natura eius; Hanc autem intelligimus à poſteriori ab effectis naturalibus, ex quibus deinde philoſophamur de obiectis, à quibus ſpecificari, & menſurari dicimus potentias, & conſequenter aſſerimus extra illa ferri non poſſe, quȩcumque de cætero ſit diſtantia inter entitates.

In forma igitur ad argumentum reſpondeo, nego ſequelam: ad probationem dico, quòd licet ſenſus minùs diſtet à re ſpirituali, quàm intellectus à Deo, tamen maiorem proportionem habet in ratione obiecti Deus cum intellectu creato, quàm res ſpiritualis cum ſenſu, cuius ratio eſt natura intellectus, qui cùm ſit potentia immaterialis cognoſcitiua, verſari poteſt circa omne verum, ſeu cognoſcibile, & Deus ipſe, qui eſt ſummum, & primũ verum; vice verſa ſenſus eſt potentia materialis, & determinata ad talem modum operandi per organa corporalia, qui non poteſt tendere in ſpiritualia.

Sed rurſus inſtabis, quia hoc verum eſt de modo operandi naturaliter, non apparet autem, cur ſupernaturaliter non poſſit ſenſus ferri in ſpiritualia per alium modum operandi, & tũc obiectum adæquatum, & proportionatum abſtraheret à ſenſibili, & ſpirituali.

Reſponſio patet ex dictis, quia à poſteriori colligunt Philoſophi naturã, & eſſentiam potentiarum, atque adeo obiecta ipſis proportionata, in quæ ferri non poſſunt aliquo modo, concluduntque, ſi ferentur extra illa, deſtructum iri naturas ipſarum, atque adeo implicare vt ferantur, quia eſſent tales potentiæ ex ſuppoſitione, & non tales ex poſitione, v.g. viſus ſi ferretur in ſonum, eſſet viſus, vt ſupponitur, & non eſſet viſus, quia eſſet auditus ſimul, non poteſt autem eſſe duplex potentia, & multò magis implicat ferri in ens ſpirituale, quia exprimeret illud vitaliter, quod eſt propriũ intellectus; & quamquam imaginatio, & ſenſus communis tendit in obiecta cæterorum ſenſuum particularium, tamen non dicitur videre, vel audire, quia tendit in illa diuerſo modo ſibi proprio, vnde & habet illa, vt obiecta conuenientia in ratione imaginabilis, ſeu vt attingibilia per talem actum: ideò nec poteſt illa attingere, vt attinguntur à ſenſibus particularibus, ſicut neque intellectus, qui eſt potentia vniuerſalior, attingit eadem, vt attingũtur à potentijs inferioribus, etiam de abſoluta potentia, quia modus operationum ſenſus intrinſecè, & eſſentialiter inuoluit materiam, & proinde eſt à potentia materiali, ſicut vice verſa modus operationum à potentijs ſpiritualibus manantium liber eſt à materia, & proinde repugnat potentijs materialibus. Itaque cùm dicitur, quòd viſus habet pro obiecto formali, & adæquato obiectum ſenſibile coloratum, extra quod non fertur, intelligitur de ſenſibili tali modo, ſeu vt ſubſtat attingibilitati à potẽtia viſiua verſanti circa illud peculiari ratione diſtincta à modo operandi reliquarum omnium potentiarum, quæ circa idem verſari poſſunt modo ſuæ naturæ conuenienti, quæ ſi mutetur, mutabitur & operatio eſſentialiter, & non erit ab illa potentia influente vitaliter, ſed ad ſummum tantùm inſtrumẽtaliter mortuo modo: idque à poſteriori primã colligimus deinde quaſi à priori argumen-

men-

Digitized by Google

mentamur de impoſſibilitate eleuationis ad actum ſuperioris ordinis, quia repugnat potentiam ferri per actus à ſe elicitos vitaliter extra ſuum obiectum, ad quod eſt determinata ex ſua natura, & eſſentia, ſed tunc eſt.

QVINTVM ARGVMENTVM.

LXXXIII. Quia ex hypotheſi, quòd daretur actus viſionis attingentis ens ſpirituale, conſtaret illud non eſſe extra obiecta potentiæ viſiuæ, ſed non oſtenditur eſſe hypotheſis impoſſibilis, niſi ex eò quòd ens ſpirituale eſt extra obiectum viſus, ergo probatur idem per idem, & eſt petitio principij; probatur minor, quia quærere, an poſſit eſſe viſio entis ſpiritualis idem eſt acquærere, an ens ſpirituale terminare poſſit viſionem, quod idem eſt ac eſſe obiectum viſionis, & reſpondetur non poſſe, quia viſio non fertur extra ſuum obiectum, quod valet tantumdem ac ſi dicas, non poteſt eſſe viſio, quia illud videri non poteſt, quæ non differunt, niſi vt phraſis actiua, & paſſiua.

Reſpondeo, nego ſequelam, quia argumentum non eſt in forma, & conſtat quatuor terminis, vt apparet numerare volenti. Cæterùm quod attinet ad rem ipſam, negatur idem eſſe quærere, an potentia viſiua poſſit tendere in rem ſpiritualem, & an res ſpiritualis ſit intra obiecta potentię viſiuę, quamquam enim hæc ſunt neceſſariò connexa, tamen vnũ eſt prius altero, vt potè ſpecificatiuum illius, potentiæ enim ſpecificantur ab obiectis, & valet à priori inferre, datur tale obiectum, igitur & datur potentia circa illud: Sicut & à poſteriori, quaſi ab effectu, datur potentia, ergo & obiectum eius, non ſecus ac datur rationale, ergo & riſibile, & viceuerſa. Quando igitur dicitur potentia viſiua, non poteſt tendere in rem ſpiritualem, quia nulla potentia fertur extra ſuum obiectum, redditur ratio à priori: ſubſumitur autem minor, ſed ens ſpirituale eſt extra obiectum potentiæ viſiuæ, quæ continet maiorem applicatam potentiæ particulari, & formaliter differentem ab hac propoſitione, vt ab effectu, viſio non poteſt verſari circa ens ſpirituale, conſequenter non probatur idem per idem, neque petitur principium, ſed redditur ratio à priori formaliter diuerſa à poſteriori ſecundùm rationem.

Potentiæ ab obiectis ſpecificantur.

Viſio verſari non poteſt circa ens ſpirituale.

Inſtabis, quia viſibile, quod eſt obiectum formale viſus, non poteſt intelligi, quin ſimul intelligatur potentia viſiua, ergo non eſt priùs illa; Antecedens patet, quia viſibile vt ſic, ſeu, vt attingibile à potentia viſiua differt à ſeipſo vt attingibili ab alia potentia, puta imaginatione, intellectu &c. ergo conſtituitur tale per ordinem ad potentiam viſiuam, cum ſit viſibile formaliter, quatenus tali modo attingi poteſt ab illa, vt diximus, igitur non redditur ratio à priori, quando petitur ab obiecto formali. Sequela patet, quia prius non pendet à poſteriori in eſſe, vel intelligi.

Reſpondeo, hanc eſſe difficultatem communem omnibus obiectis formalibus in communi ſenteтia, quòd ab illis ſpecificentur immediatè actus, & mediatè potentiæ, ſaltem partialiter, de quo Philoſophi. Igitur reſpondeo, diſtinguo antecedens, nam viſibile dupliciter intelligitur, primo vt dicit denominationem extrinſecam à viſu, ſecundo vt eſt talis entitas, quæ fundamentum eſt primum, & principale talis denominationis; primo modo non poteſt intelligi ſine potentia viſiua, quia denominatur ab illa, ſecundo modo poteſt, ſi conſideretur ſecundùm intrinſecam ſuam naturam, à qua ſpecificatur entitas potentiæ viſiuæ; & licèt vt ſpecificatiuum inuoluat terminum ſpecificatum, tamen prius eſt illo, ſicut cauſa, vt cauſatiua inuoluit effectum, quia cauſatiuum vt ſic, alicuius eſt cauſatiuum, tamen prior eſt effectu ſaltem natura, & ita ab illa arguimus à priori ad effectum. Sic igitur in propoſito, quando ab obiecto probamus poſſibilitatem actus, & potentiæ circa illud, vel impoſſibilitatem redditur ratio à priori; Sed hæc reſponſio petit explicationem prioritatis, & ſimultatis quæ inter obiecta formalia, & potentias, actuſq; earum intercedit, quę infra reſeruatur ad quęſtionem, An ſit poſſibile principium volitiuum, non intellectiuum.

Ex

Ex dictis ſequitur non eſſe poſſibilem potentiam materialem cognoſcitiuam obiecti ſpiritualis, quæ eſt communis ſententia Theologorum, à qua diſcedit P. Arriaga diſp.5. de Anima, adeò liberè, vt num. 28. concedat eleuari illam poſſe ad videndum Deum, & excedere in pluribus perfectionem animæ rationalis: nititur principio vniuerſali non implicantiæ, quam probat ſolutione argumentorum: quorum tamen aliqua ex ſupra relatis vim retinent ſuam, & alioqui nulla ratio cogit cõmunem ſententiam deſerere, vel ob id maximè quod fauet animæ rationalis immortalitati, & ſpiritualitati, qua poſita faciliè intelligitur potentia obedientialis ad videndum Deum; & qua remota ſi manere poteſt eadem potentia, arguet aduerſarius non eſſe impedimento materialitatem, quin eleuari queat ad viſionem; atque ita deſtituetur ſententia communis argumento valido, quo probat eam eſſe ſubſtantiam ſpiritualem, quia intelligit ſpiritualia, & vniuerſalia; reſpondebit enim aduerſarius hæc etiam eſſe obiecta attingibilia à potentia materiali, præſertim ſi creari poteſt perfectior quàm ſit anima rationalis, vt idem contendit numero 21.

AN DIVINA

Eſſentia à puro viatore darè videri poſſit.

CAP. XVII.

I. Valde probabili, eſt ſententia S. Bonau. quod nullus purus viator viderit clarè Deum.

II. Quod neque Moyſes, neque Sanctus Paulus.

III. Probatio ex ſcriptura ſacra, & Patribus.

IV. Aſſerendam affirmatiuæ probabilitatem ſufficeret auctoritas SS. Auguſt. & Thomæ.

V. Additur confirmatio ex genuina ſignificatione vocum hebraicarum Cap. XVIII.

PVRO, inquam, nam à Chriſto Domino ſimul comprehenſore vitam fuiſſe, extra controuerſiam eſt, & quidem perpetuò, cùm de alijs fiat quæſtio, an ad tempus: vnde & de potentia ordinaria inſtituitur, de abſoluta enim non eſt vrgens vlla dubitandi ratio: occaſionem diſputandi præbuere contraria in ſpecie Scripturæ loca, hinc affirmantia Deum ab aliquibus viſum: inde negantia videri poſſe, Deum nemo vidit vnquam, ſed nec videri poteſt; vt infra; quæ anſā præbuere Patribus, & Scholaſtic s d uerſa ſentiendi. Referuntur illi copioſè pro vtraque parte à recentioribus, qui exactiſſimè controuerſiã hanc diſcuſſere, præſertim à Salas in 1.2.tract.2. diſp.10. ſect. 4. Faſolo 1.p.q.12.a 11. per multas dubitationes: tractat & Salian. tom. 1. Annal. Eccleſiaſticorum. Ego actum non egero ſi quid ſenſerit S. Bonau. ex eius locis indagauero, & probabilitatem ſententiæ negantis oſtendero, ſine contrariæ præiudicio, cui Sanctorum aliquot Patrum, & aliorum Doctorum grauitas, ac numerus conciliauit auctoritatem non modicam; & quia potiſſima quæſtio eſt de Moyſe, & S. Paulo, ordior ab iſtis de cæteris aliquid etiam dicturus, quorum mentio apud eoſdem eſt frequens, ſi præmonuero potiſſimum fundamentum ſententiæ S. Bonauenturæ eſſe varia Scripturæ loca, iuxta antiquorum Patrum intelligentiam, quibus tamen varias adhibent reſponſiones Aduerſarij interpretantes de viſione, vel corporali, vel naturæ viribus, vel de comprehenſiua, vel ſecundùm potentiam ordinariam, quarum nullam admittunt textus nonnulli inter alios à P. Dionyſio Petauio tom. 1. l. 7. Theologicorum dogmatum per varia capita præſertim 12. exactè diſcuſſi.

LXXXIV. — Sal. — Faſol. — Salian. — Petau.

Prima Aſſertio.

PRobabilis eſt ſententia S. Bonau. negantis viſam eſſe clarè diuinam eſſentiam à Moyſe in hac vita. Quod hoc ſenſerit, ſuadent loca mox adducenda ad verbum in eorum gratiam, qui contrariam, illi affingunt.

p Moyſes, in præſenti vita clarè diuinā eſſentiā non vidit. S.Bon.

In

Digitized by Google

In 2. Sent. diſt. 8. p. 1. dub. 2. mouens dubium contra Magiſtri textum è ſcriptura probantis, quòd Deus in ſpecie ſuæ eſſentiæ nunquam mortalibus apparuit ex 3. Exodi, non videbit me homo, & viuet. Et ex Euangelio Ioannis 1. Deum nemo vidit vnquam, *Sic ait, Contrarium huius habetur Exodi 24. Loquebatur Dominus ad Moyſem facie ad faciem, & num. 12. Palam, & non per figuras, & ænigmata Deum vidit; Dicendum eſt, inquit, ad hoc quod in prima auctoritate ſignificatur, quòd Deus non poteſt videri à Viatore in ſua eſſentia, & claritate. Sed in duobus ſequentibus inſinuatur familiaritas Dei ad Moyſem; quantùm ad apparitionem, & quantùm ad contemplationem, in quarum vtraq; Prophetas alios excellebat. Familiaritas apparitionis notatur, cum dicitur, quod loquebatur, facie ad faciem: ſubintelligendum eſt in ſubiecta creatura: eminentia contemplationis, cum dicitur, Palam, & non per figuras, & in ænigmate Deum vidit, quia non tantùm fulgebat viſionem corporali, aut imaginaria, ſed etiam intellectuali. Ita S. Bonauent.* Quæ explicatio cadit etiam in illud num. 12. Palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.

In eodem lib. 2. diſt. 23. a. 2. q 3. in reſolut. impugnat ſecundum modum dicendi tribuentem viſionem eſſentiæ ſtatui innocentiæ, licet non ita claram vt in Patria. *Sed hæc, ait, poſitio dictis Sanctorum non conſonat; ſicut enim dicit Dionyſ. in lib. de myſtica Theologia, quòd excellentiſſimus modus contemplandi eſt ignorantia, quia nec ipſe Moyſes valuit Deum videre, & ideò introductus ducitur ſcilicet in caliginem. Vnde Dionyſ. vocat eos indoctos, qui dicunt ſe noſſe eum, qui poſuit tenebras latibulum ſuum.*

Ibid. auctoritates in rationibus dubitandi poſitas ad probandam claram viſionẽ eſſentiæ interpretatur de cognitione in alioquo interiori effectu, quã vocat contemplationem eò eminentiorẽ, quò clariùs effectum diuinę gratiæ ſentit homo in ſeipſo, & hunc diſtinguit à cognitione per fidem ab apparitione, & à viſione gloriæ, quã n gat dari in hac vita.

Simile eſt, quod habet in 3. diſt. 14. a. 1. q. 3. vbi explicans auctoritates negantes videri poſſe Deum, inter alias interpretationes, quas illis adhibet, vna eſt; *Non poteſt, inquit, videri ſubſtantia ſcilicet in via; vnde ſuper illud 1. Timoth 6. Quem nullus hominum videre poteſt, Gloſſa, Poterit autem aliquando: Et ſic illud Exod. 33. Non videbit me homo & viuet. Cum igitur in 2. cit. ob hanc Exodi auctoritatem dixerit à Moyſe non eſse viſam eſsentiam diuinam, & claritatem Dei, qui cum eo facie ad faciem, & os ad os loquebatur; ſed tantùm ſubleuatum ad intellectualem viſionem & familiaritatem Dei ſuper omnes Prophetas in eodem ſenſu hic loqui non eſt dubium, vt ſibi cohæreat, & à Dei viſione clara Moyſem excludat.*

Præt. in 3 diſt. 18. a. 2. q. 3. in reſolut. *Eſt autem, inquit, Paradiſus cæleſtis aperta viſio Dei, clauſio autem huius Ianuæ fuit impoſſibilitas videndi Deum facie ad faciem; quæ impoſſibilitas contingebat ex merito peccati Adæ, & ex decreto diuinæ ſententiæ, quo ſcilicet Deus determinauerat, neminem ad ſui aſpectum admittere, niſi facta eſset ſibi emenda, & ſatisfactio pro illo peccato, &c.* Poterat igitur Deus ex priuilegio oſtendere eſſentiam ſuam, ſed illud diſtulit vſq; ad Chriſti aduentum, qui ſatisfecit pro peccatis humani generis, &c.

Item in opuſculo, quod inſcribitur, illuminationes Eccleſiæ in Hexamer. ſermon. 9. diſtinguit viſionem in intellectualem puram, & intellectualem mixtam imaginariæ, & in intellectualem coniunctam cum viſione corporea manifeſta, & ſubdit. Ad hanc, *ſcilicet, primam, fuit Moyſes ſubleuatus vltra omnes Prophetas, quia ſcriptum eſt: Si fuerit inter vos Propheta Dei, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum: At non talis ſeruus meus Moyſes; palàm, & non per ænigmata, & figuras Deum videt, & ore ad os loquar ei.* Et concludit. Qui etiam vidit Angelum, qui in rubo apparuit &c. Et exponit B. Stephanus creaturam, ſed Angelus fuit: Quæ verba ſunt eadem cum illis, quibus vſus eſt in ſententijs locis ſupra citatis, vbi apertè negat, viſam eſſentiam Dei á Moyſe, & explicat, quomodo palam, & os ad os loqueretur Dominus per

Moyſes Angelum vidit qui in rubo apparuit.

Act 7.

per ſubiectam tamen Creaturam, tam quando in Sina & Horeb, quàm quãdo in tabernaculo loquebatur. Neq; cenſendus eſt hic S. Bonauentura ſibi contrarius; aut retractaſſe, cum nec leue appareat retractationis argumẽtum.

Solùm videtur habere difficultatẽ, quod hic disertè ait, viſio intellectualis pura in mentibus Angelicis eſt in Legislatore; quibus verbis ſignificare videtur eleuatum Moyſem, ad viſionem beatam, qualis eſt in Angelis. Sed in primis S. Bonauentura contradiceret dictis ſæpius in libris ſentẽtiarum, vbi ex profeſſo quæſtionem tractat, & alioqui gratis illi imponeretur, vel inconſtantia, vel obliuio. Deinde perpendenti textum apparet omnino conſonus alijs ſupra allatis ex ſententijs; nam viſio intellectualis dicitur altiſſima contemplatio, qua mens tota in Deo figitur, de qua in 2. ſent. diſt. 23. a. 2. q. 3. Et dicitur angelica talis in Legislatore fuiſſe (inquit S. Bonauent.) *quia lex per Angelos ordinata eſt, Angeli eam dederunt, Angeli eam ſcripſerunt, qui puram veritatem videbant in luce æterna &c.* Et ad hanc viſionem fuit eleuatus Moyſes, non videndo eſſentiam in ſe, vt vident Angeli beati; ſed in ſubiecta Creatura repræſentante Deum, hoc eſt in Angelo ſibi loquente os ad os, ad oſtendendam familiaritatem, quoad apparitionem, & contemplationem, vt explicat in 2. diſt. 15. cit. referens eadem loca, & apertè in ijs negãs conceſſam eſſe Moyſi viſionem eſſentię diuinæ: quomodo igitur hanc illi concedat in citato opuſculo? Vbi puram quidem tribuit, & Angelicę ſimilem; ſed beatam nequaquam; vt iccirco immeritò pro contraria ſententia vſurpetur hæc auctoritas à recentioribus, qui mentem Doctoris Sancti alibi non ſemel apertè expreſſam non perpenderunt, vt ſilentium indicat, quo intectam omiſere.

Explicatur S. Bonau.

LXXXV. Pro hac ſententia referunt multos Patres, & ſcholaſticos Suar. 1. p. tract. 1. l. 2. c. 30. Vazq. 1. p. diſp. 55. c. 2. init. Salas 1. 2. tract. 2. q. 5. diſp. 10. ſect. 4. aliquas afferre operæ pretium eſt, vt S. Bonauenturæ fauere eos liqueat; immorari in longa enumeratione non eſt neceſſe ad maiorem fidẽ conciliandam opinioni eius, quæ probabiliſſima eſt, licèt multos habeat Aduerſarios ex Patribus, & Scholaſticis.

Suar. Vazq. Sal.

Euariſtus Papa in Epiſtola ad omnes Epiſcopos Africanos decretali habet in alia vita Deum clarè videndum, *non ſicut Moyſes, inquit, cæterique Prophetæ per ænigmata, & figuras; ſed ipſam veraciter in filio contuebitur diuinitatis imaginem &c.* Non contendo definijſſe hoc dogma Euariſtum; ſed vt Doctorem ita ſenſiſſe, & à parte S. Bonauenturæ ſtare.

Euariſtus P.

Dices. Hæc propoſitio directè opponitur alteri; num. 12. vbi dicitur Moyſes non per ænigmata, & figuras Deum vidiſſe, ergo aduerſatur ſcripturæ Euaris.

Abſit hoc à Pontifice; ſed cum ænigma ſit obſcura ſimilitudo, vt S. Auguſt. 14. de Trin. citatus ſupra à S. Bonauentura in 2. diſt. 23. a. 2. q. 3. vbi eſt clara viſio, non eſt obſcuritas; atq; ita ſine ænigmate loquebatur Dominus Moyſi, quia ipſi palam apparebat Angelus, & os ad os loquebatur, & facie ad faciem in forma viſibili, & verbis minimè ambiguis. Et huic modo apparitionis & locutionis opponitur obſcuritas loquentis, qui non apparet ſenſui, neque intellectui ſe clarè dat cognoſcendum, ſed per ſpeculum in ænigmate, vt loquitur S. Paulus, ad cuius verba alludit Euariſtus comparans viſionem Beatorum cum viſione Moyſis, & hanc vocans per ænigmata, quia non vidit eſſentiã diuinam in ſe, licèt abſque ænigmate fuerit reſpectu Angeli clarè viſi: Illam verò abſolutè ſine ænigmate, quia Deus ipſe clarè videtur in patria. Itaque propoſitio Euariſti nõ aduerſatur ſcripturæ, quia hæc intelligitur de Angelo perſonam Dei ſuſtinente in forma clarè viſa: Euariſtus verò loquitur de viſione eſſentię diuinæ, quali fruuntur Beati, & non Moyſes, qui ſolùm in ſubiecta creatura vidit, ſed familiariùs & excellentiùs cæteris Prophetis.

Aenigma eſt obſcura ſimilitudo. S. Aug.

Dices ſecundo Euariſtum loqui ſolùm de Viſionibus, quę in particulari ſcriptæ ſunt in ſacris litteris, & ſunt eiuſdem generis cum reliquis Prophetarum, ſed non negare, quòd præter has habuerit aliam particularem ſublimio-

miorem diuinæ eſſentię in ſe ſine ęnigmate, de qua ſcriptura non meminit, narrando locum, tempus &c.

Contra, quia in eodem contextu diceret contraria, definit enim non ſolùm Patris, vt aliqui docebant, ſed etiam Filij, & Spiritus Sancti naturam eſſe lucem inacceſſibilem, & obiter ſubdit, in alia vita Deum à quolibet Beato videri clarè, non ſicut Moyſes in ænigmate. Quòd ſi Moyſes etiam vidit clarè, vt quid diſtinguitur viſio illorum, qui in patria ſunt, à viſione Moyſis in claritudine? vt appareat, voluntarium eſſe refugium ad viſionem particularem non expreſſam in ſcriptura, cum Patres, qui hoc priuilegiũ concedunt Moyſi, locis duntaxat ſcripturæ nitantur, vt meritò Vazq. qu. cit. 55. c.2. hac potiſſimum auctoritate, & aliorum ſanctorum Patrum, quos fusè recitat hîc, & diſp. 37. dicat, coactum ſe diſcedere à ſententia S. Auguſtini, & S. Thomæ etiamſi Faſol. loc. cit. conetur Patres S. Auguſtino concordes oſtendere; quod ægrè perſuadet auctoritates ipſorum conferenti, ac examinanti.

Vazq.

S. Dionyſ. de cæl. Hierarch. c. 4. & epiſt. 1. ad Caium, *cum dixiſſet, hoc quod in Deo occultum eſt, vidiſse, aut viſurum eſse neminem, ſubdit: Deum verò ſanctis viſum, ac oſtenſum eſse illum quidem, ſed enunciationibus, quæ Deo digna ſint, per quaſdam ſacras, & eorũ, quibus oſtenduntur, captui accommodatas viſiones.*

S. Dionyſ.

Nec valet, ſi dicas, loqui eum de potentia ordinaria, non de lege extraordinaria: quia ordinariè Deus non agit viſionibus, & quando iſtæ alicui contingunt, habentur pro re inſolita, & contra communem, & ordinarium curſum diuinæ prouidentiæ, quæ raró illas communicat, & vix alijs, quàm inſignibus Sanctis, qui rari ſunt: & ſi quando alijs, habentur pro re extraordinaria. Nec item valet, ſecundo quòd Dionyſius loquatur de viribus naturalibus, ſupra quas eſt Dei viſio, quia apertè textus indicat, ſermonem eſſe de viſionibus, quæ à Deo conceduntur, & per nullas earum videri, quod occultum eſt Dei, qualem eſſe eius eſſentiam, in confeſſo eſt. Tertiò multo minùs congrua videtur explicatio de vita ſenſitiua, quaſi nemo durante viſione viuat vita ſenſitiua, cum ſenſus illâ abſorbeantur; quia per accommodationem quidem conuenit expoſitio iſta textui; ſed ſenſus litteralis eſt, in hac vita Deum à nullo viſum, & ſi quibus oſtenſus eſt, factum eſſe, ait Dionyſ. per accõmodatas viſiones. Quarto. Idem Dionyſius de myſt. Theolog. c. 1. loquens de Moyſe habet: Atque in ijs non cum Deo quidem verſatur, videt tamen non ipſum (neque enim cerni poteſt) ſed locum, in quo ſtetit. Neque loqui dicas de viſione corporea, nam res erat manifeſta, & non probabatur à Dionyſio, Deum purum ſpiritum in ſe non eſſe viſum oculis corporeis; ſicut & clarè viſum in ſubiecta Creatura, hoc eſt angelo. Neque item loqui de ſola comprehenſiua cognitione; quia neque verba illam indicant, neque ſenſus verborum illam depoſcit, qui ſolùm contendit, non viſum à Moyſe clarè Deum, & in hunc ſenſum citatur S. Dionyſ. à S. Bonau. in ſecundo diſt. 23. a.2. q.3. diſertè aſſerente, quia nec Moyſes valuit Deum videre. S. Dion. ſolum contendit non viſum à Moyſe clare Deum, quem ſequitur S. Bon.

S. Hilarius in illud Pſal. 118. *Deprecatus ſum faciem tuam, ait, Moyſem deprecatum eſſe, vt videret Deum, & illi fuiſse negatum, dictumque. Nemo hominum videbit faciem meam, & viuet.* S. Hilar.

S. Athanaſ. q. 12. ad Antiochum motus auctoritatibus Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam: & 1. Timoth. 6. quem nullus hominum vidit, neque videre poteſt; ita loquitur. *Quamobrem nudam Dei eſsentiam nullibi vidit vllus. Pro humana verò infirmitate Deus aſsumpta forma, ſeu maieſtate longè inferiori, Prophetis apparuit, vnde manifeſtò conſtat, quod non eſsentiam, ſed gloriam Dei viderunt &c.* S. Athan.

An hunc de cognitione comprehenſiua interpretabere? At textus citati ex ſcriptura, ad quorum ſenſum ſuam propoſitionem format S. Athanaſ. de viſione clara eſſentiæ loquuntur, iuxta communem expoſitionem.

S. Ambroſius lib. de fide contra Arianos c. 8. tom. 2. fusè probat à nullo Deum in hac vita videri clarè, & de Moyſe in particulari hæc habet. *Nemo erit ex Prophetis, vt ſeruus meus* S. Ambroſ.

Moyſes, cui facie ad faciem, ore ad os locutus ſum: Deum tamen purè videre non potuit. Meritò quidem Prophetia omnium dignus, ſed non vſque adeo, vt intueri Deum valeret quia homo tãtummodo eſſet; & quia ibi prolixior eſt, & apertior in hoc probando, quàm vt fucum vllum interpretationum extranearum admittat Valentia, Salas, Faſolus negant Ambroſij eſſe librum illum; At magis iuuat Bellarmino credere, qui libro de ſcriptoribus Eccleſiaſt. ad annum 400. vbi de S. Ambroſio, non recenſet hunc inter ſuppoſitios; ſed pro germano tomi ſecundi habet. Et ne diſſentire à ſe videatur Ambr., mallem alia quædam loca ad huius tenorem explicare, quàm auctorem alium partui redolenti Ambroſiũ aſſerere. Sed etiam dato illo effugio, quicumque auctor fuit, grauis eſt.

Bellarm.

S. Hieronymus l. 3. Dialog. *aduerſus Pelagianos idem teſtatur, & clariùs epiſt. 142. ad Damaſ. tom. 3. aiunt Iudæi Eſaiam à maioribus ſuis iccirco interemptum, quia cum Moyſes poſteriora Dei viderit, hic Dominum Sabaoth oculis carnalibus vidiſſe ſe, ſcribat, ſuper hoc Deo dicente, Nemo faciem meam videbit, & viuet. Quos ſi interrogemus, quomodo ſe Deus in lege alijs Prophetis in viſione, & ſomno dicat oſtendi, Moyſi verò facie ad faciem colloqui, & quo modo ſtet illa ſententia: Nemo faciem meã videbit, & viuet, cum facie ad faciem ſe ad Moyſem locutum eſſe fateatur, reſpondebunt vtique iuxta poſſibilitatem humanam Deum viſum; Non vt eſt, ſed vt voluit, ſe videri: quibus & nos dicimus eodẽ modo ab Eſaia eſſe viſum &c.* Hic abſolutè negat Deum, vt in ſe eſt, eſſe viſum, ergo ſi aliquando viſus eſt Moyſi, vt eſt in ſe, etiamſi non in locis à ſcriptura memoratis, falſa eſt vniuerſalis, ſeu abſoluta propoſitio Hieronymi, quod nulli Prophetarum ſit viſus, vt eſt in ſe.

S. Hieron.

Deus viſus eſt, non vt eſt, ſed vt voluit ſe videri

S. Bernardus ſerm. 2. in Ramis palmarum. *De Moyſe ſcriptum eſt, quia cæteris quidem Prophetis per viſiones & ſomnia, Moyſi verò facie ad faciem loquebatur. Quantum ad plenam ſanè viſionem, nec ipſe Moyſes dum viueret in hoc mundo, impetrare potuit faciei ipſius viſionem, quia ſicut ipſe ait, non videbit me homo, & viuet. Non videbor, inquit, in hac vita, non videbit quis faciem meam in hac via &c.*

S. Bernar.

Reſpondent loqui S. Bernardum de plena, & perfecta viſione, quæ faciat beatum ſimpliciter viuentem, alioqui paulo ante affirmat, eum ab hominibus in hac vita videri aliquando poſſe, ſed raptim, & non continuè, nec plenè.

S. Bernard.

Contra, quia quæſtio non eſt de viſione, quæ ſimpliciter reddat beatos, qualis ſola eſt in Patria ſemper duratura, ſed qua Deus videatur in ſe clarè, ſicut videtur à Beatis, quæ eſt plena viſio diſtincta ab alijs, quibus non videtur Deus in ſe clarè.

Deinde varias viſiones diſtinguit ibi S. Bernard. & ijs tribuit tertiam, qui Chriſto adhærent in proceſſione, de qua loquitur in Dominica Palmarum, hos enim videre aſſerit, ſed raptim in via: quartam verò ijs, qui facie ad faciem vident, vt Moyſes vidiſſe dicitur, qui tamen plenam viſionem non impetrauit, hoc eſt Dei in ſeipſo; neque tamen viſionem beatorum perpetuam pro eo tempore poſtulabat non niſi poſt mortem futuram, & quidem poſt Chriſti ianuas cæli aperientis aduentum, ſed vt loquentem, & ſecum tunc agentem clarè intueretur. Quod ſi hanc non obtinuit, Bernardo teſte; neque alijs conceſſam indicant citata verba raptim, & non continuè &c. qui minùs perfectè viderunt quàm Moyſes, qui facie ad faciem, at raptim videre per altiſſimam contemplationẽ, de qua ſupra S. Bonauentura, S. Bernardo conſonus.

S. Gregorius, quem pro ſe citant ſententiæ Patroni, non obſcurè S. Bonauenturæ fauet, nam lib. 18. Moral. c. 28. quod eſt vltimum. *Vidit Iacob Dominum, qui ait, Vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt Anima mea. Vidit Moyſes Deum, de quo ſcriptum eſt: loquebatur Dominus Moyſi faciè ad faciem, ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum: Vidit idem Iob Dominum, qui dicit; Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus vides te &c. Et mox. Quid eſt ergo, quod tot teſtamenti veteris Patres Deum ſe vidiſſe teſtati ſunt, ei tamen de hac ſapientia, quæ Deus eſt, dicitur; Abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium; & Ioannes ait. Deum nemo*

S. Greg.

vi-

vidit vnquam, niſi hoc quod patenter datur intelligi, quia quandiu hic mortaliter viuitur, videri per quaſdam Imagines Deus poteſt, ſed per ipſam naturæ ſuæ ſpeciem non poteſt, vt anima gratia ſpiritus afflata per figuras quaſdam Deũ videat, ſed ad ipſam vim eius eſſentiæ non pertingat. Hinc eſt enim, quòd Iacob, qui ſe vidiſse Deum teſtatur, hunc non niſi in Angelo vidit. Hinc eſt, quod Moyſes; qui cum Deo facie ad faciem loquebatur, ſicut loqui ſolet homo cum amico ſuo, & inter ipſa verba ſuæ loquutionis dicit: Si inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi temetipſum manifeſtè, vt videam te. Certè enim ſi Deus non erat, cum quo loquebatur, oſtende mihi diceret, & non oſtende temetipſum, ſi autem Deus erat, cum ipſo facie ad faciem loquebatur, cum petebat Deum *videre, quem videbat? Sed ex hac eius petitione colligitur, quia eum ſitiebat per incircumſcriptæ naturæ ſuæ claritatem cernere, quia iam cæperat per quaſdam imagines videre, vt ſic ſuperna eſſentia mentis eius oculis adeſſet, quatenus ei ad æternitatis viſionem nulla imago creata temporaliter intereſſet &c.*

Iacob tantũmodo Deũ vidit in Angelo.

Reſpondent *S.* Gregorium ſtatim quaſi corrigendo, aut limitando propoſitionem vniuerſalem, quòd nemo viderit Deum in hac vita addidiſſe duas, quibus poſitis, videri poſſit Deus, nimirum inſignem ſanctitatem, & ſeparationem à cogitationibus, & affectionibus aliarum rerum; proinde & alijs Sanctis, & Moyſi videndum ſe præbuiſſe, etiamſi non tunc eum apparuiſſe dicitur Exodi 33. Neq; hoc eſſe contra ſcripturam ex mente Gregorij non negantis viſionem hanc Moyſi in tota vita, ſed ſolùm ad illud vſque tempus, quo petijt videre in ſeipſo Deum loco citato Exodi.

Sed quis dicat, Gregorium proferre dictum vniuerſale ex ſcriptura negante Deum videri in hac vita, & ſtatim afferre contrarium, quod videri poſſit ab hominibus ſanctitate inſignibus & abſtractis ab humanis cogitationibus & affectibus, ſi viris illis, quos ex veteri teſtamento recenſet, qui ſunt Iacob, Moyſes, Iob, *E*ſaias, Michæas, viſum à ſeipſis Dominum teſtantibus per imagines apparuiſſe, tam diſertè repetit *S.* Gregorius? Certè ij fuere inſignes Sãcti, & abſtracti cogitatione à terrenis, vt propterea limitatio illa ad viros Sanctos fieri nequeat, niſi hos excludendo à numero inſignium Sanctorum, ſi illis non apparuit Dominus, qui tamen apparet alijs habentibus duas illas conditiones, quis hunc diſcurſum *S.* Gregorij fuiſſe autumet?

Deinde cum ſcriptura locis citatis innuat, non viſum eſſe Dominum à Moyſe, & ita illam explicent Patres tres citati, vbi quæſo, & quando dicamus illi in reliqua vita apparuiſſe, cum Ioan. 1. dicatur, Deum nemo vidit vnquam?

Denique neque limitat, neque corrigit effatum illud *S.* Gregorius, ſed aliud viſionis genus explicat altiſſimæ contemplationis, quale etiam viris Sanctis & tota mente ad Deum intentis concedi teſtatur *S.* Bonauentura in 2. diſt. 23. citata, vt apparet caput illud vltimum lib. 18. Moral. perpendentibus, cuius hæc eſt clauſula.

Quæ nimirum viſio, *de qua in antecedentibus diſſeruit) nunc fide inchoatur, ſed tunc in ſpecie perficitur, quando coæternam Deo ſapientiam, quam modò per ora prædicantium, quaſi per decurrentia flumina ſumimus; in ipſo ſuo fonte biberimus. Et* ita interpretatur *S.* Gregoriũ *S.* Bonau. in 2. diſt. 23. a. 2. q. 3. in reſol. addens auctoritati *S.* Dionyſij etiam illam *S.* Gregorij. (*Et* etiã, inquit, Gregorius dicit, quòd quantumcumque mens in contemplatione profecerit, nõ perueniet ad contuitum Dei, &c.)

Hæc pauca teſtimonia examinaſſe licuit, quia contrariæ Patroni ſibi ſuffragari *S.* Gregorium, & aliquot ex citatis Patribus contendunt: ego verò ijs motum cenſeo *S.* Bonauenturam qui propter auctoritatem Sanctorum Doctorum ſequi ſe profitetur opinionem negantem clarè viſum eſſe Deum à Moyſe in ſeipſo; ſed ſolùm in ſubiecta creatura; quod etiam aſſerunt plures alij Patres, quos in tres claſſes partitos ad Decades aliquot referunt recentiores, & eorum numerum cæteroqui optimorum ſcripturæ interpretum præhabendum putauit *S*eraphycus Doctor vni Auguſtino nuſquã non venerandæ auctoritatis, licèt non ille ſolus putauerit Deũ à Moyſe clarè viſum; ſed etiam Sanctus Thomas LXXXVI.

S. Bonau. ob auctoritatẽ Sanctorum Doctorum ſequitur opinionem negatiuam.

mas ob reuerentiam, & amorem erga S. Auguſtinum.

Patrum quippe fundamentum ſcripturæ nititur apertè teſtanti Deum à nemine in hac vita viſum, vel videri poſſe, adeo vt non defuerint qui etiam in futura, vt refert Vazq. 1.p. diſp. 37. c. 4. quos tamen mitius de cognitione comprehenſiua locutos, aſſerunt alij præſertim Chryſoſtomum, & alios ab eodem relatos, ne à communi, ac vera ſententia diſcrepare cenſeantur, quæ viſionem Dei claram indubitanter in patria admittendam contendit.

Teſtimonia ſunt quæ obiter rutulimus Exodi 33. Non poteris videre faciem meam; Non enim videbit me homo & viuet. Quæ intelligunt Patres noſtræ ſententiæ de viſione eſſentiæ diuinæ incompoſſibili cùm vita mortali, ſicut & illud Io. 1. Deum nemo vidit vnquam.

Sed exponunt multis modis fautores contrariæ: nam videns clarè Deũ non viuit vitâ ſenſitiua, quia penitus alienatur à ſenſibus, & mortuo, quàm viuenti ſimilior eſt, & neſcit, an in corpore, an extra corpus ſit, vt S. Auguſtinus loquitur 12. de Gen. ad litt. c. 27. cum Apoſtolo ad tertium cælum rapto. Aliter exponitur de lege ordinaria nulli viuentium contingere claram Dei viſionem, ſed ex priuilegio conceſſam Moyſi, & alijs quibuſdam eximijs ſanctis. Addunt alij tertio. Nemo videbit me, viſione ſcilicet perpetua, niſi poſt mortem. Vide recentiores aſſerentes pro ijs explicationibus graues Auctores; præſertim Faſolum loc. cit. 1. p. q. 12. a. 11. dub. 6. Sed magis naturalis, & congrua textui alijs viſa eſt explicatio S. Bonauenturæ planior, quòd nemo in hac vita Deum videre poteſt de lege ordinaria, à qua non eximendum exiſtimant Moyſem.

Alterum teſtimonium eſt Io. 1. cit. vbi præfertur Chriſtus Moyſi, quòd ille Deum viderit, quem nemo aliorum vidit vnquam, ſolùm vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit nobis.

Reſpondent primo intelligi poſſe de comprehenſione, quam ſolus Chriſtus habuit vt Deus, reliqui habere non poſſunt ex S. Ambroſ. in c. 1. Lucæ de Angeli apparitione, & alijs Patribus. Secundò, de viſione perfectiſſima omnium myſteriorum fidei, & aliorum ad ipſam pertinentium, vt poſſet enarrare tanquam Doctor omnium hominum, & nouam legem inſtituere. Tertiò, Chriſtus ſimul fuit comprehenſor, & perpetua, atque excellentiſſima viſione gaudens; Moyſes verò ſecundùm illos, tranſitoriè vidit, & longè minùs perfectè, vnde & dicitur in eodem ſenſu, non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo, Io. 6.

Tertium teſtimonium eſt Io. 6. Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo, hic vidit Patrem.

Hoc etiam explicatur ab illis, ſicut ſecundùm.

Quartũ eſt 1. Timoth. 6. Qui lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.

Et quamuis communiter explicetur, quod videri non poteſt Deus naturæ viribus, alij etiam de viſione corporea interpretentur; tamen abſoluta eſt, & vniuerſalis Apoſtoli locutio enunciantis, quòd nullus hominum viderit; & ideo ſecunda pars, nec videre poteſt, admittit commodè limitationem; prima non item; quia ſi aliquis vidit, falſa eſt oppoſita, quòd nullus vidit, quia Moyſes exempli gratia vidit ex priuilegio; & regula eſt, quæ vniuerſaliter proferuntur, vniuerſaliter intelligi debere, etiamſi quando enunciantur futura, excipiantur priuilegia, ſi concedere Deus velit, vt excepta intelligitur B. Virgo à communi lege peccatorum, in quibus filij Adam concipiuntur, & viuunt. Quod autem de viſione comprehenſiua loquatur Apoſtolus, dubium eſt, ac controuerſum, non item quòd de viſione ſimplici eſſentiæ.

Verùm quia omnes auctoritates ſcripturæ habent interpretationes Patrum pro vtraque parte, & nulla neq; definitio Eccleſiæ, neque vlla traditio cogit adhærere vni potiùs quàm alteri, libitum mihi eſt ſeruare conſtantiam in tuenda S. Bonauenturæ ſententia, quam bene perpenſo diſcurſu Patrum, quos citaui, & aliorum, aduerti, valde conformem eſſe ſcripturę ſacræ, iuxta magis genuinam eius expoſitionem.

Acce-

Suar. Accedunt coniecturæ à Suario, & alijs allatæ: Ille enim 1.p.tract.1.lib.2. c.30.n.14.& Salas d.2.tract.2.diſp.10. ſect.4.à n.32.probat. Primo,quia Exodi 33. Loquebatur ad Moyſẽ facie ad faciẽ, ſicut loqui ſolet amicus ad amicum ſuum. Quę pręcipua eſt ex auctoritatibus, quibus probatur Moyſes vidiſſe Deum, & tamen verba ſequentia indicant non vidiſſe immediatè in ſeipſo, quia poſtulat Moyſes videre faciem Domini, & tamen ei denegatur, & conceditur ſolùm videre poſteriora. Et in fine capitis ſubditur. Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet. Deinde, quia verbum illud,Dominum videt, ſignificat viſionem ordinariam. Tertio,quia non apparet in ſcriptura, vbi Deum clarè viderit in ſeipſo,ſiquidem auctoritates allatæ commode explicantur in alio ſenſu, ne ſint inter ſe diſcordes.

Sal.

Moyſes petit videre faciẽ Domini & ei denegatur.

Reſpondent ad primum ex loc. cit. Exodi non colligi, quòd immediata illa pręſentia fuerit Dei immediatè viſi in ſe,an in ſubiecta creatura,quia Moyſes petijt videre faciem Dei, & tamen conceſſum illi eſt tantùm videre poſteriora Dei. At in numeris c. 12. ſignanter ponitur Palam non in viſione, non per ſomnium, non per ænigmata, non per figuras Dominum videt, ita vt conceſſerit aliquando Dominus, quod petebat Moyſes, vt apparet ex verbis illis, Ego oſtendam omne bonum tibi, vt S. Thom. in 4. diſt.49. quæſt.2. art.7. 4. Ex qua reſponſione habemus locum illum Exodi non intelligi de viſione Dei in ſe, licèt alij vim faciant in eo ad probandum intentum. Deinde dico, quòd Num. 12. Palam non in viſione, non aliud ſignificat, quàm quod dictum erat Exodi 33. vt notat Cornel. ibi, neque de viſione Dei eſſentiæ, ſed de peculiari familiaritate, & modo apparendi, ac excellentia intellectualis viſionis intelligitur, vt ex S. Bonauentura ſupra explicauimus. Neq; verba illa Exodi, oſtendam tibi omne bonum, ſignificant, oſtendam tibi eſſentiam meam, ſed excellentiſſimum bonum, vt notat idem Corn. ex vi vocis hebraicæ, & conſonantia textus, in quo cum negauerit Dominus oſtenſurum ſe Moyſi faciem ſuam, non eſt probabile, quòd ſtatim promiſerit, oſtenſurum ſe eſſentiam ſuam: Imò poſteriora tantùm poſſe ab illo videri dixit, quia tanta claritas erat faciei, vt eam ferre non poſſet oculus corporis, ideoque ſubditur,ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea; quæ de corporali figura congruentiſſimè explicantur,cuius tergum videndum promittit Angelus de nube loquens.

S.Thom.

Poteſt quidem per omne bonum intelligi beatitudo, quæ omni bono æquiualet,vt S.Bonauentura in 3.diſt. 26.a.1.q.2.ad arg. Sed inde non oſtenditur, quòd promiſſa ſit viſio Dei in ſe pro hac vita. Per quòd patet reſponſio ad tertiam inſtantiam.

Corn. à Lap. Non eſt promiſſa Dei viſio in ſe, in hac vita.

Secundam eludunt dicentes, verbum,videt, in præſenti denotare facti excellentiam,ſicut cum de Chriſto dicitur, quis eſt hic, quia mare, & venti obediunt ei?

Ita eſt,ſed aliquid amplius denotat verbum præſens, hoc eſt viſionis excellentiam, & eiuſdem aliquam frequentiam & vſum, qui de viſione intellectuali habituali, & de repetita viſione Angeli perſonam Dei referentis in monte Sina, in monte Horeb in Tabernaculo propriè explicatur: ſicut in exemplo, quando venti & mare dicuntur obedire Chriſto, indicatur poteſtas ſupra mare & ventos quam pro libito exercere poterat Chriſtus Dominus.

DE S. PAVLO.

Secunda Aſſertio.

COnſequenter ad dicta probabilius eſt, non viſam ab ipſo diuinam eſſentiam clarè in ſeipſa. Minùs ſollicitus fuit S. Bonauentura in explicanda ſua ſententia circa hanc difficultatem, quàm circa alteram de Moyſe, Imò dubitatiuè loquitur in 2. diſt.23.a.2.q.3. in reſolut.vbi cum Sanctorum auctoritates aſſerentium Deũ videri in hac vita explicaſſet de viſione in aliquo effectu, non autem in eſſentia, excipit *niſi fortè in iis qui rapiuntur, ſicut credimus fuiſſe in Paulo, qui ſpecialitate priuilegij ſtatum Viatorum* LXXXVII.

rum

rum ſupergrediuntur, nec ibi aliquid agunt, ſed ſolum aguntur; hoc autem quod credimus non eſt quod eſſentiam viderit; ſed quod raptus fuerit, hoc de ſe narrat 2. Cor. 12. quem raptum quoniam plures explicant de viſione eſſentiæ, noluit S. Bonauentura de hoc diſputare, quia ſolùm contendit, hanc Paradiſi ianuam fuiſſe occluſam vſque dum Chriſtus ſatisfaceret pro peccato Adam, & illam aperiret, vt ſupra vidimus. Cæterùm vbi de hoc raptu agit magis ex propoſito; potius indicat non fuiſſe ad videndam eſſentiam.

Raptus Apoſtolus non fuit ad videndam diuinam eſſentiam.

Verba illius ſerm. 9. in Hexaëmer. ſupra cit. ſunt: *Scio hominem raptum vſque ad tertium cælum, & audiuit arcana, hoc eſt certa notitia per aſcenſum vſque ad tertium cælum, & iterum per deſcenſum vſq; ad tertium cælum, & per illuſtrationes omnium cælorum. Per triplex cælum triplex viſio intelligitur, nempè intellectualis pura, intellectualis adiuncta cum viſione imaginaria, & intellectualis cum viſione corporea, &c.* In nulla verò iſtarum comprehenditur viſio eſſentiæ, quia licèt intellectualem tribuat Angelis, & Moyſi, ac S. Paulo, non tamen eodem modo, vt ſupra oſtendimus, & hic deſcenſus, ac aſcenſus, & illuſtrationes cælorum aliud indicant quam viſionẽ eſſentiæ, in qua non eſt aſcenſus, ac deſcenſus, ſed firma, fixaq; mentis quies in Domino cælorum.

Ex contextu etiam id colligitur, ait enim Paulus neſcire ſe, an in corpore, an' extra corpus raptus contigerit; certè ſi vidiſſet clarè diuinam eſſentiam, vidiſſet etiam in verbo, an in corpore, an extra corpus mens rapta fuiſſet, vt notat ibi Corn. Signum eſt ergo ſolùm fuiſſe extaſim, & alienationem à ſenſibus, vt Suar. 1. p. l. 2. c. 30. num. 17. Et confirmatur ex eo quod ita cohæret locus iſte cum altero epiſt. 1. ad Timoth. c. 6. Deum nemo vidit vnquam: & cum alijs citatis in eundem ſenſum: Audire etiam arcana verba magis propriè ſignificat didiciſſe ibi quædam myſteria fidei, quàm vidiſſe eſſentiam Dei, vt Suar. loc. cit. cum alijs, etiamſi aliquando de ſpirituali viſione intelligatur, vt Io. 15. quæcumque audiui à Patre meo. Ad quę & ſimilia reſpondèt Faſol. loc. cit. n. 22.

Cornel.

Suar.

Faſol.

Sed non propterea oſtendit, hunc eſſe germanum ſenſum loci illius contra alios Patres, & Scholaſticos aliter interpretantes: Et ſicut ſupra de Moyſe; ita hic de S. Paulo.

Adducuntur Patres varij pro hac ſententia à Suar. loc. cit. & à Vazq. 1. p. diſp. 56. c. 1. nimirùm Dionyſ. de cæl. hierarch. c. 4. Hieron. dial. 3. contra Pelagianos in fine, & c. 6. in Iſa. Iſid. lib. de ſum. bono, Greg. l. 18. Moral. c. 28. Orig. 1. Periar. c. 4. & homil. 1. in Eſaiã, Greg. Nazianz. or. 2. de Theol. ab illis verbis; ad hunc itaque modum, vbi ſupponit Moyſem, & Paulum non perueniſſe ad cognitionem intuitiuam Dei, qua fruuntur angeli. S. Baſil. or. 20. de principatu, & pot. *Nunc verò ſiue Paulus quis ſit, ſiue Petrus, cernit quidem; ea verò quæ videt, nec errat, atque imaginatur; per ſpeculum tamen & velut in ænigmate cernit, &c.* Explicatio de viſione continua repugnat textui. Sanè Dionyſius Petauius diligens Examinator Sanctorum Patrum tàm Græcorum, quàm Latinorum, to. 1. Theologicorum Dogmatum eruditè probat ſententiam iſtam l. 7. c. 6. & 12. Ratio, quam S. Bonauentura affert ſuppoſita auctoritate ſcripturæ, & interpretatione Patrum illorum, qui in hoc ſenſu illam intelligunt, eſt, quia viſio diuinæ eſſentiæ eſt vltimum præmium, & proprium patriæ cæleſtis; igitur ſine vrgenti ratione aſſerendũ non eſt, communicari Viatoribus: hic autem nulla ratio euincit eſſe communicatam, quia tota quę affertur, eſt auctoritas ſcripturæ; ſed hæc commodiſſimè explicatur in alio ſenſu, præſertim raptus, de quo 2. Cor. 12. ergo.

Auctoritas Patrum negantium à S. Paulo viſum clare Deum.

S. Baſ.

Petauius.

Inter S. Bonauenturæ Interpretes tenet eam Trigoſ. 1. p. q. 7. a. 3. dub. 9. & Brulefer in ea verba Ioan. 1. Et Verbum caro factum eſt.

Trigoſ. Brulefer.

Conſequenter in ſententia S. Bonauenturæ nullus Sanctorum neque veteris, neq; noui Teſtamenti vidit clarè diuinam eſſentiam in hac vita, ex vetere numerantur Adam, Eſaias, Dauid, & alij. Ex nouo S. Ioannes, S. Petrus, S. Benedictus &c. ad quorum aliquos extendunt priuilegium viſionis diuinę Theologi nonnulli ſine temeritate quidem, vt oſtendit Faſol. loc. cit. n. 41.

Sed

Digitized by Google

Sed minùs probabiliter, vt tenet communis Scholaſticorum, & ſine fundamento, vt apparet ex rationibus S. Bonauenturæ, quia hoc eſſet ſola Dei voluntas concedentis priuilegium; ea vero gratis non eſt aſſerenda, ſi è ſcriptura ſacra non innoteſcat; quomodo autem dicatur innoteſcere, ſi quæ de Moyſe, & S. Paulo in ea aſſeruntur, tam varias, imò contrarias habent interpretationes, vt Sanctos Patres, & Scholaſticos in duas claſſes diuiſerint, quarum alteri adhæret S. Bonauentura; in alteram traxerit S. Thom. S. Auguſtini auctoritas?

An B. Virgo vidit claré Deum in hac vita.

De Beata Virgine nihil apertè pronunciauit S. Bonauentura neque in libris ſententiarum, neque alibi; imò in ſpeculo B. Mariæ Virginis, in quo flumina eloquentiæ ſacræ effudit in eius laudes: & quicquid ex lectione SS. Patrum, & ingenij ſolertia concinnare valuit religioſa pompa, & vbere pietate contemplandum Lectori obiecit, ne verbum quidem de viſione Dei fecit; & tamen erat ibi locus, præſertim capite ſeptimo, vbi de illuminatione ſapientiæ, & poſſeſſionibus bonæ vitæ, quibus eam plenam appellat.

Verumtamen ex eius dictis colligi poteſt, quid ſit ſentiẽdum; nam in primo Sent. diſt. 17. p. 2. a. vnico q. 4. in reſol. Loquens de augmento Caritatis, ait, quòd ſecundùm poſſibilitatem ſuſcipientis habet ſtatum in Chriſto, & B. Virgine. In 2. diſt. 1. p. 2. a. 2. q. 2. ad argum. rurſus numerat cum Chriſto B. Virginem, atque eos ſuperare angelos puritate gratiæ. Et ob hanc dicitur vicinior Deo, quàm angeli.

In 3. diſt. 4. a. 1. q. 1. in reſol. eam in amore erga Deum, & amore Spiritus ſancti erga ipſam præfert omnibus Sanctis, & hunc aſſignat pro cauſa Incarnationis Verbi Dei ex ipſa: Amori reſpondit ſapientia, de qua in ſpeculo citato. Luna ergo eſt Maria, Luna plena Maria, Lunæ plenæ Maria bene comparata eſt, quæ lumine ſapientiæ & veritatis à Sole æterno plenè illuminata eſt.

Et vniuerſim S. Bonauentura cum communi Theologorum tenet, inter puras creaturas primum locum Sanctitatis gratiarum, priuilegiorum concedendum eſſe Virgini Sanctiſſimæ, ergo quis ambigat, ſi cui hominum vnquam datum eſt videre diuinam eſſentiam ſpecialiſſimè datum eſſe illi, quæ electa fuit ab æterno in matrem, quæ concepit, & geſtauit in vtero, lacte pauit, affectu materno aluit, conuerſata cum eo eſt in eadem domo, &c.

Sentiunt idem eius Interpretes, Trigoſ. loc. cit. Bruleſer ſerm. in ea verba Ioan. 1. Et verbum caro factum eſt, Franciſcus longus à Coriolano in ſum. q. 12. in fin.

Trigoſ. Bruleſer. Longus.

Non deſunt tamen, qui negent, etiam ex hypotheſi, quod Moyſi, & S. Paulo viſendum ſe Deus dederit, aſſerantque conceſſum eſſe Beatiſſimæ Virgini quicquid alijs datum eſt gratiæ ſanctificantis, viſionem Dei veram in hac vita pertinere ad gratiam gratis datam, & citant S. Athanaſ. orat. de Sanctiſſima Deipara, & in q. 12. ad Anthiochum fatente à Virgine viſam eſſentiam Gabrielis, non Dei.

Sed voluntarius eſt hic ſenſus torrenti aliorum aduerſus, & falſum quod viſio Dei non pertineat ad gratiam ſanctificantem; eſto enim ipſa formaliter non ſanctificet, tamen Deo vnit, caritate inflammat, &c. quæ cum gratia gratis data inuoluit dona ſanctificantis propria, vt Suar. tom. 2. de Incarn. diſp. 19. ſect. 3.

Viſio Dei pertinet ad gratiam ſanctificantem, Deo enim vnit &c.

CONFIRMATIO

Dictorum ex genuina ſignificatione hebraicarum vocum.

CAP. XVIII.

QVOD in hac vita nec Moyſes, nec mortalium quiſpiam diuinam eſſentiam intuitiuè viderit, ex diuerſis ſacræ ſcripturæ locis manifeſtiſſimè comprobatur, ſed præcipuè ex illo Exodi 33. LXXXVIII

לא תוכל לראת את פני
כי לא יראני האדם וחי:

Lo Thuchal liroth eth panài, chi lò iràni Haadam vachai. ideſt
Non poteris videre faciem meam, quo-

quoniam non videbit me homo & viuet.

Nec obſtat id quod paulò ſuperius ſcriptum eſt

ודבר יהוח אל משה פנים אל פנים

Vedeber Adonài el Mosè panim el panim &c. ideſt

Et loquebatur Dominus ad Moyſen faciebus ad facies &c.

quia illa nomina פנים אל פנים panim el panim, ſunt nomina quæ duplicem ſenſum habent, nam aliquando accipiuntur pro locutione, & aliquando pro ipſamet eſſentia diuina viſa à creatura. Priori modo accipiuntur hic pro faciebus ad facies; ideſt mutua locutione ſibi inuicem loquebantur Moyſes cum Domino; poſteriore verò modo accipitur פני panai in priori loco adducto; hoc eſt non poteris videre diuinitatem meam &c. Ad hunc ferè modum intepretatus eſt Ieonathanus filius Vziel author Targum, ſeu Paraphraſis Chaldaicæ iſta loca, & loquebatur Dominus facie ad faciem &c. reddit

ומליל יי עם משה ממלל עם ממלל

כמא דממליל גבר עם חבריה

Vmallel Adonài nghim Moſcè, mamlal nghim mamlal, chemà dimmallel gheuar nghim chaurè ideſt,

Et loquebatur Dominus cum Moyſe verbum cum verbo, ſicut loquitur vir cum ſocio ſuo, ideſt ſibi inuicem loquebantur.

Non poteris videre faciem meam, vertit

לא תיכל למחזיית אפי שכינתי

La ticol lemethezipàth aphi ſcechintì &c. ideſt,

Non poteris videre diuinitatem meam. nam שכינה ſcèchinà propriè diuinitatem ſignificat vt docent omnes &c.

Non minùs clarè probatur non vidiſſe Moyſen diuinam eſſentiam intuitiuè ex illo loco Numer. 12. Ore ad os loquar ei, ideſt ſermone loquar cum eo, vt interpretatur Targum Ieonatham mamlal nghim mamlal ממלל עם ממלל & quod in ſubiecta creatura viderit Deum oſtenditur ex ſequentibus verbis ותמונת יהוה יביט Vthmunath Adonài Iabit, ideſt & ſimulachrum, ſeu Idolum, ſiue etiam figuram, & ſimilitudinem Domini aſpiciet, iſta enim omnia ſignificat illud nomen תמונה Thumunàh vt poteſt Exod. 20. ver. 4. non facies ſibi ſcuptile, & omnem תמונה Temunàh i. ſimilitudinem, imaginem quæ à cælo cælo ſupernè &c. & Deut. 5. v. 8. & 4. v. 15. quia non vidiſtis omnem Tumunàh i. imaginem in die qua locutus eſt Dominus ad vos, vnde ſi Moyſes imaginem Domini aſpiciebat conuincitur non vidiſſe Deum, & eſſentiam diuinam in ſe, ſed in aliqua ſubiecta creatura. Targum quoque habent ובדמות יקרא דיי מסתכל Vuidmuth ieKarà d'adonai meſtacal. i & per ſimilitudinem gloriam Domini aſpicit. Et Rabbi Salomon ibidem, ait, per ſimilitudinem. Hæc eſt viſio poſteriorum, de qua dictum eſt Exod. 33. ver. 22. Et videbis poſteriora mea, & facies mea non conſpicietur.

AN SIT POSSIBILIS

Viſio beata diuerſæ ſpeciei ab ea quæ de facto eſt.

CAP. XIX.

I. *De facto omnes viſiones beatas eſſe eiuſdem ſpeciei probabilius eſt.*

II. *De poſſibili non apparet implicantia diuerſarum ſpecierum.*

III. *Probatur multis rationibus poſſibilitas.*

IV. *Inter has vna eſt paritas poſſibilitatis diuerſarum ſpecierum in Angelis.*

SVpponimus de facto omnes viſiones beatorum tam hominum, quam angelorum diuerſas accidentaliter in gradu, & intenſione, conuenire in hoc quod omnes ſunt eiuſdem ſpeciei, ac eſſentiæ; quæ eſt communis ſententia S. Thomæ 1. p. q. 12. a. 6. & alibi, Scoti in LXXXIX. S. Thom. Scot.

Digitized by Google

Durand. in 2. diſt. 1. q. 5. Durandi in 3. diſt. 14. q. 1. & in 4. diſt. 49. q. 6. quos ſequuntur Suar. lib. 2. de attrib. c. 19. Vazq. 1. p. qu. 12. a. 6. dub. 1. & aliorum plurium apud ipſos. Probant aliqui ex verbis Matth. 22. & erunt ſicut angeli Dei; ſed ibi comparatio fit hominum cum angelis in ea re de qua eſt ſermo, quod nuptias inituri non eſſent, non autem de viſione beata, vt ex S. Hieronymo notat ibi Maldonatus. Magis inſeruit quod habetur Luc. 20. Filij reſurrectionis, & Filij Dei, æquales angelis ſunt in alio ſæculo; quam æqualitatem non haberent, ſi viſiones angelorum differrent ſpecie à viſionibus hominum; nam iſtorum eſſe eiuſdem ſpeciei certum eſt ob idem lumen, & potentias eaſdẽ ſpecie, & obiectũ beatificum idem: ſed & angelorum viſiones cum ijs ſpecie niſi conuenirent, nunquam ad eorum æqualitatem in beatitudinem peruenirent homines, quia perfectior ſpecies nunquam æquatur ab Inferiori, quantumuis accidentaliter augeatur; conſequens autem iudicatur erroneum à S. Thom. 1. p q. 108. a. & 2. cont. gent. c. 52. contra illud Luc. 20. modo citatum; & S. Bonauentura in 4. diſt. 49. p. 1. art. 1. q. 3. docet beatitudinem ineſſe homini, & angelo ſecundùm aliquid commune, ideſt ſecundùm ſpiritum, quo indicatur identitas ſpecifica, & clarius q. 6.

(Margin: Suar. Vazq. — Maldon.)

Hoc igitur cum ſit certum, quæſtio fit de poſſibili an intra obiecta diuinæ omnipotentiæ contineatur viſio alterius ſpeciei præſertim, perfectioris illa, quæ de facto eſt: Si enim poteſt, viſio quæ de facto eſt, continebitur vt ſpecies ſub proximo viſionis illi communi, & ſub viſioni poſſibili: Si non poteſt, continebitur ſub alio genere, v.g. intellectionis.

Prima ſententia negat. Prima ſententia negat; eorum fermè omnium, qui de facto eſſe omnes eiuſdem ſpeciei apud recentiores citatos.

Secunda affirmat. Secunda affirmat maioris in 4. diſt. 49. q. 11. tenentis de facto differre ſpecie viſiones angelorum à viſionibus beatarum animarum Palud. ibid. q. 5. a. 1. Licèt addat in fine hæc à ſe dici ſine aſſertione ad dandam materiam cogitandi. Granad. contro. 8. de Gratia tract. 4. diſp. 4. Ripaltæ tom. 2. diſp. vlt. de Gratia habituali ſect. 39. citantis alios.

(Margin: Palud. — Granad. Ripalt.)

Vnica Aſsertio.

NOn apparet repugnantia cur Deus nequeat producere viſionem diuerſæ ſpeciei ab ea, quæ nunc de facto datur in patria. Probatur primò ex S. Bonau. qui vniuerſaliter in 1. diſt. 44. ab articulo primo paſſim docet ex eo quod potentia Dei eſt infinita, vt probauerat diſtinct. præcedente, poſſe perfectiora ſecundùm ſpeciem creare, quàm creata ſint. Et in particulari a. 1. q. 1. cum propoſuiſſet dictum Auguſtini lib. 9. Confeſſ. Duo feciſti Domine, vnum prope te; aliud prope nihil, ſcilicet angelicam naturam, & materiam primam. *Dicendum inquit) ad argumentum) quod prope Deum poteſt dupliciter intelligi, ſcilicet quantùm ad immediatam receptionem, & conuerſionem in Deum; aut quantùm ad ſummam imitationem, & aſſimilationem. Primo modo eſt natura angelica prope Deum ſimpliciter loquendo; ſed ſecundo modo non niſi in comparatione, quia magis eſt diſſimilis, quàm ſimilis, & plus deficit quàm exprimit; imò infinitis gradibus diſtat, & ideo maior propinquitas eſt nobis cogitabilis, & Deo poſſibilis, quamuis nunc non ſit*, ex quo ſic arguo; natura angelica poſſibilis eſt magis perfecta, quàm de facto eſt, & magis propinqua Deo per imitationem, & aſſimilationem, & ſi fieret differret ſpecie ab ea, quæ creta eſt, alioqui non magis exprimeret per ſuum eſſe naturam diuinam, ergo etiã poſſibilis eſt viſio diuerſa ſpecie ab ea, quæ de facto eſt in beatis. Patet ſequela à paritate, & quia ſicut natura angelica exprimit per ſuum eſſe diuinam in quantum eſt participatio eius, & habet ſimilitudinem, licèt remotam cum illa; ita viſio expeimit illam vitaliter, ſicut in vniuerſum cognitio exprimit obiectum tanquam imago vitalis eius. XC.

(Margin: S. Aug. — Prope Deum dupliciter intelligitur.)

Ibidem S. Bonau. ad argum. penultimum quod erat de capacitate materiæ, quaſi eſſet creata in omnimoda poſſibilitate, & in perfecta obedientia reſpectu Creatoris, ex quo inferebatur mundum non potuiſſe fieri meliorem, reſpon-

reſpondens; *Dicendum, inquit, quod poſſibilitatem obedientiæ* Deus *in nulla creatura complet totaliter, quia hoc eſt ſecundùm omnimodum imperium creatoris, ſed complet capacitatem, & poſſibilitatem, vt diſponatur per alias diſpoſitiones; & ſic* Deus *complet materiam, quia eius capacitatem debitis diſpoſitionibus limitauit, & illas formas completiuas, & perfectiuas adiunxit, ita quod nihil dimiſit incompletum. Quis tamen audeat dicere, quin* Deus *nobilius diſponere, & nobilioribus formis perficere poſſet ſecundùm ſuæ ſapientiæ, & potentiæ infinitatem? &c.*

Igitur valet inferre Deus in nulla creatura complet poſſibilitatem obedientiæ, ita vt nihil poſſibile reſtet in illa, ergo neq; in viſione beata expleta eſt hæc poſſibilitas, ita vt vltra hanc ſpeciem quæ de facto eſt, nulla reſtet poſſibilis; & præter formas quidem cratas nullus audeat negare nobiliores produci à Deo poſſe, audeat autem in viſionibus?

Imò de ijs expreſsè ſubdit. Quando ergo dicitur, dedit vnicuique beatitudinem, quatenus erat capax, hoc intelligitur de capacitate, non prout dicit longinquam poſſibilitatem, & obedientiam reſpectu creatoris, ſed prout cum hoc dicit diſpoſitionem, & exigentiam, & hac conſtans eſt Deum potuiſſe maiorem facere &c. Neque hoc interpreteris de maioritate ſecundùm intenſionem intra eandem ſpeciem, quia expreſsè loquitur de ſpecifica, vt patet ex diſcurſu, & exemplo formarum, ac numeri; in quo ait nunquam poſſe dari ſtatum, vltra quem diuina potentia non poſſit ſe extendere: & idem intelligendum, de creatura qualibet. Cuius ratio eſt infinitas diuinæ potentiæ.

Deus poteſt producere perfectiorẽ ſubiectum, & accidens quolibet creato.

Conformis huic eſt auctoritas S. Thomæ 1.p.q.25.a 6. vbi docet vniuerſaliter producta qualibet ſpecie ſubſtantiali, vel accidentali poſſe præſtantiorem produci; & de Verit. qu. 20. a.4. *Supra omnia, inquit, quæ Deus poteſt, adhuc poteſt alia diſſimilia facere, & nouas ſpecies, & noua genera, cur ergo hæc vniuerſalis doctrina non cadat in viſionem beatam?*

Secundò probatur ratione. Diuina bonitas eſt infinitè communicabilis creaturis, nec ab vlla, etiam perfectiſſima, limitari poteſt, vt non ſit vlteriùs communicabilis perfectioribus in infinitum, hoc enim pertinet ad eius infinitam perfectionem, vt ſit imitabilis à creaturis in infinitum poſſibilibus.

Confirmatur, quia vnio hypoſtatica de facto eſt diuerſæ rationis reſpectu corporis, & reſpectu animæ, illa enim eſt materialis, hæc ſpiritualis in ſententia probabili; Deinde potuiſſet aſſumi à Deo natura angelica, potuiſſet etiam irrationalis de abſoluta potentia, vt docet S. Bonau. in 3. diſt. 2. paſſim, & alijs communiter, ſicut ergo tunc compoſitum ex perſona diuina, & creatura illa fuiſſet diuerſum ab eo, quod de facto eſt; ita & vnionem diuerſam fuiſſe conſequentius diceretur.

Explicantur, & confirmantur magis hæ duæ rationes argumentis congruentibus Palud. loc. cit. Deus eſt imitabilis à creatura non ſolùm in eſſe naturali, ſed etiam in ſupernaturali differenti modo ſpecifico, non ſolùm in via, ſed & in patria, vbi cum lumine gloriæ ponuntur manere etiam dona ſpeculatiua, ac proinde Deus eſſe ibi cognoſcibilis clarè per viſiones ſpecie differentes, & talis eſſet viſio Chriſti in hac via, cui nulla alia poteſt adæquari, ſaltẽ de potentia ordinaria, licèt ille dicat de abſoluta. Neque impedit identitas obiecti, quia circa idem obiectum verſari poſſunt cognitiones ſpecie differentes, vt patet in cognitione phyſicæ facultatis, quæ ſpecie differt à metaphyſica in conſideratione eiuſdem obiecti, puta Dei. Neque apparet cur in nudo intellectu Deus ex ſeipſo non poſſet cauſare diuerſas ſpecie viſiones, aut habitus, vt earum principia in patria. Et hoc poſito diſtinguerentur diuerſæ hierarchiæ, & ordines Angelorum à viſionibus ſpecie diuerſis, ita vt in eodem ordine eſſet differentia viſionum ſecundùm intenſionem, & remiſſionem, in hierarchijs ſecundùm differentiam ſpecificam, quæ congruentia non valet de facto; aſſertio tantùm eſt de poſſibili.

Palud.

Idem obiectum materiale pertinet ad diuerſas ſcientias.

Tertiò principaliter probatur aſſertio, quia differentia ſpecifica actuum non poteſt attendi ſolùm penes potentiam, & principium operandi, vt

Ad-

Aduerſarij fatentur, ab eadem enim potentia prodeunt actus ſpecie differentes, vt patet in intellectu, ac voluntate, & à diuerſis principijs manant effectus ijdem ſpecie, v. g. à Sole, & igne calor idem ſpecie, ergo differentia hæc petenda eſt ab obiecto, vel modo tendendi in illud, qui cum ſit idem in omnibus beatis, quia tendunt in Deum, & clarè vident, quatenus eleuati lumine ſupernaturali, non reſtat vnde petatur differentia ſpecifica, ſed hinc non conſtat, quod impoſſibilis ſit eleuatio diuerſæ rationis, & diuerſus ſpecie modus tendendi in obiectũ clarè viſum, ergo neque quod impoſſibilis ſit viſio diuerſa ſpecie contenta ſub viſione generica per eleuationem.

Modi tendendi in Deum clare viſum poſſunt eſſe diuerſi.

Probatur minor, & ſimul confirmatur aſſertio, quia ex ſupradictis non implicat videri Deum ſine lumine, neque per ſpeciem impreſſam de potentia abſoluta, vt cum Scoto probauimus; Item non repugnat videri eſſentiam non viſis perſonis in eiuſdem probabili ſententia, in quibus, & ſimilibus caſibus viſiones eſſent ſpecie diſtinctę, & modus tendendi diuerſus, & proinde obiectum idem realiter, eſſet formaliter diuerſum, quia vt attingibile ab intellectu ſine lumine, aut per ſpeciem impreſſam nõ eſt idẽ formaliter, ac vt attingibile per intellectũ ſine illis. Igitur poſita diuerſitate in obiecto ſubſtante vni formalitati, ponetur etiã diuerſitas ſpecifica, præſertim quia Deus poteſt ponere diuerſum principium actiuum, & concurſum diuerſum ſpecie. Nulla igitur reliqua eſt ratio ad excludendam hanc poſſibilitatem, & denegandam diuinæ potentiæ vim producendi diuerſas ſpecie viſiones.

In creatis, vix datur genus, ſine ſpeciebus poſſibilibus.

Accedit quod in creatis nobis non ignotis vix eſt inuenire genus, quod nõ habeat ſub ſe ſpecies, vt patet inducenti per inſenſibilia arborum, plantarum, florum, fructuum; per ſenſibilia animalium terræ, maris, aeris, vſq; ad intellectiua hominum, & Angelorum; & quæ de facto vnius ſunt ſpeciei vix vllum reperias, quo non poſſit fieri perfectius ſecundùm ſpeciem; Et in particulari in genere cognitionum dantur gradus iuxta diuerſitatem animantum vſque ad intellectiuos hominum, & angelorum, & in ijs diuerſitas ſpecifica intellectionum non ſolùm circa diuerſa obiecta; ſed etiam circa idem vt ſubſtat diuerſis formalitatibus quæcumque illę ſint: quid igitur mirum quod omnipotentia Dei extendat ſe ſi velit, ad varietatem ſpecificam viſionum beatarum, cum plura poſſit facere, & maiora, quàm humanus intellectus capere, & non deſint Theologi, qui non ſolùm cenſeant nullam eſſe repugnantiam, ſed de facto differre ſpecie viſiones hominum, & angelorum exiſtiment, licèt communis ſententia ſit contraria, quam tamen non eſſe certam ingenuè fatetur Suar. loc. cit. c. 19. nu. 10.

Confirmatur à pari, quia non ſolùm in actibus ſupern. ſed etiam in Sacramentis poſſibilis eſt varietas ſpecifica; ergo & in viſionibus: antecedens probatur, quia de potentia abſoluta poſſet Angelus miniſtrare baptiſmum, & iſte differret ſpecie à baptiſmo collato ab homine, quia verba Angeli differrent ſpecie à verbis hominis, & non eſſent verba vitalia, & vera, vt eruditiſſimus M. Caſtaldus to. 1. de pot. Ang. d 2. q. 7.

Denique argumenta primę ſententiæ facilè ſoluuntur, & alioqui vbi efficaciter non probatur contrarium, dandus locus eſt rationi ex diuinę potentiæ, ac ſapientiæ infinitate petitæ.

Porro obijcit Suar. nullum eſſe, aut excogitari poſſe principium ſpecificæ diſtinctionis in tali viſione, nam in obiecto, & modo attingendi eſt quædam participatio viſionis, qua Deus ſeipſum videt, perfectiſſimi ordinis, qui à nobis poteſt intelligi, quaſi non poſſit dari perfectior. LXXXXIII

Reſpondeo, de ſpecificatione actuũ vnde ſumatur non vnam eſſe inter Philoſophos opinionem, non enim deſunt qui aſſerunt formaliter non aliunde petendam, quàm ab ipſa entitate intrinſeca, quæ efficienter eſt à potentia, & habere quidem proportionem cum obiecto, ad quod tendũt, ſed non ſpecificari ab illo neq, intrinſecè, quia obiectum eſt extrinſecum actui; neque extrinſecè, quia verſari circa illud non eſt ſpecificari ab illo, & impropriam eſſe locutionem, qua aſſeritur actus ſpecificari ab obiectis.

Ideo Suarius ibidem ait, hanc re-

Suarius

ſponſionem non poſſe euidenter refutari, & eſſe propterea incertam aſſertionem de impoſſibilitate ſpecificè diuerſitatis viſionum, quia diuina virtus plus poteſt, quam nos poſſumus intelligere, præſertim cum hic non appareat euidens implicatio contradictionis. Sic ille, qui cum ſubiungit in argumento, in viſione eſſe perfectiſſimum ordinem, qui à nobis poſſit intelligi, petit principium, dicimus enim perfectiorem poſſe intelligi, & alioqui vbi controuerſa eſt, ac dubia ratio ſpecificationis actuum, non poteſt deduci certa concluſio de impoſſibilitate varietatis ſpecificæ reſpectu diuinæ potentiæ infinitæ.

Sed eſto detur illi ſpecificari actus animæ ab obiectis, intelligendum eſt hoc de obiectis formaliter conſideratis, quam formalitatem cum variè varij aſſignent, ego hærendo dictis primo tomo diſp.4. q.2. c.11. petendam duco à ratione, ſub qua obiectum eſt attingibile, v.g. circa obiectum ſupernaturale verſari poteſt actus naturalis, puta amor naturalis Dei, & etiam ſupernaturalis, Deus ergo vt attingibilis auxilio gratiæ eleuantis voluntatem ſpecificat actum caritatis, vt attingibilis à potentia viribus naturæ operante, ſpecificat actum amoris naturalis. Item in ſupernaturalibus actus ſcientiæ infuſæ, quo Chriſtus Dominus tendebat in Deum differt ſpecie à viſione beata, qua clarè & intuitiuè videbat Deum, & hæc diuerſitas ſpecifica ex parte obiecti refunditur in rationes formales obiecti vt ſic, quæ commodè explicantur per attingibilitates iſtas, & per diuerſos modos tendendi, qui vltimatè reſoluuntur in obiecta vt attingibilia à potentijs. Igitur in propoſito ſicut viſio ſine lumine, aut per ſpeciem impreſſam de potentia abſoluta non repugnans, differret ſpecie ab ea, quæ de facto eſt cum lumine, & ſine ſpecie; ita per eandem potentiam differret, quæ per aliam qualitatem ſupernaturalem ipſam eleuantem fieret, aut ſine illa immediatè à Deo.

Nam ſi ſeipſo immediatè eleuaret intellectum in actu primo; & in actu ſecundo eliceret viſionem vt cauſa principalis, valdè arctaretur eius potentia, ſi vnum tantùm quoad ſpeciem diceretur actum producere poſſe, aut eſſe vno tantũ modo clarè viſibilẽ, & limitatè participabilem eius viſionem, ad quam per infinitos gradus euehere cum poſſit intellectum creatum ſemper magis, & magis perfectè cognoſcitiuum; ita tamen vt nunquam perfectionem eius infinitam attingat, gratis reſtringitur omnipotentia eius ad vnam ſpeciem viſionis, aut quod idem eſt anguſtatur beata viſio intra cancellos vnius ſpeciei, cum ipſa ſenſitiua in animantibus ſpecie diuerſis tam latè pateat circa eadem obiecta materialia in probabili ſententia, quod ſicut operationes diuerſorum ſpecie animalium ſpecie differunt, ita & ſenſationes.

Obijcitur ſecundò, quia poſſet dari viſio ita pefecta, vt ſuperaret nobilitate viſionem Chriſti Domini; patet ſequela, quia hæc eſt finitæ perfectionis, ac proinde poteſt illa dari maior, ſi eſt poſſibilis perfectior in infinitum; conſequens videtur abſurdum, tum quia viſio reſpondet meritis, cum ſit eorum præmium; meritis autem Chriſti Domini cũ ſint infinita, & perſonę infinitè dignæ, maiora dari nequeunt; ac proinde nec præmium maius: tum quia nulla creatura magis vniri Deo poteſt, aut illum poſſidere, quàm eius filius naturalis, qui præfertur omnibus adoptiuis per gratiam.

Reſpondeo primò idem incommodum ſequi in tua ſententia, quod lumen gloriæ, & viſio augeri poſſit in infinitum ſecundùm intenſionem.

Secundò reſpondeo quòd ſicut gratia Chriſti ſimpliciter in ſua entitate eſt finita, vt S. Bonau. in 3. diſt. 13. a. 1. q. 2. & Suarius tom. 1. in 3. p. diſ. 22. ſect. 1. cum S. Thoma, & alijs à ſe citatis; Secundùm tamen quod eſt naturæ ad verbum vnitæ, habet infinitatẽ quandam, & ideo nulla poteſt eſſe nobilior. Ita & viſio in ſua entitate eſt finita, & de potentia abſoluta poteſt dari maior; Sed ille exceſſus eſſet quid materiale inferioris nobilitatis, quàm ſit viſio Chriſti; non ſolùm quia nullum diceret ordinem ad vnionem hypoſtaticam; ſed etiam quia non deberetur illi cognitio tam multorum, quàm debetur Chriſto, de quo ait S. Bonauent. Nulla viſio poſſibilis eſt, quæ ſuperet nobilitate viſionem Chriſti D.

quod

quod cognoſcit omnia, quæ cognoſcit verbum, nimirum habitualiter, quia verbum vult ei propalare, omnia quæ relucent in ſe, vt habet in 3.diſt.14.ar. 2. qu. 3. addens quod ſit omni ſciens, quãtum ad cognitionem habitualem, quod ipſi ſolùm concedi poteſt, ac debet.

Inſtabis, quia in dato caſu diceretur magis beatus qui haberet perfectiorẽ viſionem ſpecie, quàm habeat de facto Chriſtus Dominus, quia cum beatitudo conſiſtat in viſione vbi hęc eſt perfectior, reddit habentem magis beatum, quia magis perfectè videret Deum, qui eſt effectus formalis perfectioris viſionis.

Reſpondeo rurſus quod ille exceſſus intrinſecus viſionis poſſibilis carens connexione, & ordine ad viſionem hypoſtaticam eſſet quid materiale reſpectu beatitudinis comparatę ad vnionem, & debitæ illi, & ideo non redderet magis beatum accipiendo beatitudinem adæquatè, & completè vt complectitur donum cognoſcendi omnia, quæ relucent in verbo nulli puræ creaturæ debitum.

Ex alio etiam capite eſt inadæquabilis viſio Chriſti à creaturæ puræ viſione, quia licèt ſit accidens, ſicut reliquæ beatorum, tamen eſt in anima vnita verbo, ac proinde etiã vnita viſioni verbi indiſtincta à ſubſtantia verbi, ex qua vnione confortatur intellectus ad plura, & clariùs videnda, quã intellectus vllius puræ creaturæ videre queat, nõ quod vnione formaliter reddatur natura phyſicè potentior, ſed quia debetur illi concurſus nobilior à verbo vnito. Præterquam quod ſcientia infuſa Chriſto diſponit intellectum eius ad intelligenda ſingularia altiori modo, quàm intelligantur ab vllo hominum, vel angelorum, vt docet Suar. tom. 1. de Incarn. diſp. 27. ſect. 2. Intellectum ergo Chriſti tot fultum pręſidijs nullus alius æquare poteſt.

Denique, vt finem cum initio connectamus, vrgens eſt paritas ducta ex ad confirmationem principalis aſſertionis ex poſſibilitate multorũ Angelorum ſpecie differentium, quàm de facto tuetur S. Thomas, & impoſſibilem non reputat S. Bonauentura, vt ſupra vidimus; Si enim ſubſtantiæ ſpirituales vel ſunt, vel eſſe poſſunt ſpecie differentes; cur non poſſint etiam eſſe talia accidentia ipſarum, & operationes earum vitalium, ſicut in vniuerſum de huiuſmodi actibus ante dictum eſt, qua occaſione inſerimus diſputationem celebrem de diſtinctione Angelorum, tum quia ex illa arguere licèt ad poſſibilitatem ſpecificæ diuerſitatis viſionum beatarum; tum quia et ipſa continetur ſub hypotheſi potentiæ obedientialis; ſicut & aliæ quæſtiones quibus hic tomus conſtat; quamuis de cætero non haberent aliã inter ſe connexionem, vt in frõte operis præfati ſumus.

Obſtare præterea videntur dictis de poſſibilitate multiplicationis viſionũ argumenta quædam ex ijs, quibus S. Thomas probat non poſſe multiplicari Angelos in eadem ſpecie, ideo in S. Doctoris gratiam paulò diligentius examinanda eſt quęſtio hęc continens fundamenta planè peripatetica, & metaphyſica, quoniam ex ea pendet deciſio difficultatum variarum de poſſibilitate multiplicationis indiuiduorum in omni ſpecie, vel impoſſibilitate in aliqua ſpecie: quæro igitur.

AN DE POTENTIA

Abſoluta ſit multiplicabilis natura Angelica in induidua eiuſdem ſpeciei in Sententia S. Thomæ.

CAP. XX.

I. Conueniunt cum S. Thoma eius interpretes quod de facto omnes Angeli differant ſpecie.

II. Diſſentiunt in explicanda eius mente de potentia abſoluta circa hoc.

III. Opinio S. Thomæ quocumque modo explicetur probabilitate non caret.

IV. Examinantur variæ auctoritates, & rationes ab illo adductæ.

QVOD de facto omnes Angeli differant ſpecie ſententia eſt omniũ Thomiſtarum cum S. Doctore 1.p.q. 50.a.4.& in 2.ſent.d.3.q.1.a.4. 2.cont. gent. c.93. de ſpirit. creaturis qu. 8.& alibi; an verò repugnet in illis abſolu- XCIV.

tè

Aliqui Thomiſtæ cenſent non repugnare multitudinem Angelorum ſub eadem ſpecie. Capreol.

tè multiplicatio numerica non omnes conſentiunt, nam Capr. in 2. d. 3. q. 1. a. 3. verſus finem ait. *Quartò poteſt dici quod cum B. Thomas dicit, quod duos Angelos eſſe eiuſdem ſpeciei eſt totaliter impoſſibile, intelligit quod Deus hoc non poſſet facere ſecundùm aliquem ordinem rerum nobis cognitum; licèt poſſet dare alium ordinem rebus, & ſecundùm illum ordinem poſſet facere duos Angelos eiuſdē ſpeciei*. & ad hoc citat teſtimonium S. Thomæ ex opuſculo contra Auerroiſtas, vbi valdè ruditer eos arguere docet ad oſtendendum quòd Deus non poſſit multiplicare intellectum humanum, quem ipſi vnicum ponunt; de quo infra.

Ferrar.

Ferrar. autem c. cit. contra g. §. ad hoc dicendum, *puto enim, inquit, ſecundùm mentem eius (S. Thomæ videlicet) tenendum eſſe per diuinam potentiã abſolutè poſſe eſſe plures Angelos eiuſdem ſpeciei, etiamſtante hoc ordine vniuerſi, & fortaſſe de facto ſunt in vna ſpecie plures, licèt nobis cauſa diſtinctionis eorum non ſit manifeſta.*

Bannes. Zumel.

Sequuntur nonnulli alij Thomiſtæ recent. Bannes 1. p. q. 50. in a. 4. dub. primo. Zumel ibidem, & alij.

Caiet.

At verò Caietanus putat etiam de potentia abſoluta impoſſibile; quamquam enim 1. p. in vniuerſum dicat impoſſibile, tamen de ente, & eſſentia c. 4. q. 7. & q. 9. Soluit argumenta Scoti probantis, de potentia abſoluta non implicare multiplicationem hãc; & tom. 3. opuſc. tract. 7. quibus locis ea docet, quæ oſtendunt implicantiã, vt quod natura angelica non ſit magis vniuerſalis, quàm diuina; ac proinde quod non ſit partibilis in plura indiuidua eiuſdem ſpeciei; & quod ſi annihilaretur angelus vnus, non poſſet reparari illa ſpecies, niſi idem reproduceretur. Eſt etiam hæc ſentẽtia Heru. in 2. d. 3. q. 2. a. 2. Aegid. quod 2. q. 7. quorum vtrique viſum non admittendam poſſibilitatem, multiplicationis huius. Quod & tutatur R. P. Caſtaldus tom. 1. de Angelis q. 50. ar. 4. controu. 4.

Dubiam S. Thomæ ſententiam ſuis ſectatoribus reddunt rationes, quibus probat non dari plures angelos in vna ſpecie, aliquæ enim tantam vim habẽt de facto, & de potentia ordinaria, aliꝫ verò videntur intelligendæ etiam per diuinam potentiam abſolutam. Primi generis ſunt.

Primò. Quia multiplicatio indiuiduorum eſt propter conſeruationem ſpeciei, quæ non poteſt perpetuò cõſeruari in vno indiuiduo; vnde in corporibus incorruptibilibus non eſt niſi vnum indiuiduum in vna ſpecie: cum ergo angeli ſint incorruptibiles non poſſunt eſſe plures eiuſdem ſpeciei, vt docet 2. c. gent. c. 93.

Sed quis non videt rationem hanc valere tantùm de potentia ordinaria, cùm nulli dubium ſit Deo facilè fore, ſi velit, plures ſoles, atque adeo plures mundos producere? ac proinde etiam ex hoc capite non apparet repugnantia. Similis eſt quam ibidem addit quarto loco dicens, id quod eſt ſpeciei in vnoquoque dignius eſt eo, quod eſt indiuiduationis principium, præter rationem ſpeciei exiſtens; multiplicatio igitur ſpecierum plus addit nobilitatis, & perfectionis in vniuerſo, quàm multiplicatio indiuiduorum in vna ſpecie, perfectio autem vniuerſi maximè conſiſtit in ſubſtantijs ſeparatis, magis igitur competit ad perfectionem vniuerſi, quod ſint plures ſecundùm ſpeciem diuerſæ, quàm quod ſint multæ ſecundùm numerum in eadem ſpecie; quæ ratio ad ſummum probabilis eſt de potentia ordinaria, nam de abſoluta tota perfectio vniuerſi pendet à Deo, qui poteſt illam augere, minuere, immutare ad placitum, vt S. Bonau. in 1. diſtin. 44. artic. 1. q. 1.

Nec plus euincit quinta à paritate corporum cœleſtium, quæ ideo non multiplicari in ſpecie aſſerit, quia vnumquodque eorum conſtat ex tota materia ſuæ ſpeciei, & quia in vno indiuiduo eſt perfectè virtus ſpeciei ad complendum illud in vniuerſo, ad quod ſua ſpecies ordinatur, ſicut præcipuè patet in Sole, & Luna &c. Nam quo fundamẽto quis neget poſſe Deũ cœlos alios eiuſdem materiæ condere, & alium Solem, ac Lunam etiamſi in ijs, quæ condita ſunt ſit perfectè virtus ſpeciei ad finem, propter quem creata ſunt? Sicut enim alij fines præſcribi poſſent, ita & alij Soles, ac Lunæ creari ad eos accommodati.

Has

Digitized by Google

Has habet probatione S. D. in 2. c. g. cit. & in 2. d. 3. De Spirit. autem creat. q. 8. addit aliam pariter probabilem ex ordine vniuerſi, quam explicat Caietanus de ent. & eſſ. nt. c. 5. q. 9. diſtinguens tres propoſitiones, quibus nititur. Prima eſt, quia vniuersũ conſtans tribus partibus, nimirum ſphera corruptibilium, & generabiliũ, cœleſtibus corporibus, & ſubſtantijs immaterialibus, habet pro bono ordinem ex 12. Met. t. c. 2. Altera eſt, quod ordo duplex conſtituitur per ſe, & per accidens. Ille eſt inter eſſentialiter ordinata, quales ſunt ſpecies, quæ ſunt ſicut numeri 8. Metaph. t. c. 10. Hic verò inter indiuidua eiuſdem ſpeciei 3. Metaph. t c. 11. Tertia eſt, quòd pars vniuerſi, in qua eſt ordo per ſe purus præferenda eſt habenti ordinē admixtum ex per ſe, & per accidens 12. Metaph. t. c. 5. quibus poſitis ita arguit. Id quod caret ordine per accidens, caret etiam indiuiduis eiuſdē ſpeciei, ſed ſuprema pars vniuerſi caret ordine per accidens, ergo & indiuiduis eiuſdem ſpeciei. Maior patet ex terminis. Minor præter auctoritatem Ariſtotelis allatam probatur: media pars vniuerſi excludit ordinem per accidens, neque enim hic inuenitur in cœleſtibus corporibus, ergo & ſuprema; patet ſequela, quia ordo per accidens eſt imperfectum quid, & diminutum, quia per accidens minuit rationem per ſe, & ideo eſt inordinatum quid, ergo ſi excluditur à parte vniuerſi minùs perfecta, excludi etiam debet à nobiliori.

Qui diſcurſus ſupponit diuerſitatē materiæ in corporibus cœleſtibus, quod negant Auerroiſtæ arbitrantes eſſe ſimplicia corpora, Scotiſtæ, Nominales, & alij facientes communem materiam omnium corporum, & ideo infirmus eſt ad oſtendendam contradictionem, & impoſſibilitatem.

Deinde dato quod differāt materia, & ſit tantùm ordo eſſentialis inter illa, ſicut inter alias ſpecies, cur non poſſit Deus ponere etiam ordinem accidentalem creando alia corpora eiuſdem ſpeciei? Quod enim affertur ex Ariſtotele 2. de Anima t. 34. multitudinem indiuiduorum dari propter conſeruationem ſpeciei, & ideo corpora cœleſtia differre ſpecie, cum ſint incorruptibilia; quod multò magis valet de angelis, præterquam quod negatur à pluribus, etiam eo dato non ſequitur quòd implicet multiplicatio indiuidualis. Omnia ergo hæc, & ſimilia argumenta non conuincunt D. Thomam ſuſtuliſſe multitudinem hanc numeralem ab angelis etiam de abſoluta potentia, ſed tantùm de ordinaria.

Et confirmatur quia opuſc. 16. contra Auerroiſtas §. vlt. ad primam obiectionem Auerrois Valde, inquit, ruditer argumentantur ad oſtēdendum quod Deus non poſſit facere, quod multi ſint intellectus eiuſdem ſpeciei credens hoc implicare contradictionem &c. vt ſupra. Cõtra Auer. arguit S.Th.

Neque valet dicere, eum loqui de intellectu humano dicente ordinem ad materiam, nam Auerroes ponebat intellectum abſtractum à materia, & non vt formam corporis, quæ penes illud haberet indiuiduationem, & illud informaret.

XCIV. Ex alia parte ratio potiſſima, qua locis citatis probat S. D. prædictam concluſionem, videtur abſolutè intelligenda. Primò enim de ente, & eſſentia c. 5. Ait quod cum eſſentia ſimplicium non ſit recepta in materia, nō poteſt ibi eſſe multiplicatio numerica, ſed quot ſunt indiuidua, tot ſunt ſpecies. Cuius propoſitionis fundamentum nititur duabus propoſitionibus, vt Caiet. ibi q. 8. in fine. Prima eſt cũ actus ſit qui diuidit, & ſeparat 7. Met. t. c. 49. omnis diuiſio aut eſt formalis, aut quantitatiua 3. Met. t. c. 11. Altera eſt, formæ ſpecificæ ſunt indiuiſibiles formaliter, ex ijs enim ſequitur, formas ſpecificas in materia receptas diuidi ad diuiſionem materiæ per quãtitatem, & ſic ſunt plura indiuidua eiuſdem ſpeciei. Forma autem ſpecifica non recepta in materia omni diuiſione caret, formali quidem ex eo quod eſt ſpecies ſpecialiſſima, quę hic dicitur atoma: quantitatiua autem ex eo quod non eſt recepta in materia, quam ſequitur quantitas, & ideo non poſſunt eſſe multa indiuidua in eadem ſpecie; multitudo enim diuiſionem ſequitur. Sic Caiet. Secutus D. T. 1. p. q. cit. dicentem quod ea, quæ conueniunt ſpecie, & differunt numero, conue.

ueniunt in forma, ſed diſtinguuntur materialiter; Si ergo angeli non ſunt compoſiti ex materia, & forma, ſequitur quod impoſſibile ſit eſſe duos angelos vnius ſpeciei; ſicut etiam impoſſibile eſt, quod eſſent plures albedines ſeparatæ, aut plures humanitates, cum albedines non ſint plures niſi ſecundũ quod ſunt in pluribus ſubſtantijs.

Secundò. Hinc format argumentum 2. contra g. c.93. Omnis differentia, quæ procedit ex forma, inducit diuerſitatem ſpeciei, quæ autem ex materia diuerſitatem ſecundùm numerũ; ſed ſubſtantiæ ſeparatæ non habent omnino materiam, neque quæ ſit pars earum, neque cui vniantur vt formæ, impoſſibile eſt igitur quod ſint plures vnius ſpeciei. Quam rationem ſumptam eſſe ex Ariſtotele 12. Met. t. 49. aduertit ibi Ferrar. ex hoc enim infert Philoſophus primum principium immobile eſſe tantùm vnum, quia videlicet immateriale eſt, & accipit materiam propriè, vt eſt potentia in genere ſubſtantiæ, indifferenter pro quolibet ſuſceptiuo.

Hæc argumenta, & alia mox afferenda videntur intelligenda de potentia abſoluta, vt potè petita ex intrinſeca natura ſubſtantiarum ſeparatarum, quæ ratione eſſentiæ ſunt immutabiles, & neceſſariæ, ſicut & quælibet alia, eſſentia ita vt per nullã potentiã ſit variabilis, v.g. eſſentia hominis eſt, vt ſit animal rationale, ac propterea omnino impoſſibile eſt eſſe, vel concipi hominem, quin concipiatur animal rationale, iſtæ enim duæ rationes animalitatis, & rationalitatis ſic ſunt conſtitutiuę eſſentiæ hominis, vt altera immutata iam non ſit homo; Quin eſſentia ex ijs cõſtituta principium eſt proprietatum nonnullarum ex ipſa fluentiũ, quæ licèt non neceſſario ingrediantur conceptum eius eſſentialem; tamen non poſſit iſte formari cum negatione ipſarum, v.g. non poteſt intelligi homo cum negatione riſibilitatis in actu primo, quia hæc per ſe illi conuenit in ſecundo modo dicendi per ſe, & propterea conſequenter deſtruitur conceptus eius, ſi intelligatur poſitiuè, vt non riſibilis. Huiuſmodi autem ſunt prædicata omnia quæ conueniunt rei ratione formæ quatenus forma eſt, ſiue vt dans eſſe, & differentiam ſpecificam; quia vt ſic habet neceſſariam connexionem cum illis, cum eius eſſe ſit eſſe radicem, ſeu principium ipſorum, vt patet in rationali, riſibili, admiratiuo, quæ ſunt prædicata prouenientia à forma, vt forma eſt, ab anima ſcilicet rationali, vt conſtitutiua hominis; & ideo ab ipſa inſeparabilia, in hoc ſenſu, quod non poteſt eſſe anima, quin ſit principium ipſorum.

Eſſẽtia non poteſt concipi cum negatione proprietatum neceſſariarum.

Hinc ſequitur quod differentia indiuidualis in angelis, ſiue proueniat à forma, vt forma eſt, ſiue ita proueniat, vt in conceptu eſſentiali ipſorum imbibatur primario, ſicut rationale imbibitur in conceptu hominis; vel ſaltem ſecundario, ſicut inuoluitur riſibile, hoc eſt vt proprietas prima conſequẽs ad formam vt ſic; Vtrumuis dicatur repugnare, videtur multiplicari naturam illam in indiuiduis, cum qua eſſentialem connexionem habet indiuiduatio, hoc eſt ratio faciendi vnam vnitate ſingulari, quia alioqui eſſet vna eſſentialiter, & non eſſet vna. Sicut enim implicat dari naturam humanam, quæ non ſit rationalis, quæ eſt differentia de primario conceptu eius; vel non riſibilis, ideſt apta ad riſum, quæ eſt proprietas ab eſſentia fluens, & cum ipſa connexa; ita & ex ſuppoſitione, implicat dari naturam, quæ habeat à forma vt ſic, eſſe indiuiduam, hoc eſt cuius indiuiduatio ſit eſſentialiter cum ipſa connexa, & multiplicationem eiuſdem in indiuiduis, quod eſt non eſſe hanc à forma vt forma, ſiue eſſentialiter, contra ſuppoſitionem.

Et quamquam de proprietate res non ſit ita euidens, quia viſum pleriſque eſt, eam per diuinam potentiam eſſe ſeparabilem à ſuo principio quoad eſſe, nemo tamen negare poteſt nõ eſſe factibile, quin natura de ſe ſit principium ipſius eſſentiale, atque adeo eam deſtrui, ſi oppoſitum ponatur, v. g. quod humana natura non ſit principium riſibilitatis. Atque adeo deſtructam iri eſſentiam rei, cui ratione formæ, vt ſic conueniat indiuiduatio, tanquam proprietas, ſi ponatur non eſſe principium ipſius.

Quod ſi dixeris non repugnare poni à Deo in eodem ſubiecto proprietates

tes repugnantes v. g. hinnibilitatem in homine, ſi illa eſt diſtincta proprietas à natura equi, quicquid ſit de hac ficta hypotheſi, ne ſic quidem ſequitur, multiplicabilia eſſe indiuidua naturæ, cuius proprietas eſt eſſe vnam ſingulariter: nam quemadmodum in eo caſu diceretur homo non hinnibilis, ſed habens hinnibilitatem, eò quod repugnet ipſius naturæ hinnibilitas, ſicut viſio lapidi; ita in hoc altero diceretur natura illa habere duas, vel tres proprietates indiuiduales, non tamen plura indiuidua, quia hoc illi repugnat; Sed hæc dicta ſunt contra arguentem diſputationis gratia, Cæterum D. T. non ponit proprietatem vllam diſtinctam à natura, per quam angeli indiuiduentur, ſed ex ſe ipſis in diuiduari vult, vt patet ex opuſc. de Spir. creat. a. 8. & aduertit Ban. 1. p. q. 50. a. 4. dub. 1. ob auctoritatem Philoſophi 7. Met. t. 20. poſt Ferrar. 2. c. q. c. 93. §. Pro ſolutione harum rationum, quod in ſubſtantijs ſeparatis idem eſt quod eſt, & quo eſt; Vnde Capr. in 2. d. 3 q. 1. a. 3. ad tertium. Scoti contra quintã concluſ. ponentis hecceitatem, vt rationem indiuiduãdi naturam ab ipſa diſtinctam, *non ſolùm, inquit, diuina eſſentia, imò quælibet quidditas immaterialis, & ſe ſubſiſtens de ſe eſt hæc, quia licèt in ſui ratione non includatur ſingularitas pro vt illa ratio concipitur à nobis; tamen in ratione ſui, pro vt intelligitur à Deo, vel ab Angelo includitur ſingularitas, vel conſequitur rationem eius de per ſe. quia nos non intelligimus perfectè ſubſtantias ſeparatas prout in ſe, quin ipſe S.D. apertè in opuſc. de natura materiæ, formæ, inquit, ſeparatæ eo ipſo quod in alio recipi non poſſunt, habent rationem primi ſubiecti, & ideo ſeipſis indiuiduantur.*

Angelus ſe ipſo indiuiduus eſt iuxta S. Tho. & non per modum diſtinctum.

Capr.

Iam verò quod indiuiduatio hæc cõpetat illis ratione formæ vt forma eſt, ho autem vt [illegible] ſumitur pro tali ente, declarat S. T. ibidem cum ſubdit, *& cum in eis nihil ſit niſi forma, erit in eis forma ſecundùm rationem formæ: & ideo cum idem ſit in eis ſuppoſitũ, & forma, ex quo ſeipſis indiuiduantur in quantum habent rationem primi ſubiecti, ad multiplicationem ſuppoſitorum multiplicatur in ijs forma ſecundùm rationem formæ; ſcilicet ſecundùm ſe, & non per aliud; quia non recipiuntur in alio: Omnis autem talis multiplicatio multiplicat ſpeciem, ideo in eis tot ſunt ſpecies, quot ſunt indiuidua &c.*

Ex quibus in forma ſic argumentari licèt. Quod eſt eſſentiale alicui per nullam potentiam poteſt ab eo remoueri; ſed quod conuenit ſecundùm formam, vt forma eſt, ſiue ſecundùm rationem formæ eſt illi eſſentiale, ergo quod conuenit ſecundùm formam, vt ſic non poteſt remoueri.

Rurſus naturæ angelicæ conuenit tantùm multiplicatio formæ ſecundũ rationem formæ, quæ eſt multiplicatio ſpeciei, ergo hæc illis eſt eſſentialis, ac proinde non poteſt ab illa remoueri, nec conſequenter multiplicari in indiuiduis, maior primi Syllogiſmi eſt communis Philoſophorum, & Theologorum. Minor conceditur etiam ab ipſis Thomiſtis, vtpote S.Th. expreſſè 2. contra gent. c. 93. vbi ſecundo loco eam adducit. Argumentum eſt in prima figura. Non igitur ſuut multiplicabiles angeli in ſententia D. Thomæ per vllam potentiam.

Hoc idem confirmat argumentum primum eiuſdem c. cit. 93. quod ſupra tertio loco poſuimus, vbi probat ex eo quod formæ ſubſiſtentes ſint quidditates, non poſſunt multiplicari, quin multiplicentur ſpecies; certum eſt enim quod prædicatum, quidditas, eſt eſſentiale, vt potè genericum formarum iſtarum in via D. Thomæ; Si ergo quidditater eſſentialites ſunt ipſæ ſpecies, & non poſſunt iccirco multiplicari formæ iſtæ quin multiplicentur ſpecies, manifeſtè apparet deſtrui conceptum eſſentialem illarum ex eo quod ponãtur multiplicabiles abſque eo quod multiplicentur ſpecies, vt cõtingeret ex multiplicatione indiuiduorum eiuſdem ſpeciei. ac proinde per nullam potentiam fieri poſſe multitudinem hanc tanquam aliquid repugnans formis ſubſiſtentibus. Perinde enim ſe habet hęc forma argumentandi ſancti Doctoris, atque hæc alia, omne ſenſibile eſt animal, ſed omnis homo eſt ſenſibilis, ergo omnis homo eſt animal. Et propterea ſicut implicat dari ſenſibile, vel hominem, qui non ſit animal, vel animal, quod non ſit ſenſibile, ita & implicat dari ſubſiſten

tes formas multiplicabiles in indiuiduis, ex eo quod vnaquæque eſt quidditas, & ſpecies diſtincta ab alia, alioqui ſi ac per diuinam potentiam dari talem ſpeciem multiplicabilem in indiuiduis, ruit tota argumentatio S. Th. tunc enim prædicatum, quidditas, nõ eſt eſſentiale, neque neceſſarium, atque ita concluſio non eſt neceſſaria, quod videlicet multiplicatio formarũ inducat multiplicationem quidditatũ, & ſpecierum; quod ſi ita eſſet, neque ſpeciem probabilitatis haberet argumentum hoc, quia niſi prædicatum, quidditates, ſit genericum, & neceſſariò connexum cum ſubiecto quod eſt, formæ ſubſiſtentes, falſa eſt propoſitio in qua ſubſtantiuum de ſubſtãtiuo prædicatur in recto, cum non ſit genus, neque ſpecies, neque concretum; ſed quid potius diſparatum: cum ergo propoſitio ſit bona, etiam concluſio ex ea ſequens erit talis; ac proinde neceſſaria & æternæ veritatis, ac inuariabilis ex mente Diui Thomę.

Neque hic conueniret diſtinctio Capreoli initio citati art. de ordine rerum nobis ignoto, nam ſi ſecundum iſtum non implicat multiplicatio in indiuiduis, ergo non prouenit à forma vt ſic multiplicatio tantùm ſpecifica, ſed etiam numerica; quemadmodum ſi ab anima rationali, vt forma eſt; nõ prouenit conſtituere tantùm hominẽ, poterit etiam cõſtituere aliquid aliud præter hominem; & ſic non erit forma hominis contra ſuppoſitionem; non eſt autem minus proprium formarum ſubſiſtentium conſtituere ſpeciem diuerſam ex diuerſa multiplicatione ipſarum ſecundùm D. Thomam, quàm animę rationalis cõſtituere humanam ſpeciem, ac proinde ſi valet, quod ſecundùm alium ordinem poſſint multiplicari formæ ſubſiſtentes, ſine multiplicatione ſpecifica, fieri etiã poſſet ſecũdùm alium ordinem, quod anima rationalis ſit pars conſtitutiua alterius compoſiti ab homine, atque ita hæc propoſitio omne animal rationale eſt homo, non erit æternę veritatis, & idem erit de alijs propoſitionibus æternis, quæ habentur inuariabiles, ſi diſtinctio hæc valet, quod nemo non videt eſſe inconueniens. Quare magis conſequenter videtur loqui Ferrar. ſupra qui admiſſa ſemel non repugnantia rei huius, fatetur ſecundùm ordinem nobis cognitum ita ſe habere, & fortè de facto plures dari angelos eiuſdem ſpeciei, quorum tamen vtrumque Caietanus arbitratur Diuo Thomæ aduerſari. Ferrar.

Neque enim, vt Ferrar. aſſerit loc. cit. §. ad hoc dicendum, ſuſtineri poteſt, quod Diuus Thomas id ſolùm ex mente Ariſtotelis, intelligat eſſe immultiplicabiles argumẽto ducto à corporibus cœleſtibus, quæ propter perfectionem ſupra reliqua, multiplicari nequeunt, quaſi multò magis hoc inferatur de intelligentijs, quæ longè perfectiores ſunt, quàm Cœli; nam Diuus Thomas hoc docet ex proprio ſenſu, vt patet ex loc. cit. quibus ex profeſſo de hoc diſputat, licet principia ex Philoſopho ad hoc probandum ſumat, & illud in primis quod materialis diſtinctio proueniat à materia, & conſequenter quod multitudo numerica non ſit in ſubſtantijs illa carentibus, quod principium, quidem à Scoto, & alijs Theologis nudè ſumptum negatur, vel diuerſimodè quàm à Thomiſtis explicatur: Diuus Thomas tamen adſtruit tanquam fundamentum ex præcipuis, quibus innititur tota machina de multiplicatione, vel immultiplicabilitate rerum, vnde Capr. in 5. cit. in fine a. 1. *Vbicumque, ait, loquitur de illa materia S. Thomas fundat ſe ſuper hoc principio, omnis natura ſpecifica pluriſicabilis ex ſe per multa indiuidua, eſt habens materiam ex qua, vel in qua, dimenſionibus ſubiectam*; Sed natura angelica non eſt huiuſmodi, igitur nec pluriſicabilis per multa indiuidua eiuſdem ſpeciei ſolo numero differentia. Fundamentum negandi multitudinem Angelorum eiuſdem ſpeciei apud S. Th.

Ergo, inquies, falſa eſt doctrina ſancti Thomæ, quia per diuinam potentiam angeli multiplicari poſſunt in eadem ſpecie, quod ille negat.

LXXXXIV Reſpondeo ſententiam ſancti Thomæ habere ſuam probabilitatem, neque illam vt certam de fide, vel vt abſolutè demonſtratam propoſuiſſe; ſed tantùm vt magis conformem principijs Ariſtotelicis, ſecundùm quæ defendi poteſt, ſi quis ad diſputationem Philoſophicam digrediatur, in qua de principio indiuiduationis, & cauſa

mul-

multitudinis numeralis differatur. Vide Caietanum de ente, & eſſentia fuſè hæc proſequentem,& Capr. loc.cit. Soluentem argumenta Scoti, Dur. Aur. & aliorum, & ex recentioribus Suar. Hurtad. Suarium in Metaph. diſp. 5. fusè de hoc principio diſputantem. Hurtad. diſp.4. Metaph. ſect. 5.

Hic addendum argumentum reductum ad formam ex dictis; Repugnat, quæ ſunt eadem realiter, ac formaliter multiplicari in vno, quin multiplicentur in alio, ſed differentia ſpecifica, & indiuidualis in angelis ſunt idē realiter, & formaliter,ergo repugnat multiplicari indiuiduale quin multiplicetur,& ſpecifica.Minor probatur,quia omnis differentia proueniens à forma eſt ſpecifica; ſed in angelis non eſt differentia, niſi proueniens à forma, ergo neque eſt niſi ſpecifica identificata, indiuiduali.

Confirmatur, quia diuerſitas differentiarum prouenit ex diuerſo fundamento; cur autem vna differentia ſit ſpecifica, & eſſentialis, alia indiuidualis, & non eſſentialis, non eſt aliud fūdamentum, quàm quod illa attenditur penes formam vt ſic, hæc verò penes aliquid aliud, puta, materiam,vel ordinem ad materiam, aut materiam ſignatam, vel quid ſimile quod in angelis non eſt facilè aſſignare.

Arist. Confirmatur ſecundo ex auctoritate Ariſtotelis, nam præter loca citata, habet 7. Metaph. c. 11. t. 41. quod in rebus immaterialibus non diſtinguitur quod quid eſt ab eo cuius eſt, ideſt non diſtinguitur eſſentia, ſeu definitio eſſentialis à definito, & indiuiduo in quo eſt. Item 3 de Anima t.9.ait in rebus quibuſdam aliud eſſe rem,nempe indiuiduam, aliud quidditatem rei, aliud, inquit, eſt magnitudo, aliud magnitudinis eſſe, & ſubdit hanc diſtinctionem non habere locum in omnibus, quia videlicet in immaterialibus idem eſt eſſe, & quidditas, vt expoſitores præſertim S. Thomas ibi, & 1. p. q. 3. a. 3. & de ente, & eſſentia c. 5.

Quæ omnia dicta ſint ad oſtendendam probabilitatem ſententiæ S. Thomæ, vt explicatur à Caietano ſequente Gaſtaldo, ſupra relato & alijs. Cæterum quia vbi agitur de diuina omnipotentia nihil illi denegandum, niſi implicantia oſtendatur, vbi & rationes probabiles, & auctoritas multiplex contendit non apparere; Ideo ſoluenda ſunt præcipua ex allatis argumentis pro ſententia D. Thomæ, quod commodè fiet poſt explicationem ſententiæ S. Bonauenturæ, qui multiplicationem numeralem de facto in angelis defendit, ita vt omnes ſint eiuſdem ſpeciei infimæ, licèt diuerſitatem ſpecificam in Hierarchijs probabilem aſſerat. Interim auctoritas D Thomæ clypeus eſt aduerſus ictus Pariſienſium articulorum, quorum octauus eſt - Dicere quod quia intelligentiæ non habent materiam,Deus non poteſt plures eiuſdem ſpeciei facere, error 96. Dicere quod Deus non poſſit multiplicare indiuidua ſub vna ſpecie ſine materia, error. & 191. Quod formæ non recipiant diuiſionem, niſi ſecundùm materiam error.

De quibus articulis in vniuerſum refert Mirandul. in Apol. q. 1. iudiciū Pic.Mirand. Aegidij, & aliorum Theologorum auctoritatem illorum hinc eleuantium, inde erroris correctione digni nonnullos damnantium.

OPINIO SANCTI

Bonauenturæ de multitudine Angelorum.

CAP. XXI.

I. *Diſtinctio ſolum perſonalis, vel in omnibus Angelis, vel in aliquibus ponenda.*

II. *Patrum auctoritas ad hoc probandum.*

III. *In ſpecifica identitate naturæ ipſorum datur diuerſitas indiuidualis excellentiæ;*

IV. *Et hæc non attenditur penes aliquid ſuperadditum naturæ, ſed penes entitatem Angeli.*

V. *Eadem realis entitas ſecundum varios reſpectus dicitur indiuiduū, ſpecies, &c.*

VI. *Proinde ratio indiuidualis,& multiplicatio numerica, non attenditur penes materiam.*

Digitized by Google

EXplicanda hæc eſt per ſequentes propoſitiones ea gratia, vt ex ijs, quæ de facto ponit in numero angelorum innoteſcat principalis aſſertio, quæ eſt, nullam apparere repugnantiam multiplicationis numericæ ſub eadem ſpecie.

S. Bonau.

Prima propoſitio S. Bonauenturæ ex 2. ſent. diſt. 3. p. 1. a. 2. q. 1. *Poſitio, inquit, ſobria, & catholica eſt, quòd in angelis eſt ponere diſtinctionem quantùm ad perſonalitatem tantummodo, aut in omnibus, aut in aliquibus, & concedendæ ſunt Rationes ad hoc inductæ* Illę verò ſunt primo quia Dan. c. 7. Millia Millium adſiſtebant ei, & decies centena millia miniſtrabant ei: hinc enim colligit tantam diuerſitatem ſpecificam in eum numerum non cadere, cum vnus dicatur ſtatus, ideſt adſiſtere. Deinde eſt gloria Regis habere multos miniſtros vniformes, ergo cum illud regnum ſit glorioſum ponenda in eo eſt hæc vniformitas. Tertio ſicut omne animal deſiderat ſibi ſimile in ſpecie ob Societatem; ita & angelus; hoc autem deſiderium non eſt inane, & quod inſit ex eo patet, quia in angelis eſt ſocialis, & amicabilis affectus, quo ſimiles amant. Quarto in Deo ſunt plures perſonalitates, & vna natura; ſimiliter & in hominibus, licèt differenter, ergo etiam in angelis congruum eſt ponere conuenientiam plurium in vna ſpecie.

Eamdem poſitionem repetit in eodem 2. diſt. 9. a. 1. q. 1. & addit alias rationes, inter quas vna eſt, quia *Angelorum, inquit, multitudo facta eſt ad illius ciuitatis plenitudinem, & decorem; ſed in illa ciuitate maximè attenditur vnitas, & nexus, conformitas, ergo cum conformitas vnius naturæ faciat connexionem in caritate, & ipſam adiuuet, propter quod etiam, vt Sancti dicunt, Deus voluit non tantùm homines facere ſimiles; ſed etiam omnes homines ex vno homine. Ergo videtur &c.* Et quia hæ rationes non conuincunt.

Conformitas naturæ confert ad connexionẽ in caritate.

S. Dion.

Moueri ſe fatetur ad hoc aſſerendũ auctoritate ſanctorum, præſertim Dionyſij. *Videtur, ait, ibidem in reſolutione; quod illi, qui aggreſſi ſunt hanc materiã determinare (ſicut* Dionyſius*) diuina inſpiratione cognouerunt, & officium, & naturam, & ipſi dicunt, quòd omnia quæ ſunt omnium in omnibus reperiantur, licèt magis excedenter in vno; videtur magis theologica, & probabilis poſitio, niſi occurrat manifeſta auctoritas in contrarium, quod omnes Angeli ſint eiuſdem ſpeciei, ſicut & omnes homines &c.*

S. Aug.

Fauent alij Patres. S. Auguſt. ratione vniuerſali ex lib. de vera Relig. relatus, & explicatus à S. Bonau. in eodem 2. diſt. 9. a. 1. q. 8. *In omnibus, ait, actibus conuenientia placet, qua vna ſalua etiam pulchra ſunt omnia; Ipſa verò conuenientia vnitatem, æqualitatemque appetit*. Igitur ſi in Angelis eſt perfecta pulchritudo, eſt etiam perfecta æqualitas. Idque probabiliter, nam S. Aug. infra incertum ſibi fatetur, quam tamen non impediri ex diſparium congruenti gradatione docet ibidem S. Bonau. & clariùs infra patebit.

S. Baſil.

S. Baſilius 3. lib. de Spir. S. contra Eunomium, omnes, inquit, *Angeli ſicut appellationem vnam, ſic vnam naturam omnino eandem habent*. Et ex contextu apparet eum loqui de natura ſpecifica.

S. Athan.

S. Athanaſius lib. quæſtionum ad Antiochum q. 4. *Vna & eadem eſt eſſentia (Angelorum) ſicut vna tantùm eſt eſſentia hominum.*

S. Damaſc.

S. Damaſc. l. de decretis, & placitis c. 1. apertiùs loquitur, quàm poſſit extraneam interpretationem admittere. *Incorpoream, inquit, eſſentiam appello animum, Angelum, dæmonem: Vnumquodque enim iſtorum ſpeciei eſt infimæ.* Et paulò ante dixerat omnium angelorum vnam eſſe naturam, ſicut & omnium hominum. Et lib. primarum inſtitutionum c. 7. *Ea quæ ſola indiuidua continent, ait, ſpecies infimas vocari: vt Angelus, & homo,* licèt 2. de fide dixerit rem eſſe incertam.

S. Anſelm.

S. Anſelm. l. 2. cur Deus homo c. 21 *Quamuis omnes, Angeli videlicet, ſint vnius naturæ, non tamen ſunt eiuſdem generis, ſicut homines &c.* Accipit genus pro generatione, & proſapia; quia non ſunt ab vno angelo, ſicut homines ab vno homine, vt patet ex textu, & aduertit Vazquez 1. p diſp. 181. c. 2. qui & alij Patres apud recentiores loquuntur de facto, & licèt alij putẽt

rem

rem eſſe incertam, et ſoli Deo cognitam, et Auguſt. in fauorem noſtrum notatus ſupra l. contra Priſcianiliſtas c.11.quanta ſit inter eos differentia neſcire ſe fateatur, tamen hæc etiam dubitatio oſtendit eos nō negare poſſibilem eſſe multiplicationem indiuiduorum ſub eadem ſpecie, quam de facto probabiliorem cenſet S. Bonauentura; et ſub diuerſis ſpeciebus, quàm inde nos deducimus. Interim ſatis apparet validum eſſe motiuum, quo inductum ſe ait S.Bonauentura ad aſſerendum omnes Angelos eſſe eiuſdem ſpeciei, quia videlicet Patres ab hac ſententia ſtare animaduertit. Et non leuiter ab illis inſinuatam fatetur Vazq.loc.cit. Val.tom.1.diſp.4. q.1. et diſertè Molina 1.p.q.50.a.4. pro ea ſtare Patres enunciat, et placuiſſe antiquis Scholaſticis fatentur, qui referunt pro illa Gerſon. Pariſienſem l. de vnitate par.2.paſſim Albertum Mag. in ſumma par.2.tract.2.q.8. Alenſ.p.2. q.20.memb.6 a.1.et 2. Gabr.in 2.diſt. 3.q.1.a.2. concl.23.et alios concordes in hoc quod de facto multi Angeli cōueniant ſpecie; ſed in eo diſcrepantes, quod aliqui negant poſſe differre ſpecie, alij affirmant; vtrique autem ſunt pro nobis contendentibus non repugnare multitudinem Angelorum ſub eadem ſpecie numero tantùm differētium; ſiue de facto omnes ſint tales, vt cenſet S.Bonau.ſiue aliqui tantùm, vt Scotus, Suar. Vazq. et alij præter Thomiſtas communiter: neque reijcit S.Bonau.illorum placitum.

Antiqui pro ſententia S. Bonau.

XCVI. Secunda propoſitio. In identitate ſpecifica naturæ Angelorum inuenitur diuerſitas indiuidualis ſecundùm gradus excellentiæ vnius ſupra alium. Patet ex diuerſis locis diſtinctionis tertiæ, et nonę 2.Sent.in huius a.1.q. 1.habet. *Quemadmodum in hominibus ſunt gradus & ordines, & quoad naturalia, & quoad officia commiſſa, ſiue dignitates, & quoad gratuita. Salua tamen vnitate ſpeciei; ſic intelligendum eſt in Angelis:* et q.3. docens Angelis collata eſſe dona gratuita iuxta naturæ capacitatem, non quidem quod capacitas ſit cauſa efficax, quia naturalia non ſunt cauſa gratię; ſed ita vt ſit diſpoſitio congruitatis, ſubdit in reſponſ. ad arg. *Boni enim Angeli, qui ad Deum conuerſi ſunt, ſecundum hoc plus ſe præparauerunt, ſecundùm quod meliora naturalia habuerunt.*

Et hoc idem inſinuant Patres. S. Dionyſius, quem pro ſe citabat ſupra S.Bonau. circa multitudinem numericam in eadem ſpecie de Cœleſti hierarch.c.5. *Enunciant*, inquit, *Sanctorum voluminum traditiones ſuperiores ſubſtantias eſſe graduum inter ſe celſitudine differentes, &c.* Sub eadem videlicet ſpecie, vt alibi dixerat. citat alios Suar.de Angel.l.1.c.14.15.quia omnes diuerſitatem in ea multitudine agnoſcunt non ſolùm in gratiæ muneribus; ſed etiam in naturæ perfectionibus; ſed an iſtæ ſint omnes ſpecificæ, ac eſſentiales, vt Thomiſtæ exiſtimant, an indiuiduales tantum, vel in omnibus ordinibus, vt S.Bonauentura de facto docet; vel in aliquibus, vt alij plures Scholaſtici, non explicant diſtinctè Patres, & ideò variè ipſi explicantur à Scholaſticis.

Tertia Propoſitio. Talis excellētia gradus indiuidualis non conſiſtit in aliquo ſuperaddito naturæ realiter, ſeu modaliter diſtincto ab ipſa, neque in intenſione vlla accidentali, quæ recipiat magis, & minùs ſecundū gradus, ſed in ipſa entitate Angeli, quæ intra limites eiuſdem ſpeciei eſt perfectior in vno, quàm in altero. primam partē habet S.Bonau.in 2.diſt.3.p.p. in fine. vbi cum retuliſſet opinionem aſſerentem, præter formam ſpeciei ſpecialiſſimæ dari formam indiuidualem. Quęlibet, inquit, iſtarum opinionum habet aliquid quod homini multum intelligenti rationabiliter videri poterit improbabile: & pergit hanc confutare ex eò maximè quod omnis forma creata nata eſt habere aliam ſimilem: & ex eo quod in diuiſione cōtinui fiunt noua indiuidua ſine vllius formę additione. quia nimirum eadem entitas vna cōtinuitate, & indiuiduatione fit multiplex numero non additione rei poſitiuæ, ſed poſitione negationis continuitatis. idem docuerat ſupra a.3. XCVII. In quo conſiſtat excel. lentia vnius ſupra aliū.

Quò pertinent argumenta fieri ſolita contra hecceitatem à Scoto poſitā ad componendum indiuiduum in 2. diſt.3.q.1.&in quodl.q.2. & alibi, impugnatam à Caiet. de ente & eſſentia. q.5.& 1.p.q.5.a.6. Suar. in Metaph. Caiet. Suar. Vazq.

diſp.

Digitized by Google

diſp. 5. ſect. 2. à num. 9. & ab alijs apud ipsū, & apud Vazq. 1. p. diſp. 181 tale eſt quod natura, quæ eſt in Petro precisè conſiderata ab indiuiduatione, quæ eſt modus per Scotum ex natura rei diſtinctus ab illa, eſt hæc numero diſtincta à natura, quæ eſt in Paulo. Ergo non accipit eſſe hanc à modo ſuperaddito ex natura rei diſtincto. antecedēs patet, quia natura huiuſmodi eſt ens determinatum, & non vniuerſale; eſt enim natura Petri, & non natura Pauli, & hanc diſtinctionem non accipit à modo ſuperaddito, quia illo præciſo iſtæ duæ naturæ non ſunt vna res, ſed duæ diſtinctæ, & ſingulares, ita vt quęlibet earum dicatur hæc numero, & non alia à ſe diſtincta, ne fortè dicas habere vnitatem formalem explicatā per definitionem, & non eſſe neque indiuiduam neque vniuerſalem, ſed mediam, nam argumentū euincit eſſe hanc ſingularem ab alia ſingulari diſtinctam, & facientem cum illa numerum binarium: ſicut facit cum indiuiduatione ſua, ſi per te eſt modus ab ipſa diſtinctus. Conſequentia probatur, quia ſi præciſo modo eſt hæc numero ſingularis, igitur non redditur formaliter ſingularis à modo. quo ſenſu S. Bonauuentura in 3. diſt. 10. a. 1. q. 3 humanam naturam in Chriſto vocat indiuiduam, & albedinem item Petri, quia eſt indiuiſa in ſe. & a. 2. q. 3. idem habet.

Humana natura in Chriſto vocatur indiuidua à S. Bonau.

Confirmatur, quia duæ iſtæ hecceitates ſunt ſimiles, & habent oppoſitionem relatiuam, ideſt vna refertur ad aliam, & rurſus habent conuenientiā, ergo datur ratio communis vtriuſque in ratione modi; igitur vel hæc diſtinguitur à proprijs rationibus indiuiduationum; vel non valent argumenta probantia diſtinctionem indiuiduationis à natura, quæ ab illis contrahitur: negant autem aduerſarij dari rationem cōmunem indiuiduationibus, quæ rurſus contrahatur ab ipſis contrahentibus naturā, nec videtur poſſe dari, quia ratio indiuidui habet hoc proprium, vt faciat differre numero, ergo non eſt ratio conueniendi, vt S. Bonau. in 2. diſt. 3. a. 1. q. 3. præterquā quod daretur proceſſus in infinitum, quia omnibus iſtis rationibus aſſignabilis eſſet alia, & alia cōmunis in infinitum, cum omnes conueniant inter ſe.

Secunda pars Propoſitionis ex iiſdē locis citatis in 2. Sent. manifeſta eſt, quibus ſubinde repetit S Bonau. indiuiduum conſtitui ex proprijs principijs particularibus, quæ ſunt materia, & forma, quæ non ſuſcipiunt magis & minus; cum ſint ſubſtantia ex capite de ſubſtantia in prædicamentis, & ſermo eſt de indiuiduo propriè dicto, quale facit compoſitum ſubſtantiale; eadem autem ratio eſt de quolibet indiuiduo minùs propriè dicto, quod potiùs ſingulare diceretur, vt eſt forma, materia, accidens, quæ ſe ipſis ſingularia ſunt, & non per indiuiduationem ſuperadditam in via S. Bonauent. Quamquam enim accidentia aliqua ſuſcipiunt magis. & minus materialiter ſumpta; non tamen vt formaliter dicunt ſingularitatem, & vnitatē, quæ conſiſtit in indiuiſibili.

Indiuidualis ratio non ſuſcipit magis & minus.

Confirmatur, quia in 3. diſt. 9. a. 1. q. 3. replicat quod in 2. ex Boetio retulerat, dicente quod ſpecies eſt totum eſſe indiuidui, & accipitur ſpecies ſecundùm eſſe reale, non vt per rationem abſtracta ab indiuiduis, & illi cōuenit ex Ariſtot. quod ſe habet vt numerus, qui conſiſtit in indiuiſibili 8. Metaph. t. 4.

Ariſtot.

XCVII. Explicatur magis comparatione materiæ cum forma, & formarū vnius, vel diuerſæ ſpeciei inter ſe, quæ ſe excedunt in perfectione per ſuas Entitates phyſicè, vel metaphyſicè conſideratas, & indiuiſibiliter acceptas, non autem per intenſionem gradualē, hæc enim forma, v. g. anima Petri licèt propriè non dicatur indiuiduum ex S. Bonau. in 3. cit. tamen dicitur ſingularis, & per ſuam entitatem indiuiſibilem diſtinguitur à materia, quam informat, quæ & ipſa ſingularis eſt, vt paulò ante de anima Chriſti dictū eſt.

In quo recolenda eſt doctrina eiuſdem Seraphici in 2. diſt. 2. p. 1. a. 1. q. 3. aſſerentis vnam, & eandem numero materiam eſſe corporalium, & incorporalium, & hanc vnitatem non eſſe formalem, aut actualem, ſed homogeneitatis. Diſtinxerat autem quæſtione præcedenti eſſentiam ab eſſe materiæ, & illam dixerat conſiderari à Metaphyſico præciſam ab omni forma, & abſtractam à poſſibilitate transmu-

Vna & eadē materia eſt rerum corporearū & incorporearū quomodo intelligatur.

mu-

mutationis, qualis eſt in inferioribus; quæ inuicem tranſmutantur, & à poſſibilitate aliarum mutationum, quibus omnis creatura ſubiecta eſt etiam incorruptibilis, & differt à Creatore, qui eſt actus ſimpliciſſimus carẽs omni poſſibilitate mutationis cuiuslibet, ac poſitiuè illam excludens, non item ratio materiæ inuoluens intrinſecè in ſuo conceptu poſſibilitatem, & ſolùm abſtrahens à poſſibilitate tranſmutationis, vt eſt in corporibus, & mutationis accidentalis, vt eſt in omni creatura aliquo modo, etiam quoad non eſſe, ſi Deus annihilare vellet. Quæ Doctrina S. Bonauenturæ habet ſuos oppugnatores, ſed eò in præſentia ſolùm adducitur, vt intelligatur iuxta illam ad vnitatem numericam non requiri modum hecceitatis ſuperadditũ, quia hic in rationem illam abſtractam materiæ, quæ dicitur vna numero, non cadit; & quod differentia numeralis in gradibus excellentiæ non conſiſtit in intenſione, & remiſſione ſingularitatis; quia non omnia ſingularia ſunt indiuidua, ſed benè vice verſa, vt ſupra. Illa autem vnitas materiæ ſecundùm eſſentiam conſideratæ dicitur incompleta, ſicut & veritas & bonitas in 2. diſt. 3. a. q. 3. p. p.

Non omnia ſingularia ſunt indiuidua propriè

Difficile quidem videtur, quod ſit ratio vna numero in materia corporalium, & incorporalium, ſed ſuppoſita explicatione S. Bonauenturæ paulò ante indicata in ſententia, quam latè declarauimus de rationibus, & veritatibus æternis in ſenſu, quo S. Auguſt. de illis diſſerit, fatendum eſt vnam ex illis eſſe rationem hanc materiæ vnius numero in corporalibus, & incorporeis. Et cum hæc non ſint ens rationis, neque nihil, neque eſſe actuale formaliter, à quo expreſsè diſcriminatur à Seraphico, reſtat vt ſit ratio quædam, & veritas participata à prima, & increata veritate, à qua manat quicquid verum eſt per neceſſariam ſequelam, ſicut à potẽtia manat liberè quicquid actu eſt in creatis, vt fuſius ibi declaratum eſt. Hic ſolùm aduertendum monitum Sancti Bonauenturæ eſſe conforme illi, quod ex S. Auguſtino ibidem inſeruimus, abſtrahendum eſſe mentem ad intelligenda hæc Metaphyſica. *Si quis; ait S. Bonauentura citata paulò ante quæſt. 3. vult vnitatẽ materiæ intelligere, oportet ab indiuiduali animam abſtrahere, & ſuper actũ imaginationis conſcendere, & omninò ens in potentia per priuationem cogitare, & ſic poterit aliquatenus capere.* Cæterum in rebus actu exiſtentibus diſtinguit apertè S. Bonauentura, indiuiduum propriè, & ſtrictè acceptũ ab indiuiduo latè, vt ſignificat rem ſingularem, ſic in 3. diſt. 10. a. 1. q. 3. *Chriſtus, inquit, ſecundùm quod homo non habet omnino plenam rationem indiuidui, ſed quaſi medium tenet inter indiuiduum propriè dictum, & indiuiduum, ſecundùm quod accidens eſt aliquod indiuiduum. Nam in indiuiduo propriè dicto eſt principiorum ſubſtantialium vnio, & primi ſuppoſiti conſtitutio in ſeipſo, non in altero. Vtrumque autem horum deeſt in accidentibus, quæ nec in ſe, nec per ſe ſubſiſtunt. Medio autem modo eſt in Chriſto, vbi principia conueniunt ſecundùm humanam naturam, tamen primum ſuppoſitum eſt alienæ naturæ non ab eis conſtitutum.* Primo modo definitur ibidem Indiuiduum, quod dicitur de vno ſolo, & eſt indiuiſum in ſe. Secundo modo definitur, quod ſubſiſtit in ſe, & per ſe, & eſt ab alijs diuiſum, & hoc modo natura humana in Chriſto non eſt indiuiduũ, quia ſubſiſtit in verbo diuino.

Chriſtus vt homo nõ habet propriè rationem indiuidui.

Iam ſequitur probatio tertiæ partis eiuſdem propoſitionis, quod excellẽtia vnius indiuidui Angelici ſupra aliud conſiſtat in entitate ipſa Angeli, ſi enim non dicit modum ſuperadditum; ſed principia ſubſtantialia vnita, neque intenſionem gradus ſupra gradum, qualis eſt in qualitatibus, quæ intenduntur, & remittuntur, neque eſt aliud, à quo ſumatur, niſi ipſa entitas indiuidui: non enim ab alia proprietate, vel accidenti intrinſeco, quia hæc ſupponunt ſubiectum, cui debentur, & cum ipſi proportionentur ſi excellentiora ſint alijs, ſupponunt etiã ſubiectum nobilius, ac proinde excellentia illius non prouenit ab ijs, quæ poſteriora natura ſunt ipſo. Neque per ordinem ad ſubiectum, quia plura accidentia diſtincta numero ſunt in illo, & cum ſit commune illis non diſtinguit illa, ſed potius vnit in ratione, qua conueniunt.

Deinde

Deinde probatur ex doctrina vniuerſali, quam tradit de indiuiduatione S. Bonauentura in 2.diſt.3.a.1.q.3. cit. 1.p. *Diſcretio, inquit, indiuidualis duo dicit, Indiuiſionem, & conſequenter diſtinctionem. Indiuiſio autem eſt ex principiorum indiuiſione, & appropriatione; ipſa enim rei principia dum coniũguntur inuicem ſe appropriant; & faciunt indiuiduum; ſed ad hoc conſequitur eſſe diſtinctum ab alio, & ſurgit ex hoc numerus, & ita accidentalis proprietas conſequens ad ſubſtantiam, &c.* Et explicans magis hoc in fine reſolutionis ſubdit. *Proprietas autem indiuidualis, aut proprietas perſonalis, etſi videatur dicere proprietatem conſequentem eſſe, ſicut accidens, realiter tamen non dicit, niſi appropriationem principiorum per indiuiſionem, hoc dico quantum ad proprietatem indiuidualem, &c.* ad quorum intelligentiam aduerte ſermonem eſſe de indiuiduo propriè dicto, quod eſt compoſitum ex partibus eſſentialibus à quibus vnitis non differt; ſed valere etiam in re qualibet ſingulari, quæ formaliter eſt hæc ſeipſa, atque adeo magis, vel minùs excellens alia qualibet per ſeipſam. Deinde neceſſariam eſſe indiuiſionem, quia principia debent eſſe vnita ad hoc, vt ſurgat indiuiduum propriè, & quia diuiſim ſingulæ partes ſunt vnum numero, & inter ſe diſtinctæ, cum vna non ſit alia vocari poſſunt indiuidua latè, ideſt ſingularia, & plura numero. Aliam præterea dicit indiuiſionem, ideſt negationem diuiſionis, vtroque modo acceptum indiuiduum, quia non ſolũ eſt diuiſum à quolibet alio, quod non eſt ipſum; ſed etiam eſt indiuiſum in ſe, & non multiplicabile, quod eſt de ratione vnius numero, vt diſtincti ab vno ſpecie, & genere, quæ tamen conſiderata metaphyſicè cum vnitate ſpecifica, comparatiuè ab alia diſtincta dici poſſunt vnum numero, quatenus faciunt numerum conſtantem pluribus, quo modo ſupra dicebat S. Bonauentura eſſentiam materiæ abſtractè conſideratam eſſe vnam numero.

Proprietas indiuidualis nõ dicit, niſi principia vnita.

Deinde in iiſdem verbis citatis ſignificatur diſcrimen inter indiuidualem proprietatem, & appropriationem principiorum, quia licèt realiter ſint idem; tamen per modum concipiendi differunt, nam proprietas indiuidualis concipitur vt accidens conſequens ad ſubſtantiam, quod magis explicat ibidem q.2. diſtinguens proprietatem quoad modum, & quoad rem, & ad primam reuocans proprietatem indiuidualem. conſequenter eſt.

Quarta propoſitio, quod iuxta doctrinam S. Bonauenturæ eadem res materialiter ſumpta poteſt dici indiuidua, ſeu ſingularis formaliter penes diuerſas conſiderationes, & reſpectus; ſi enim conſideretur vt conuenit cum alijs differentibus ſpecie, dicitur habere rationem ſpecificam; ſi verò conſideretur vt indiuiſa à ſe, & diuiſa à quolibet alio, quo facit numerũ, & excludit prædicationem, quia prædicatur de vno ſolo, dicitur indiuidua, ſiue ſingularis: Atque adeò ſicut ratio generica nõ eſt aliquid in re diſtinctum ab entitate rei conſideratę ſecũdum prædictam conuenientiam, neq; item ratio ſpecifica, ſed vtraque eſt eadem entitas realiter diuerſimodè comparata; ita ratio indiuidualis non eſt quid realiter diſtinctum ab vtraq; ſed eſt ma, & eadem entitas, vt ſubſtat varijs cõceptibus, quibus præbet fundamentum ex eo quòd eſt talis naturæ, vt cum aliquibus conueniat, vel differat, aut differre faciat ab alijs. Ideò ſicut genera, & ſpecies non ſunt entia rationis; ita neque ratio indiuidualis illa contrahens eſt ens rationis, ſed eſt eadem entitas, quæ dicitur Petrus, exempli gratia, homo, animal quæ ſunt eadem realiter, & diſtinguũtur formaliter ratione ratiocinata, ſed non ſunt entia rationis cum ſint eadẽ entitas realis diuerſimodè cõſiderata, non ſolùm in ordine ad alia, cum quibus conueniunt, & prædicantur; ſed etiam in ſeipſis vt dicunt indiuiſionẽ, & excludunt prædicationem de illis, quomodo dicebatur ſupra à S. Bonauentura Indiuiduum, quod de vno ſolo dicitur. XCVIII.

Eadem res dicitur realiter eſſe genus, ſpecies, indiuiduũ.

Indiuiduum de vno ſolo dicitur.

Quinta propoſitio. Ex ijs colligitur rationem indiuidualem, neque à materia, neque ab alia re diſtincta, puta materia ſignata, aut ſimili petendam eſſe, quia etiam immaterialia, & quæ non dicunt ordinem ad materiam, vt ſunt ſubſtantiæ immateriales, & incor- XCIX.

corporeæ habent ſuam indiuiduationem; Accidentia item ſpiritualia, vt gratia, viſio beata, &c. quæ abſoluunt à materia sūt plura numero: & loquor de materia, vt communiter accipitur à Philoſophis, ſed locum habet propoſitio in ſenſu, quo accipitur à S. Bonauentura, vt ſupra probatum eſt, quia eſt quidem ex principijs appropriatis conſtituentibus indiuiduum ſtrictè acceptum; ſed non eſt id penes quod attendatur vniuerſaliter vnitas, & ſingularitas rerum; nam præciſè per ſuā entitatem ſunt ſingulares, & indiuiſę in ſeipſis, ac diuiſæ à quolibet alio, quod haberent, etiamſi per impoſſibile non daretur materia. Imò in conſtantibus materia, indiuiduatio non eſt à ſola materia, ſed etiam à forma, & ad auctoritatem Philoſophi apparenter contrariam reſpōdet S. Bonau. in 2. ad finem primæ partis, per illam non probari quod materia ſit principium indiuiduationis, niſi fortè vt cauſa ſine qua non, cum tota cauſa ſit etiam à forma, intellige in corporeis conſtantibus materia & forma, quæ vnita cōſtituunt Indiuiduum propriè dictum; Incorporalium enim carentium materia phyſica, quæ eſt principium tranſmutationis ad inuicem, indiuiduatio eſt ipſa ſimplex entitas phyſica, licèt metaphyſicè compoſita ex poſſibilitate, & actu, qui eſt multiplex ex S. Bonauentura in 2. diſt. 3. p.p.a.1.q.1. Cùm verò componentia quælibet habeant ſuam vnitatem, & indiuiſionem in ſe, ac diuiſionem à quolibet alio à ſe diſtincto, conſequēter ipſa ſunt indiuidua, ideſt ſingularia à ſeipſis formaliter: quod fateri cogūtur quicunque rationem indiuiduandi aliunde quærunt, ſiue à forma ſubſtātiali, ſiue ab exiſtentia, ſiue à materia ſignata; nam pręter alias difficultates, quibus omnes illæ ſententiæ premuntur, vt videre eſt apud Suar. in Metap. diſp. 5 per varias ſectiones, vna eſt cōmunis omnibus, quod tandem illę rationes quæcumque ſint, ſingulares ſunt, & indiuiduæ, & non per aliquid à ſe diſtinctum, ne detur proceſſus in infinitum: igitur tales ſeipſis ſunt, ideſt per proprias entitates, vt cenſet S. Bonau. ſupra tam de indiuiduis propriè ſumptis, vt ſunt compoſita ſubſtantialia; quàm latè, vt ſunt partes, & accidentia, quæ ſicut habent ſuas entitates diſtinctas, ita & ſuas vnitates, & ſingularitates intrinſecas.

Ex ijs propoſitionibus *S. Bonauenturæ* probari poteſt principalis noſtra aſſertio, quod Angeli ſint multiplicabiles in eadem ſpecie, quam communiter probant Theologi à contraria diſcedentes, qua impugnatione fundamenti eius; qua petitione aſſignationis implicantiæ, quam oſtendi non poſſe contendunt; ſed præterea ex principijs Seraphici Doctoris probari poteſt.

Primò quia in corporalibus vel eſt vna, & eadem ſpecie materia, qualis eſt ſublunarium, & hæc indifferens eſt ad plures formas eiuſdem ſpeciei, ac proinde ad conſtituenda plura indiuidua numero tantùm differentia, in quo non eſt difficultas apud Philoſophos: Vel materia eſt diuerſæ ſpeciei, vt de corporibus cœleſtibus cenſet S. Thomas, & hanc diuerſitatem non eſſe impedimento multiplicationi indiuiduali tum ex alio capite, tum ex eo patet, quod poſſet à Deo, vel ab Angelo diuidi corpus cęleſte in varias partes, & ex diuiſione plura conſurgerent indiuidua eiuſdem ſpeciei: Vel materia accipitur metaphyſicè ſecundùm eſſentiam abſtractiſſimam, vt dicit poſſibilitatem ad plures compoſitiones ex diuerſis actibus iuxtà ſuperiùs notata ex S. Bonauent. agnoſcente illam etiam in Angelis, & hæc poſſibilitas extendit ſe ad plures formas ſpecificas, etiam per te illas concedētem de facto, cur igitur non ſe extendat ad plura indiuidua eiuſdem ſpeciei? Quia ad hæc, inquis, requiritur materia vel ſimpliciter, vel ſignata. Siquidem ea ſublata omnis diſtinctio rerū eſt formalis, ideſt eſſentialis. Sed de hac ratione infra ſuo loco agetur, interim non ſatiſfacit argumento à paritate, quia ſicut materia phyſica eſt indifferens ad plures ſpecies, & indiuidua eiuſdem ſpeciei; ita poſſibilitas, ſiue indifferentia ad plura compoſita, & ad plures actus, ſe extendit ad plura indiuidua eiuſdem ſpeciei.

Si diuideretur Cœlū resultarent tot indiuidua, quot partes diuiſæ.

Dices rurſus non ſe extendere ad plura talia, quia ſunt impoſſibilia. Contra quia poſſibilitas iſta ſe extēdit

vni. quod ſi eſſent plures nullus eorũ eſſet Deus, quia nullus eſſet ſummum bonum, à quo omnia, & ad quem omnia; & tamen ex ſuppoſitione quilibet eſſet Deus, atque ita Deus, & non Deus.

Ratio petita à ſummo bono.

Hinc infertur, quod Deus ſolus eſſentialiter eſt hic, & immultiplicabilis; quod ſolus eſt actus purus, & ſimplex omnis compoſitionis expers, infinitè perfectus, ac iccircò vnus, quæ nulli creaturæ conueniunt, vt ſupra.

Quod autem ſit numerus perſonarũ in ipſo non obſtat, ſed potius confirmat ſententiam communem; nam ſi in primo ente increato cum vnitate naturæ ſtat trinitas perſonarum, quæ realiter cum ipſa identificatæ, inter ſe diſtinguuntur, cur non ſit poſſibilis pluritas indiuiduorum in eadẽ ſpecie conuenientium, & inter ſe per proprias entitates, & naturas ſingulares differentium?

Confirmatur, quia incredibile eſt, quod à Diuina omnipotentia non potuiſſent produci Angeli ſimiles ſpecie in locum malorum angelorum, ſi eos annihilare voluiſſet, ſed neceſſario reproduci debuiſſent illi ijdem, qui annihilati fuerant ex ſuppoſitione, quod voluiſſet Deus conſeruare ſpeciem; licèt difficultas hæc deuoretur à Caietano. Sed S. Bonau. in 2. diſtinct 3 p.p.a. 1 1. q. 1. maximè mouetur ad adſtruendam multitudinem numericã angelorum auctoritate Scripturæ teſtantis plures angelos ad idem officiũ ordinari, ex quo colligit numericam diſtinctionem ſub eadem ſpecie argumento probabili, quo vniuerſaliter ex operatione eadem colligitur identitas ſpecifica operantis, probabili, inquam, nam aſſiſtere Deo, miniſtrare Deo, & ſimilia, quæ tribuuntur angelis in ſcriptura poſſunt cõuenire angelis diuerſæ ſpeciei, ſicut multi actus hominum beatorum erga Deum conueniunt genere cum actibus angelorum ſpecie diſtinctorum. Sed ad pulchritudinem, & plenitudinem aulæ cœleſtis Regis decens fuit cõuenientia ſpecifica operationum, ac proinde indiuiduorum illas elicientium. Ad quod caput operationis pertinet, quod Deus poteſt creare duos angelos eiuſdem virtutis motiuæ, & æqualiter potentes facere aliquid, v. g. mouere Cœlos æquè velociter, ergo & eiuſdem ſpecie naturę. Præter hoc argumentum probabile habemus illud palmare, quod nulla non ſolùm contradictio in hoc apparet, ſed nec vlla ratio efficax cogit ad negandum, quod talis multitudo numerica cõtineatur intra limites diuinæ omnipotentiæ, vt apparebit ex ſolutione argumentorum, quæ inſeruiet pro valida cofirmatione noſtræ ſententiæ.

CONFIRMATVR

Sententia S. Bonauent. ex ſolutione argumentorum contrariæ.

CAP. XXII.

I. *An verum ſit dictum Ariſt. quod materia eſt principium indiuiduationis.*

II. *Examinantur alia dicta ab eodem ad idem probandum.*

III. *Soluuntur alia argumenta ſequentia ex dictis Ariſt.*

IV. *Et præter hæc reſpondetur alijs recentiorum.*

V. *Et celebre dictum ab anima rationali ſi creari poteſt vna eſſentialiter.*

PRIMVM, ac celebre eſt ex auctoritate Ariſtot. qui non ſemel principium indiuiduationis conſtituit in materia prima accidentibus deſignata. Referunt loca Thomiſtæ, & noſtri recentiores, Suar. diſp 35. Metaph. citat. Fonſeca tom. 2. l. 5. Metaphyſicorum cap. 6. quæſt. 4. & alij, qualia ſunt præter allata ſupra pro ſentent. S. Thomæ ex 12. Metaph. c. 8. t. 49. vbi concludit primum motorem eſſe vnũ, quia caret materia. & 1. Cœl. c. 9. non poſſe dari alium mundum, quia hic mundus totam materiam complectitur, ex quibus inferunt in entibus immaterialibus non dari plura numero ſub eadem ſpecie in ſententia Ariſtot. Ariſt.

Reſpondet S. Bonau. in 2. diſtinct. 3. p.p.a. 2. q. 1. ad argumen. negando aſſumptum illud vniuerſaliter acceptũ, quod materia ſit principium indiuiduationis, *Multitudo, inquit, per ge-*

Digitized by Google

ita in accidentibus locum non habet, quorum eſſe diſtinguitur ratione ab eſſentia, hoc eſt eſſe actuale, & indiuiduale à ſpecie, & genere, & cum in ijs ſit multitudo numerica, cur non ſit etiam in ſubſtantijs? Siquidem omnia hæc abſtrahunt à materia phyſica, neque dici poſſit indiuiduationem ſumi à ſubiecto loco materiæ in accidentibus cum ipſum ſit indifferens ad plura numero, & non determinatiuum ad hæc potius, quàm ad alia. Denique admiſſa poſſibilitate prædictæ multiplicationis in materialibus, negatur hoc aſſumptum, & reſpondetur eſſe fundamentum in omnibus diſtinguendi per rationem eſſe ab eſſentia, & illud poſſe deficere, ac reparari idem ac diuerſum numero à Deo, qui ſolus eſt ens neceſſarium, primum independẽs, Actus purus, & cum ſit omnipotens non limitatur virtus eius infinita ad producẽdum hoc ſolum indiuiduum, & non aliud cum nulla appareat repugnantia in natura ſpecifica quod communicetur pluribus, ſicut neque quod ſit connexa eſſentialiter cum vna tantùm hypoſtaſi. Quod ſi diuina potentia eò ſe extendit, vt eandem naturam phyſicè acceptam poſſit ſupernaturaliter vnire hypoſtaſi alienæ, quod eſt opus excelſum, ac mirabile, cur dicamus eſſentiale eſſe eidẽ conſideratæ ſecundùm abſtractionem ab indiuiduis communicari poſſe vni tantùm ipſorũ, & non pluribus? vel quid cogit in anguſtias redigere mentem, ne poſſit apprehendere naturam ſecundùm ſe, niſi ſimul indiuiduationem, quæ conceptum eſſentialem ingrediatur?

In omnibus creatis eſt fũdamentum diſtinguendi eſſe ab eſſentia.

Præter auctoritatẽ Philoſophi alias rationes affert Caiet. locis ſuperius citatis ad eam explicandam, & ſuam interpretationem, ſed potiſſima eſt quæ ducitur à diſtinctione formali, ſeu quæ prouenit à forma, quam dicit eſſe ſpecificam, & eſſentialem, inferens Angelos differre inter ſe eſſentialiter, quia cum careant materia tota differentia vnius ab alio eſt eſſentialis, quia tota eſt à forma; quod fundamentum variæ proponitur ab aduerſarijs, conuenientibus in concluſione de impoſſibilitate numericæ multitudinis ſub eadem ſpecie.

Verùm enim verò eſt magna æquiuocatio in terminis, & exigua vis in illatione. Primò namque in angelis non eſt forma ſi propriè ſumatur forma, vt eſt pars phyſica concurrens cũ materia, quam informat ad compoſitum conſtituendum, quia angelus eſt ſubſtantia ſimplex, hoc eſt libera ab hac compoſitione, & ſolùm habet cõpoſitionem ex actu, & potentia iuxta dicta ex S. Bonauentura ſupra: igitur propoſitio illa quod differentia prouenìens à forma eſt eſſentialis, ſolùm valet in compoſitis phyſicis conſtantibus materia, & forma, in quibus ex nullo alio capite conſurgit differentia eſſẽtialis vnius ab alio diuerſę ſpeciei, quàm à forma. Deinde ad hominem iuxta viam thomiſticam in cœleſtibus corporibus materia eſt diuerſæ rationis à ſublunari, ideo non ſola forma facit differentiam eſſentialem inter ipſa, & hæc inferiora, ſed totum compoſitum, quod nihil habet commune ſuſtantiale cum illis: vniuerſaliter igitur verum eſt differentiam eſſentialem ſumendam eſſe ab entitate rei, quæ ob rationem particularem attenditur penes formam dumtaxat in materialibus eadem materia conſtatibus; quamuis etiam in ijs comparatis cum immaterialibus ratio differentię eſt à toto cõpoſito deſumenda. Tertio. Vndecumque demum ſumatur differentia ſpecifica, gratis dicitur quod in angelis, tota perfectio ſpeciei reſideat in ratione indiuidali, ita vt non ſit illa communicabilis pluribus, ſicut neque eſt iſta; Vnde enim conſtat quod natura Gabrielis, exempli gratia, ita ſit limitata ad ipſum in indiuiduo, vt implicet fieri alterum participantem eandem, ſicut Petrus participat eandem ſpecie naturam cum Paulo? Dicere enim quia caret materia, quæ, eſt principium indiuiduationis eſt reddere pro ratione id quod negatur: Recurſus verò ad formam tanquam ad fontem diſtinctionis formalis, & eſſentialis, eſt dare arma aduerſario non agnoſcenti aliam formam in angelo, quàm eſſe angeli, quod complectitur rationem ſpecificã diſtinctam ſolùm per intellectum à ratione indiuiduali; & quærẽti cur illa ſpecies dicatur tota conſiſtere in vno indiuiduo, & non ſit multiplicabilis in pluribus, nec datur reſpon-

Non valet argumentũ ductũ à forma, vt diſtinctiuo formali in Angelis.

ponſio, in qua non petatur principiũ, & aſſumatur pro fundamento id quod eſt controuerſum, negaturque communiter. Cum ex alia parte vrgeat argumentum contendens non eſſe negandum diuinę omnipotentię, quod viri ſapientes, ob rationes validas concedendum putant.

CII. Per hæc patet reſponſio ad confirmationem quod formæ ſubſiſtentes ſint quidditates, quæ non poſſunt multiplicari, quin multiplicentur ſpecies, Peto enim quid intelligas per quidditatem; Si enim reſpondeas eſſentiam à te intelligi, rurſus quæro cur illa quidditas, ſiue eſſentia, ſiue natura multiplicari nequeat in indiuiduis, ſicut multiplicantur formæ ſubſtantiales, velut animæ v.g.? & cur tota hæc eſſentia limitetur ad vnum indiuiduũ; Si verò per quidditatem intelligas definitionem, multiplicas verba, quia definitio propriè eſt oratio explicans rei eſſentiam, & de illa quæro cur limitetur ad explicandum vnum indiuiduum, & non poſſit applicari pluribus ſimilibus: & idem eſt ſi pro definitione accipias definitum.

Adde quod formę ſubſiſtentes non benè vocantur quidditates formaliter loquendo, quia licèt realiter quidditas ſit idem quod res actu exiſtens; tamen ratione diſtinguitur, quia concipitur abſtractè ab indiuiduo, & quæſtio eſt an ab vno ſolùm contrahi poſſit, quod tu affirmas; alij negant, non videntes vllam implicantiam, aut argumentum illam demonſtrans.

Nec valet argumentum ductum ab ordine. Minùs vrget quod perfectus ordo tribuendus ſit cœleſtibus, & proinde qui ſit purus, & non mixtus ex ordine per ſe, qualis eſt inter ſpecies; & ordine per accidens, qualis eſt inter indiuidua, ex Ariſtotele ibi citato. Nam primò ſequeretur quod in Cœlo nulla eſſet multitudo rerum conueniẽtium in ſpecie infima, contra dicta ſuperiùs. Deinde quod hac poſita, eſſet aliqua inordinatio, hoc eſt carentia ordinis perfecti, qualis eſt ordo per accident inter indiuidua eiuſdem ſpeciei per te; ſicut ergo admittuntur ibi indiuidua eiuſdem ſpeciei in accidentibus; ita & admittenda ſunt in ſubſtantijs citra vllum inconueniens; Imò ob maximam conuenientiam ſupra allatam à S. Bonauentura. Tertiò Ariſtoteles, cuius auctoritati tota vis argumenti nititur cap illo 10. libri 8. Metaph. nihil habet de triplici illo ordine. Quartò etiamſi in indiuiduis ordo eſſet per accidens; tamen hic maximè deceret ciuitatem Hieruſalem ſupernam, in qua omnia ordinata ſunt, quia ſicut vniuerſaliter duplex eſt ordo naturæ, qui dicitur inſtitutus; & iuſtitiæ qui dicitur acquiſitus à S. Bonauentura in 2. diſt. 46. a. 1. q. 6. ita in propoſito eſt ordo naturæ in angelis tam reſpectu communis principij à quo pendent omnes, & ad quod ordinantur; tum comparatione vnius cum altero, quia vnus eſt altero nobilior intra eandem ſpeciem, vt ſupra dictum eſt; atque adeo eſt ordo præcedentiæ, ac dignitatis; Tum ratione iuſtitiæ, quę complectitur gratiam, & gloriam, quæ iuxta merita collata eſt, ac proinde maior vni, quàm alteri; Tum ratione Miniſterij gratiæ, & gloriæ, quod eſt multiplex, & ſufficiens ad conſtituendos ordines, & hierarchias, ſicut in Republica Eccleſiaſtica ſufficit ad cõſtituendos varios gradus dignitatum, quæ eſt ſimilitudo S. Bonauenturæ ſupra. Et hic ordo per accidens à te nominatus non dedecet ordinatiſſimam ciuitatem ſupernam, & ab omnibus eſt admittendus, etiam qui negant ibi multitudinem numericam eiuſdem ſpeciei angelorum, & non negant tamen hierarchias tres in nouem ordines diſtributas. Igitur ex hoc capite nihil probatur contra ſententiam S. Bonauenturæ, & qualis tandem eſt ſpeculatio de ordine per ſe, & de ordine per accidens, quæ collata cum diuina omnipotẽtia limites illi ponat, ne poſſit pro libito immutare, aut illum negligere, & contra eius exigentiam operari ſi velit? aut quomodo oſtenditur repugnantia, & contradictio ex poſitione angelorum eiuſdem ſpeciei, niſi quia per te eſſet ordo per accidens inter illos, & hoc dato non ritè infertur, ergo eſt impoſſibilis multiplicatio prædicta in angelis, contra me negantem hanc ſequelam, & oppoſitionem contradictoriam inter prędictos terminos. Minùs etiam vrget quod multiplicatio indiuiduorum detur ob ſucceſſiuam conſeruationem ſpe-

ſpeciei in eorũ productione, ac proinde in angelis qui ſunt natura ſua incorruptibiles non datur hæc multitudo, quia tota ſpecies conſeruatur in vno. Nam in primis S. Bonau. in 2. diſt. 3. p. p. a. 2. q. 1. reſpondens huic inſtantię, ait, Ille non eſt finis multiplicationis ſucceſſiuæ; Sed ratio potiſſima multiplicationis in hominibus, & in angelis eſt diuinæ potentiæ, & ſapientiæ, & bonitatis declaratio &c. ſuperius relata. Deinde dato quod hic ſit finis in ſublunaribus, non poteſt inferri quod propter alios fines non ſit poſſibilis multitudo numerica in cœleſtibus. Tertiò quanuis ſucceſſiua productio eſſet intenta ob conſeruationem ſpeciei non implicat eius conſeruatio in pluribus indiuiduis, ſi Deus velit ea producere, ſicut & poteſt alia producere, ſi vellet illa annihilare, nõ ſolùm alium Solem, & aliam Lunam, ſed etiam alium angelum, vt ſupra.

CIII. Præter rationes Thomiſtarum affert ſuas ad illorum opinionem confirmandam P. Granadus controuerſia ſeptima tract. 1. diſp. 4. à n. 9. Primò quia angeli proximè inter omnes creaturas accedunt ad Deum, & ſimilitudine referunt eius ſimplicitatem, ergo ſicut ille ob ſuam perfectiſſimam actualitatem non eſt multiplicabilis, ita neque angelus. Deinde quia differentia numeria eſt infima inter gradus metaphyſicos, ergo ſumitur ex infimo gradu inter partes phyſicas, quia gradus Metaphyſici proportionantur phyſicis, infimus autem inter phyſicos eſt materia. Tertiò addi poteſt ad confirmationem, quod in ſerie prædicamentali, quæ metaphyſicè diſponitur, indiuiduum eſt primum ſubiectum, & proinde proportionatum materiæ, quæ eſt primum ſubiectum ex quo fiunt ſublunaria, & recipiuntur formæ.

Argumenta P. Granadi pro Thomiſtis. Granad.

Reſpondeo in primis nullum ex ijs, & ſimilibus argumentis habere vim ad inferendam concluſionem hanc, ergo implicat multitudo angelorum eiuſdẽ ſpeciei infimæ. Deinde hoc patet ex eorum ſolutione.

Ad primum negatur ſequela, quia in hac ſimilitudine ſtat infinita diſtantia inter creaturam quamlibet, & creatorem, vt S. Bonauentura in 1. diſt. 3 p. p. q. 2. ad arg. & ideo non valet argumentum à proprietatibus Dei ad creaturas; alioqui valeret Deus ob ſuã ſimplicitatem eſt immultiplicabilis ſecundùm ſpeciem, ergo etiam angelus. Deinde ex ſupradictis cõſtat rationes, quibus S. Bonauentura probat Deum eſſe vnum, & non poſſe multiplicari non habere locum in angelis, ac proinde non valere comparationem hanc petitam à ſimilitudine ſimplicitatis Dei quæ infinitè diſtat à ſimplicitate angeli, & magis eſt diſſimilis, quàm ſimilis.

Ad ſecundum reſpondeo primò per inſtantiam nam materia prima eſt indiuidua, & non per ordinẽ ad aliã materiam; Accidentia item angeli ſunt ſingularia, & non per ordinem ad partes phyſicas, igitur gradus metaphyſici non ſumuntur ſemper penes eaſdẽ partes, ſed ſufficit ſola rei entitas diuerſimodè conſiderata, vt diſtinguantur in ea gradus iſti generis, ſpeciei, indiuidui, vt ſupra dictum eſt, & ſcitè declarat Gaſtaldo ibid. ar. 2. controu. 3. ideo negatur quod differentia indiuidalis ſit infima, quaſi ante illam nullum ſit indiuiduum, ſicut ante differẽtiam ſpecificam nulla eſt ſpecies infima, nam ante indiuiduationem concipitur hęc animalitas, hæc differentia ſpecifica, puta rationalitas; & ante hoc compoſitum, eſt hæc materia, & hæc forma, quæ vnitæ conſtituunt indiuiduum, cuius ratio, ſeu gradus metaphyſicus ſumitur ab vtraque, & phyſicè, ac realiter non diſtinguitur ab vtriſque vnitis.

Ex quo patet ad confirmationem, illa enim ſimilitudo inter indiuiduum, & materiam non eſt ratio ſumendi numericam diſtinctionem à materia, ſiquidem latiùs illa patet, quàm materia, vt conſtat ex dictis præterquam quod differentia indiuidualis non debet dici infima ob ſimilitudinem cum materia ignobiliore quàm ſit forma, ſiue quia materia communicatur multis formis ad componenda varia indiuidua; ratio autem indiuidualis eſt incommunicabilis; ſiue quia hæc limitat naturam ſpecificam, & non debet dici ignobilior eò quod ſit vltima, ſicut neque ſpecies comparata ad genus dicit debet ignobilior illo,

Sed etiamſi in aliquo ſenſu verum eſſet quod res materiales præberent fundamentum intellectui faciendi illas abſtractiones, & gradus metaphyſicos, numquid propterea vniuerſaliter ex mentis conceptionibus ſumitur validum argumentum impugnandi poſſibilitatem indiuiduorum eiuſdem ſpeciei in angelis, & limitandi infinitam Dei potentiam ad vnum numero, aut, Ariſtotelica ſpeculatio communiter reiecta quatenus ab immaterialibus arcet poſſibilitatem hanc cogere Theologum debet ad negandam eandem, & redigere ad has anguſtias, vt ſolùm ſit poſſibilis Sol, qui actu exiſtat, & angelus, qui de facto mouet Cœlum, ita vt ſi deſinat cõſeruare illum Deus, nequeat ſimilem ſpecie reproducere: quæ poſitio verbis ſignificantibus carpitur à S. Bonauentura in 2. ſæpiùs citato; quæ quia illi viſa eſt repugnare SS. Patribus, & Scripturæ, non indiget moderatione, quam Bannes 1. p. q. 50. a. 4. optare sè profitetur in Sãcto.

Argumentum petitum ab Anima rationali.

CIV. Reliquum eſt argumentum, in cuius ſolutione inſtituitur integra quæſtio à recentioribus, quia poſſibilis eſt aliqua natura, quæ ſit eſſentialiter hæc numero, & implicet multiplicari; ergo non eſt cur negetur de facto talem eſſe angelicam, cuius multitudo ſpecifica magis, aut certè non minùs oſtendit potentiam Dei, & aulæ Cœleſtis pulchritudinem, quam numerica; Sequela patet, antecedẽs probatur, quia poteſt Deus creare animam aliquam rationalem, quæ ſit hæc numero eſſentialiter, & immultiplicabilis; Nulla enim apparet in hoc repugnantia, ideo auctores habet ſui defenſores, qui tales de facto eſſe ſingulos angelos affirmant quos ſupra retulimus. Tractat in terminis quæſtionem hanc præter cæteros ſapientiſſimus P. Franciſcus de Lugo l. 3. de angelis diſp. 2. cap. 3. citatque varios doctores in vtranque partem, propendẽs ipſe in affirmatiuam.

P. Franc. de Lugo.

Non eſt poſſibilis anima rationalis eſſentialiter vna numero.

Sed conſequenter ad dicta tenendũ cenſeo negatiuam cum Suario, Molina, Vazq., Val. ibi relatis ob rationes à S. Bon. adductas ad probandã multiplicabilitatẽ, quæ parũ valerent ſi poſſibilis eſt aliqua natura creata immultiplicabilis. Deinde quia omnis natura creata conſtat genere, & differentia ſpecifica, de ratione autem illorum eſt abſtrahere ab indiuiduis; & de genere quidem in comperto eſt quod ex ſua definitione prędicabile eſt de pluribus differentibus ſpecie, & proinde indifferens eſt ad illa; ſi enim per impoſſibile vna ſola ſpecies eſſet poſſibilis, tolleretur natura generis, & prædicabilitas de pluribus ſpeciebus: Igitur à paritate tolleretur natura, & definitio ſpeciei, quia eſt prædicabilitas de pluribus indiuiduis, quæ aſſeris eſſe impoſſibilia.

Et ne videatur reſponſio niti abſtractionibus, & noſtris conceptibus, vbi agitur de omnipotentia Dei, addo tertiò rationem theologicam, quia vnitas naturæ diuinæ non minus eſt propria Dei, quàm Trinitas perſonarum, in quibus ſubſiſtit, ſicut ergo non eſt poſſibilis natura creata ſubſiſtẽs in tribus perſonis, & illis identificata; ita impoſſibilis eſt vnitas indiuidualis eſſentialiter identificata cum natura, quia tam eſſentialis naturę eſt Dei propria, quàm Trinitas perſonarum, & vtraque incommunicabilis creaturæ, idque ob ſummam ſimplicitatem, ſummam bonitatem, vt S. Bonauentura ſupra, quæ ſunt incommunicabiles.

Dei vnitas incommunicabilis creaturæ, ſicut & Trinitas.

Dices ſimplicitatem talis indiuidui in natura eſſentialiter vna, non eſſe ſummam, eò quod habet varias compoſitiones actuum, accidentium &c. ob quæ naturæ ſubſiſtentia differt ab vnitate, & ſimplicitate diuina; ſed hoc non obſtante maximè ad eam accederet ſi eſſet immultiplicabilis, & non apparet impoſſibilitas eius. Reſpondeo ex hoc primùm argui quod cum creatura conſtet varijs compoſitionibus, vt diximus, conſequens eſt, vt ſimul annexam habeat potentialitatẽ ad plures differentias indiuiduales, ſicut enim defectus ſummę ſimplicitatis Dei propriæ, excludentis omnem prorſus compoſitionem in cauſa eſt quod quælibet creatura non poſſit nõ conſtare diuerſis compoſitionibus, ita non eſt ratio cur excludatur compoſitio ex potentialitate, & capacitate indiui-

diuidualitatum diuerſarum. Hicque valet regula poſterioriſtica, ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis; Summa enim Dei ſimplicitas eſt cauſa cur natura, & eſſentia eius eſt vna eſſentialiter, incommunicabilis pluribus indiuiduis numero diſtinctis ab ipſa. Ergo, & negatio ſummæ ſimplicitatis eſt cauſa cur creatura non ſit vna numero eſſentialiter, & immultiplicabilis: Atque ita apparet implicantia, quia eſſet creatura ex ſuppoſitione, & non creatura quia eſſentialiter vna, & incapax multitudinis numericæ, & nullius ſpeciei, vtpote carens eſſentiali prædicato, quæ eſt prædicabilitas de pluribus numero differentibus.

Confirmatur reſponſio, quia ita proportionaliter ſe habet natura ad indiuiduationes tanquam ad actus eã perficientes formaliter, ſicut ſe habet intellectus determinatus ad vnum numero actum, ſed hic eſt impoſſibilis; ergo & natura determinata eſſentialiter ad vnam numero indiuiduationē. Maior patet à paritate, quia tam natura capax eſt indiuiduari à differentia indiuiduante, quàm intellectus capax eſt perfici à ſua operatione, & potentiam habet illam eliciendi. Minor probatur, quia dato quod intellectus determinaretur ad vnum obiectum, vt cenſent aliqui eſſe poſſibile, tamen poſſet diſcontinuare actum, ſaltem per Dei potentiam cum illo concurrentis, & rurſum renouare interruptum, & ita multiplicare actus numero diuerſos, neque poſſibilis eſt intellectus, qui ita nequeat operari, quia hæc eſt natura eius, ergo & idem iudicium eſt de natura reſpectu indiuidualitatum.

Concluſio igitur eſto multiplicabiles eſſe angelos ſecundum ſpecies diuerſas, & ſub vnaquaque ſpecie non repugnare pluralitatem numericam; in quo ſi ſermo ſit de potentia abſoluta non diſcrepant Sancti Doctores Bonau. & Thom. vt explicatur à pluribus Thomiſtis; licèt de facto magna ſit inter ipſos diſſenſio, ſiquidem Seraphicus in diuerſitate graduum, & excellentiæ tam naturæ quàm gratiæ agnoſcit idemtitatem ſpecificam; Angelicus ſolùm genericam de facto: quam ſententiam, vel ſola Auctoris grauitas reddit probabilem; ſed nos ne à via, quam ſemel iniuimus, deflectamus priorem defendimus.

In quo conueniunt S. Bonau. & S. Thom.

Deinde non ſolùm indiuidua multiplicabilia eſſe in infinitum, ſed & ſpecies angelorum, & rerum aliarum, puta ſubſtantiarum. & accidentium, proinde etiam animarum rationalium iuxta probabilem ſententiam, quam ex recentioribus defendit P. Arriaga tom. 2. in D. Thomam. diſp. 4. ſect. 1. ſubſect. 4. contra Suar. l. 1. de Ang. c. 12. n. 8. Cuius tamen rationes nō euincunt, & aliquæ præmiſſæ n. 4. ad probandam diuerſitatem ſpecificam angelorum accomodari poſſunt animarum etiam poſſibilitati. qualis eſt quod mirabile videatur, quod in omnibus inferioribus rerum gradibus potuerit Deus tot rerum ſpecies producere. & in ſupremo gradu intellectuali vnam tantùm ſpeciem in ſuo ordine cōpletam creare valuerit &c. idem enim dicam de anima rationali, quod cum tam multas animarum ſpecies in genere tam vegetatiuarum, quam ſenſitiuarum de facto produxerit, mirabile videri poteſt quod ad vnam ſolùm ſpeciem rationalium adſtricta ſit infinita eius potentia, non obſtante quod anima ſit ſubſtantia incompleta, & forma dicens ordinem ad materiam, ſicut non obſtat in alijs animabus, neque item obſtat quod ſit ſpiritualis, & ſimplicior reliquis animabus, ſiquidem angeli magis ſpirituales, ac ſimplices ſunt, & tamen multiplex eorum ſpecies, vel producta, vel producibilis eſt: cur non igitur & animæ? aut vnde repugnantia oſtenditur?

Omnes rerū ſpecies multiplicitatem admittunt indiuiduorū

Dices cum Suario quod anima rationalis eſt alterum extremum totius latitudinis gradus intellectus, infimus, ac extremè à Deo diſtans, inter quæ extrema medius eſt angelus, ex quo infert, quod ſicut diuina natura eſt immultiplicabilis ob ſummam eius perfectionem; angelica eſt multiplicabilis ſpecie, quia hæc limitatio accomodata eſt imperfectioni eius, comparatiuè videlicet ad ſuperiorem ſubſtantiam; ita animæ rationali ob ſuam limitationem in poſtremo gradu intellectiui repugnat multiplicabilitas ſpecifica.

Confirmatur quia anima eſt forma cor-

Digitized by Google

corporis, & media ſenſatione cognitionem acquirit abſtrahendo ſpecies à ſenſibilibus, qui modus cognoſcendi valde determinatus eſt, & incapax varietatis ſpecierum.

Et quidem P. Arriagæ loco cit. videtur potius hinc colligi contrariũ, quia ex eo quod Anima eſt infimi gradus inter ſubſtantias intellectuales poteſt illo perfectior produci. Verùm hæc inſtantia parum Suario incommodat; vel enim loquitur arguens de perfectiore gradu in vniuerſum, & concedit Suar. dari angelicum: vel de perfectiori in particulari, vt complectitur animas, & petit principium, aſſumitque pro probatione id quod eſt in quęſtione, an ſit poſſibilis varietas ſpecifica illarum, & arguit quod in hoc infimo gradu ſit illa admittenda, quæ eſt propoſitio negata à Suario.

Defenſio Suarij.

Reſpondeo igitur ad argumentum eius negando ſequelam; ſicut enim ipſe negat ſequi ex eo quod detur ſuprema ſubſtantia incommunicabilis ſpecie, & numero; infimam ſpiritualem communicabilem ſolùm numero, dari mediam, quæ ſit communicabilis diuerſis ſpeciebus; ita & ipſi negatur ex ea comparatione ſubſtantiarum intellectualium ſequi quod ordo infimus admittat ſolùm varietatem indiuiduorum, non autem ſpecierum; quia nulla ratio euincit oppoſitum, & hic agitur de omnipotentia Dei extendente ſe ad omnia, quæ non implicant, quo argumento ipſe etiam vtitur ad oſtendendum quod ſint poſſibiles eiuſdem ſpeciei, & diuerſarum, Angeli.

Ad confirmationem, poſſunt dari diuerſi modi cognoſcendi differentes ſpecie, iuxta diuerſitatem animarum, non ſolùm pendentium à ſenſibus; ſed etiam independenter à ſenſibus, ſi vnirentur corporibus inſenſibilibus, quo modo à Platone luminaria Cœli animalia cæleſtia dicebantur, vt S. Aug. lib. 10. ciuit. refert. Nec enim deſunt infinitæ Dei ſapientiæ modi concurrendi cum animarum diuerſarum intellectibus ad cognitiones varias ſine ſenſationibus iuxta eorum exigentiam, ſicut de facto concurrit cum tãta multitudine angelorum ſpecie differentium in ſententia probabili, vel poteſt concurrere in recepta communiter, quod ſint poſſibiles plures ſpecie diſtincti, ac proinde ſpecificè diſtinctas operationes habentes. Quod ſi de facto dantur operationes ſenſitiuæ internæ differentes ſpecie in ſerie animantum, & omnes pendent à ſenſibus externis, cur non poſſent dari operationes intellectus differentes ſpecie in animabus ſpecie diuerſis etiamſi penderent à ſenſibus, citra quam tamen dependentiam ſtat hæc poſſibilitas, vt dictum eſt.

Quibus poſitis confirmata manet aſſertio ſupra comprobata de poſſibilitate viſionum beatarum ſpecie diſtinctarum, cum hnic conueniant rationes de poſſibilitate angelorum, & animarum ſpecie diſtinctarum, tam ex parte Dei omnipotentiæ, quàm ex parte obiecti in quo non apparet contradictio.

SECVNDA PARS DISPVTATIONIS PRIMAE

DE ADIVNCTIS VISIONIS

Beatæ antecedentibus, comitantibus ac ſequentibus.

Talia ſunt ſpecies impreſſa diuerſimode repræſentatiua Dei, cui reſpondet expreſſa, & alia quæ in indice operi præpoſita numerantur.

AN REPVGNET SPECIES

Impreſſa repræſentatiua intuitiuè diuinæ eſſentiæ.

CAP. I.

I. Species impreſſa quid ſit, & quomodo differat ab expreſſa.

II. Variæ ſententiæ, & cuius ſit S. Bonauentura oſtenditur ex varijs eius locis.

III. Probatur rationibus eius poſſibilitas.

IV. Cap. ſequenti reſpondetur varijs implicantijs tam veterum, quàm recentiorum adductis à contraria ſententia.

I. DICO diuinæ eſſentiæ, quia infra quæram, an etiam exiſtentiæ: dico, intuitiuè, quia diſputandum etiam eſt, an dari poſſit ſpecies, quæ abſtractiuè repræſentet eandem. Sed ante omnia recolendum breuiter, quòd fuſiùs tractatur in lib. de Anima, quòd ſpecies impreſſa ſit ſimilitudo quædam repræſentatiua obiecti, cuius dicitur vicaria, tenens ſe ex parte eius, quia concurrit loco eius, ſed afficiens intellectum, & reddens illum potentem in actu primo ad actum ſecundũ eliciendum: nam vt S. Auguſt. 9. de Trin. cap. 12. loquitur, *tenendum eſt, quòd omnis res, quamcumque cognoſcimus, congenerat in nobis notitiam ſui, ab vtroque enim notitia paritur à cognoſcente & cognito &c.* Per ſpeciem videlicet ſui. Vnde & ſemen obiecti dicitur, & ob id ponitur, vt vniat illud intentionaliter potentiæ, & adſimilet, ac proportionatam reddat; quę munera colligunt, & variè explicant Philoſophi ex Ariſtotele 3. de Anima t. 37. vbi dicit, dari intellectum, qui ſit omnia, & facit omnia, quatenus videlicet facit ſibi ſpecies rerum, quibus informatus dicitur fieri omnia ob ſimilitudines omnium quæ intelligit, & præhibet illas intellectioni veluti formas obiectorum; non enim, inquit, lapis in anima, ſed forma 3. de Anima t. 38. quod clariùs explicat Sancto Auguſtino libro 10. Trin. c. 5. & libro 11. cap. 4. vt Sancto Bonauentura in 2. diſt. 7. a. 2. q. 3. Et dicuntur communiter impreſſæ quia ob obiectis medijs ſenſibus, & phantaſia imprimuntur potentiæ intellectiuæ, ſicut ceræ imprimitur figura annuli, quæ eſt comparatio Ariſtotelis de mem. & reminiſc. c. 2. & l. 2. de Anim. t. 121. licèt à Theologis ſpecies impreſ-

S. Aug.

Ariſt.

Anima entia quodammodo eſt omnia Ariſt.

ſæ angelis à Creatore hac etiam appellatione veniant, vt idem S.Bonauent. in 2. diſt.3. p.2. a.2. q.1. ad diſtinctionem ſpeciei expreſſæ, quã exprimit intellectus, & eſt ſimilitudo repræſentans formaliter obiectum; cũ impreſſa repræſentet ſolùm virtualiter, ac efficienter, præſtando munia, quæ numerauimus. Dicitur autem à pleriſque hæc ſpecies expreſſa ſimilitudo, ſeu vitalis imago, quæ ad differentiam ſpeciei obiectiuæ, quæ appellatur ſimilitudo quæ, ſeu medium, in quo, nimirum quod cognitum ducit in cognitionem rei, quam repræſentat, vt eſt imago Cæſaris, ex.gr. quæ eſt ſimilitudo realis in eſſendo & repræſentando, cum aliæ duæ ſint intentionales, & ſolùm in repræſentando. Vide Suar.l.2. de Attrib. negat. c.13. Quæſtio igitur præſens non eſt de ſpecie expreſſa, ſeu intellectione, quia certum eſt dari viſionem beatam Dei ſub ijs terminis, licet in explicando, quid ſit, & quomodo diſtincta à termino, ſeu verbo diuerſæ ſint ſententiæ. Neque item quærimus de ſpecie obiectiua, quam negant de Deo poſſe dari Theologi cõmuniter, afferuntque rationes varias, & illam potiſſimùm, quæ dicitur ab infinita diſtantia inter Deum & creaturas omnes, quarum propterea nulla eſt, in qua cognita videri poſſit clarè Deus, quamuis poſſit ænigmaticè, & obſcurè; ſi enim nullum corpus dari poteſt ita perfectum, vt intuitiuè repræſentet angelum qualis eſt in ſe; quanto minus dari poteſt creatura repræſentans Deum in eſſendo: ſiquidẽ magis in infinitum diſtat eius eſſentia increata à creatura, quam diſtet Angelus à corpore; quo ſenſu dixit S.Bonauentura in 1.diſt. 3.p.1.a.1.q.2. ad arg. nec à toto mundo poſſe repræſentari. At de ſpecie impreſſa, qua, ſeu per quam clarè, & intuitiuè videtur eſſentia, cuius eſt vicaria; an ſit poſſibilis, diſſentiunt inter ſe Theologi.

Dari nõ poteſt ſpecies obiectiua clare Deum repræſentãs

Prima ſententia tenet, impoſſibilem eſſe ſpeciem hanc impreſſam. Communis eſt inter Thomiſtas citantes S. Thomam 1.p.q.12.a.2.& 3.cont.gent. c.49.& alibi, Caiet.Ferrar.ibi, Capr.in 4.d.49 q.5. & quãuis inter ipſos Thomiſtas varietas ſit interpretationum Doctoris Sancti, tamen maior pars affirmat ipsũ loqui de ſpecie impreſſa quam putant in eius ſententia repugnare; & ita explicant S Thomam ex noſtris Suar multis locis, ſed potiſſimũ lib.2, de Attrib. negatiuis c 13. num.7. Salaſ.c.2. tract.2. diſp.5. ſect.2. a 32.ad 15. Faſol.in 1.p.q.12. dub.11. num 39. Recupitus 1.p.q.21.c.1.& alij apud ipſos variè S.Doctorem explicantes, & poſſibilem talem ſpeciem cõtra ipſum defendentes.

Prima ſent. negat poſſibilem eſſe ſpeciem impreſsã Dei.

Suar. Sal. Faſol. Recupy.

Secunda ſententia omninò oppoſita admittit de facto ſpeciem impreſsã in viſione Dei rationes refert, ac reijcit Durand in 4 diſt.49.q.2. à n.11. huius auctores multos, & famoſos Theologos appellat Henric.p.p.ſummæ a.33 q.2.& quodl 4. q.7. à quibus tamen ipſe diſſentit, probabilem tenet Rica. in 3.diſt.14.a.1. q.3. vocans ſpeciem inchoatiuè concurrentem, & incompletè,& alij apud Recentiores citatos, quibus non adnumero Vazq.in 1. par. q.12. diſp. 43.c.7 aſſerentem lumen gloriæ de facto habere rationem ſpeciei impreſſæ, quia etiamſi hoc admitteretur, adhuc remaneret quæſtio de poſſibilitate ſpeciei impreſſæ in ſenſu, quo cõmuniter accipitur ſpecies impreſſa à Theologis diſtinguentibus ipſam à lumine, & à S.Bonau.in particulari, qui de facto concedit lumen gloriæ, per quod intellectus fit deiformis, & aſſimilatur Deo; negat autem ſpeciem impreſſam, licèt multa tribuat lumini, quæ conuenirent etiam ſpeciei, ſi produceretur.

2. Sent. affirmat eſſe poſſibilem, & de facto dari.

Durãd. Henric. Ric.

Vazq.

Tertia ſententia negat de facto dari ſpeciem impreſſam, concedit de poſſibili, Suar. lib.2.de Attrib.negat c.13. n.11. Salaſ.1.2.tractat.2. diſp.5. ſect.2. n.13. Faſol.1.p. q.12. dubit. 10. citans alios multos veteres, ac recentiores. Eſt communior inter Noſtros, licèt P. Recupitus loc.cit. ſtrenuè pugnet pro prima ſententia.

3. Sent. negans de facto, concedens de poſſibili.

De D. Bonauenturæ ſententia non conſtare, vel ex eo manifeſtũ eſt, quòd non ſolùm noſtri inter ſe certantes ad ſe trahere conentur; ſed etiam pauci, quos habet Interpretes contraria penitus ipſi tribuunt, nam Petrus Trigoſus in ſumma Theologica q.7.a.1-dub. 6. concl. 2. ait expreſsè negari ab illo poſſibilitatem ſpeciei impreſſæ, ſicut negatur à S.Thoma. Contrarium defendit

Digitized by Google

ſendit Franciſcus Longus in ſua ſumma q.27. dub.4. artic.1. concl.4. & Io. Maria Zamorus in diſputationibus Theologicis tract.2.q.7. a.1. ſect.3. 4. Cum iiſdem ſentio, conformius eſſe doctrinæ S. Bonauenturæ non implicare talem ſpeciem, ideo pro explicatione, & probatione vnica ſit.

Aſſertio.

II. POſſibilis eſt ſpecies impreſſa, quę inſeruiat intellectui ad videndũ clarè, & intuitiuè Deum. quod cohęreat doctrinæ S. Bonauenturæ probatur, quia in 1.ſentent.diſt.2.par.prima artic.1. quæſt.1. ad vlt. hæc habet. *Dicendum, quod Deus eſt præſens ipſi Animæ, & omni Intellectui per veritatem, & ideo nõ eſt neceſſe ab ipſo abſtrahi ſimilitudinem, per quam cognoſcatur; nihilominus dum cognoſcitur ab intellectu, intellectus informatur quadam notitia, quæ eſt velut ſimilitudo quædam non abſtracta, ſed impreſſa inferior Deo, quia in natura inferiori eſt; ſuperior tamen anima, quia facit ipſam meliorem, &c.* Comparat hic Doctor Seraphicus ſpeciem, quam vocamus impreſſam, ipſe vocat abſtractam ab obiecto, videlicet cum expreſſa ab eo nominata impreſſa nimirum intellectui inhærẽte, & ab eodem immediatè;ab obiecto verò mediatè cauſata, & veluti impreſſa; & hanc quidem aſſerit, eſſe neceſſariam ad videndum Deum, quia eſt ipſa viſio, ſeu notitia, qua attingitur Deus, ſicut cum sẽſibus corporum attinguntur corpora, fit aliqua ſimilitudo in animo, quæ eſt operatio ipſa, ſiue ſenſatio ex Auguſt.9.Trin.cap.11. Illam verò ſolum dicit non eſſe neceſſariam, ex quo colligi non poteſt, quod ſit impoſſibilis: quam multa enim non ſunt neceſſaria, de quibus tamen dici non poteſt, quod ſint impoſſibilia? Rectiùs colligitur, S. Doctor ſolum aſſerit, nõ eſſe neceſſariam hanc ſpeciem, ergo putauit, non eſſe impoſſibilem; alioqui non dixiſſet, non eſſe neceſſe abſtrahi, ſed impoſſibile. Similia habet in 2.diſt.3.p.2.a.2.q.2.ad arg.

Cohæret aſſertio doctrinæ S. Bonau.

Confirmatur ex eodem articulo, & quæſtione primi ſentent.cit.ad primũ vbi diſtinguit cognitionem de Deo in appr. henſionem, & comprehenſionẽ, *& ad primum, inquit, requiritur propoſitio conuenientiæ, & talis eſt in anima reſpectu* Dei. *quia quodammodo eſt anima omnia per aſſimilationem ad omnia, quia nata eſt cognoſcere omnia, & maximè eſt capax* Dei *per aſſimilationem, quia eſt imago, & ſimilitudo* Dei. *Quãtùm verò ad cognitionem comprehenſionis requiritur proportio æqualitatis, & talis non eſt in anima, reſpectu* Dei, *quia anima eſt finita, ſed Deus eſt infinitus, &c.* Ex quibus primo arguitur, quod Dei infinitas, quæ eſt cauſa diſtantiæ infinitæ in eſſendo à creatura, non obſtat quo minus detur actus cognoſcẽdi ipſum clarè, & intuitiuè, qualis eſt in Anima informata lumine; cur igitur obſtabit, nè detur ſpecies ſubſeruiens eidem animæ, quæ concurrat cum illa ad elicẽdam viſionem modo proportionato ipſi animæ, quæ Deum quidẽ infinitum videt, ſed finitè, cum ſit limitatæ perfectionis; aut cur non poſſit dari ſimilitudo finita repræſentans infinitum obiectum finitè? Implicantiæ afferri ſolitæ infra oſtenduntur in ſual dæ.

Cognitio apprehenſiua, & comprehenſiua.

Deindè arguo ex dictis Seraphici Doctoris, anima aſſimilatur ad omnia, quia nata eſt cognoſcere omnia, & per cognitionem, quę eſt ſpecies expreſſa, repræſentat omnia, quæ intelligit, ac proinde etiam ipſum Deum, vt in 3. diſt.14.a 1.q.1.in reſol.ergo ſi de facto repræſentatur Deus per ſpeciem expreſſam, cur non etiam de poſſibili repræſentari poteſt per impreſſam? non enim hoc repugnat ex parte obiecti, quod cum ſit infinitum, immenſum, &c. non poteſt habere ſimilitudinem ſui, quia ſpecies expreſſa eſt vitalis ſimilitudo, & clariùs repræſentatiua, quàm impreſſa, & tamen datur de facto, quia non eſt neceſſaria adæquatio cognitionis ad Deum cognitum, qui ſolùm à ſeipſo eſt adæquatè cognoſcibilis per comprehenſionem modo ſuæ naturæ conuenienti, vt S. Bonau.in 1. cit.diſt.3 a.1.q.1.ad arg. & q.2. ad arg. & in 3.diſt.14.a.1.q.2.

Adde, quod ex eodem S.Bonauent. & communi Theologorum datur lumen gloriæ, per quod anima fit deiformis, vt loquitur in 3. ſent diſt.14. a.1. q.1.ad arg. & fit potens videre verbum poterit ergo creari ſpecies à lumine diuer-

Digitized by Google

diuerſa, quæ iuuet potentiam ad eliciendam viſionem. Cur enim definiatur diuinæ omnipotētiæ vnus modus, qui de facto eſt videndi Deum, & excludantur omnes alij, ita vt nullus admittatur poſſibilis, quo intellectus reddatur potens videre in actu primo? aut ſi admittantur alij, cur non & per ſpeciem? Neque incongruè hic accōmodaueris, quod habet ead.diſt.a.2.q.1.ad arg. *Aſſimilatio, inquit, quæ ſufficit ad cognitionem non tantùm eſt per ſpeciem acceptam à re, vel etiam per ſpeciem appropriatam ipſi rei, verùm etiam per aſſimilationem ad illud, quod eſt ratio cognoſcendi cætera, &c.* vbi ſpecies appropriata cadit commodè in impreſſā, ſi creatur.

Non reſtringenda Dei potentia ad eum, qui de facto eſt viſionis modū

Confirmatur ex doctrina tradita in 2.diſt.7.a.1.q.1. ad vltimum p.2. *Quædam, inquit, ſunt, ad quæ tam agens, quàm poſſibilis intellectus eſt in potentia, quia ſunt ſupra poſſe creaturæ, &c.* ſed intellectus eſt agens ad eliciēdam viſionem, ergo & poſſibilis ad recipiēdam ſpeciem, ratione cuius receptionis dicitur poſſibilis, & potens omnia fieri ex Ariſtotele, iuxta explicationē S.Bonauenturæ.

Dices, diſparitatem eſſe inter ſpeciē impreſſam, & alia accidentia ſupernaturalia tam exiſtentia, quàm poſſibilia, quia talis ſpecies arguit in ſuo conceptu aliquam imperfectionē in Deo, hoc eſt defectum intelligibilitatis, quā ipſa ſuppleret, quia per te redderet proximè intelligibilem, ergo deeſſet illi hæc intelligibilitas, quā daret ſpecies impreſſa; at verò ſpecies expreſſa eſt tantum denominatio extrinſeca Deo, & nihil addit intrinſecum, vocatur enim intellectus ab extrinſeca intellectione hominis, vel Angeli cognoſcentis.

Reſpondeo, concedo cum S. Bonauentura in 1.diſt.3. cit.a.1.q.1. Deum eſſe in ſeipſo ſummè cognoſcibilem, neque per vllum additamentum reddi poſſe magis cognoſcibilem: ſed nego, quod ſpecies impreſſa illi adderet aliquid intrinſecum, quia tantum adderet denominationem extrinſecā, ſicut additur ab expreſſa: quemadmodum enim extrinſecè denominatur cognitus ab actu intellectus cognoſcentis; ita diceretur cognoſcibilis tali modo ab intellectiua potentia informata ſpecie impreſſa, & ſicut de facto cognoſcibilitas vt ſic, dicit intrinſecè ipſum eſſe Dei, & connotat potentiam cognoſcentem, ita data hypotheſi ſpeciei impreſſæ, diceret in recto eſſe Dei, & in obliquo connotaret eandem potentiam informatam ſpecie. Et idē eſt de amabilitate, quæ intrinſecè dicit bonitatem, & extrinſecè voluntatem, vel actum amandi, neque per hoc quod ſit magis amabilis, & amatus per actum ſupernaturalem procedentem à gratia, & caritate, vel à potentia naturaliter operante, accipit aliquid ab amante, vt S. Bonauentura in 3. diſt. 14.a.1.q.3. ad arg.

Secundo, Ibidem q.1.ad vltimum. *Si aliquis, inquit, intellectus videt aliqua in verbo cognitione gloriæ, & deſinat videre Verbum, non memoratur de cognitione illarum rerum, niſi eatenus, quatenus memoratur de cognitione Verbi, niſi alias habuit cognitionem illarum rerum impreſſam, vel niſi Deus ei diſpenſatiuè imprimeret, &c.* Ex quibus patet primò, quod remaneret memoria cognitionis rerum in Verbo, ac proindè euidentis cognitionis Verbi. Secundò, quod poſſet Deus imprimere ſpecies rerum viſarum in Verbo, & non apparet, cur non etiam ſpeciem cognitionis præteritæ? Cur igitur non ſit etiam producibilis ſpecies eſſentiæ? Probatur.

Tertio principaliter Aſſertio, quia nihil denegandum eſt diuinæ omnipotentię, quod non probatur in ſe implicare contradictionem; at hæc non probatur de ſpecie impreſſa, vt apparebit ex ſolutione earum, quæ ſolent afferri, ergo.

Dices, infirmum eſſe id genus argumentandi ad probandum intentum; nā ſic valeret dicere de qualibet herba, quod ſit ſanatiua morbi cuiuslibet, quia non apparet de hoc contradictio, & in promptu eſt dicere, quia neque appareat in hircoceruo, quem tamen chimericum dicimus ac impoſſibilem.

Contra in primis eſt communis modus defendendi quædam fidei myſteria per ſolutionem argumentorum, quæ afferuntur in contrarium, & oſtēſionem non implicantiæ, & in eo vim

ſuam

vim ſuam agnoſcunt Theologi, vt probent, non eſſe contra rationem, licèt ſint ſupra rationẽ, ſicut docet S. Thomas l. 5. cont. gent. c. 7. ideoque ſoluunt difficultates in contrarium, vt videre eſt apud S. Bonauent. pluirib. locis, pręſertim in 3. diſt. 1. Vice verſa ad cognoſcendam implicantiam, inſeruiunt regulæ, quas tradidi tom. 1. diſp. 1. c. 3. & plurimùm ex doctrina S. Bonauent. ex quibus patet implicatio hircocerui quia eſſentiæ ſunt ſicut numeri, conſiſtuntque in indiuiſibili, & ideo in terminis repugnat hircoceruus, quia ex ſuppoſitione eſſet hircus, & ceruus, ex conſecutione neque hircus, neq; ceruus, quæ ſtatim lumine naturali cognoſcuntur impoſſibilia, quod Seraphicus Doctor vocat cõtra illuſtrationem æternæ veritatis loc. cit. S. Thom.

Deinde non proponitur argumentum ita crudum, non apparet implicantia, ergo poteſt à Deo fieri; ſed adſunt rationes probabiles, & auctoritates ſapientum id perſuadentes; & ex alia parte non oſtenditur implicantia, ergo nõ eſt denegandum diuinæ omnipotentiæ: quem modum argumentandi conſonum eſſe doctrinæ Patrũ, ac Scripturæ, fusè oſtendimus primo tomo.

Porrò rationes probabiles multæ afferuntur, ſed illa in primis efficax eſt, de ſpecie expreſſa, quæ ex communiori ſententia, & in primis S. Bonau. paulo ante citati de facto datur, ex quo arguitur poſſibilitas impreſſæ; & quanti illa ſit roboris, infra melius explicabitur; interim confirmari poteſt ex eo, quod datur lumen propheticũ adeo perfectum, vt reddat certum illum, cui infunditur, quòd moueatur à Deo, vt D. Thom. 2. 2. q. 173. a. 4. c. et proinde ſit oſtenſiuum exiſtentię Dei; datur item lumen gloriæ oſtendens clarè eſſentiam; cur igitur dari non poſſit ſpecies, per quam repræſentatur clarè eſſentia? Sunt enim hæc omnia eiuſdem ordinis, et perfectionis finitæ.

Quod autem non appareat vlla implicantia productionis talis ſpeciei probatur ex ſolutione facili earum, quæ afferri ſolent ab aduerſarijs, et prolixè oſtenduntur inualide à recentioribus, præſertim à Faſolo loco citato, et Aloyſio Torriano in opuſculo Theol. diſp. 1. ſparſim. Nos præcipuas ſeligimus, et ſoluimus.

RESPONDETVR

Implicantijs à contraria Sententia adductis contra poſſibilitatem ſpeciei impreſſæ.

CAP. II.

PRIMA eſt. Cognitio per ſimilitudinem eſt per ſpeculũ in ænigmate ex Auguſt. lib. 15. Trin. c. 9. ergo non poteſt eſſe clara, & intuitiua, quæ ſit per ſpeciem, quæ eſt ſimilitudo quædam. Secunda per ſpecies rerum inferioris ordinis cognoſci non poſſunt ſuperiora ex Dionyſio de diu. nom. c. 1. v. g per ſpeciem corporis eſſentia rei ſpiritualis, ergo neque per ſpeciem creatam eſſentia increata cognoſci poteſt. Tertia, Deus eſt actus puriſſimus, & ſuum eſſe per eſſentiam ſubſiſtens, qualis nulla creatura eſſe poteſt, ergo neque repræſentatiua illius eſſe. Patet ſequela, quia inter repreſentatiuum, & repræſentabile requiritur ſimilitudo, hic autem nulla eſt, ſed potius sũma diſſimilitudo. III.

Ad idem facit, quòd diuina eſſentia eſt illimitata continens in ſe ſupereminenter quicquid perfectionis eſſe, vel intelligi poteſt; non ergo à Creatura repræſentabilis eſt, quæ limitata eſt, & finitæ perfectionis: quæ rationes videntur ſupponere fundamentum allatum à Durando in 4. diſt. 49. cit. quòd ſpecies ſit eiuſdem rationis cum obiecto, quod repræſentat, proinde quod nulla poſſit dari obiecti increati, infiniti, plus diſtantis à creatura qualibet, etiam ſpirituali, quàm diſtet hæc a corporali.

Quod ſi dicas ſufficere, vt ſit eiuſdẽ rationis, ideſt, vt ſit proportionata in repræſentando, non ſatisfacis, quia ad hoc requiritur aliqua ſimilitudo inter obiectum, & ſpeciem, cuius proprium eſt reddere potentiam intellectiuam in actu primo potentem intelligere, quod ſit per ſimilitudinem, qua dicitur fieri omnia, quia aſſimilatur omnibus, quæ intelligit, at nulla poteſt eſſe talis ſimilitudo inter Deũ, & creaturam

eſt cognoſcere omnia, & maximè eſt capax Dei per aſſimilationem ad omnia, quia nata eſt cognoſcere omnia, &c. quod verum eſt, quia per ſpeciem impreſſam, vel aliquid illi æquiualens aſſimilatur in actu primo obiectis, & per intellectionem aſſimilatur in actu ſecundo, quia habet vitalem imaginē exprimentem immediatè obiecta, quę cognoſcit, vt ſupra dictum eſt. Quòd ſi quæras, quę ſit iſta conuenientiæ proportio, declarat in ſequentibus, diſtinguendo duplicem diſtantiam in ratione nimirum entis, & cognoſcibilis, & primo modo plus diſtat verum increatum ab intellectu creato, quàm quodlibet intelligibile creatum à ſenſu, ac ſenſibili, non item ſecundo modo, quia in ratione cognoſcibilis, & cognoſcitiui magis conueniunt ens increatum, ac infinitum, & intellectus creatus, quàm ſenſus & intelligibile quodlibet. Similia habet S. Thomas q. 8. de Ver. à 1. c. S. Thom.

Ad confirmationem, ſicut illa calculatio non probat infinitatem in ſpecie expreſſa, neque in lumine gloriæ, ita neque in impreſſa, reſpondetur enim negando ſequelam, quia ratio infiniti non attenditur per comparationem ad extrinſeca, ſed per intrinſecam perfectionem, quæ talis eſſe debet, vt deſignanti partes, ſeu gradus eius ſemper remaneant plures, & plures in infinitum æquales, quod in nulla creatura reperitur; neque in ſpecie eſt neceſſaria, vt repræſentet obiectū infinitum, quod patet ex dictis. Si autem ea argumentatio valeret, ſequeretur, quòd cognitio Dei eſſet infinitè perfecta, quia eò eſt nobilior, quò nobilioris obiecti, ac proinde quod infiniti, eſſet infinita: & quòd homo ex. gr. eſſet infinitè perfectus, quia perfectior eſt quocumque aſſignabili animali non rationali. Certè Ariſtot. 3. Phyſ. t. 63. Infinitum illud eſſe, ait, cuius ſecundùm quantitatem accipientibus ſemper eſt extra accipere &c. quæ definitio conuenit etiam infinito habenti quantitatem virtutis, hoc eſt gradus perfectionis virtualiter ſaltem diſtinctos. In alijs vbi non eſt hæc perfectio, calculatio ſolùm probat perfectionem altioris ordinis, quæ in ſe finita eſt, vt enucleatius oſtendo in quæſito de vi argumenti calculatorij infra.

Alijs implicantijs à Scholaſticis adductis reſpondetur.

PLurimæ afferri ſolent, quibus ſatisfieri poteſt ex dictis; nituntur enim principijs, quæ tam facilè negātur, quàm ſecurè aſſumuntur. Tales ſunt apud Henricum 1. p. ſum. n. 33. q. 2. & in quodl. 4. p. 7. IV.

Primò ſequeretur, quòd Angelus naturaliter videret Deum, quia naturaliter videret ſpeciem illam repræſentatiuam eſſentiæ diuinæ, vt eſt in ſe.

Reſpondetur primo per inſtantiam ſpeciei expreſſę, quæ eſt perfectior ſimilitudo, quàm impreſſa. Deinde negando ſequelam; ſiue enim naturaliter illa ſpecies ſit cognoſcibilis ab Angelo, ſiue non, adhuc illa viſa per gratiæ auxilium, non videretur eſſentia diuina clarè, ſed ſolùm abſtractiuè, & tanquam terminus, cui repræſentando illa inſeruit intellectui, quem informat, non cuius eſt obiectum cognitum: neque enim ſe haberet vt imago in ſpeculo repræſentans rem, cuius eſt imago expreſſa, quia non eſſet ſimilitudo in eſſendo, ſed ſolùm in repræſentando inadæquatè, vt dictum eſt, & ideo illa viſa, ſolùm videretur Deus vt terminus, ſicut videtur de facto in creatura vt efficiens, & finalis cauſa eius ex S. Bonauentura in 2. diſtinct. 3. a. 2. q. 2. Et quamuis hoc haberet ſingulare illa ſpecies, quòd informaret intellectum, vt peculiaris ſimilitudo, tamen non repræſentaret clarè Deum ſed abſtractiuè, ſicut relatio cognita repræſentat terminum, dato quòd ab angelo cognoſceretur, quo caſu eſſet obiectum immediate cognitum, & Deus mediatè; cum tamen munus eius eſſet, ſicut & aliarum ſpecierum, vt incognita concurreret cū intellectu ad cognitionem immediatā Dei, vt vel hinc appareat, inualidam eſſe inſtantiam impugnantium hanc ſpeciem ex eo quòd Dei cognitio per illam eſſet mediata; eſt enim medium vt quo immediatè attingens obiectū.

Secundo. Quod ſpecies ſit purior, & magis immaterialis, quàm obiectū, quod

quòd repræſentat, aut ſaltem æquè immaterialis. quia continet illud in eſſe intelligibili, & ideo nulla ſpecies materialis poteſt repræſentare angelum, vt eſt in ſe; nulla autem ſpecies poteſt eſſe æquè immaterialis, ac eſt Deus, & ſemper ab illo magis diſtaret, quàm ſpecies materialis ab angelo.

Reſpondetur, ſi per eſſe immateriale intelligatur deputatio à materia, ſpecies illa omnino careret materia, ſicut & obiectum eius. Si verò intelligatur elongatio ab omni potentia, & ſimplicitas quoad eſſe, ſpecies illa, ſicut & Creatura quælibet comparata ad Deũ mixta eſt alicui potentialitati; ſed hoc non obſtat, quò minùs ſit repræſentatiua, quia non requiritur ad hoc æqualitas quoad eſſe, ſed ſufficit conueniẽtia proportionis quoad eſſe cognoſcibile, vt ſupra ex S. Bonauentura, & hæc eſſet in ſpecie impreſſa poſſibili, ſicut de facto eſt in expreſſa, non autem eſt in ſpecie materiali reſpectu angeli, quia obiectum ſpirituale eſt extra latitudinem potentiarum materialium, vt aliàs oſtendimus.

Tertio. Illa ſpecies, vel emanaret naturaliter à Deo, vel libere, & vtrouis modo repræſentaret omnes diuinas perfectiones, quia cum ſit eſſentię, vt in ſe eſt, non magis repræſentaret vnam perfectionem, quàm aliam, atq; adeo vel repræſentaret omnes, & cõprehenderetur Deus à Creatura, quòd eſt impoſſibile; vel nullas, atq; ita nõ eſſet ſpecies, quia nec repræſentatiua.

Reſpondetur, quòd procederet libere, quia nullam Creaturam Deus producit neceſſariò, & repræſentaret omnes perfectiones, quia & totum Deum, ſed non totaliter, ſicut de facto intellectus Beati videt totum Deũ, ſed non totaliter, & ideo non comprehendit, vt S. Bonauentura in 1. diſt. 3. a. 1. q. 1. ad arg. & fuſiùs in 3. diſt. 4. a. 1. q. 2. quia ad comprehenſionem, ſiue totalitatem cognitionis requiritur intellectus æqualis perfectionis cũ obiecto, qualis ſolus eſt diuinus, de quo infra; interim quòd petit argumentum, ſpecies illa apta repræſentare omnes perfectiones, determinabitur à concurſu diuino ad has potius diſtinctè repræſentandas, quàm alias, ſicut de facto eſſentia, quæ ſecundùm S. Thomam fungitur vice ſpeciei, repræſentat has potiùs, quàm alias ex eodem concurſu, niſi velis dicere, quòd poteſt fieri talis perfectionis indiuidualis, vt has potius, quàm alias repræſentet, vt Suar. cenſet de lumine gloriæ: Sed hoc non eſt conforme doctrine S. Bonau. in 3. diſt. 14. a. 2. q. 1. ad arg. aſſerentis verbum eſſe rationem cognoſcendi ſe, & alia in ſeipſo tanquam ſpeculo voluntario, & quia eſt exemplar voluntariè repræſentans; ideo repræſentat pro ſuo placito hæc potiùs quàm alia, quæ determinatio in re eſt à concurſu ad hæc potiùs, quã ad alia, & non à lumine indifferente ad omnia.

Quarto. Species illa concurreret effectiuè ad viſionem beatam, quod eſt impoſſibile, non minus quàm quod Creatura concurrat ad gratiam, quæ eſt beatitudo inchoata.

Reſpondetur primò per inſtantiam. lumen enim effectiuè concurrit ad viſionem in ſententia communi. Deinde directè negatur antecedens: licèt enim impoſſibile eſſet, Creaturam concurrere ad gratiam vt Cauſam efficientẽ, de quo infra; tamen adhuc eſſet diſparitas, quia viſio non excedit limites potentiæ vitalis eleuatæ lumine, ac proinde poteſt eſſe ſecundum vitalitatem à potentia, & alijs principijs ipſam perficientibus, inter quæ ſunt ſpecies impreſſæ commenſuratæ ipſi, & actui ab ipſa mananti; Gratia autem, quæ eſt participatio diuinæ naturæ, non apparet cui alteri principio actiuo ſit commenſurata, quod compleri queat per eleuationem ad eſſe cauſæ principalis; nam inſtrumentaliter de facto producitur à Sacramentis in ſententia defendente phyſicum eorum concurſum.

Et quamuis aliqui cum Salas 1. 2. tract. 2. diſp. 5. ſect. 2. n. 38. putent ſpeciem dicendam cauſam principalem, & alij cum Suar. 1. p. tract. 1. l. 2 c. 12. vocent inſtrumentalem; ego tamen iuxta dicta 1. tom. diſp. 3. c. 1. puto eſſe mixtum genus cauſę, partim conueniens cum principali, quatenus habet intrinſecam virtutem operandi cum intellectu, qualem non habent Sal. Suar.

bent

Digitized by Google

bent inſtrumenta artis, v. g. pennicillus ad pingendum, & moralia, vt ſyngrapha ad debitum exigendum, vt ſoluatur, partim cum inſtrumentali animata, ad quam reducitur vt ipſi ſubordinata, quatenus illi inſeruit, & eſt veluti ſemen obiecti ad pariendam viſionem, quomodo ſemen dicitur inſtrumentum viuentis ad producendũ ſimile viuenti, cui deſeruit, ita tamen vt habeat intrinſecam virtutem effectiuam, & ſit principium geniti efficiens, vt Ariſt. l. 1. de part. an. c. 1. in quo apparet altera ſimilitudo cum ſpecie, quia ſicut viuens, à quo eſt ſemen non concurrit immediatè ad generationem, ita nec obiectum poſita ſpecie ad cognitionem; ſed ſola potentia cum ſpecie, atque adeo ſi Deus ſpeciẽ ſui produceret, eſſentia, quæ modò habet ſe vt ſpecies non concurreret obiectiuè immediatè, ſed ſola ſpecies cum intellectu, & concurſu vniuerſali ad omnia neceſſariò.

Quinto. Illa ſpecies non vniret obiectum potentiæ, quia Deus ſeipſo vnitur, nec redderet illud proportionatum potentiæ, quia Deus ſeipſo eſt intelligibilis, neque ad hoc indiget vllo extrinſeco.

Confirmatur, quia de ratione ſpeciei eſt, vt ſit obiecti abſentis, implicat autem, Deum eſſe abſentẽ à creatura vlla. Addunt alij ſaltem debere eſſe indifferẽtem ad obiectum abſens, aut præſens repræſentandum, quod nulli ſpeciei creatæ conuenire poteſt, quia Deus omnibus præſens eſt.

Reſponſio patet ex dictis, Deus ens eſt vbique per eſſentiam, ſed non vbique intelligibiliter; ad hoc enim requiritur vnio peculiaris cum intellectu, ratione cuius intercedat ſimilitudo requiſita in actu primo, ad hoc vt conſtituatur proximè potens exire in ſecundum.

Et quamuis Deus ſeipſo ſit intelligibilis ſummè, quia ſumma lux; tamen defectus eſt ex parte potentiæ, vt nõ intelligat clarè niſi eleuata, vt S. Bonauent. in 1. diſt. 3. cit. poſita autem eleuatione extrinſece denominatur Deus intelligibilis, ſicut & intellectus poſita intellectione. Ad huiuſmodi etiam argumenta valet diſtinctio intelligibilitatis ſecundùm ſignificatum intrinſecum, quod eſt entitas diuina, & ſecundum connotatum extrinſecũ, à quo ſit denominatio formalis & extrinſeca; primo modo Deus de ſe, & per ſe eſt intelligibilis: ſecundo non item, quia denominatio illa eſt à potentia, & actu intelligendi, ſicut ſupra dicebamus de amabili, & amato in ordine ad voluntatem, & actum eius: quod eſt exemplum allatum à S. Bonauentura in 3. diſt. 14. a. 1. quęſt. 3. ad arg.

Ad confirmationem negatur Aſſumptum; vnde enim habes, quod ſit de ratione ſpeciei repræſentare obiectũ abſens? an non Angelus, & Anima per ſpeciem, ſi daretur, ſua intrinſeca intelligerent? Ex quo etiam patet, quòd neque requirit indifferentiam prædictam. Imo de ratione ſpeciei eſt, vt faciat præſens intelligibiliter obiectum, etiamſi alioqui eſſentialiter eſſet præſens: vnde infert S. Bonauentura in 3. diſt. 14. a. 1. q. 1. ad arg. quòd Deus licèt intimè præſens omnibus, à multis tamen nõ cognoſcitur per hoc quod vnitur in vnitatem perſonæ, ſed per hoc quod intellectus animæ ſibi vnitæ efficitur ei conformis per influentiam luminis. Non eſt de ratione ſpeciei repræſentare obiectum abſens

Neque implicantiæ recentiorum euincunt impoſſibilitatem ſpeciei impreſſæ.

V.

Ex noſtris adhærentibus ſententię Thomiſtarum conatus eſt P. Recupitus oſtenſa inualiditate argumentorum quà veterum, quà recentiorum ad oſtendendam repugnantiam ſpeciei impreſſæ alias afferre ſuo iudicio validiores, noſtro non item.

Prima eſt. Implicat dari accidens ſubiectiuum, quod nullius ſit ſubiecti perfectiuum, ergo & dari accidens obiectiuum, id eſt tenens ſe ex parte obiecti, quod non ſit perfectiuum obiecti, talis autem eſſet ſpecies impreſſa Dei, qui tamen à nulla creatura eſt perfectibilis. Antecedens probatur, quia accidens eſt eſſentialiter perfectio ſubſtantiæ. Sequela patet à paritate, quia ſicut illud ordinatur ad perfectionem ſubiecti, ita & hoc ad perfectionem obiecti.

Reſpondeo, accidens obiectiuum non addere perfectionem intrinſecam obie-

obiecto, quomodo enim ſi eſt extrinſecum, perficiat intrinſecè obiectum, à quo dimanat? ſupponit quidem perfectionem in ipſo, ratione cuius procedit; ſed illam non auget intrinſecè: diſparitas ab accidente ſubiectiuo eſt, quia hoc intrinſecè inhæret ſubiecto; illud verò non inhæret in obiecto, ac proinde cum intrinſecè non afficiat, neque intrinſecè perficit: neq; hoc ſignificat commune effatum Philoſophorum, ac Theologorum aſſerentium, ſpeciem ſe tenere ex parte obiecti, quamquam enim hoc negatur à quibuſdam recentioribus; tamen retenta communi, quod ſpecies gerat vicem obiecti, & ſit velut eius ſemen, ac inſtrumentum, adhuc non ſequitur, quod ſit eius perfectio, ſed effectus potius præſtans illud, quod efficeret obiectum, ſi ſeipſo intelligibiliter vniretur intellectui: ſic in propoſito ſi produceretur ſpecies expreſſa, præſtaret vel totaliter, vel partialiter, iuxta diuinum beneplacitum totum id quod facit modo eſſentia, quę ſe habet vt ſpecies impreſſa, ſed illud eſſet miraculum, & ideo de facto non datur, quia connaturalius ſupplet diuina eſſentia. Non dico, fore eandem numero actionem à ſpecie, quæ eſſet ab obiecto, quia variato Agente, variatur actio, ſed eandem ſpecie.

Inſtabis, quia omne accidens eſt perfectiuum alicuius ſubſtantiæ, ergo etiam illa ſpecies accidētalis perfectiua eſſet ſubſtantię alicuius, non creatæ quia huius indigentia expletur per lumen; non Dei, quia perfici vlteriùs nō poteſt infinities infinitè perfectus ergo non eſt poſſibilis.

Reſpondeo, ſpeciem illam eſſe perfectiuam intellectus, in quo reciperetur, nullo autem modo obiecti, qui eſt Deus; denominatio enim illa intelligibilis per ſpeciem, non eſt quid intrinſecum Deo, ſed mere extrinſeca habens pro fundamento ipſum eſſe Dei, vt connotat potentiam intellectiuam, vel actum extrinſecum; neque enim ad hoc vt repræſentet Deum in actu primo, vel ſecundo, afficere debet illum, ſed ſufficit, ſi terminetur ad illum, vnde & dicitur accidens obiectiuum diſtinctionis gratia ab accidentibus, quæ non reſpiciunt terminum extrinſecum, ſed ſolum ſubiectum, cui inhærent, ne fiat quæſtio de vocabulo obiectiui, quod reijcitur ab alijs negantibus dari vllum accidens obiectiuum inauditum antiquitati.

Quòd autem de facto compleatur potentia à lumine, non probat impoſſibilitatem ſpeciei, primo quia diuina eſſentia nūc ſupplet vicem ſpeciei, iuxta ſententiam S. Thomæ, & tamen nō eſt ſuperfluum lumen; neque igitur ſuperfluum eſſet ipſum, vel ſpecies, ſi hæc à Deo produceretur. Deinde vt probetur poſſibilitas, amoueatur lumen, & ſufficiens erit ſpecies, quæ poterit eſſe tam perfecta, vt eleuet potentiam, ſicut modo eleuatur à lumine. Tertio. Siquidem non implicat Deum videri ſine lumine, & huius cōcurſum ſuppleri à concurſu Dei, ſuppleret tunc, & ſimul cum ſpecie concurreret ad viſionem procedentem à ſpecie vt inſtrumento Dei, non qualicumque, ſed proportionato ad producendam cum potētia ſpeciem expreſſam repræſentatiuam Dei, qui eſſet modus peculiaris, diſtinctus ab omni alio alterius inſtrumenti libere aſſumti, non habentis ex ſua natura ſubordinationem potentiæ intellectiuæ, neq; proportionem cum actu vitali elicito ab ipſa.

Argumenta igitur reliqua petita ex hoc capite aſſumunt, quòd negamus nimirum ſpeciem impreſſam perficere obiectum in ratione intelligibilis, quā perfectionem dicimus eſſe denominationem extrinſecam fundatam in obiecto, ſed non perficientem illud, ſimilem relationi inter menſuram, & menſurabile.

Secunda implicantia. Huiuſmodi ſpecies vel eſt inſtrumentum naturale Dei in ordine ad viſionem; vel ſolùm obedientiale; non hoc ſecundum, tum quia eſt eſſentiale ſpeciei impreſſæ, vt ſit principium naturale expreſſæ; tum quia lapis, aut quid ſimile eleuari poteſt ad concurſum loco ſpeciei; ſed neque dici poteſt naturale potentiæ, neque actui, neque obiecto; nam potētia ſufficienter diſponitur per lumen, & connaturaliter vnitur eſſentiæ diuinæ ſine ſpecie; alioqui de facto daretur ſpecies; vnde nec actio poteſt dici connaturalis, quia prius eſſet cona-

naturalis obiecto, & potentiæ, atque adeo ſi poneretur, deberet eſſe ſpecies impreſſa ex ſuppoſitione, & non ſpecies, quia de ratione eius eſt eſſe principium naturale expreſſę.

Confirmatur primo, quia eſſentiæ diuinæ non eſt connaturalis concurſus, niſi per ſeipſam ad viſionem, ergo non poteſt eſſe connaturalis ſpeciei, quæ inſtrumentum eſt eſſentiæ, quia vt ſic reſpicit eſſentiam vt cauſam principalem, & non habet aliquid ſibi connaturale, niſi quod eſt connaturale illi, cuius eſt inſtrumentum, ergo erit mere obedientiale, vt eſt lapis, ſi eleuaretur ad cauſandam viſionem, quia eſſentiæ vt obiecto, & cauſæ principali conuenit concurrere per ſeipſam, & addunt alias confirmationes ad probãdam innaturalitatem ſpeciei reſpectu diuinæ eſſentiæ, vt probent impoſſibilitatem, quia eſſet ſpecies ex ſuppoſitione, & non ſpecies propriè ex eo quod careret naturalitate, quæ eſt de eius eſſentia.

Naturale in præſenti dupliciter accipitur.

Reſpondeo, naturale in præſentia dupliciter accipi poſſe, primò vt dicit exigentiam rei ex natura debitę, qualis eſt quantitatis ex. gr. & vniuerſaliter accidentium, quæ naturaliter poſtulant eſſe in ſubiecto. Secundo, vt dicit conuenientiam, ac proportonẽ vnius rei cum alia, qualis eſt v. g. gratiæ, & accidentium ſupernaturalium cum anima rationali, & non cum brutis, aut lapidibus, in quibus de potentia abſoluta poni poſſunt. Primo modo ſpecies impreſſa non eſt connaturalis potentiæ, quia non exigitur ab ipſa, neque illi debetur, cum ſit ordinis diuini. Secundo modo eſt connaturalis, quia intellectus eſt ſubiectum ipſi, ſicut eſt lumen gloriæ. In ordine ad viſionem eſt principium connaturale, quia ex ſua natura ordinatur ad illam, ſicut & habitus ſupernaturales ad actus ſuos. In ordine ad obiectum, ſeu eſſentiam diuinam pariter eſt connaturalis, quia ratio eius poſita eſt in eo, vt ſimul cum potentia concurrat ad illam exprimendam tanquam ſimilitudo, qua informatus intellectus dicitur aſſimilari obiecto, & illa adiutus tanquam ſemine, quod eſt inſtrumentum viuentis, parere verbum mentis & viſionem, quæ non conueniunt lapidi, aut Creaturæ vlli, quæ eleuaretur vt inſtrumentum merum, & mortuum ad eandem efficiendam.

IV. Neque ex hoc ſequitur, quod deberet poni de facto in noſtra ſententia, quia poſito lumine, & vnione eſſentię connaturalius abſque alia multiplicatione procedit viſio; præterquã quod hinc nõ probatur impoſſibilitas, quia abſolutè poſſet poni ſiue tanquam cauſa partialis ſimul cum eſſentia attemperante ſuum concurſum influendo in viſionem, ſiue vt concauſa totalis in ſententia admittente duas cauſas totales, quod eſſet quidem miraculũ, ſed ſalua poſſibilitate ſpeciei. Ex quo patet, gratis hanc impugnari ex innaturalitate cum actu, potentia, obiecto.

Ad confirmationem primò retorquetur argumentum, quia ſicut connaturale eſt eſſentiæ concurrere per ſeipſam immediatè, ita & ſpeciei ipſius impreſſæ. Deinde ſi antecedens aſſumat, ita eſſe naturale eſſentiæ concurrere per ſeipſam ad viſionem, vt ſit innaturale per ſpeciem, tam facile negatur, quàm aſſumitur, quemadmodum negaretur, eſſe innaturale concurrere per habitus infuſos ad actus ſupernaturales, quia concurrit ſine illis per auxilium ſpeciale ad primos actus ante habituum infuſionem. Tertiò eſto dicatur innaturalis concurſus per ſpeciem impreſſam reſpectiuè ad magis connaturalem ſine ſpecie, non tamen inuoluit aliquid contra naturam ſpeciei, aut repugnans obiecto, ſicut neque diceret lumen, ſi Deus vellet creare diuerſum ſpecie, aut perfectione indiuiduali ab eo quod creatum eſt.

Tertia implicantia. Implicat inſtrumentum connaturale ad creationem, ergo implicat ſpecies creata, quę ſit inſtrumentum naturale ad viſionem. Antecedens eſt communiter receptũ, vtpote *S.* Thomæ 1. p. q. 45. a. 5. Sequela probatur à paritate, quia ſicut non poteſt dari inſtrumẽtum ad creationem eo quod de ratione eius ſit diſponere ſubiectum ad formam, quod in creatione nullum ſupponitur, cum per illam producatur: Ita ſi ſpecies eſt inſtrumentum, debet diſponere ſubiectum; at ad diſpoſitionem hanc ponitur lumen, neque aliunde dici poteſt, quòd

quòd diuina eſſentia diſponatur, vt de ſe patet, ergo impoſſibilis eſt hæc ſpecies.

Reſpondeo primo, nō eſſe certum, quod Creatura nō poſſit aſſumi à Deo vt inſtrumentum creationis, etiamſi Thomiſtæ communiter defendant, vt infra dicam: minus etiam probabile, quòd de ratione inſtrumenti vniuerſaliter ſit diſponere ſubiectum per præuiam actionem, latè oſtendi primo tomo diſp. 2. q. 5. c. 4. multiplici auctoritate, ac ratione, proinde hoc non deberi ſpeciei. Secundò cum inſtrumentum aliud ſit inanime, vt inſtrumenta ſunt artis; aliud animatum, vt potentiæ animæ concurrētes ad actus ſupernaturales eleuatæ auxilio gratię, etiamſi in illis requireretur præuia actio, ac diſpoſitio; quam tamen non requiri in omnibus ibidem probaui: tamen in animatis non requiritur, ſed ſufficit, vt agant in ſupernaturalibus, ceu ſubordinatæ cauſæ principali per ipſam eleuatæ ad effectum ſuæ virtuti proportionatum, non quomodocumque; ſed auxilio gratiæ, in quo differunt ab inſtrumentis, non habentibus proportionē cum intellectu, à quo vitaliter elicitur actus & cōſequēter cū ſpecie ſubordinata intellectui ex natura ſua, & partialiter cū illo cōcurrente ad eūdem actū vitalē, ad quem natura ſua ordinatur; & non eſt opus, vt aliter diſponat illum, quàm per ſui exhibitionem informando, quod eſt commune omnibus ſpeciebus.

Quarta implicantia. Non eſt poſſibile accidens, quod ſit contra inclinationem omnis ſubiecti, quia cum ſit entis ens, debetur naturaliter alicui ſubiecto, quod afficiat, ſpecies autem hęc eſſet contra inclinationem intellectus, quia connaturale ipſi eſt, poſita beatitudine videre Deum per eſſentiam, ergo innaturale videre per ſpeciem; neque aliud eſt aſſignabile ſubiectum, cui ſpecies ſit connaturalis.

Reſpondeo, nego minorem, nam licet viſio connaturalius fiat per eſſentiam immediate, ne multiplicentur entia abſque neceſſitate; tamen non fieret contra naturam ſuam poſita ſpecie, ſed non ita naturaliter, ſicut per eſſentiam, vt paulo ante diximus de actu ſupernaturali, qui connaturaliùs fit poſito habitu, non tamen contra naturam fieret, ſi ſolùm per auxilium ſine habitu, quia de ſe indifferenter poſtulat fieri à principio ſupernaturali, ſiue illud actuale ſit, ſiue habituale & ſolùm potentia dicitur connaturaliùs operari poſito habitu, Idem eſt de viſione reſpectu eſſentiæ, & ſpeciei. Deinde dico, quod intellectus eſſet proprium ſubiectum ſpeciei impreſſæ, ſicut eſt expreſſæ, ac luminis, quia licet iſta non exigantur ab ipſo, cum ſint ſupernaturalia; tamen ex eo quod ſunt accidentia, poſtulant ſubiectum proportionatum, quod eſt anima, & angelus, ad quorum operationes ordinata ſunt, & habent intrinſecā vim concurrendi cum ipſis; ideo negandū eſt eſſe contra inclinationem intellectus recipere talem ſpeciem, quæ eodem modo ſe habet, quo alia accidentia ſupernaturalia reſpectu ſubiectorū habentium potentiam obedientialem paſſiuam ſibi connaturalem, vt probaui primo tomo diſp. 2. q. 3.

VII. Et hinc ſoluitur alia implicantia ducta ab innaturalitate exiſtentiæ talis ſpeciei, eo quod eſſet contra naturam, & exigentiam ſubiecti, & obiecti; hoc enim negatur, quia licet non ſit debita intellectui, eſt tamen illi proportionata, & ex ſuppoſitione quod Deus illam producat, exigit eſſe in intellectu ad cuius operationem ordinata eſt eſſentialiter; neque item eſt contra naturam obiecti, quia quamuis connaturaliùs ſuppleat diuina eſſentia ſeipſa vicem ſpeciei, non ſequitur, quod cōtra naturam eius ſit videri per ſpeciē, vt probatum eſt.

Quinta implicantia. In angelis implicat materia ſpiritualis, iuxta receptam Theologorum ſententiam, ergo & ſpecies impreſſa Dei. Probatur ſequela; nam ideo dicitur implicare in angelis, quia eſſet eſſentialiter ſuperuacanea, ſupponeret namque angelū iam completum in ordine ad ſuas operationes; at etiam ſpecies impreſſa pariter ſupponeret obiectum iam completum in ratione ſpeciei.

Confirmant hoc argumentum varijs inſtantijs, quibus nihilominus vna reſponſione ad argumentum ſit ſatis.

Reſpondeo igitur in primis, ſenten

tiam

Digitized by Google

Quomodo dicantur Angeli a S Bonau cõſtare materia ſpirituali.

tiam S.Bonauentur. eſſe, quod Angeli conſtent materia & forma ſpiritualibus, quia habent poſſibilitatem & mutabilitatem; idque confirmat auctoritate Boetij in 2. diſt. 3. p.1.a.1. q.1. & 2. ſed ad vitandam quæſtionem, quid ſit hæc materia angelica, alterius loci propriam: quantum attinet ad vim argumenti, negatur ſequela; ad probationem, ſi Angelus ea conſtaret, neque illum ſupponeret, quia eſſet illiùs cõſtitutiua vt pars eſſentialis, ac proinde non eſſet ſuperuacanea, ſed neceſſaria. Secundo, ſpecies non datur, vt compleat obiectum; ſed vt vniat intelligibiliter potentiæ, niſi per complementum intelligas denominationẽ extrinſecam ab vnione, qua coniungitur intelligibiliter Deus intellectui per ſpeciem impreſſam in actu primo: ſicut per expreſſam, ad quam illa ordinatur, in actu ſecundo.

Inſtabis, ſi quis cõcẽderet, dari poſſe materiam ſpiritualem, quæ concurreret ſimul cum forma ad operationes Angeli, non aliunde conuinceretur, niſi quia illa eſſet ſuperflua, quia operationes Angeli non egent materia; ſed hæc eadem ratio militat in ſpecie.

Reſpondeo primo ex eo, quod res eſt ſuperflua, non oſtenditur, quod ſit impoſſibilis; dirigi enim poſſet à factore ad aliquem finem. Deinde iam ſupra negaui ſpeciem, ſi fieret à Deo, fore ſuperfluam; aſſimilaret enim intellectum poſſibilem Deo, & vniret ipſum cognoſcibiliter; & licet non neceſſario, ſed liberè poneretur; poſita tamen haberet ſuos effectus, & inſeruiret declarandæ Dei omnipotentiæ in eo elucenti, quod multis modis viſionem ſui cauſare poſſet.

VIII. Sexta implicantia. Si daretur talis ſpecies, concurreret per te loco obiecti, ſed hoc eſt impoſſibile, quia ſicut Deus ex eo quod eſt cauſa prima, non poteſt ſe priuare concurſu cauſæ efficiẽtis; ita neque poteſt concurſu cauſæ obiectiuæ, quo ſe priuaret, ſi conſtitueret ſpeciem ſui vicariam.

Neque valet inſtantia, quod ſicut cauſa prima admittit conſortium cauſæ ſecundæ vt efficientis, ita admitteret obiectiuæ; ſi enim valeret paritas, probaret etiam, quod de facto cõcurreret ſpecies, ſicut de facto concurrit cauſa ſecunda cum prima. Deinde diſparitas eſt, quia cauſa ſecunda nõ eſt virtus, & actiuitas primæ; at ſpecies eſt virtus, & actiuitas obiecti. Tertio, ſicut cauſa ſecunda concurrit cũ prima effectiuè, ita ſpecies concurreret cum diuina eſſentia obiectiuè, & immediatè; quod eſt inauditum.

Deus habet ratiõnẽ obiecti, & cauſæ efficientis.

Reſpondeo, nego minorem. ad probationem nego paritatem, quia Deus, vt habet rationem obiecti, eſt veluti cauſa particularis, ac determinata ad intellectionem ſui ipſius; vt cauſa efficiens eſt vniuerſalis ad effectus infinitos, ad quos ſe extendit omnipotẽtia; ideo non eſt poſſibilis creatura capax huius cauſandi virtutis; eſt autem poſſibilis ad repræſentandum, hoc eſt ad producendam viſionem, ſupplendo vices obiecti, quod per ſe determinat potentiam, & cum ea concurrit ad viſionem, ſicut concurreret obiectum per ſe ſine ſpecie.

Ex quo patet ad inſtantiam primã, non enim ſequitur, quod de facto concurreret ſpecies, quia eſſentia diuina ſeipſa potens eſt præſtare munus ſpeciei, & connaturaliùs procedit viſio abſque multiplicatione nõ neceſſaria, non ita in cauſis ſecundis, quarum natura ita poſtulat concurſum primæ, vt ipſæ etiam operentur ea, ad quæ operanda virtutem accepere à Creatore.

Species dicitur virtus obiecti tranſitiuè.

Ad ſecundam, ſpecies dicitur virtus obiecti tranſitiuè, hoc eſt vt Inſtrumentum, veluti ſemen eius ad producendam ſpeciem expreſſam, tanquam partum quemdam; non intranſitiuè, quaſi ſit virtus, quæ eſt in Deo ipſo: at cauſa ſecunda non dicitur propriè virtus primæ, quia non ſupplet vicem primæ, etiamſi habeat in ſe virtutem acceptam à prima, cum qua operatur.

Ad tertiam dictum eſt ſupra, quomodo poſſit concurrere ſpecies obiectiuè, & immediatè, cui non obſtat, quod etiam effectiuè cum potentia, in qua ſubiectatur, & determinat ad talem cognitionem talis obiecti.

Septima Implicantia. Si poſſibilis eſt talis ſpecies accidentalis, eſſet etiã poſſibilis ſpecies ſubſtantialis; compatibilis enim eſt ratio ſpeciei cũ ratione ſubſtantiæ, vt conſtat ex eo, quod diuina eſſentia fungitur vice ſpeciei, & ſubſtantia angeli reſpectu ſui intelle- IX.

ctus.

Digitized by Google

Qua. Falſitas conſequentis patet, quia impoſſibilis eſt ſubſtantia ſupernaturalis creata.

Reſpondeo primo per inſtantiam; etenim eodem argumento vterentur negantes dari ſpecies impreſſas in vniuerſum cōtra communem illas admittentem; ſic enim arguerent. Si darētur ſpecies impreſſæ, quæ ſunt accidētia, dari etiam poſſent ſubſtantiales, quæ tamen cōſequentia negatur, quia iam non eſſent ſpecies, quibus eſſentialiter conuenit inhærere ſubiecto, & non per ſe ſubſiſtere. Secundo reſpondeo directè, quicquid ſit de poſſibilitate ſubſtantiæ ſupernaturalis, quam plures negant Suar. Vazq. Valenc. Salaſ. pauciores nō contemnendi defendunt numerati à P. Ioanne Martinez de Ripalta 1. tom. de ente ſupernatur, diſput. 23. ſect. 1. non ſequi poſſe dari ſpeciem impreſſam ſubſtātialem, ſicut neque expreſſam, aut lumen gloriæ; quia hæc omnia de ſua natura poſtulāt eſſe in ſubiecto, ac etiamſi impreſſa dicatur, ſe tenere ex parte obiecti modo explicato; tamen hoc nō obſtat, quin poſtulet ex ſua natura eſſe in ſubiecto: ſubſtantia autem quælibet, ac proinde ſupernaturalis poſtulat per ſe exiſtere; non igitur dici poſſet ſpecies intentionalis, neque munere eius fungi, reddendo per informationem, ſiue ſubiectionem intellectum poſſibilem ſimilem obiecto in repræſentādo.

Species poſtulat inhæreſubiecto

Alia multiplicantur argumēta, quæ comparata cum Dei omnipotentia, facilè ſoluuntur ex dictis, & non ita facilè, quæ pro illa ſtant, & habent paritatem, ac robur à ſpecie expreſſa, & à mirabilibus, quæ de facto ſunt maiora ſpecie hac.

Verùm, quia paritas à ſpecie expreſſa potiſſimum argumentum eſt ſententiæ ad probandam poſſibilitatem impreſſæ, & ſeruit pro inſtantia ad ſoluēda contraria, quæ obnoxia ſunt iiſdem difficultatibus, quæ aduerſus impreſſā afferuntur; ideo examinandæ reſtant diſparitates variæ ab aduerſarijs excogitatæ, vt magis appareat vis rationis huius, pro quo ſit quæſitum.

AN ARGVMENTVM

A paritate ſpeciei expreſſæ validè probet poſſibilitatem impreſſæ.

CAP. III.

- *I. Aſſeruntur variæ diſparitates, & refelluntur.*
- *II. Supponitur dari ſpeciem expreſſam cum communi.*
- *III. Idque in ſententia S. Bonau.*
- *IV. In quocumque demum illa ſit poſita, de quo infra.*
- *V. Non oſtenditur implicantia ſpeciei impreſſæ.*

QVI negant dari ſpeciem expreſſam, conſequenter negant valere argumentū à paritate allata; ſed modo res eſt cum admittentibus, qui plures ſunt, & grauiores apud Vazq. 1. p. diſp. 38. c. 2. Turrian, opuſc. 1. d ſp. 1. cap 2. Faſol. 1. p. q. 12. n. 11. dub 10. & habent pro ſe Auguſtinum, cuius hæc ſunt verba l. 15. Trin c. 16. *Tunc quidem verbum noſtrum n n erit falſum, &c.* quem ſequitur Anſel. in monol. c. 11. & communiter Patres petunt ſimilitudinem verbi creati ad probandum increatum contra Arianos, licèt abſtineant à quæſtione Scholaſtica de diſtinctione eius ab intellectione. X.

S. Auguſt. S. Anſel.

Sotus igitur in 4. diſt. 49. q. 2. a. 3. aſſert diſparitatem, quia ſpecies expreſſa eſt formalis quædam ſimilitudo informans intellectum, & repræſentans obiectum formaliter; impreſſa autem eſſet principium efficiēs beatitudinis, quæ à ſolo Deo fieri poteſt, ſicut & gratia, quæ formaliter ſanctificat; ſed à nulla creatura produci poteſt. Idem habet Canarien. 1. p. q. 27. a. 1. diſp. 5.

Sot. Canarienſ.

Sed iam ſupra ſoluta eſt hæc inſtantia, & allata diſparitas inter gratiam, & viſionem, dato quod à nulla creatura poſſit gratia produci; & ſi valeret argumentum, probaret etiam, quod intellectus non concurreret ad viſionem beatam, neq; lumen gloriæ, quod tamen dicitur communiter concurrere efficienter cum potentia, quam eleuat. Hic retorquet argumentū Suar. loc. cit. quia datur de facto actus creatus

tus caritatis efficiens noſtram ſanctificationem, ergo & ſpecies concurrens ad beatam viſionem.

Secundo, alij diſparitatem aſſignãt, quia ſpecies impreſſa tenet ſe ex parte obiecti, & complet illud in ratione intelligibilis, & ideo implicat, quia implicat Deum compleri hoc modo, cum ſit perfectiſſimus, & non vlterius per ſpeciem perfectibilis. Contra verò ſpecies expreſſa tenet ſe ex parte ſubiecti, hoc eſt intellectus, qui eſt perfectibilis.

Verùm oſtenſum ſupra eſt complementum hoc eſſe quid extrinſecum obiecto, ſeu denominationem extrinſecam, quæ nullam affert perfectionẽ obiecto; ſed ſupponit in illo. Dicitur autem tenere ſe ex parte obiecti, quia eſt ſimilitudo repræſentatiua eius, & vnit illud potentiæ in eſſe cognoſcibilis: Cæterum quia accidens eſt, poſtulat eſſe in ſubiecto, ſicut & reliqua accidentia; & hoc modo etiam participat rationem communem ipſorum, & tenet ſe ex parte ſubiecti, ſicut illa: Exemplum eſt in relatione, quæ ſpecificatur à termino, & inhæret tamen ſubiecto, vt dictum eſt.

Reſponſio altera affertur, quia ratio ſpeciei impreſſæ præhabetur intrinſecè in Deo, ergo repugnat haberi per extrinſecum; Contra verò non habet Deus intrinſecè rationem ſpeciei expreſſæ reſpectu intellectus creati, cui poteſt vniri vt ſpecies impreſſa, non autem vt expreſſa, ſecundùm communem ſententiam.

Hæc diſparitas ſupponit, quod negamus ſpeciem impreſſam addere aliquod intrinſecum complementum Deo; addit enim denominationem extrinſecam, non ſecus ac potentia, à qua poteſt intelligi, et ab actu, quo dicitur intellectus vt ſupra; et admiſſa ſententia communi, quod non poſſit vniri in ratione ſpeciei expreſſæ intellectui creato, adhuc non ſequitur, quod non poſſit per impreſſam. Species impreſſa non addit intrinſecum complementum Deo.

Inſtabis. Valet argumentum per te. Datur ſpecies expreſſa, ergo dari poteſt et impreſſa; valebit igitur. Deus non poteſt vniri in ratione ſpeciei expreſſæ intellectui creato, ita vt per illam intelligat; ergo neque per impreſſam; ita vt per illam intelligatur.

Reſpondeo, nego ſequelam: diſparitas eſt, quia ſpecies impreſſa eſt accidens, recipitur in intellectu, & illum informat, ita vt formaliter conſtituat potentem in actu primo intelligere; ſpecies autem expreſſa Dei eſt ipſa ſubſtantia Dei, quæ non poteſt per ſeipſã fieri ſpecies expreſſa intellectus creati; ſiquidem propria ratio intellectionis, qua ſit ſpecies expreſſa, dicit influxum vitalem potentiæ, à qua manat, & hũc ſignificat vox ipſa intellectionis, ita vt dicatur intelligere is, qui non ſolùm habet intellectionem, ſed etiam illam elicit, ſiue hæc dicatur propriè actio productiua termini à ſe diſtincti, ſiue tantùm grammaticaliter, & ſit ab illo tantùm formaliter diſtincta. At ſi intellectus intelligeret per intellectionẽ increatam, non eſſet intelligens, quia non eliceret intellectionem, & ex ſuppoſitione eſſet; atque ita eſſet & non eſſet, quia nihil operaretur vitaliter; quod verum eſt de quacumque intellectione, ſi poſſet in eo poni, & non eliceretur, quia intelligere non eſt ſolũ habere intellectionem, ſed illam efficere, ſeu eſſe influxum potentię intellectiuæ.

XI. Neque contrarium docet S. Bonau. in 2. diſt. 23 a. 2. q. 3. ad arg. *Videre, inquiens potius eſt in ſuſcipiendo, quàm in agendo, maximè cum videtur lumen*; tantùm enim vult extollere excellentiam viſionis ſupra vires naturæ, ita vt quaſi paſſiuè ſolùm intellectus cõcurrere videatur, dum eleuatur ad actum adeo ſuperiorem ſua facultate. Aut certè tantùm intendit animam videndo, nihil agere in Deum, vt diſerte habet ibidem, & repetit q. 3. ad arg. Ceterùm etiam apud Theologos intelligere eſt quoddam pati, quia actus ipſe intelligendi recipitur in intellectu, ſicut reliqui actus immanentes in ſuis potentijs. In viſione verò beata eſt alia ratio, cur dicatur pati intellectus, quia homo, vt loquitur S. Bonauentura ibidem, *Totus vndique ita completur lumine, vt abſorbeatur ipſa noſtra intelligentia ab eminentia eius, ſicut & ipſa noſtra affectio à torrente voluptatis*. Sed hoc non obſtat, quo minus dicatur agere, vt conſtat ex tota diſt. 14. lib. 3. ſent. cuius initio art. 1. q. 1. de cognitione, qua anima Chriſti Intelligere eſt quoddam pati.

cognoſcit Verbum; ait, clarè eſſe actũ animæ, & ab anima. Et hoc modo intelligendum Sanctum Doctorem, patet ex q. 3. eiuſdem artic. ad arg. vbi dicit, quod omnis potentia animæ reſpectu Dei ſe habet in ratione paſſiui, neque vt ſic dicitur cognitiua, quæ duo verba indicant apertè paſſionem attendi reſpectu eorum, quæ accipit à Deo, quorum reſpectu ſi non dicitur cognitiua, ſed receptiua, ſignum eſt, quod quatenus cognitiua eſt actiua, etiamſi ipſa cognitio reſpectu luminis, à quo cauſatur, ſit paſſio & effectus, vt in fine declarat.

Quarto. Reſpondet Ferrar. 1. cont. gent. c. 53. non poſse dari ſimilitudinẽ Dei, niſi manet immediatè à Deo; quomodo enim à creatura procedat ſimilitudo Creatoris infinities infinitè diſſimilis? & ideo datur ſpecies expreſsa, quæ eſt immediatè à Deo; at ſi daretur impreſsa, non eſset illa à Deo immediatè, quia procederet per impreſsam.

Confirmatur, quia ex ſpecie impreſſa, & expreſsa completur vna integra repræſentatio, & ideo nõ poteſt vtraque eſse creata, quæ ſit obiecti increati.

Sed petitur principium, & non probatur impoſſibilitas ſpeciei impreſsæ; ſi enim datur ſimilitudo ſpeciei expreſsę in repręſentando actualiter obiectum infinitè diſtans in eſsẽdo; cur implicat dari impreſsam, quę repræſentet virtualiter, & in actu primo, vt explicatum eſt? & tunc diceretur manare ab eſsentia, non per modum naturalis emanationis, ſed liberè volente Deo illam producere, licet nõ neceſsariam, cum eſsentia de facto ſit loco ſpeciei.

Ad confirmationem, negatur primò ex vtraque ſpecie conſtitui vnam repræſentationem, quia vniuerſaliter ex cauſa et effectu non fit vnũ, ſed quodlibet retinet ſuum eſse, et rationem ſpeciei propriæ impreſsæ vt conſtituẽtis in actu primo potentiam diſpoſitã ad operandum, expreſsæ vt actum vitalem actualiter repræſentantem. Deinde etiamſi ex vtraque conſtitueretur vna repręſentatio gratis aſsumitur, quod non poſſit vtraq; eſse creata, & manifeſta eſt inſtantia in contrarium; nam ex potentia, & lumine conſtituitur vnum principium viſionis effectiuum, & non oſtenditur repugnantia; cur loco eſſentiæ non poſſit ſubſtitui ſpecies aliqua impreſſa eius vicaria per diuinam potentiam.

Quinto. Diſparitatem aſſignabit, quia ſpecies expreſsa determinata eſt ad tot perfectiones, & creaturas in Deo videndas tum ex ſua entitate limitata, tum ex potentia intellectiua, ac lumine, quæ conflant vnam cauſam finitam, ac limitatæ actiuitatis: at ſpecies impreſsa ſi daretur, poſſet repræſentare infinitas ſemper perfectiones, cum de ſe agat vicem eſſentiæ; quæ infinitas repræſentare poteſt, & proinde eſſet infinitè perfecta.

Neque valet reſponſio, quod ſit tranſitus ad rem ſuperioris ordinis, ſicut dicebamus de viſione beata, quæ perfectior eſt quacumque naturali aſſignabili in infinitum; ex quo non ſequitur infinitas perfectionis, ſed excellentia alterius ordinis ſuperioris: nam ſi daretur intellectus, qui producere poſset intellectiones perfectiores in infinitum, bene inferretur, quod eſset infinitè perfectus, quia cauſa continet in ſe virtute effectus; ideo ſi dare poteſt eſse in infinitum perfectioribus effectis, illa eſt infinita in ſe; & hoc argumento inter alia vtimur ad probandam infinitam Dei virtutem, quia perfectiora in infinitum producere poteſt. Igitur ſi ſpecies impreſsa gerit vicem eſsentiæ, ſicut hæc concurrere poteſt ad viſiones in infinitum perfectiores, ita & illa.

Ex quo rurſus ſequeretur, quod omnes ſpecies impreſsæ producibiles eſsent æqualis perfectionis, quia quælibet repræſentare poſset quicquid repræſentari poteſt ab eſsentia diuina.

Reſpondeo primo per inſtantiam; nam quilibet intellectus cum lumine maiori & maiori videre poteſt plures & plures perfectiones repræſentabiles ab eſsentia vnita ſibi per modum ſpeciei; neque tamen ſequitur, quod ſit infinitæ virtutis, ergo neque etiam in ſpecie valet ſequela.

Deinde directè applicari poteſt hic tranſitus ad rem ſuperioris ordinis, & negari ſequela, quia non oportet arithmeticè creſcere perfectionem ſpeciei impreſsæ ex calculatione perfectio-

Digitized by Google

ſectionis obiecti, à quo ſicut non refunditur tota perfectio in ſpeciem expreſſam; ita neque in impreſſam, ſed tantùm cum proportione geometrica, per quā fit aſcenſus ad maius & maius, & ſiſtitur non in maiore infinito; ſed ſuperioris ordinis, vt patet in lumine & viſione.

Ad inſtantiam reſpondeo valere illā in cauſa principali, à qua principaliter manat virtus, non autem in inſtrumentali, ſiue hæc ad vitales pertineat, habētes intrinſecum principium operandi; ſiue ad purè inſtrumentales carentes hac virtute intrinſeca: Iam verò ſpecies impreſſa eſt inſtrumentū obiecti, penes quod attenditur virtus principaliter infinita, in ſpecie verò finita, vt apparet ex eo, quod non habet proportionem in eſſendo, neque conuenientiam in repræſentando adæquatè ac totaliter, ſed inadæquatè, vt ſupra diximus ex S. Bonauent.

An autem producibiles ſunt ſpecies impreſſæ diuerſæ perfectionis, dubitari poteſt; & quidem ſi ſermo ſit de diuerſitate ſpecifica, non videtur poſſibilis, quia ſicut lumen eſt eiuſdem ſpeciei in omnibus Beatis, nec poſſibilem diuerſæ admittit Caietanus 3. p. q. 10. a. 4. aſſerens diuinam, qui admittunt non habentes vnde formalem, vel ſpecificam differentiam inter lumina gloriæ oſtendant, cum ſit vnum obiectum formale abſque medio, nec varientur ex receptiuis. Proinde etiā viſiones à lumine cauſatæ ſunt eiuſdē ſpeciei, nec poſſe eſſe diuerſas, probat Suar. l. 2. de attrib. negat. c. 19. n. 9. etiam de potentia, licet, inquit, hoc non ſit certum, quia ratio Caietani applicata viſioni ſoluitur ab aduerſarijs ponentibus ſpecificam diuerſitatem in entitatibus ipſis, non per ordinem ad obiecta, ſicut viſio increata differt à creata ex ſeipſa ſine ordine ad obiecta. Idem igitur dici poſſet de ſpecie impreſſa, quod ſit multiplicabilis in multas ſpecies; ideo hæſitanter opinionem ſuam tuetur Suar. *quia fortaſſe, inquit, diuina virtus plus poteſt in hoc, quam nos poſſumus intelligere.*

Et ita ego ſentio, quia vbi non apparet implicantia, iuxta principia primo tomo ſparſim repetita fauendū potius eſt diuinæ potentiæ, quàm aſſenſus adhibendus argumentis, quæ multimodè ſolui poſſunt, & habent aduerſantia non leuioris momenti. Certè ſi intellectus angelicus, & humanus de facto differunt ſpecie, & inter angelos, ſecundùm D. Thomam datur diuerſitas ſpecifica, ac proinde etiam diuerſitas ſpecifica operationū intellectualium ſaltem naturalium, & ex ſententia multorum Theologorū, etiam ſupernaturalium, cur non poſſunt dari ſpecies impreſſæ tam naturales, quàm ſupernaturales proportionatæ eorum potentijs? Et idem eſt de lumine, quod ſicut de facto habet perfectiones indiuiduales diuerſas, ita non repugnat habere ſpecificas. Neq; obſtat ratio Caietani, quòd ſit vnum obiectum formale omnium, quia etiā intellectuum eſt vnum obiectum formale genericè verum; & tamen diſtinguūtur ſpecie, quia tendunt in illud ſub diuerſa ratione ſufficiente ad diſtinctionem ſpecificam, præſertim in noſtra ſententia, quæ diſtinctionem petit à ratione ſub qua, ſeu attingibilitate à potentia tali modo, ne diſcedamus à communi, quæ defendit obiectum formale eſſe diſtinctiuum ſpecificum actuum, & aliorum, quæ reſpiciunt illud, quales ſunt ſpecies creatæ naturales, & ſupernaturales; hæc enim licèt habeant intrinſecam entitatem, qua diſtinguūtur ab omnibus, quæ non ſunt eadem vel ſpecie, vel numero, tamen non præſcindunt ab obiectis, propter quæ ſunt, ideoque dicūtur hæc ſpecificatiua extrinſeca.

AN REPVGNET

Species expreſſa diuinæ eſſentiæ producta ab intellectione.

CAP. IV.

I. *Certum eſt dari verbum mentis in patria; dubium eſt quid illud ſit.*

II. *Non repugnat eſſe quid productum ab intellectione ab ipſa diſtinctū.*

III. *Si producitur, non eſt obiectum primo, & immediatè cognitum.*

IV. *In ſententia S. Bonauenturæ ſpecies expreſſa in beatis non diſtinguitur ab intellectione.*

V. *Solutio argumentorum probantium impoſſibilitatē verbi diſtincti ab intellectione.*

XIII. CONVENIT inter Theologos primo dari verbum mentis etiam in patria, quæ ſit imago, & ſimilitudo repræſentatiua eſſentiæ, vt communiter interpretes S. Thomæ 1. p. q. 27. propter auctoritates varias S. Auguſt. lib. 9. Trin. & l. 15. & alios Patres explicationem myſterij Trinitatis ſumentes à verbo mentis, quod mens intelligendo format; differunt tamen primo in aſſerendo quid illud ſit; aliqui enim putant, eſſe qualitatē, & terminum ab intellectione productum, vt Suar. de Attrib. negat. l. 2. c. 11. Faſol. 1. p. q. 12. a. 2. à dub. 3. 4. & alij apud ipſos, præſertim Thomiſtæ. Alijs magis placet verbum eſſe ipſam intellectionem, quæ non ſit actio, niſi grammaticaliter, & nihil producat; ſed ipſa per ſe repræſentet eſſentiam, vt Scot in 2. diſt. 27. q. 3. Durand. ibidem q. 2. & alij apud eoſdem recentiores. Deinde diſſentiunt, quia plerique admittunt quidem verbum mentis à cognitione productum in vniuerſum; ſed negant in patria produci à Beatis, vbi clarè, & immediatè eſſentia per ſeipſam vnitur intellectui, vt Caiet. Ferrar. & alij; de quo etiam inter ipſos Thomiſtas magna concertatio eſt ob loca varia S. Thomę vtrique parti fauentia.

Suar. Faſol. Scot. Duran. Caiet. Ferrar.

Noſtri inſtituti eſt non repetere diſcuſſa diligentiſſimè à ſcholaſticis, ſed videre primò, an repugnet produci verbum mentis à beatis, quod ſit terminus viſionis, ſeu intellectionis ab ipſa diſtinctus. Deinde poſito, quod non repugnet, an ſit obiectum immediate cognitum. Tertio an in ſententia S. Bonauenturæ de facto detur.

Prima aſſertio.

IV. NVlla eſt repugnantia, cur Beati videndo diuinam eſſentiam formet Verbum ab intellectione diſtinctū tanquam terminum à ſui productione repræſentatiuum obiecti cogniti.

S. Auguſt. Probatur primò auctoritate S. Auguſtini, ex quo multiplex affertur à recentioribus ſecutis ſententiam veterum verbi iſtius modi patronorum. Sed nulla eſt, quæ non poſſit de ipſa formali cognitione explicari, cui verbi denominationem cōcedunt Aduerſarij, quatenus concipitur vt ſimilitudo obiecti cogniti in facto eſſe, vt videre eſt lib. 4. Trin. c. 11. & l. 15. c. 16. citari ſolitis; ex illis namque, & ſimilibus conſtat formari Verbum, etiam quando mens ſeipſam nouit, ſed non habet expreſſè formari per intellectionem ab ipſo diſtinctam, quandoquidem ipſa cogitatio formata Verbum dicitur apud Auguſtinum, & non per formam à ſe diſtinctam, ſed ſeipſa, cum poſt ratiocinationem, & diſcurſus volubiles, conſiſtit in veritate adepta, & vniuerſaliter apud ipſum notitia verbum eſt, & ſimilitudo rei notæ, vt interpretatur altera ſententia ſine textus violentia.

Vna eſt ex alijs magis expreſſè diſtinguens cogitationem à Verbo; nam l. 14. Trin. c. 6. *Sed quia ibi Verbum eſſe ſine cogitatione non poteſt; cogitamus enim omne quod dicimus etiam illo interiore verbo, quod ad nullius gentis pertinet linguā &c.* Vbi per cogitamus, indicatur operatio præcedens verbum diſtincta à cogitatione; alioqui ſēſus eſſet ridiculus, ſi pro eodem acciperetur ſine vlla diſtinctione cogitamus, ac dicimus, id eſt cogitamus enim omne quod cogitamus vnde ſubdit: *Hanc autem nunc dico intelligentiam, qua intelligimus cogitantes, id eſt quando eis repertis, quæ memoriæ praſto fuerant, ſed non cogitabantur, cogitatio noſtra formatur &c.* Si igitur intelligentia formatur cogitatio, aliquod inter illas diſcrimen intereſt, quod aliud commodius vix aſſignetur, quàm quod aſſerimus, productionis à termino producto, quod eſt verbum; hoc enim formatur efficienter ab actione, qua producitur; formaliter ab obiecto, cuius eſt imago, & vitalis repræſentatio, ſicut figura ſigilli efficienter à motu manus imprimentis, formaliter ab ipſo ſigillo imprimitur.

Verùm S. Auguſt. cogitationem vocat præcedentem inquiſitionem, cum mens diſcuſſione quadam volubili iactatur; verbum verò cum poſt dubitationem, & inquiſitionem acquiritur notitia clara, & determinata, vt habet l. 15. Trin. c. 15. vbi cogita-

Digitized by Google

gitationem diſtinguit à Verbo; licet ſit intellectio: ideo conſtat aliter loqui illum de Verbo, ac loquuntur ſcholaſtici, vt notat Vazq. 1. p. d. 141. n. 24.

S. Anſ. Clariùs loquitur S. Anſ. in Monol. c. 31. *Habet igitur, inquit, mens rationalis, cum ſe cogitando intelligit, ſecum imaginem ſuam ex ſe natam, id eſt cogitationem ſui ad ſuam ſimilitudinem, quaſi ſua impreſſione formatam, quæ imago eius, verbum eius eſt &c.* impreſſio enim eſt actio, qua formatur imago hæc vitalis, & à Verbo diſtinguitur, non ſecus ac motus ab imagine impreſſa in cera; quo ſenſu ibidem ait, cogitationem mentis eſſe ſui imaginem ad ſuam ſimilitudinem, tanquam ex eius impreſſione formatam. Cogitatio enim verbum eſt, impreſſio autem eius productio. At neque hinc aliud apertè colligitur, quàm quod ex S. Auguſtino, cuius auctoritate non euincitur diſtinctio termini ab intellectione vt rei à re.

S. Thom. A pluribus tamen ſcholaſticis admittitur, inter quos S. Thomas p. 1. q. 27. a. 1. c. *Quicumque, ait, intelligit, procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens: quam quidem conceptionem vox ſignificat, & dicitur verbum cordis ſignificatum verbo vocis.* Et loquitur de intellectione in vniuerſum, quia inde probat per intellectionem Patris produci verbum æternum, eo quod per intellectionem vt ſic procedit aliquid intra intelligentem, quicquid conentur de intellectione naturali aliquot Thomiſtæ interpretari. Vnde & q. 4. de Ver. a. 2. c. docet in terminis, quod vniuerſaliter, & de omni, quod a nobis intelligitur, ſiue per eſſentiam intelligatur, ſiue per ſimilitudinem: *Ipſa enim conceptio, inquit, eſt effectus actus intelligendi.*

S. Thom. Capr. Atque huius ſententiæ fuiſſe S. Thomam, docent Capr. in 4. diſt. 49. q. 5. a. 3. ad arg. cont. 1. Concl. vbi problematicè quidem quæſtionē tractat, ſed disertè fatetur S. Doctorem videri ſententiæ aſſerētis Verbū diſtinctū. Sylu. Idē habet Sylu. 1. p. cōflati q. 12. a. 2. §. 3. & q. 27. a. 1. §. 4 Idem repetit contra Caietanum 1. p. q. 27. a. 1. §. Ad 3. dub. cum quo ſentiunt plerique alij Thomiſtæ, à quibus diſcedunt Suar. 1. p. t p. l. 2. c. 12. & in Metaphyſ. diſput. 48. l. 2. Mol. 1. p. q. 12. a. 2. diſp. prima & alij plures. Suar. Mol.

Potiſſima ratio eorum eſt, quia intellectio eſt actio quædam intellectualis, implicat autem eſſe actionem ſine termino, quia actio alicuius actio eſt, non ſolùm vt cauſæ agentis, ſed vt effectus ab ea producti, qui in propoſito eſt qualitas, ſeu conceptus, & notitia mentis, in qua conſiſtit ſimilitudo obiecti cogniti, non autem in ipſa actione intellectuali.

Sed quàm multas patiatur inſtantias hæc ratio, infra patebit; interim gratis aſſumitur quod de ratione actionis immanentis ſit producere terminum à ſe diſtinctum, & quod actualis intellectio non poſſit eſſe ſimilitudo obiecti, & dici verbum; vtrumque enim negat Scotus in 1. d. 27. q. 2. cit. & Scotiſtæ ibidem, neque facile impugnantur; hæc autem a nobis aſſumuntur, vt probemus, non implicare de potentia abſoluta, quæ de ordinaria à grauiſſimis auctoribus defenduntur. Scot.

Cæterum aſſertio probatur aliter, quia non eſt contra rationem intellectionis in genere, vt ſit actio productiua termini, ergo neque contra rationem intellectionis creatæ. Antecedens patet, quia Pater per actionem intellectualem, quæ eſt dictio, producit Verbum. Sequela probatur, tum quia S. Thom. loc. cit. ex proportione intellectionis creatæ intelligit productionem verbi in diuinis; tum quia non apparet implicantia, cur nō ſit communicabilis creaturę hęc perfectio, vt intelligendo producat terminum, ſicut communicatur illi, quod ſit intellectiua, volitiua &c. hæc enim duo non repugnant intellectio creata, & verbum creatum; vt patebit ex ſolutione argumentorum. Non eſt contra intellectionem verbi productio

Confirmatur, quia poſito quod de potentia ordinaria non producatur Verbum, non ſunt negandi diuinæ omnipotentiæ modi illud producendi, in quo valet argumentum à pari de ſpecie impreſſa, quam ſupra oſtendimus, non implicare, & addi poteſt alterum de applicatione ad locum, quę ordinariè fit per motum localem;

ſed ſi Deus velit, poteſt per actionem creatiuam, per actionem reduplicatiuam applicare, & alijs modis ſic vnire potẽs eſt obiectũ cognitum intellectui, non ſolùm per intellectionem, quæ de facto eſt, ſed per aliam creaturæ ſaltem poſſibilis, quæ producat Verbum diſtinctum.

Secunda Aſſertio.

XVI. VErbum mentis ſi produceretur in patria à Beatis, non eſſet obiectum immediatè, & primò cognitum, ſiue imago, quæ cognita duceret in cognitionem eſſentiæ. Suar. Mol. Faſol. Eſt multorum Theologorum, Suarij in 1. p. t. 1. l. 2. c. 13. à n. 5. & aliorum apud Mol. & Faſol. loc. cit. poſt Dur. in 1. d. 27. q. 2. n. 19. contra multos Thomiſtas dicentes, verbum eſſe obiectum intellectus non principale; ſed ſicut forma ſpecularis, vel imago repræſentatiua obiecti principalis, in qua ſcilicet cognita cognoſcatur ipſum principale: ſed fauet aſſertioni quod habet in 4. cont. gent. c. 11. indicans Verbum non directa cognitione, ſed reflexa cognoſci, *aliud, inquit, eſt intelligere rem, & aliud eſt intelligere ipſam intentionem intellectam, quod intellectus facit, dum ſuper ſuum opus reflectitur.* Et in 1. ſent. d. 27. q. 2. a. 1. quartum diſtinguit eſſe Verbi ab eſſe intellectuali, & proinde eſſentiam diuinam reſpectu diuini intellectus habere, & non habere rationem Verbi, quia in quantum ſe habet vt id quod intelligitur, eſt ibi verè ratio intellecti: ſed in quantum ſe habet, vt id quo intelligitur, ſic eſt ibi ratio Verbi. Quod ſi Verbum eſt obiectum intellectum, perperam fieret hæc diſtinctio.

Loca alia Sancti Doctoris cum ijs conciliare Thomiſtarum eſt. Hinc ſolum infero, ſi de facto in ſententia Verbum admittente, non cognoſcitur, ergo ſi de poſſibili daretur, non cognoſceretur immediatè.

Secundo aſſertio eſt S. Bonauenturæ in 2. diſt. 23. a. 2. q. 3. fin. vbi ponit, quòd tripliciter intelligi poteſt, videri Deum per medium, ſcilicet per medium diſponens, quale eſt lumen gloriæ, per medium deferens, *& per hoc nullus, inquit, poſuit, Deum videri, cum ipſe ſit immediatus rationali creaturæ &c.* Et licet non explicet, quid ſit medium deferens, tamen apparet ex ſenſu Auctoris eſſe aliquid, quod immediatè cognitum ducat in cognitionem Dei, quia ipſe eſt immediatus creaturæ rationali, ac ſi diceret, non oportet per medium aliquod cognitum ab illa cognoſci, cui eſt immediatus in ratione cognoſcibilis, & cogniti. Medium denique deducens, ſiue contemperans, ait, non eſſe neceſſarium, quia lumen gloriæ nõ eget hoc temperamento, cum ſit ſaluatiuũ, & confortatiuum: quid autem ſit medium deducens, non facilè conſtat ex hoc textu, niſi fortè ſit ſpecies impreſſa, aut quid ſimile, quam ſupra de facto dari negauimus, de poſſibili conceſſimus.

Tertio probatur, quia ſi eſſet obiectum immediatè cognitum, vel hoc haberet ex communi ratione verbi, quod debet ſemper terminare cognitionem per ſe, id eſt cognoſci immediatè, & hoc non quia vt bene cum Durando loc. cit. plures Theologi, non experimur nos cognoſcere Verbum, vt quid diſtinctum ab obiecto principali, cuius eſt expreſſa imago, & mirũ eſſet, nos intuitiuè aliquid cognoſcere, quod lateat cognoſcentes, tam quoad an ſit, quàm quod ſit, ne fortè dicas nos cognoſcere Verbum, ſed non quod ſit Verbum, ſicut cognoſcimus lucem, ſed non quòd ſit accidẽs; nam experientia conſtat, cognitioni noſtræ non obijci Verbum, & obiectum, cuius eſt imago, ſed obiectum ſolum, aut ad ſummum aliquã formã impreſſam animæ ab obiecto extrinſeco, aut factã ab intellectu, & manentẽ in memoria, vt ex Auguſtino docet fusè Greg. in 2. d. 7. q. 1. *Si autem cognoſceretur immediatè verbum ſimul* Gregor. & obiectum principale, non poſſet hæc diſtinctio latere intellectum applicantem ſe ad illa diſcernenda, ſaltem per actum reflexum. Non igitur ex communi ratione Verbi id euinci poteſt, multo minus ex peculiari ratione Verbi in patria, ſi formaretur, quia diuina eſſentia vnitur ſeipſa intelligibiliter intellectui eleuato per lumen, & nihil prohibet viſionem immediatè in ipſam ferri, ſecluſa quali-

bet

Digitized by Google

bet imagine, in quam feratur immediatè, & alioqui ad perfectionem viſionis beatæ pertinet tendere immediatè in eſſentiam, & non per aliud, vel in alio prius cognito.

Dices, immediatè cognoſci eſſentiã, & verbum, quod eſt eius imago, ſicut immediatè cognoſcitur ſpeculum & imago in eo relucens, & hoc eſſe neceſſarium, quia viſio eſt actio verè & propriè, & proindè debet habere terminum neceſſariò.

Contra, quia ſi poteſt, & debet videri eſſentia ſine medio per ſeipſam, fruſtra ponitur aliud medium; poſſe verò patet ex eo, quòd alia obiecta per ſeipſa intelligi, & non per verbũ docet experientia vt ſupra, & pluriũ Theologorum conſenſus iſtud non admittentium, imò & Thomiſtarum multorum cum Caietano negantium in patria: & ita fieri oportere, quia etiamſi in via cognoſceretur verbum, non tamen in viſione beata, vbi eſsentia ſupplere poteſt vicem ſpeciei expreſſæ, ſicut ſupplet impreſſæ.

Neque neceſſe eſt, aſſignari terminum diſtinctum à viſione, quia licèt ſit actio, tamen eſt immanens, de cuius ratione eſt tendere in obiectum, & vnire illud potentiæ intelligibiliter, non autem producere aliquid à ſeipſa diſtinctum.

Tertia Aſſertio.

XVII. IN ſententia S. Bonauenturæ datur quidem ſpecies expreſſa, & verbũ mentis in patria, ſed non vt aliquid diſtinctum ab actu intellgendi, & viſione ipſa, ſeu notitia intuitiua. Citatur S. Bonauentura ab aliquibus pro contraria, ſed gratis: nam vt Petrus Trigoſus eius Commentator in ſumma Theol. q.7.a.1.dub.6.concl.3. S. Bonauentura non requirit ad videndum Deum terminum ab intellectione productum; ſed ipſam vt intellectionem ait eſſe formalem ſimilitudinem, per quam videtur Deus. Et licèt ipſe contrariam etiam probabilem teneat, tamen apertè fatetur, quod non ex mente S. Bonauenturæ, pro quo refert Scotum, Sotum, & alios, qui pro ſe fautorem habere contendunt Sanctum Auguſtinum, & S. Anſelmum quicquid pro ſe Aduerſarij illos aſſerant.

S. Bonau.

Igitur S. Bonauentura in 1. diſt. 3.a. 1.q.1. ad vltimum, cum dixiſſet, Deum eſſe præſentem omni intellectui per veritatem, & ideo non eſſe neceſſe ab illo abſtrahi ſimilitudinem, per quam cognoſcatur, ideſt ſpeciem impreſſã, vt ſupra notauimus; nihilominus dum cognoſcitur, intellectus informatur quadam notitia, quæ eſt velut ſimilitudo quædam impreſſa; & citat S. Auguſt. 9. de Trin. c.11. vbi hoc explicat exemplo ſenſuum, qui per ſimilitudines corpora percipiunt. Et quamquã S. Bonauentura loquitur de cognitione viæ, tamen magis valet in patria, vbi facie ad faciem videtur Deus, & diſcurſus reſolutio eſt vniuerſalis.

Similia habet in 2. diſt. 23.a.2.q.3. in fin. *Ad hoc, inquit, quod Anima Deũ videat, non oportet, quod ſit potens in Deum agere; videre enim potius eſt in ſuſcipiendo, quam in agendo, maximè cum videtur lumen, nec oportet eam proportionari quantitatiuè, ſed quatenus ad infinitatem; vt ſit tanta, quanta Deus in virtute eſt; ſed ſufficit qualitatiuè quantum ad ſimilitudinem expreſſam, ſecundùm cuius maiorem & minorem participationem erit ordo in gradibus præmiorum in futura gloria, &c.* Quibus locis duo dicuntur, quæ violentè accommodantur verbo formato, vt dicit terminum à cognitione productum à P. Faſolo loc. cit. naturaliter autem ipſi formali cognitioni vt eſt actus intellectus. Alterum eſt, quia hunc appellat Sanctus ſimilitudinem impreſſam, ideſt notitiam ipſam mentis, vt appellat S. Auguſtinus. Alterum eſt, quod videre potius conſiſtit in ſuſcipiendo, quàm in agendo, etiamſi intellectus nõ merè paſſiuè ſe habeat; ſed actiuè etiam concurrat ad viſionẽ, vt ſupra notauimus ex eod. in 3. ſent. & ſæpe approbat Gaſtaldus peculiariter in prœmio diſt. 23. de poteſtat. Angelica n.2. S.2. Quod ſi intellectio eſt propriè actio de genere actionis, & productiua termini à ſe diſtincti, quod appellas verbum, non apparet ratio, cur à Bonauentura dicatur videre potius in ſuſcipiendo, quàm in agendo conſiſtere.

Intellectus actiuè etiã concurrit ad viſionem.

Præterea S. Bonauent. in 1. diſt. 1.

a.2.

a. 2. q. 1. ad arg. docet, quod frui eſt actus voluntatis, ſed ſecum habet videre, tenere, & delectari, & proinde etiam amare, ſine quo non conſiſtit delectatio, *aliter tamen requiritur, inquit, viſio, quàm amor. Nam viſio diſponit ſimiliter & tentio, ſed amor delicias ſuggerit, &c.* & ideo ei maximè conuenit vnire, & per conſequens delectare, & quietare, proinde eſſētialiter nō diſpoſitiuè eſt fruitio, &c. iſti actus hic numerati viſio, amor, delectatio, &c. ſecundùm te deberent omnes habere ſuos terminos à ſe diſtinctos, quia omnes ſunt actiones quà intellectus, quà voluntatis, & eadem ratio militat in omnibus; non eſt autem probabile tantam entitatum multitudinem in vnica fruitione interuenire, cum ſufficiant ipſæ meræ operationes vitales.

Confirmatur, quia vbicumque agit S. Bonauentura de operationibus intellectus & voluntatis, ne verbo quidem indicat, eas eſſe actiones propriè productiuas termini à ſe diſtincti, & ſignanter in Compendio Theolog. l. 2 de nat. Dei à c. 46. vbi modum intelligendi exactè deſcribit, alia omnia ex libris de Anima ſingillatim numerat, quibus fit intellectio, & non per ſomnium quidem huius termini meminit, imò ſæpè alias intellectum nominat actum ſimplicem, qualis non eſſet, ſi eſſet compoſitus ex actione, & termino immanente ab ipſo producto; quod argumentum negatiuum quidem eſt; ſed indicat tamen, non eſſe poſitum intellectioni terminum hunc à S. Bonauent. alioqui explicitè ponendum, ſi neceſſarium putaſſet. S. Bonau.

Afferuntur à P. Dandino plures Patrum auctoritates, ad probandū, quod verbum eſt ipſa cognitio, vel cogitatio in facto eſſe, & nō terminus diſtinctus. At reſpondent aduerſarij per cogitationem, ſeu cognitionem intelligi totum complexum ex actu, & termino, etiamſi minus quadret reſponſio ijs, qui apertè proferunt, quod verbum nihil aliud eſt, quàm ipſa cogitatio, vel motus mentis. Dandin.

Rationes demonſtratiuæ, aut valdè vrgentes pro neutra parte afferuntur: quæ ſuadet maximè ſuperfluitatē verbi vt termini diſtincti ab intellectione illa eſt, quia vel ponitur ad vniendum obiectum potentiæ, & hoc non, quia vel ſeipſo, vel per ſpeciem impreſſam vnitur illi intelligibiliter, vel ad ſupplendum aliquem defectum obiecti, vt reddatur plenè intelligibile, & neque hoc habet locum in Deo, qui de ſe eſt perfectiſſimè intelligibilis. Vel tertio requiritur propter imperfectionem potentiæ intellectiuæ creatę, quę cum non ſit purus actus, indiget forma, per quam redigatur in actum, & quatenus vitalis exigit hanc formam intra ſe, & à ſe productam: quatenus intellectualis, requirit, vt hæc forma ſit repræſentatiua obiecti, quæ dicitur Verbum. At non apparet, cur ipſa formalis intellectio non præſtet omnia, quæ præſtaret terminus ab eo productus, ſi aliqua ex enumeratis eſſent neceſſaria, quia ipſa eſt ſimilitudo, & vitalis imago obiecti expreſſiua, & vniens intelligibiliter ipſum potentiæ, quæ ſine alio termino per ſe tendit in obiectum, & vnit illud intelligibiliter in actu potentiæ; neque facilè oſtenditur neceſſitas talis termini ex alio capite, niſi quia intellectio eſt actio, ac proinde productiua termini; quod non euincit, quia eſt actio immanens in eo recepta, à quo elicitur, & non tranſiens in opus à ſe diſtinctū ex 9. Metaph. t. 16. vbi etiam Ariſtot. exemplum dat viſionis dicens, nihil præter hanc aliud à viſu fiet opus, quod non eſt de opere externo intelligendum, cum nihil in hoc eſſet difficultatis, ſed de termino interno, de quo dubitari poterat. Et alioqui intellectio in communi accepta nō exigit producere terminum à ſe diſtinctum, ſed ſufficit, vt attingat, & exprimat intelligibiliter obiectum, vt patet in intellectione abſoluta Dei, quæ non producit verbum niſi vt notionalis. Deus de ſe eſt perfectiſſimè intelligibilis. Ariſt.

Et in intellectu creato beatitudo formalis conſiſtit in operatione ex lib. 10. Eth. Et Theologi ponunt, ij quidē in viſione, alij addunt viſioni gaudium, cum S. Bonauent. in 4. diſt. 84. a. 1. q. 3.

Quicquid tamen ſit de facto, potiſſima noſtra intentio eſt probare, quod non ſit impoſſibile verbum mentis, nō ſolùm abſolutè, vt plures aſſerunt ſupra citati, ſed etiam in patria, vt negant XVIII.

gant plerique, & tunc reſtant nobis ſoluenda argumenta contra verbum, ſi Deus vellet produci ab aliqua potẽtia. Igitur.

Primò argues. Species expreſſa repræſentare debet obiectum in eſſe intentionali, ſecundùm omnem perfectionem, quam habet in eſſe reali; ſed nihil creatũ poteſt hoc modo repræſentare eſſentiam increatam, ergo. Probatur maior, quia ſpecies expreſſa gerit vicem obiecti, ergo debet illud quoad omnia exprimere, alioqui non cognoſceretur perfectè in illa. Minor probatur, quia nihil creatum continet vel eminenter, vel formaliter omnem diuinam perfectionem, igitur neque poteſt illam repræſentare ex Diu. Thoma 1.p.q.12.a.2 Cum enim ſit finitum & limitatum, non poteſt continere perfectionem illimitatam, atque vt Vazq.1.p.d.38.n.24.docet ex Scoto quodl. 14. §. ad iſta, non poſſe aliquid eſſe medium cognitum cognoſcendi aliud quidditatiuè, vt eſt in ſe, niſi contineat totam rationem illius; ac proinde nihil tale eſſe poſſe medium, etiamſi eiuſdem naturæ cum illo.

Reſpondeo, nego maiorem: ad probationem nego ſequelã. Ratio vtriuſq; negationis eſt, quia neque de ratione imaginis in communi eſt, vt repræſentet prototypum ſecundùm omnem perfectionem, quam habet in ſe; imago enim Cæſaris, exempli gratia, repræſentat externa lineamenta colorẽ, &c. non autem virtutes, aut diſpoſitionem animi, vel corporis: neque de ratione talis imaginis, ſcilicet vitalis eſt, quòd exprimat omnem perfectionem obiecti cogniti, alioqui cognoſcens intuitiuè aliquam rem, illam comprehenderet, formando verbum, atque adeo etiam cognoſcens eſſentiam diuinam incomprehenſibilem, ipſam comprehenderet, ſi formaret verbum, quia omnem eius perfectionem exprimeret, quod non inferrent aduerſarij etiam ex ſuppoſitione apud ipſos impoſſibili, quod formaretur verbum, quia illud non negant ob hoc inconueniens. Neque ex eo, quod gerat vicem obiecti hoc ſequitur, quia ſicut ſpecies impreſſa repræſentat obiectum, cuius eſt vicaria, ſecundùm aliquam perfectionem, & non ſecundùm omnem, ita & expreſſa, quæ illi proportionata eſt, & repræſentat in actu ſecundo, id cuius illa repræſentatiua eſt in actu primo. Verbum igitur ſi daretur in viſione repræſentaret eſſentiam ſecundùm eas perfectiones, quæ de facto conceduntur ab omnibus Theologis videri ſiue in verbo, ſiue ſine verbo, à quocumque deinde proueniat limitatio, & diuerſitas viſionum, ſiue à lumine ſecundùm diuerſam perfectionem indiuidualem, ſiue ab eſſentia, quæ poſſit ſe applicare intellectui, & fungi vice ſpecierum diuerſimodè repræſentatiuarum, ſiue ex alio capite.

Secundò argues. Quilibet effectus diſtinctus ab actione productiua ſui, poteſt à ſolo Deo produci, ergo ſi dari poteſt ſpecies expreſſa diſtincta ab actu intelligendi, poterit à ſolo Deo produci. Antecedens patet, quia Deus poteſt ſupplere omnem actiuitatem cauſæ ſecundæ, & per ſe ipſum ſolum producere, quod poteſt cum illa ſaltem in ijs, quæ non ſunt eſſentialiter pendentia à cauſa ſecunda vt actiones vitales. Conſequentia probatur, quia verbum mentis ſi non eſt ipſe vitalis actus, ſed terminus ab ipſo productus, perinde ſe habet, ac termini aliarum actionum, qui à Deo produci poſſunt, v.g. idẽ calor ab igne; & à Deo ſolo, eadem lux à Sole, & à Deo, &c. Falſitas conſequentis patet, quia ſi ſpecies expreſſa à ſolo Deo produceretur, aut ſi ab eo ſolo conſeruaretur iam producta ab intellectu creato, illa eſſet vitalis repræſentatio, & actualis expreſſio eſſentiæ, & nulli tamen repræſentaret; quia nullus intellectus intelligeret, & ſine intellectione actuali nõ eſt repræſentatio actualis; ſpecies autem expreſſa ponitur vt terminus intellectualis, & non vt formalis intellectio; & ex alia parte eius eſſe conſiſtit in repræſentatione, cum ſit expreſſio vitalis obiecti; actualiter igitur repræſentaret, & non repræſentaret.

Neque valet dicere, quod repræſentaret in actu primo, ideſt eſſet repræſentatiua; quia cum repræſentatio ſit formaliter vitalis expreſſio, vbicumq; ponatur in ſubiecto apto, qualis eſt intellectus, actualiter faciet obiectũ

Digitized by Google

intellectum & præſens intentionaliter; & cum ex alia parte ponatur a ſolo Deo in ipſo produci ſine concurſu intellectus, obiectum ab eo intelligetur ſine intellectione, quod eſt intelligere, & non intelligere.

Si Reſpondeas, Verbũ mentis cũ ſit vitalis expreſſio obiecti cogniti, eſſentialiter pendet à vita, & ideo non poteſt ſine influxu vitæ conſeruari, ſicut alij effectus, qui non dicunt eſſẽtialem dependẽtiam à ſuis cauſis productiuis; atque ita propoſitio illa, Deus ſeipſo ſolo poteſt, quod poteſt cũ cauſis ſecundis, limitatur, niſi effectus dicant eſſentialem dependentiam ab ipſis, vt communiter dicitur de actibus vitalibus, & proinde de terminis ipſorũ vitalibus. Si inquam hoc reſpondeas, contrarium ego oſtendi 1. tom. diſp. 3. q. 1 à c. 5. quia non oſtenditur implicãtia productionis à ſolo Deo termini intellectionis, ſi eſt diſtinctus ab intellectione. Vbi ſolui argumẽta contraria, & dixi quod ſi terminus hic poneretur à Deo ſolo in intellectu, eſſet in illo mortuo modo, ſicut ſi poneretur in alio ſubiecto inepto; & diceretur quidẽ intellectus habere intellectionem; ſed non intelligere, quia hoc eſt vitaliter
XIX. influere in terminum.

Tertiò argues. Verbum mentis ponitur, vt per illud obiectum fiat præſens potentiæ in eſſe intentionali, ſed in patria per lumen, & per ſeipſam eſſentiam fit præſens; ergo non apparet, quid præſtet, aut præſtare poſſit verbum. Patet ſequela, quia ſolum ponitur ad vniendum intentionaliter obiectum intellectui.

Dato verbo, adhuc eſſentia principaliter viſionẽ terminaret.

Reſpondeo. Sicut diuina eſſentia fungitur vice ſpeciei impreſſæ, & eſt determinans intellectum ad ſui intellectionem, & nihilominus ſi crearetur ſpecies impreſſa eius repræſentatiua, quod in noſtra ſententia non implicat, idem effectus eſſet à duabus cauſis vel totalibus, vel partialibus attemperatis, iuxta diuinum beneplacitum; ita ſi daretur verbum, eſſentia terminaret viſionem principaliter quidem, vt de facto, ſed non eodem modo; quia viſio tenderet in terminum ipſum producendo, & eſſentia cognoſceretur per verbum, vel tanquam per mediũ, quo incognitum, vel tanquam per medium, quod cognitum, in quo tanquã in imagine exprimeretur eſſentia. Atque ita non eſſet fruſtra, quia eſſentia, quæ ſeipſa repræſentari poteſt in actu ſecundo, & in ſe videri; poteſt etiam per verbum; hæc enim ſunt cõnexa, repræſentabilitas videlicet per ſpeciem impreſſam, & per expreſſam, vt aduertit Caiet. loc. cit. cõſequentiùs negans expreſſam ſimul & impreſſam, quàm cæteri, qui hac reiecta vt impoſſibili, illam admittunt vt de facto.

Quartò argues. Prius eſt intelligere, quam verbum; ergo impoſſibile eſt abſolutè produci verbum. Antecedẽs probatur, quia omnis actio prior eſt ſuo termino, ergo intelligere, quod per te, eſſet actio productiua verbi in caſu ſaltem poſſibili prius eſt verbo producto. Sequela probatur in illo priori intellectus habet intellectionẽ; ergo per illam attingit obiectum, non poteſt igitur vel conſtitui formaliter intelligens per verbum, quod ſubſequitur intellectionem, neque per illud attingere obiectum, quod iam præſupponitur intellectum.

Duplex eſt prioritas; nempeà quo & in quo.

Reſpondeo, nego ſequelam: ad probationem diſtinguo de priori, a quo videlicet, & in quo intelligere, ſiue intellectio, quæ eſt productio verbi eſt prius prioritate à quo, non in quo, proinde ſimul eſt cũ verbo producto, & per illud conſtituitur intellectus completè, & formaliter intelligens, ſiue exprimens vitaliter ſubiectum per imaginem à ſe productam illius expreſſiuam.

Quinto, de ratione formalis beatitudinis eſt, vt conſiſtat in operatione; ergo non in verbo. antecedens patet ex principijs Philoſophi, ex 10. Eth. admiſſis à S. Tho. 1. 2. q. 3. a. 2. & alibi paſſim. Sequela probatur, quia verbum non eſt vitalis operatio, ſed terminus eius, quæ eſt quædam qualitas per te poſtulãs actionem productiuã.

Reſp. Beatitudo conſiſtit in operatione perfecta, & formata, quæ in hac ſententia nõ eſt ſine verbo, & termino

Ergo, inquies, omninò verbum eſt admittendum de facto, quia beatitudo eſt operatio perfecta, & tamen intentum ſolùm eſt probare, quod nõ implicet verbum, non autem quod detur de facto. Reſponſio igitur vel

non eſt adæquata, vel nimis concedit tuentibus verbum de facto.

Reſpondeo, ſi daretur Verbum, viſio illius productiua eſſet diuerſa ab ea, quæ caret Verbo vt termino à ſe diſtincto; vtraque autem eſt perfecta operatio, ſed vna ex ſeipſa, altera per terminum quo formatur; atque adeo reſponſio non concedit neceſſitatem Verbi de facto, quia agnoſcit perfectionem operationis ſine verbo ex vna parte, & ex altera cum Verbo de potentia abſoluta: quo caſu neque in Verbo præcisè, neque in productione eius, ſed in vtroque ſimul conſiſteret, quod idem eſt ac in operatione perfecta.

AN SIT POSSIBILIS

Species impreſſa abſtractiuè repræſentatiua Dei, & non intuitiuè.

CAP. V.

I. *Opinio Scoti impugnata à Thomiſtis, & ab alijs.*
II. *Non eſt impreſſa Angelis ſpecies ad cognoſcendum clare Deum in via abſtractiuè.*
III. *Nulla tamen apparet implicantia huiuſmodi ſpeciei.*
IV. *Rationes ad hoc probandum.*
V. *Solutio argumentorum.*

XX Scot. SCOTVS in 2.diſt.3.q. 9. docet Angelum habuiſſe cognitionem aliquam diſtinctam de eſſentia Dei naturaliter, ſed cognitione abſtractiua, non intuitiua: diſtinguit enim duplicem cognitionem, abſtractiuam videlicet, ac intuitiuam: Illa eſt cognitio quidditatis obiecti, prout abſtrahit ab exiſtentia actuali, & non exiſtentia, & conſiderat obiectum, ſecundùm ſe, ſiue exiſtat, ſiue non. Intuitiua eſt obiecti, vt præſens eſt, ſecundum exiſtentiam intellectui cognoſcenti. Vtraque eſt euidens: de prima patet, quia datur ſcientia, quæ eſt de obiecto ſecundùm ſe, vt abſtrahit ab exiſtentia; de ſecunda etiam manifeſta probatio eſt in ſenſibus res præſentes intuentibus, & in viſione beata, quam, intuitiuam eſſe nemo dubitat. Ad hanc non peruenit Angelus, niſi gratiæ, & luminis auxilio: Illam naturaliter habuiſſe affirmat, quatenus per ſpecies in creatione inditas, quæ vocantur naturales, ſicut & alia dona naturalia ſunt illis conceſſa. Alias ſignificationes ſcientiæ abſtractiuæ, & intuitiuæ perſequitur Capr. loc. mox citando: ſed præſens quæſtio eſt in ſenſu, quo tractatur à Scoto. Sequuntur ſcotiſtæ, & inclinat Molina 1. p. q. 1. a. 2. diſp. 4. §. Ex his duabus.

Impugnant hanc ſententiam Thomiſtæ cum Capr. in 2. diſt. 3. q. 2. a. 3 ad arg. Scoti contra 6. Concluſionem Caietano 1. p. q. 56. a. 3. & noſtris prope omnibus, quos citant recentiores, Faſol. in primis 1. p. q. 12. a. 2. dub. 16 Suar. Val. & alijs præſertim Vazq. 1. p. Suar. Val. Vazq. Faſol. diſp. 206. & quidem ad hoc probandum Thomiſtæ vtuntur ijſdem rationibus, quibus & contra ſpeciem impreſſam ſuperiùs vtebantur: Aliorum autem potiſſimum fundamentum eſt, quia non poteſt cognoſci clarè, & diſtinctè per propriam ſpeciem eſſentia diuina, quin cognoſcatur intuitiuè: quam rationem fusè explicat Suar. tr. 3. in 1. partem l. 1. cap. 11. de quo infra.

Prima Aſſertio.

IVxta doctrinam S. Bonauenturæ de facto non eſt indita Angelis ſpecies ad notitiam abſtractiuam, qua Deum clarè cognoſcerent in via. Probatur, quia nullibi meminit talis ſpeciei diſertè, neque ex principijs eius colligi poteſt probabiliter. Primo vbi de cognitione Dei in vniuerſum agit in 1. ſent. diſt. 3. p. 1. a. 1. q. 2. docet Deum cognoſci à creatura oſtendente illum per modum vmbræ, in quantum à longè, & in confuſo repræſentat Deum, ſicut vmbra corpus; per modum veſtigij, in quantum magis diſtinctè, ſicut veſtigium repræſentat hominem: per modum imaginis, inquantum repræſentat per modum obiecti. Duo primi modi conueniunt omni creaturæ, tertius ſoli rationali, quæ capax eſt cognitionis, & amoris. In quibus nulla eſt mentio ſpeciei prædictæ repræſentatiuæ clarè Deum. Sed quia agit S. Doctor de creatura, quatenus eſt obie- XXI.

ctum cognitionis, ex quo cognito intellectus aſcendit ad cognoſcendum Deum, non autem de ſpecie, quæ in cognita inſeruit illi ad eamdem cognitionem, quam directè elicit de Deo: Profero auctoritatem in particulari de ſpeciebus Angelorum tractantem, & ne à longe quidem talem ſpeciem inuenirem.

Hæc eſt in 2. diſt. 3. p. 2. a. 2. q. 1. Docet Angelos cognouiſſe naturalia, ac neceſſaria per ſpecies innatas; fortuita verò, & contingentia per ſpecies receptas. Et nulla hîc mentio de cognitione abſtractiua per ſpeciem illam, neque de illius creatione. Imò quæſtione ſequenti quærit, an Angelus in ſe diuinam eſſentiam cognouerit clarè, & reſpondet negatiuè; quia diuina lux propter ſui eminentiam, eſt inacceſſibilis viribus naturæ creatę, & indiget dono gratuito, vt eleuetur ad videndum clarè Deum, quæ eſt viſio facie ad faciem; Tum Sanctus ponit ſolam cognitionem naturalem, qua Angelus videt Deū in ſe, vt in ſpeculo, & hanc diſtinguit à cognitione per ſpeciem, & ab altera, quæ eſt per eſſentiam, vt patet ex reſponſione ad argumenta, & ponit mediam inter vtrāque; Et vocat viſionem in ſpeculo ſine ænigmate, ergo manifeſtè reijcit aliam cognitionem abſtractiuam Scotiſtarum, alioqui valde manca eſſet enumeratio quæ omittit modum præcipuum cognoſcendi per ſpeciem huiuſmodi.

S. Bonau. Tertio S. Bonauentura in 2. diſt. 4 a. 3. q. 1. concilians duo loca Auguſtini in ſpeciem contraria, Geneſ. nimirum ad lit. lib. 4. vbi ait, Angelos cognouiſſe res faciendas in verbo ſtatim creationis initio. Et lib. 11. Ciuit. c. 7 vbi agnoſcit moram inter creationem, & lapſum, in qua nec boni ſuæ beatitudinis, nec mali ſuæ miſerię præſcij fuere, diſtinguit cognitionem matutinam, qua nouiſſe dicuntur res in verbo, dupliciter: videlicet in perfectam, & intuitiuam verbi, quæ beatos reddit; & imperfectam, quæ fit per illuminationem ſuſceptā à Verbo quæ indita eſt Angelis per ſpecies rerū in ipſis creatas, & lumen ſuper ipſos expanſum, quo cognoſcerent facta, & facienda: & de hac loquitur Auguſt. lib. 4. ſuper Gen. ad lit. Neque hic, vbi locus erat opportunus, meminit cognitionis abſtractiuæ per talem ſpeciem: Imò cum dicat in Dæmonibus remanſiſſe licèt obſcuratam, non poteſt illa eadem eſſe, quæ clara à Scoto ponitur, & in ſua eſſentia ſupernaturalis.

Quarto. Ibidem in 2. diſt. 3. a. 2. q. 2. ad primum manifeſtè excludit cognitionem Dei per ſpeciem in Angelo *ſed deiformis, inquit, dicitur, quia ſine ſuſceptione ſpecierum, per id quod habet in ſe, actu cognoſcit.*

Ratio eſſe poteſt, quia prædictæ cognitiones videlicet creaturarum per ſpecies concreatas, & acceptas, ac Dei ipſius, tanquam in ſpeculo claro, ſatis erant, & conuenientes ſtatui viæ Angelicæ, ergo fruſtra ponebatur alia abſtractiua, & quidditatiua Dei: per quod reſpondetur argumento Scoti ponentis talem notitiam tanquam conuenientem ſtatui Angeli, cui debebatur in via nobilior cognitio, quàm humano in ſtatu innocentiæ; conceſſo namque antecedente, negatur conſequentia, quòd debita eſſet cognitio illa abſtractiua; ſatis enim ad hanc conuenientiā eſt cognitio illa Dei in ſeipſo tanquā in ſpeculo limpidiore ſuper cætera, creata ſine ænigmate.

Secunda Aſſertio.

Quamuis de facto nulla neceſſitas, aut conuenientia cogat ad mittere ſpeciem abſtractiuam repræſentatiuam Dei; tamen de poſſibili hactenus non eſt allata ratio oſtendens implicantiam, & plures ſunt ſuadentes nullam eſſe: ideo hanc tenent conſequenter aliqui ex ijs, qui putant, poſſibilem eſſe ſpeciem repræſentantē intuitiuè Deum. Probo XXII.

Primo ex doctrina S. Bonauenturę in 2. diſt. 3. p. 2. a. 2 q. 1. ad arg. præter cognitionem per ſpeciem, & per eſſentiam, *dicendum, inquit, eſt, quod adhuc eſt tertius modus cognoſcendi, id eſt per effectum. Cognoſcitur autem Deus per effectus viſibiles, & per ſubſtantias ſpiritales, & per influentiam luminis cōnaturalis potentiæ cognoſcenti, quod eſt ſimilitudo quædam Dei non abſtracta, ſed infuſa, ſicut dicit Auguſtinus 9. Trin. c. 11.* S. Bonauent.

Digitized by Google

c. 11. Quomodocumque autem accipiatur dictum hoc de influentia, & de ſimilitudine, ſatis eſt in præſentia, quòd ſit tertius modus cognoſcendi diſtinctus à cognitione per ſpeciem impreſſam, qua cognoſcuntur creaturæ, & per eſſentiã, qua cognoſcitur Deus in ſe: & quod iſte tertius modus ſit nobilior primo, & inferior tertio; tunc enim hoc poſito, ſic arguo. In ſententia S. Bonauenturæ per influentiam luminis proportionati potentiæ cognoſcenti, Angelus in via nouit Deum in ſe ipſo tanquam in ſpeculo ſine ænigmate, & clarè, ergo potuiſſet, volente Deo, videre clarè per ſpeciem abſtractiuam. Antecedens eſt S. Doctoris. Conſequentia probatur, quia potentia, actus, & ſpecies, ſeu mediũ cognoſcẽdi ſunt inter ſe ſubordinata; ſi igitur datur cognitio Dei clara per eſſentiam, quæ eſt intuitiua, & propter illam datur lumen gloriæ in patria, & rurſus datur influentia luminis in via ad cognitionem claram conuenientem ſtatui Angeli viatoris, probabile eſt, pariter poſſibilem eſſe ſpeciẽ abſtractiuam, quam Scotus de facto ponit, cuius diſcurſus in opuſculo de cognitione Dei valet ad probationem ſequelæ huius, quod in eſſentialiter ſubordinatis, cui non repugnat primum, nec vltimum, neque repugnare debet medium: primum autem & vltimum ſunt potentia, & actus, medium verò ſpecies. Si ergo non repugnat viſio clara ſine ænigmate in Angelo cognoſcẽte Deum in ſe tanquam in ſpeculo, cur repugnare dicenda ſit ſpecies, qua ſimilis, aut nobilior cognitio eliciatur? Certè cum in eodem ſint ordine intellectionis, vt ordo comprehendit genus cognitionum, & in hoc genere detur viſio beata per eſſentiam de facto, & ſecundùm plures de poſſibili per ſpeciem impreſſam detur lumen gloriæ in Patria, influentia copioſa luminis in via Angelorum, non apparet, cur ab hac claſſe eximenda ſit poſſibilitas ſpeciei abſtractiuæ, vt apparebit ex ſolutione argumentorum.

XXIII. Eadem ferme eſt doctrina S. Thomæ, quod attinet ad triplicem modum cognoſcendi Deum: Nam 1. p. q. 56. a. 3. c. *aliquid* (*inquit*) *tripliciter cognoſcitur. Vno modo per præſentiam ſuæ eſſentiæ in cognoſcente, ſicuti ſi lux videatur in oculo. Et ſic dictum eſt quod Angelus intelligit ſeipſum. Alio modo per præſentiam ſuæ ſimilitudinis in potentia cognoſcitiua, ſicut lapis videtur ab oculo per hoc, quod ſimilitudo eius reſultat in oculo. Tertio modo per hoc quod ſimilitudo rei cognitæ non accipitur immediatè ab ipſa re cognita, ſed à re aliqua in qua reſultat; ſicut videmus hominem in ſpeculo. Primæ cognitioni aſſimilatur diuina cognitio, qua per eſſentiam ſuam videtur, Et hæc cognitio Dei non poteſt adeſſe creaturæ alicui per ſua naturalia. Tertiæ autem aſſimilatur cognitio, qua nos cognoſcimus Deum in via per ſimilitudinem eius in creaturis reſultantem ſecundum illud Rom. 1. Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, vnde & dicimur Deum videre in ſpeculo &c.* Cognitio autem, qua Angelus per ſua naturalia cognoſcit Deum, media eſt inter has duas, & ſimilatur illi cognitioni, qua videtur res per ſpeciem ab illa acceptam: quia enim Imago Dei eſt in ipſa natura Angeli impreſſa, Angelus per ſuam eſſentiam Deum cognoſcit, in quantum eſt ſimilitudo Dei, non tamen eſſentiam Dei videt, quia nulla ſimilitudo creata eſt ſufficiens ad repræſentandã diuinam eſſentiam &c. quæ vera ſunt de ſpecie obiectiua, & de facto non de ſpecie impreſſa, ac de poſſibili, & q. 62. a. 1. tertium Angelus, inquit, duplicem cognitionem in Verbo habuit, vnam naturalem, & alteram gloriæ. Naturalem quidem, qua cognoſcit Verbum per eius ſimilitudinem in ſua natura relucentem. Cognitionem verò gloriæ, qua cognoſcit verbum per ſuam eſſentiam, & vtraque cognoſcit Angelus in verbo, ſed naturali imperfectè &c.

S. Thom.

Triplex cognitionis modus per S. Thom.

Et quamuis Scotus impugnet hanc doctrinam S. Thomæ, tamen eadem ferme eſt cum tradita à S. Bonauent. ſupra, neque eam aliquid impoſſibile continere conuincit; quod ſufficit nobis ad inferendum, non implicare tale genus Cognitionis abſtractiuę, cum de facto dentur aliæ in eodem genere, ſicut ſi quis in genere Muſicorum numerorum probaret Diapaſon, quæ eſt conſonantia, omnium pulcherrima ex Ariſt. in probl. ſect. 19. quia exprimitur

Diapaſon

Digitized by Google

tur voce humana, fidibus, tubis; deduceret excogitabilibus alijs modis ex primi poſſe, quod illa numerorum proportio ſit vna, cui omnes ſoni innituntur; ita argueret diuinam eſſentiã, quæ eſt vna, varijs modis poſſe repræſentari, & pertinere ad eius excellentiam cognoſcendam, quemadmodum & pertinet infinitas effectum, quibus in vmbra, in veſtigio, in imagine repræſentari paulo ante docuit *S. Bonauent.* præſertim cum ex alia parte manifeſta ſit eminentia; quia à nulla creatura totaliter, & adæquatè poſſit repræſentari, vt ex eodem aduertimus capite præcedenti: & ſic omnis cognitio eſt imperfecta, quia nulla adæquat obiectum præter diuinam, ſed tamen intuitiua facie ad faciem dicitur perfecta comparatione cæterarum, inter quas eſt abſtractiua.

Secundo principaliter probatur, quia poteſt Deus communicare in hac vita claram ſui viſionem ad tempus, vt cum S. Aug. *S.* Thom. & alij infra citandi ſuo loco; vel certe quia alij id negant, finge, quod non implicat, animam beatam vniri ſuo corpori, & viuere in eo aliquo tempore ſine lumine gloriæ, & viſione; in ea manet memoria præteritæ beatitudinis, & notitia Dei trini, & vnius, ſicut manet notitia clara Romæ in eo, qui vixit in ea, & poſtea abiuit, quæ eſt clara, licet abſentis; & vniuerſaliter loquendo experientia docet meminiſſe nos clarè viſorum. Conſequenter ad hanc recordationem, & notitiam claram dari poteſt ſpecies propria, quæ minus eſſet perfecta, quàm altera repræſentatiua loco eſſentiæ, quam diximus eſſe poſſibilem, quicquid Capr. in 2. diſtinct. 13. q. 2. a. 3. ad arg. *S*coti contra 6. Concl. negans in tali caſu remanere notitiam Verbi, nec talem habuiſſe S. Paulum poſt raptum, niſi confuſam, qua potius recordabatur quod erat, quàm quid erat, idque ob infinitam, & incircumſcriptam perfectionẽ obiecti à nulla ſpecie repræſentabilem; ſed petit principium, quia vt ſupra dictum eſt, hoc etiam facit contra ſpeciem expreſſam, & alioqui non probat repræſentari non poſſe inadæquatè, nequæ ſuadet non remanere memoriam obiecti viſi; ſiquidem in omnibus alijs remanere certum eſt.

Tertio. Non implicat amor Dei naturalis ſuper omnia, neq; beatitudo naturalis illi reſpondens, ergo neque cognitio Dei abſtractiua per ſpeciem propriam, quæ ſit inferior intuitiua, & ſuperior quacumque alia naturali cognitione.

Item ſcientia naturali cognoſcitur exiſtentia, & excellentia Dei, & hæc eadem attingi poteſt ſcientia infuſa, & beata viſione, cur non igitur & per ſpeciem abſtractiuam, ſicut & per intuitiuam?

Denique reſpondetur commodè argumentis contrarijs, vt ex eorum ſolutione oſtendatur. negatiuè non implicare ſpeciem, quam poſitiuè oſtendũt eſſe poſſibilem rationes probabiles.

Primum & fortius argumentum eſt, quo poſt Caietanum Capr. Durandum vtuntur recentiores, & dilatat Suar. loc. cit. quia cognitio quidditatiua, & clara, eſſentiæ diuinæ eſt etiam intuitiua; ſi quid enim obſtaret, maximè quia abſtractiua præſcindit ab exiſtentia, & præſentialitate; ſed videns clarè eſſentiam, videt etiam neceſſariam exiſtentiam, & præſentialitatem quia neque tempore, neque loco poteſt eſſe abſens, qui eſſentialiter eſt æternus, & immenſus; neque poteſt diſtinctè, & clarè videri, quin videantur prædicata ipſi identificata, qualia ſunt exiſtentia, æternitas, immenſitas, quæ in nulla creatura inueniuntur, & ideo de hac poteſt dari ſciẽtia abſtractiua, non de eſſentia diuina, quæ realiter eſt ſuum exiſtere. Suar.

Confirmatur, quia alioqui naturaliter poſſet cognoſci clarè Deus ſecundùm omnes proprietates, quas habet, quod eſt abſurdum ab omnibus Theologis reiectum.

Reſponſio communis tam admittentium notitiam euidentem myſteriorum fidei de poſſibili, quàm de facto notitiam abſtractiuam eſſentiæ diuinæ, negat antecedẽs, & notat primo, quòd talis cognitio nõ eſt ſimpliciter perfectiſſima, ſicut eſt intuitiua: deinde quod eſſentia poteſt dici abſens ab intellectu, non quia non ſit realiter intimè præſens, ſed quia vt S. Bonau. in 2. diſt. 3. a. 2. q. 2. ad arg. aduertit, non eſt præſens, cognoſcibiliter,

ſeu

ſeu per modum obiecti, aut mouentis, ſicut de facto eſt vbique per ſuam eſſentiam, potentiam, & præſentiam Deus, & tamen non cognoſcibiliter, quo modo lux eſt præſens cæco, ſed non viſibiliter; quod eſt exemplum S. Bonau. ibidem, per quod reſpondetur ad probationem antecedentis quamuis enim exiſtere Dei identificetur cum eſſentia, & præſentialitas pariter, ac immenſitas ab eadem non diſtinguãtur, nec inter ſe, poſſũt tamẽ cognoſci diuerſis modis, eorumque vnus eſt, ſi clara quidem habeatur cognitio, ac certa; ſed non ita perfecta, vt eſt intuitiua, quę coniuncta eſt cum experimento quodam in hoc poſito, quòd exiſtentia, & pręſentia attinguntur à cognoſcente perfectiori modo, quàm cum ſine experimento iſto cognoſcuntur. Exemplum eſt de Eclypſi Lunæ, quam demonſtratiuè aſtrologus ſcit, tali hora fieri, & nihil ipſum latet eorum, quę eius exiſtentiam comitantur; neque tamen dicitur illam intuitiuè nouiſſe, ſicut noſceret, ſi oculis intueretur. Prima cognitio vt pote demonſtratiua perfecta eſt, & perfectior erit, quæ præter cauſas intellectu perſpectas, oculis etiam exiſtentiam intuetur; ita notitia abſtractiua Dei eſſet perfecta, & clarior qualibet alia, quæ ſine ſpecie illa nobiliſſima haberetur; ſed inferior intuitiua, & beata, quæ per lumen gloriæ eleuãs intellectum, & per eſſentiam immediate haberetur.

Ad confirmationem, ſi habet vim aliquam argumentum, habet contra ponentes ſpeciem de facto, non contra ſolùm de poſſibili concedentes Dei omnipotentiæ; quomodo videri poſſe Deum non ſolùm abſtractiuè, ſed & intuitiue manifeſtum eſt; ſed tunc quæres.

An ſpecies illa poſſibilis eſſet naturalis, vel ſupernaturalis in ſua entitate? Qui concedunt illam de facto, dicunt eſſe in ſua entitate naturalem tanquam debitam naturæ Angelicæ, quæ exigit cognitionem nobiliſſimam de Deo proportionatam ſuæ dignitati at quia debitum hoc arguit conuenientiam, non neceſſitatem, ideo dici poteſt ſupernaturalis, quia non poteſt abſtrahi ab obiecto, ſed Deus liberè eam infundit in noſtra ſententia concedente diuinæ omnipotẽtię quicquid non cognoſcitur implicare: poteſt etiam eſſe naturalis, etſi non debita Angelo, ſicut & alia naturalia ſunt illi proportionata; neque tamen omnia conceſſa, aut debita. Et rurſus poſſibilis eſt alia ſupernaturalis non modo ſupplens vicem eſſentiæ, qualis eſſet in gloria; ſed & ſupplens in via diuerſa ratione, quàm in Patria, quia repræſentaret imperfectiùs, & citrà intuitum cauſatum à lumine gloriæ, hoc eſt ſine experimento præſentiæ formaliter cognitæ, & ſine diſcurſu, etſi materialiter cognoſcatur præſentia identificata cum eſſentia, ſed nõ repræſentata experimentaliter, vt ſupra dicebamus, neque ſub ratione eſſentiæ.

Inſtabis, cur non poteſt dici, quod ſpecies illa repræſentaret Deum experimentaliter vt præſentem, abſque eo, quod eſſet intuitiua viſio, dummodo diceretur imperfectior intuitiua perfectiſſima, quæ procedit à lumine, & beatum facit viuentem?

Reſpondeo, quandoquidem ſpecies illa poteſt eſſe naturalis, & ſupernaturalis iuxta dicta, ſi crearetur naturalis, exigeret concurſum diuinum ſibi proportionatum, ac proinde naturalem; Certum eſt autem cognitione naturali non poſſe attingi diuinam eſſentiam intuitiuè, quia eſſet viſio facie ad faciem, quæ ſupernaturalis eſt; Si autem illa ſpecies eſſet ſupernaturalis, concurſus diuinus illi debitus eſſet etiam ſupernaturalis; & tunc non apparet, quid illi deeſſet ad cauſandam viſionem intuitiuam; ſiquidem attingeret clarè, & diſtinctè eſſentiam vt præſentem cognoſcibiliter; quod non habet ſpecies abſtractiua poſita à Scoto: & ideo non cauſat cognitionem intuitiuam in eius ſententia.

Sed cur non poſſet fieri ſpecies ſupernaturalis, quæ eſſet abſtractiua, ſicut poſſibilis eſt naturalis per te, & ponitur de facto à Scoto, & eius diſcipulis?

Reſpondeo, quod omnis ſpecies ſupernaturalis diuinæ eſſentiæ ſupplet vicem eſſentiæ, & eſt ordinis diuini, ſicut lumen gloriæ, & ſpecies expreſſa; proinde poſtulat concurſum Dei ſuper-

per.

pernaturalem. Haberet igitur omnia requiſita ad viſionem intuitiuam, & non eſſet locus abſtractiuæ, qui relinqueretur ſpeciei naturali inferioris ordinis, & imperfectiori. Quemadmodum enim datur lumen propheticum oſtendens clarè Deum eſſe, qui loquitur,& Propheta cognoſcit propriè ſe moueri à Deo ad aliquid eſtimandũ, & ſignificandum verbo, vel facto, vt S. Thom. 2. 2. q. 173. a. 4. 1. non tamen videt Deum per eſſentiam: & q. 171. a. 2. ibid. ad quam videndam diſponit omne lumen gloriæ, quod eſt ſuperioris ordinis; ita ſpecies naturalis indita Angelo, vel homini repræſentaret eſſentiam per actum intellectus excellentiſſimum, ſed non intuitiuè, & facie ad faciem. At verò ſpecies ſupernaturalis, ſi crearetur, quæcumq; illa eſſet, eiuſdem ordinis eſſet, ac lumen, & repræſentaret intuitiuè, quia ſuppleret perfectè vicem eſſentiæ, & præſtaret idem munus, quod eſſentia; hoc autem non conueniret ſpeciei naturali, quia non ſuppleret vicem eſſentiæ, niſi conuenienter ſtatui, & potentiæ naturali Angeli, vel hominis, qui naturaliter Deum intuitiuè videre nequeunt, ob improportionem diuinæ excellentiæ cum intellectu creato.

S Thom.

XXV. Argui præterea poteſt ex Suar. loc. cit. n. 17. Per te non datur de facto talis ſpecies abſtractiua Angelo, ergo ſignum eſt, in eo non eſſe virtutem intellectiuam naturalem ad illam cognitionem Dei diſtinctam in ſe. Probatur conſequentia, quia ad alia, quæ naturaliter cognoſcere poteſt, inditas habet ſpecies.

Suar.

Confirmant hoc auctoritate Scripturæ innuentes difficultatem, imò & impoſſibilitatem cognitionis Trinitatis præciſa reuelatione: Nemo nouit filium, niſi Pater, neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit filius reuelare Matt. 11. &c.

Confirmatur ſecundo: quia ſic Angelus naturaliter cognoſceret libera Dei decreta, quæ realiter non diſtinguuntur ab eſſentia.

Reſpondeo nego ſequelam. Ad probationem dico primo ex doctrina S. Bonau. in 2. diſt. 3. p. 2. a. 2. q. 1. præter ſpecies ad naturalia & neceſſaria cognoſcenda ſeruientes, dari alias, quibus fortuita, & contingentia cognoſcat, ac proinde non inferri ex hoc quod naturaliter aliqua poteſt agnoſcere, habere illum ſpecies omnium poſſibilium cognoſci. Deinde Reſpondeo habere Angelum ſpecies neceſſarias cognitioni eorum, quæ conueniunt naturę, ac ſtatui ſuo, præter quas, ſi Deus velit, poteſt creare alias, non quidem debitas illi, ſed tamen proportionatas naturæ ſuæ. Neque enim Angelus habuit cognitionem intuitiuã omnipotentiæ Dei, ac proinde neque omnium omnino poſſibilium, ad quæ illa ſe extendit; ſed eorum tantùm, quę conueniunt eius ſtatui, qualis eſt rerũ naturalium, & multorum contingentium: Dei verò cognitionem habuit in ſeipſo tanquam in ſpeculo claro, vt ſupra ex S. Bonau. quòd ſi vellet creare ſpeciem abſtractiuæ ſcientiæ, ea vteretur intellectus Angeli ad cognoſcendã quidditatem ſine intuitu exiſtentię, nõ ſimpliciter, quia identificatur cum eſſentia, ſed præſentis cognoſcibiliter, ſicut qui meminit Romæ, vbi vixit aliquandiu; habet claram, & diſtinctam cognitionem Romæ, ſed non vt præſentis per cognitionem intuitiuam, quæ ſupponit intuitum oculorum, vel aliud ſenſuum experimentum, vt dicebamus ſupra de Eclypſi, cuius naturam, & exiſtentiam diſtinctè nouit Aſtrologus, licet illam non intueatur.

S. Bonau.

Ad primam confirmationem. Loca ſcripturæ loquuntur de hominibus & de facto; nos loquimur de poſſibili & de Angelis. De Trinitate eſt peculiaris difficultas, pro cuius elucidatione inſtituimus propriã quæſt. ſupra.

Ad ſecundam negatur ſequela, quia decretum Dei completè ſumptum cõnotat creaturam libere ab ipſo pendẽtem; atque ita videns eſſentiam diuinam, videt etiam decretum incompletè ſignificatum, ſecundùm id quod dicit in recto, ſed non cõpletè, vt exercet libertatem erga creaturam. Idq; ſiue addat eſſentiæ tantum reſpectum rationis ad obiectum extrinſecum, ſiue denominationem extrinſecam, ſiue vt alijs placet intrinſecã, de quo infra.

Citari poſſunt pro hac ſententia aſſerentes dari poſſe abſolute intellectũ, qui abſtractiuè cognoſcat Deum, & non poſſit eleuari ad videndum intui-

tiue

tiue quia cognitio abſtractiua non habet connexionem cum intuitiua, nec iſta cum illa, vt patet in ſenſibus habẽtibus intuitiuam, & non abſtractiuam. Ita P. Arriaga tom. 1. de Deo diſp. 4. ſect. 5. à num. 26. cuius tamen opinio habet difficultatem tum ad hominem concedentem poſſibilem eſſe creaturã materialem tam perfectam, vt Deum videre queat; tum abſolutè, quia non apparet implicantia cur intellectus abſtractiue cognoſcens Deum nequeat eleuari ad videndum intuitiue.

AN SIT POSSIBILIS

Species impreſſa repræſentans intuitiue Deum vt exiſtentem puro viatori.

CAP. VI.

I. Senſus quæſtionis.
II. Aſſertio affirmatiua eſt conformis doctrinæ S. Bonauenturæ.
III. Probatur eius auctoritate, & ratione.
IV. Soluuntur argumenta contraria.

XXVI. DARI poſſe ſpeciem abſtractiuam patet ex dictis, loquendo de puro Viatore, ſicut & intuitiuam de comprehenſore: nunc quæſtio eſt de intuitiua, quæ repræſentet quidem exiſtentiam Dei, ſeu Deum vt exiſtentẽ; ſed non eſſentiam, & quidditatem eius, ſeu quid ſit: conſtat enim ſeparabiles eſſe quæſtiones iſtas, ſicut & cognitiones exiſtentiæ, & eſſentiæ in rebus alijs; nam lucis quidem, exempli gratia, cognitionem intuitiuam habemus quod exiſtat, non item eſſẽtiæ eius, de qua diſputationes ſunt inter Philoſophos tanquam de re incerta, ac ignota; & idem eſt de quantitate, ac de maxima parte rerum naturalium, quarum nobis notiſſima eſt exiſtentia, non item eſſentia; poteſt igitur quæri, an idem contingat, vel contingere poſſit in cognitione Dei, vt detur ſpecies repræſentatiua exiſtentiæ, & non eſſentiæ, ſicut vice verſa quærebat Scotus, an dari poſſit repræſentans eſſentiam abſtrahẽdo ab exiſtentia. In quo ſenſu non tractatur quæſtio à Theologis; fortè quia ſupponunt rationes probantes, impoſſibilem eſſe ſpeciem abſtractiuam contra Scotum, valere etiam aduerſus ſpeciem repræſentantem intuitiuè exiſtentiam.

Pro ſolutione aduerte, quod licet in diuinis non ſit abſtractio ſecundùm rem, eſt tamen ſecundùm modum intelligendi, vt docet S. Bonauentura in 1. diſt. 33. a. 1. q. 1. ad argum. iccircò in ente ſimpliciſſimo eſſentialiter exiſtẽte actu, diſtinguimus per intellectum exiſtentiam ab eſſentia, & de vtraque enunciamus diuerſa prædicata in re non diſtincta; ac proinde etiam varias inſtituimus quæſtiones, quomodo Ariſtoteles in Metaphyſicis, an ſit vnus Princeps, & cauſa rerum inueſtigat; tum quid ſit, & qualis, oſtendere conatur; & Theologi ſtudent varijs argumentis demonſtrare, quod ſit; tum de natura, & proprietatibus eius operosè diſſerunt, vt patet ex Commentarijs in primum ſententiarũ, & in 1. p. D. Thomæ, à quæſt. 2. In præſentia igitur quærimus de exiſtentia in concreto, hoc eſt, an ſit poſſibilis ſpecies impreſſa repræſentãs intuitiuè Deum exiſtere, ſeu quod ſit Deus, abſque repræſentatione, quid ſit. Quam quidem quæſtionem intactam reliquit S. Bonauentura, ſed ex principijs eius conabimur inueſtigare, quid ſit probabilius, ideò ſtatuitur.

Aſſertio affirmatiua.

EST conformis doctinæ S. Bonau. in 1. diſt. 23. a. 2. q. 3. in reſol. & ad arg. vbi Deum in ſtatu innocentiæ viſum fuiſſe apertiſſimè ab Adamo, docet, non tamen æque ac à Beatis in patria: & fuiſse quidem viſionem illam in ſpeculo, & non facie ad faciem, neque diuinæ eſſentiæ, ſed alicuius gratiæ, vel influentiæ, quam in ſe per experientiam nouerat, & videre poterat, ſicut ſentit anima ſancta, quando liqueſcit, cum Sponſus alloquitur illam. Explicationem huius gratiæ habes à S. Thoma de Ver. q. 18. a. 2. in corp. vbi docet, Deum, & ſubſtantias immateriales ſi nobis nõ poſſe naturaliter cognoſci, niſi per res ſenſibiles; ſed ex perfectione gratiæ hoc habebat, inquit, homo in ſtatu in- XXVII.

Deus in ſtatu innocẽtię Adamo viſus, & quomodo.

S. Thom.

nocentiæ, vt Deum cognoſceret per inſpirationem internam ex irradiatione diuinæ ſapientiæ, per quem modũ Deum cognoſcebat non ex viſibilibus creaturis, ſed ex quadam ſimilitudine ſuæ menti impreſſa, &c. cum quo tamen ſtat, vt Deum etiam per creaturas cognoſceret, ſed etiam ſibi notum per impreſſam ſimilitudinem; hec autem impreſſa ſimilitudo, ſiue influentia, vt à S. Bonauentura vocatur, aut fuit ſpecies aliqua, aut lumen impreſſum menti, ex cuius poſitione arguitur poſſibilitas ſpeciei impreſſæ etiam efficaciùs, quàm ex poſitione luminis gloriæ deducatur poſſibilitas ſpeciei repræſentatiuæ diuinæ eſſentiæ, vt ſupra deducebant Auctores eius.

Angelorum duplex cognitio.

Præterea idem S. Bonauentura in 2. diſt. 4. a. 4. q. 1. in verbo, ait, dupliciter dicuntur cognoſcere Angeli, videlicet vno modo perfectè ſcilicet ſpeculando, & intuendo ipſum Verbum, & in ipſo alia, & hæc cognitio facit beatos. Alio modo ſuſcipiendo illuminationem à verbo, & in illa ſuſceptione cognoſcendo alia; & hæc cognitio fuit Angelis innata, quia indidit eis Deus omnium ſpecies, & lumen ſuper mentes Angelorum expandit, quo cognoſcerent facta, & facienda, &c. Cur ergo non potuerit creari ſpecies repræſentatiua Dei exiſtentis, ſicut diffuſum eſt lumen, quo cognoſcerẽt facta & facienda; poſito quod de facto non fuerit creata? vt idem S. Bonau. in 2. diſt. 3. p. 2. a. 2. q. 2. ad argum.

Confirmatur, quia Angelus per ſuã ſubſtantiam ſpiritualem, & non ſolùm per effectus viſibiles nouit Deum in via, vt S. Bonauentura in 2. diſtinct. 3. p. 2. a. 2. q. 2. ad arg. concedens prætere influentiam luminis connaturalis potentiæ cognoſcenti, per quod non ſolùm exiſtentiam, ſed etiam eſſentiã non facie ad faciem, ſed tamen in ſpeculo ſine ænigmate; vt ibidem S. Doctor ponens hunc modum medium inter viſionem beatam, & cognitionẽ ſub velamine ænigmatis, & S. Thom. 1. p. q. 56. a. 3. ait, quod natura Angeli eſt imago repræſentans Deum, ergo nulla eſt implicantia, cur non potuerit Deus infundere ſpeciem repræſentantem clarè exiſtentiam, quam cognoſcebat Angelus cognoſcendo clarè factum ſe eſſe à Deo, & ab eo ſe pendere.

Præterea in 2. diſt. 23. a. 2. q. 3. ad vltimum docet in Dæmonibus manſiſſe cognitionem Dei trini, quam habuerunt in prima conditione, ergo remanet, aut ſaltem infundi poteſt ſpecies repræſentans Deum trinum exiſtentẽ.

Præterea de Moyſe, & S. Paulo cenſet S. Auguſt. ep. 112. c. 12. & S. Thom. 1. p. q. 12. a. 10. & 2. 2. q. 175. a. 5. quod clarè viderint diuinam eſſentiam, & de poſſibili negandum non eſt, hoc poſſe fieri, licèt de facto multi negent, cum S. Bonau. ſupra in propria quæſt. quos eſt Vazq. 1. p. diſp. 55. & 56. & alij quos ibidem citauimus. Ceſſante verò viſione remaneret ſpecies repræſentans Deum exiſtere; maneret enim memoria viſionis, & raptus, vt manſit in S. Paulo.

Confirmatur, quia Prophetæ lumine cœleſti acti norunt euidenter agi ſe à Deo ad aliquid æſtimandum, vel ſignificandum, vt S. Thom. 2. 2. q. 173. a. 4. Eo igitur lumine ceſſante reſtat ſpecies repræſentans exiſtentiam Dei, vt ſupra notauimus.

Rationes ad idem probandum.

XXVIII

PRima eſt, quia Deus eſt cognoſcibilis per effectus demonſtrantes eius exiſtentiam, potentiam, &c. Eſt item cognoſcibilis per ſubſtantias ſpirituales tanquam per imagines, & ſimilitudines quaſdam, vt patet ex *SS.* Doctoribus Thoma, & Bonauentura. Inſuper de potentia abſoluta poteſt loco ſuæ eſſentiæ, quæ fungitur vice ſpeciei impreſſæ, ſubſtituere creatam ſpeciem, vt ſupra cum magna Theologorum parte probatum eſt: Cur igitur non ſit etiam poſſibilis ſpecies, qua repræſentetur exiſtens clarè, id eſt quę ſeruiat intellectui ad cognoſcendam clarè exiſtentiam per apprehenſionẽ, ſicut iuuant effectus ad eandem per diſcurſum manifeſtè probandam?

Confirmatur, quia in communi ſententia admittente ſpecies intentionales rerum cæterarum, infuſæ ſunt ſpecies Angelis in creatione, vt S. Bonau. in 2. cit. cur ergo non potuerint infundi etiam exiſtentiæ Dei?

Secunda. Maior videtur diſtantia, & repugnantia inter iſtos terminos, Deus

Deus ſit homo, vel homo eſt Deus, quam ſit inter iſtos alios, Deus repræſentabilis eſt per ſpeciem vt exiſtens; ſed de facto homo eſt Deus, ergo de poſſibili repræſentabilis eſt per ſpeciē. Antecedens probatur, quia inter Deũ & creaturam eſt infinita diſtantia, & proinde nulla eſt proportio quoad eſſe, & tamen eſt quoad vnibile, & vnitiuum, quia natura humana vnitur diuinæ Perſonæ ad conſtituendum vnum ſuppoſitum, quod eſt Deus, & homo, igitur Deus ſummè per ſe intelligibilis; poteſt etiam intelligi per ſpeciem impreſſam vt exiſtens. Conſequentia probatur, quia hæc intelligibilitas dicit ſupra obiectum tantùm denominationem extrinſecam à ſpecie & potentia, vnibilitas autem in vnam Perſonam cum natura humana dicit intimam coniunctionem extremorum ad conſtituendum vnum per ſe, quod eſt quid maius & difficilius, quàm eſſe intelligibile per ſpeciem, præſertim vbi repræſentatio non eſt eſſentiæ,& prædicatorum diuinorum; ſed ſolùm exiſtentiæ, quæ alijs modis cognoſcitur, & non apparet, cur non etiam per iſtum.

Et huc multo commodiùs cadit argumentum, quod eſt Achilles probantium probabilitatem ſpeciei impreſſę ad claram cognitionem eſſentię à comparatione ſpeciei expreſſæ, quã formant in Patria Beati, quia minus eſt videre tantùm exiſtentiam, cur ergo non ſit poſſibilis ſpecies ipſam ſolũ repræſentans, ſi datur expreſſa repręſentans cum ipſa etiam eſſentiam?

Tertia ratio. Ex parte Dei nulla inuoluitur imperfectio, quod ſit terminus repræſentatus per ſpeciem, ipſius exiſtentia, & aliunde potius commendatur omnipotentia, ſi ad talem ſpeciem ſe extendat: ex parte verò ſpeciei ipſius non apparet, cur repugnet eſſe ſimilitudinem, qua iuuetur intellectus ad clarè videndum per ipſam obiectum, quod alijs modis cognoſcere poteſt,ergo &c. Antecedens probatur, quia eius ſubſtantia eſt terminus vnionis hypoſtaticæ, & poſſe hanc terminare pertinet ad infinitam perfectionem eius. Eſſentia item & proprietates tam abſolutæ, quàm relatiuæ terminant cognitionem in patria, & in via, ergo quid repugnat, vt exiſtentia ſit terminus cognitionis in via?

Si enim dicas, excellentiæ eius infinitæ nullam dari poſſe imaginem repræſentatiuam, inſtantiam habes in ſpecie expreſſa, quæ eſt vitalis, & formalis, ac expreſſior eius ſimilitudo: Habes & in vnione hypoſtatica, quę non obſtante infinita diſcrepantia in naturis, ita tamen extrema coniungit, vt fiat vnum ſuppoſitum, in quo prædicat, a quæ inter ſe pugnant per idiomatum communicationem, fiunt cõmunia homini, & Deo, quorum nullũ inuenitur in Deo repræſentabili per ſpeciem quoad exiſtentiam.

Confirmatur, quia Deum exiſtere eſt veritas vna ex primis, quæ de ipſo innoteſcit, & eius cognitio eſt indita naturæ rationali per inſtinctum quẽdam ineffabilem, vt S. Bonauentura in 1.diſt.3.p.1. a.1. q.1. ſupra cit. ergo & per ſpeciem inchoatio illa naturalis perfici poteſt.

Quarta ratio, quia faciliùs ſoluuntur argumenta contra hanc ſpeciem, quàm contra impreſſam repræſentatiuam eſſentiæ ſuperiùs ſoluta, & alioqui non eſt negandum, fieri poſſe a Deo, quod oſtenditur, non implicare, ergo, &c.

Quid enim? An quia viſio illa eſſet intuitiua ex ſuppoſitione, & non eſſet intuitiua, quia non repræſentat obiectum, vt exiſtit à parte rei, cum ſuis conditionibus? Sed reſpondetur, fore intuitiuam reſpectu exiſtentię, quæ cognoſceretur euidenter, non perfectè, & abſolutè, quia non repræſentaret eſſentiam, & quidditatem Dei, ſed exiſtentiam in ſe, non ſecùs ac res quæ cadunt ſub ſenſum, cognoſcuntur intuitiuè, quod exiſtant; quid autem ſint non item,vt ſupra dicebamus. Multò minùs valent, quod ſpecies debet immaterialior obiecto, quod ipſi proportionata, quod naturaliter cognoſceretur intuitiuè Deus, & ſimilia, quæ ſupra ſoluta ſunt. Reſtat vnum vel alterum,quo vtuntur recentiores nonnulli,& putant eſſe D.Thomæ; quamquam enim impugnant ſpeciem impreſſam eſſentiæ,habent tamẽ vim contra exiſtentiam.

Primum eſt huiuſmodi. Hoc diffe- XXIX.

runt natura diuina, & creata, v.g. angelica, quod hæc eſt imperfecta in ratione intelligibilis, ideoque compleri poteſt intelligibilitas per ſpeciẽ obiectiuè; quod inde patet, quia Angelus ſuperior meliùs cognoſcit Angelum inferiorem per ſpeciem impreſſam, quam iſte ſe cognoſcat, habendo ſeipſum ſolum pro obiecto motiuo, quia hæc eſt natura ſpeciei impreſſæ, vt reddat obiectum clariùs, & illuſtriùs: At in diuina natura ſecus accidit, quia ſecundum ſe eſt melior, ac proinde verior, & quocumque aggregato ex ipſa & creatura intelligibilior; nam aggregatum inuoluit aliquam imperfectionem, non item diuina natura ſolitariè conſiderata, quæ ſecundùm ſe recipit omnẽ denominationem dicentem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, quarum vna eſt, non includere in ſua ratione aliquod creatum, aut defectum vllum; quod de illo aggregato dici non poteſt; Impoſſibile igitur eſt, diuinam intelligibilitatem cõpleri, aut augeri per ſpeciem creatã; imo eo ipſo, quod ingreditur in obiectum formale aliquod creatũ, cognitio erit ænigmatica.

Confirmatur, quia ſi in obiecto formali caritatis aliquid creatum inuoluatur, actus non erit caritatis, cuius præſtantia eſt, vt Deum ſolum æſtimet per ſe, & purè ipſum amet; ita & perfectio viſionis Dei eſt, vt nullũ habeat defectum ex parte intelligibilitatis obiecti; haberet autem, ſi interponeretur ſpecies impreſſa, quæ eſſet tanquam nebula.

In quo argumento vim ponunt maximam recentiores aliqui, vt ſupra retulimus, vbi & ſoluimus primo per inſtantiam, quia per ſpeciem expreſſã Deus fit actu intellectus de intelligibili in potentia ſine vllo addito intrinſeco, ſed ſolum per denominationem extrinſecam; eſſe enim Deum intelligibilem ſignificat poſſe terminare actum intellectionis, quæ ſicut & intellectum eſſe, eſt denominatio extrinſeca fundata in ipſo vt obiecto, & in potentia intellectiua eliciente actum intellectionis: ſic eſſe repræſentabilem per ſpeciem impreſſam non inuoluit intrinſecam aptitudinem per ſpeciem complendam, ſed ipſum eſſe Dei, & denominationem extrinſecam ſumptã à ſpecie concurrente cum potentia ad actum viſionis verſantis circa ipſum.

Secundò, Reſpondeo directè ad argumentum, in quo aſſumuntur gratis aliqua, in alijs eſt æquiuocatio. Inprimis negatur, quod per ſpeciem impreſſam compleatur intelligibilitas in creatis, quaſi aliquid intrinſecũ addatur obiecto, quod perficiat ipſũ, quod neque ipſi aduerſarij intendunt, concedentes ſpeciem eſſe intrinſecam ſubiecto, cui inhæret, & obiecto, quod repræſentat extrinſecam: quo poſito nihil aduenit Deo, niſi denominatio extrinſeca, quam aduenire non eſt inconueniens; atque adeo reddi obiectum clarius per ſpeciem nihil ſonat præter denominationem hanc, & negatur, quod Angelus inferior per ſpeciem fiat illuſtrior Angelo ſuperiori, accipiendo aliquid de nouo: quod autem hic perfectiùs intelligat tantum arguit nobiliorem potentiam intellectiuam. Deinde ex eo quod conceptũ repræſentabilis per ſpeciem ingreditur creatura inuoluens imperfectionem, non ſequitur, quod conceptus Dei repræſentabilis per ſpeciem inuoluat imperfectionem, quæ cadat in Deum, ſicut neque quod ſit repræſentabilis per ſpeciem expreſſam, & attingibilis ab intellectu.

Ad confirmationem, ſicut eſſe amabilem per potentiam appetitiuam, & actum eius vel naturalem, vel ſupernaturalem, non dicit imperfectionem in Deo neque eius conceptum, aut obiectum formale caritatis ingreditur creatura, niſi vt quid materiale extrinſecum, ita neque eſſe repræſentabilem per ſpeciem, vt dictum eſt. Falſum eſt autem, quod ſpecies ſit vt nebula, cum potius inſeruiat pro luce, & imagine, qua præditus intellectus elicit viſionem. Alias inſtantias habet P. Iulianus Cæſar Recupitus t.1.in 1.p.lib.6 q.21.c.2. Sed ex dictis de ſpecie repræſentatiua eſſentiæ ſolui facilè poſſunt.

Alterum argumentum afferunt recentiores ex D.Thoma in compendio Theologiæ c.174. quia de ratione ſpeciei impreſſæ eſt, vt ſit obiecti vel diſtantis loco, vel habentis negationem concurſus obiectiui & motiui; ſed neutro modo poſſibilis eſt ſpe- XXX.

cies

cies reſpectu Dei: Non primò, quia Deus immenſus à nullo loco abeſſe poteſt. Neque ſecundo, quia Deus nõ poteſt negare ſuum concurſum obiectiuum vlli creaturæ; nam in qualibet viſione Dei creata reperitur aliqua perfectio ſimpliciter ſimplex communis ſoli Dei viſioni, qua Deus ſe videt, & huic numero viſioni creatæ, quam ſolus Deus dare poteſt non ſolum vt cauſa efficiens, ſed vt obiectiua.

Reſpondeo, nego aſſumptum, quod Deus non poſſit negare ſuum concurſum obiectiuum, ſi loco ſuæ eſſentiæ fungentis vice ſpeciei ſubſtituere velit ſpeciem eius vicariam, hoc eſt loco illius concurrentem: Item negatur, quod licet huic numero viſioni inſit perfectio accepta à Deo vt cauſa obiectiua, tamen hinc inferatur impoſſibilitas ſpeciei impreſſæ; ſolum enim ſequitur, quod illa perfectio numero, quæ eſt ab eſſentia concurrente loco ſpeciei, non ſit eadem cum illa, quam daret ſpecies, quia ſicut mutata cauſa efficiente mutatur effectus, ita & mutata obiectiua; non autem quod impoſſibile ſit pro eſſentia, quæ eſt cauſa obiectiua ſubſtitui ſpeciem impreſſam, & dari perfectionem ſimpliciter ſimplicem illi communem, ſi hæc datur communis viſioni creatæ, & increatæ, & ſimilia argumenta magis impugnãt ſpeciem repræſentatiuam eſſentiæ intuitiuè, quam poſſibilem probauimus.

Ad S.Thomam, iam diximus variè explicari etiam à ſuis: alij interpretantur de ſpecie obiectiua, qua repræſentari Deum intuitiuè eſt impoſſibile; alij de potentia ſolùm ordinaria locutum putant; alij abſolutè de qualibet ſpecie, vt ſupra vidimus, quicquid ſit de mente S.Doctoris alibi, certè locus citatus non obſtat noſtræ ſententiæ, vt patet ex verbis eius; *Videbitur autẽ Deus, inquit, per eſsentiam, non per aliquam ſimilitudinem ſui, qua intellectu præſente res poſſit diſtare, &c.* Nos autem nõ admittimus talem ſpeciem, quæ repræſentet Deum diſtantem, qui diſtare à creatura non poteſt; neque concedimus de ratione ſpeciei eſſe repręſentare rem abſentem; neque de facto dicimus videri Deũ, per ſpeciem à Beatis: ideo auctoritas allata nobis non obſtat.

Tertium argumentum eſt ex q. 12. 1.p.a.2.c. quia diuina eſſentia, inquit, eſt aliquid incircumſcriptum, continens in ſe ſupereminenter quicquid poteſt ſignificari, vel intelligi ab intellectu creato: & hoc nullo modo per aliquam ſpeciem creatam repræſentari poteſt, quia omnis forma creata eſt determinata ſecundum aliquã rationem vel ſapientiæ, vel virtutis, vel ipſius eſſe alicuius huiuſmodi; vnde dicere Deum per ſimilitudinem videri, eſt dicere diuinam eſſentiam non videri, quod eſt erroneum. XXXI.

Multorũ reſponſio eſt, loqui S.Doctorem de ſpecie obiectiua, quæ cognita nõ repræſentaret intuitiuè Deũ, ſed in ænigmate; quæ ratio non valet de ſpecie impreſſa; & S. Auguſtinus citatus in argumento, ſed contra, de obiectiua loquitur, & de illa procedũt tres rationes in corpore articuli adductæ, non de impreſſa: & hæc inſtantia, in qua vim faciunt aduerſarij, facile ſoluitur, quia ſpecies illa determinata eſſet, & finita in ſuo eſſe; ſed tamen repræſentaret infinitam eſſentiam, ſicut ſpecies expreſſa, cui deſeruiret, & concurreret ad eam formandam vnà cum intellectu, & lumine gloriæ; at ſpecies obiectiua, quæ viſa oſtenderet perfectiones eſſentiæ diuinæ, deberet illas in ſe formaliter continere, quod eſt impoſſibile, quia eſſet ſemper determinata ſecundum aliquam rationem, vt ait S.Thom. vide P.Faſol. 1.p.q.12.a.12. dub. 11. n.39. Species obiectiua repræſentans intuitiuè Deũ eſt impoſsibilis.

Sed quicquid ſit de hac controuerſia, vbi agitur de ſpecie impreſſa repręſentatiua eſſentiæ, & quidditatis diuinæ, in præſenti quæſtione de exiſtentia non habent locum rationes D.Thom. quia tantùm ſit de exiſtentia in concreto, ſeu de exiſtente vt ſic, vtrum cognoſci poſſit hæc veritas intuitiuè per ſpeciem, quod nos affirmamus, & negari non poſſe videtur ab alijs, qui fatentur Deum eſſe, ſciri poſſe demonſtratiuè, ſine cognitione quid ſit.

COROLLARIA EX DICTIS.

CAP. VII. & VIII.

I. *Propoſitio, Deus eſt, an & quomodo per ſe nota viatori.*

II.

Digitized by Google

II. Diuerſæ de hoc ſententiæ.

III. Regulæ dignoſcendi propoſitionē per ſe notam.

IV. Non poteſt demonſtrari à priori Deū eſſe demonſtratione propria.

V. Poteſt tamen confici ſyllogiſmus de hoc ſimilis demonſtrationi.

VI. Solutio argumentorum.

Primum.

XXXII. SEQVITVR propoſitionem hanc, Deus eſt, eſſe per ſe notam viatori habenti prædictam ſpeciem; probatur, quia etiam non habenti, ſi terminos penetret, per ſe innoteſcit; igitur multò magis habenti ſpeciem propriè repræſentatiuam exiſtentiæ. Antecedēs eſt S. Bonauent. in 1. diſt. 8. a. 5. quæſt. 1. S. Bonau. *Diuini eſſe, inquit, veritas eſt euidens in ſe, & in probando. In ſe quia ſicut principiâ cognoſcimus in quantum terminos cognoſcimus, & quia cauſa prædicati clauditur in ſubiecto; ideo ſeipſis ſunt euidentia, ſic & in propoſito; nam Deus, ſiue ſumma veritas eſt ipſum eſſe, quo nihil melius cogitari poteſt, ergo non poteſt non eſſe, nec cogitari non eſſe: prædicatum enim clauditur in ſubiecto. Nec tantùm habet euidentiam in ſe; ſed etiā ex probatione; quoniam diuinam veritatem eſſe probat, & concludit omnis veritas, & natura creata: quia ſi eſt per participationem, & ab alio, eſt & ens per eſſentiam, & non ab alio. Probat etiam ipſam, & concludit omnis intelligentia recta, quia omni animæ eius cognitio eſt impreſſa, & omnis cognitio eſt per ipſam.* Et pergens probare concludit tantam eſſe veritatem diuini eſſe, vt cum aſſenſu non poſſit cogitari non eſſe, niſi propter ignorantiam cogitantis, qui ignorat quid eſt, quod per nomen Dei dicitur, &c. Ex qua doctrina habetur primò quod propoſitio, cuius prædicatum inuoluitur in ratione ſubiecti, eſt per ſe nota, quod idem eſt, ac obiectum eius aptum eſſe cognoſci ſine medio, cognita in ſe natura terminorum, vt patet in principijs, quæ cognitis terminis ſtatim naturali lumine cognoſcuntur, v. g. totū maius eſſe ſua parte; cui notitiæ comparat eam, qua dicitur Deus eſt, quia cum ſit ſumma veritas, & ipſum eſſe, quo nihil maius cogitari poteſt, neceſſariò penetrata ſignificatione termini, Deus, innoteſcit, quod exiſtentia inuoluitur in eſſentia.

Et licèt Greg. Arimin. in 1. diſt. 2. q. vnica a. 1. & Mayronus ibid. q. 1. ar. 2. S. Gregor. Maior. difficult. 4. ad primum. Maior q. 1. putent nihil eſſe per ſe notum, quod demonſtrari poſſet à priori, vel poſteriori; tamen ſi termini ita ſunt connexi, vt intellectui illos penetranti innoteſcat connexio, non obſtat quod poſſit deinde demonſtrari veritas propoſitionis vel ab eodem, vel ab alio intellectu; ideo addit S. Bonauent. Deum eſſe non tantùm habere euidentiam in ſe, ſed etiam ex probatione. Atque adeo non ſola propoſitio immediata eſt per ſe nota, vt ſentiūt plures Scholaſtici relati à Faſolo 1. p. q. 2. a. 1. init. Sed etiam quæ per medium probari poteſt, ſi aliunde per ſe ſine medio cognoſcatur, quomodo cognoſcitur per ſenſum, quod ignis calefacit, quod Sol oritur, & occidit, gyrat per meridiem, & ſimilia, quæ ſiue dicas nota ſecundum nos, ſiue ſecundum ſe, probari quidem poſſunt à priori; ſed interim non eſt neceſſaria demonſtratio intellectui ad cognoſcendam connexionem caloris cum igne, & motus cū Sole, ſiquidem ſenſu cognoſcitur, ſiue ſenſus experientia poſita cognoſcitur ſtatim ignem calefacere; & ideo non ſolùm ex parte cognoſcentis dicitur nota, ſed ex parte obiecti cognoſcibilis non modo per cauſam, ſed etiam per ſe data ſenſus experientia, quæ nō dicitur propriè medium cognoſcendi, ſicut eſt cauſa, vel alius medius terminus; ſed ſolùm conditio, qua poſita intellectus abſque medio cognoſcit connexionem motus cum Sole; ideoque ſi dicatur oculus videt moueri Cælum, ergo mouetur Cælum, viſio oculi non eſt cauſa, vel effectus motionis illius, ſed ſolùm conditio, qua poſita intellectus percipit immediatè motū, ac ſolem coniuncta.

Ex eadem doctrina ſecundò habetur ob aliam etiam rationem dici per XXXIII. ſe notam eſſe propoſitionem hanc, Deus eſt, quia menti omnium impreſſa eſt cognitio, quod ſit Deus, quod refert S. Bonauentura ex S. Damaſc. l. 1. fid. orthod. c. 1. & 2. qui ſubiungens in tantùm

Digitized by Google

tantum præualuiſſe hominum malitiam, vt dicat Deum non eſſe, ſecundùm illud pſ. 13. Dixit inſipiens in corde ſuo; ob excęcationem videlicèt, quæ lumen naturale offuſcat, quod eſt per accidens naturæ non impeditæ à peccato, & ſequenti rationis ductum, huic enim notum eſt Deum eſſe notione ſaltèm confuſa, & implicita, de qua Arnobius l. 1. aduerſ. gent. *Quiſquam ne eſt hominum, qui non cum iſtius Principis notione diem primæ natiuitatis intrauerit? cui non ſit ingenitũ, non affixum, imò penè in ipſis genitalibus matris non impreſſum non inſitum eſſe regem, ac dominum cunctorum, quæcumque ſunt, moderatorem, &c.* Igitur naturaliter intellectus tendit in hunc aſſenſum, quod Deus eſt, etiam non explicitè cognitus, nec habet opus medio ad illum, ſicut neque aliæ impreſſiones naturales, vt ferantur in ea, ad quæ inditæ à conditore ſunt; quæ cognitio deinde fit diſtincta cum Dei inuiſibilia per ea, quæ facta ſunt probantur à poſteriori, ac potiſſimum exiſtentia eius, quæ ſupponitur vt fundamentum reliquorum, & multò clarior euadit, quando habita demõſtratione, quod eſt Deus, aſcendit mens ad intelligenda eius attributa, quod ſit primum ens, ſimpliciſſimum, infinitũ, &c. qui eſt alter modus cognoſcendi Deum à probatione, vt loquitur Sanctus Bonauentura; ſed tunc propoſitio aliquid ex ijs enuncians nõ dicitur per ſe nota, nec immediata, quia cognoſcitur exiſtentia per medium aliquod ſiue à poſteriori per creaturas, ſiue quaſi à priori demonſtrando vnum attributum per aliud, non tamen propria demonſtratione, quæ procedit per veram, & propriam cauſam, qualis non eſt in diuinis. Eſt etiã alia ſpecies cognitionis per ſe, ſeu propoſitionis per ſe notæ, ac ſine medio, quod eſt Deus; huius enim primæ parti lumine naturali intellectus ſtatim aſſentitur, & non ſecundæ parti, quia niſi ſit excęcatus non poteſt aſſentire propoſitioni, ad cuius oppoſitam fertur naturaliter ob impreſſionẽ à Deo inditam; ſed præterea naturaliter cognoſcit ex vi complexi contradictorij veram eſſe propoſitionem, etiamſi nõ reflecteret ad illam Maximam vniuerſalem quodlibet eſt, vel non eſt, per quam probantur contradictoriæ particulares. Regula igitur diſcernendi propoſitionem per ſe notam, à nota per aliud, eſſe poteſt, vt per ſe nota dicatur, quæ ſe ipſa innoteſcit intellectui, etiamſi innoteſcere poſſit per aliquod medium diſtincta cognitione; innoteſcit autem ſeipſa multis modis paulò ante numeratis, idque ex mente S. Bonau. loc. cit. etiamſi de cætero contentio ſit de illis inter Scholaſticos in 1. ſent. diſt. 2. & in 1. p. S. Thomæ q. 2. a. 1. quam dirimere non eſt huius loci, cum pendeat à principijs logicis ex lib. 1. poſt. vbi de notis ſecundùm naturam, & ſecundùm nos diſputant Philoſophi.

Arnob.

Cognitio Dei indita à natura.

Rom. 1.

Propoſitio per ſe nota quænam ſit.

XXXIV.

Dices primò Non nouimus de Deo quid eſt, ergo neque quod eſt, dici debet per ſe notum, ſed probandum a poſteriori per effectus: patet ſequela, quia eſſe includitur in cõceptu eſſentiali Deitatis, quæ nobis innoteſcit ſolùm per effectus, ac proindè non poteſt ex terminis innoteſcere, quod prædicatum ſit de ratione ſubiecti, ſed aliundè probatur.

Reſpondeo, diſtinguo conſequens, non nouimus diſtinctè, & explicitè concedo conſequentiam; nõ nouimus implicitè per lumen naturale dictans in confuſo Deum eſſe, nego conſequẽtiam; illa autem notitia confuſa non eſt per medium, quia impreſſa à Deo eſt intellectui, vt S. Bonau. ſupra; itaque negandum eſt non poſſe Deum cognoſci, niſi per creaturas, vt contendit Vazq. 1. p. diſp. 19. c. 3. id enim verùm eſt ſolùm de cognitione diſtincta: Vndè neque valet explicatio aliorum dicentium dici Deum cognoſci naturali lumine ex S. Bonauent. & alijs Patribus, quia facilè per diſcurſum innoteſcit ex creaturis, quia præter hũc modum cognoſcendi diſtinctè, datur alius, qui ante diſcurſum naturali propenſione præſentit Deum eſſe, & appetitu innato tendit in illum vt finẽ, & bonum ſuum, vt ſupra diximus; & ideo per ſe notum eſt illi quod ſit, & amandus ſit, colenduſque, &c.

Cognitio Dei impreſſa à natura eſt confuſa.

Dices ſecundò aliud eſſe ſenſibus per ſe aliquid innoteſcere, vt Solem moueri; aliud intellectui, qui non mouetur ad aſſenſum illum immediatè

tè ex apprehenſione terminorum Solis, & motus, ſed media ſenſus cognitione: & idem eſt de alijs experiētijs, quæ ſunt media cognoſcendi.

Cognitio ſenſitiua eſt cōditio ad cognitionem immediatā. Reſpondeo, vt ſupra cognitionem ſenſitiuam eſſe veluti conditionem, qua poſita intellectus non eget medio ad iudicandum Solem moueri; & licèt quæ experientia cognoſcuntur dicātur nota ſecundùm nos; non tamen obſtat quin dicantur nota per ſe, ideſt non egentia medio, per quod cognoſcantur, quia naturali lumine intellectus videt terminos coniungi, qui coniuncti repræſentantur ab experientia, licèt deinde inueſtigando cauſam probare valeat à priori coniunctionem terminorum immediatè ante cognitorum: quod idem eſt de paſſionibus conuenientibus ſubiecto, ſi id immediatè cognoſcat, v. g. quod homo ſit diſcurſiuus; & proindè non eſt neceſſe ad hoc, vt prædicatum ſit de definitione ſubiecti, vt etiam concedunt Caiet. Capr. Ferrar. & alij apud Faſol. 1. p. q.2 a.1.n.7. probantem tamen ex mēte S.Thomæ ſolam propoſitionem eſſe per ſe notam, in cuius ſubiecti ratione inuoluitur prædicatum; qua regula nos vniuerſaliorem tradidimus, quæ complectitur etiam illa, quæ non ſunt in primo modo dicendi per ſe, quorum multa ſeipſis innoteſcunt naturali lumine, experientia, &c.

Secundum Corollarium.

CAP. VIII.

XXXV. NON poteſt à priori demōſtrari Deum eſſe demonſtratione propriè dicta. eſt communis ex S. Thoma 1. p.q.2.a.2.& aliorum ibid.Suar.in Met. diſp.29.ſ.3. Faſol.1.p.q.1. a.2.init. cōtra Scotum in 1.d.2. & Nominales docentes demonſtrari poſſe tam à viatore, cui communicaretur viſio Dei abſtractiua, quàm à beatis, quibus de facto communicatur intuitiua.

S Thom. Suar. Faſol.

Probatur primò ex eodem principio S.Bonauenturæ, quod prædicatū claudatur in ratione ſubiecti, hinc enim infertur non eſſe talem propoſitionem demonſtrabilem à priori, quia ſi exiſtentia eſt de ratione eſſentiæ diuinæ, ſicut huius non datur cauſa, vel ratio à priori, cum ſit primum ens, independens, &c. ita neq; datur illius; de quocumque genere cauſæ ſit ſermo: Demonſtratio autem à priori, ſeu propter quid procedit ex præmiſſis continentibus cauſam, ſeu medium, quod ſit cauſa, cur prædicatum concluſionis cōueniat ſubiecto ex 1. Poſt. cap.2.

Probant aliqui recentiores ſecūdo ex regula vniuerſali, quod nullum prædicatum eſſentiale eſt cauſa à priori, cur ſubiecto conueniat aliud prædicatum eſſentiale, ſed exiſtentia eſt prædicatum eſſentiale; ergo non poteſt per aliud à priori demonſtrari. Minor patet, quia Deus eſſentialiter exiſtit. Maior probatur, quia prædicata eſſentialia vel ſunt ſuperiora, & cum ſint communia, non poſſunt inferre ſpecifica, ſeu inferiora, quæ ſunt propria, v g. ex animalitate non poteſt inferri, quod homo ſit rationalis: vel ſunt inferiora, & ſic non ſunt cauſa à priori cur aliud prædicatum conueniat ſubiecto, v.g. quod homo ſit animal, quia eſt rationalis.

Sed regula illa neque certa eſt, neque vniuerſalis, cum per vnum attributum diuinum probetur aliud, v. g. immutabilitas localis per immenſitatem, & in multorum ſententia attributa in ſuo conceptu inuoluant eſſentiā.

Valeret tamen primò ſecundum opinionem exiſtimantium non eſſe veras demonſtrationes; ſed ſyllogiſmos ſolùm neceſſarios, qui habent præmiſſas continentes cauſas tantùm virtuales, quales ſunt in diuinis. Deindè in propoſito multò magis vbi nulla datur cauſa virtualis exiſtentiæ, cum ſit eſſentialis, & eſſentia non habeat vllam cauſam etiam virtualem; & non ſit conceptibilis, niſi vt exiſtens, quod eſt prędicatū claudi in ratione ſubiecti. probant alij. Nulla datur cauſa etiam virtualis exiſtentiæ diuinæ.

Tertiò. Demonſtratio à priori procedit ex propoſitionibus euidentibus ex terminis continentibus eſſentiam, ac definitionem ſubiecti, vt Ariſtoteles 1.Poſt.1. illa enim eſt cauſa, cur cętera, quæ probantur de ſubiecto, illi conueniant; ſed viatores de lege ordinaria non habent cognitionem eſſentiæ, ac definitionis Dei; ergo per illam

non

Digitized by Google

non poſſunt probare à priori exiſtentiam conuenire Deo.

Quæ ratio minùs probatur alijs putantibus haberi poſſe ſufficientem notitiam eſſentiæ Dei, vel euidenter abſtractiuè ex creaturis; vel ex diuina reuelatione per fidem, ex qua fieri poſſit demonſtratio à priori quod aliqua proprietas conueniat Deo, & alioqui non debeat nobiliſſima ſcientia Theologia priuari præcipuo inſtrumento ſciendi, ideſt demonſtratione à priori.

Hæc igitur ratio, vt valeat, ita eſt intelligenda, vt propoſitio euidens ſecundùm ſe ex terminis ſit illa, quæ cõtineat definitionem tanquam mediũ, cur prædicatum concluſionis conueniat ſubiecto, quod non contingit in propoſito, vbi definitionem ipſam ingreditur prædicatum, ideſt exiſtentia; quicquid ſit deinde de alijs probationibus vnius prædicati per aliud intrinſecum Deo, de quibus tamen.

XXXVI. Aſſero; Non poſſe demonſtrari à priori quod ſit Deus, per vllum prædicatum intrinſecum cõueniens Deo, eſt contra Mayr. in 1. d. 2. q. 3. exiſtimantem à priori per demonſtrationẽ, probari quod Deus ſit, quia omne ens infinitum exiſtit actualiter; & contra alios aliter id probantes: Ratio eſt. quia exiſtentia Dei eſt primum prædicatum eſſentiale, quod præſupponitur in omnibus alijs, quæ de ipſo dicuntur, ergo nullum priùs ſumi poteſt tanquam medium ad probandũ quod ſit. Conſequentia eſt manifeſta. Antecedẽs probatur ex eodem principio S. Bonauenturæ, quia eſſe Dei, ſiue exiſtere clauditur in ratione ſubiecti, ſiue eſſentiæ; ſicut igitur eſſentia ſupponitur omnibus, quę de Deo dicuntur, ita & exiſtentia in eius ratione incluſa.

S.Thom. Et hoc eſt, quod etiam alijs terminis docet S Thom. 1. p. q. 2. a. 2. ad ſecundum, quæſtio quid eſt ſupponit quæſtionem an eſt, proinde cum prędicata diuina, quæ aſſumuntur ad probandum exiſtentiam pertineant ad quæſtionem quid eſt, non poſſunt inſeruire pro medio à priori ad probandum id quod ſupponitur priùs, ſed tantùm à poſteriori, vel quaſi à poſteriori, quia in diuinis propriè non datur priùs, & poſteriùs.

Hic nonnulli recentiores fusè ex inſtituto Suarium confutant, quod Suar. diſp. illa 29. ſ. 3. Met. dixerat demonſtrari poſſe à priori Deum eſſe, poſita demonſtratione à poſteriori quod ſit ens neceſſarium, & à ſe; ſed Suar. apertè profitetur num. primo, ſimpliciter loquendo, non poſſe demonſtrari Deũ eſſe à priori. Et num. 2. ait non poſſe omnino ſeiungi in Deo has duas quæſtiones an eſt, & quid eſt, eo quod & eſſe Dei ſit quidditas Dei, & proprietates illius eſſe, quibus oſtendi poteſt, illud eſſe proprium Dei, conſtituens, vt ita loquamur, ipſam quidditatem, & eſſentiam Dei. Tantùm ergo vult fieri ſyllogiſmos ſimiles demonſtrationi à priori ob neceſſitatem, & certitudinem connexionis extremorum inter ſe, & cum medio, quatenus à nobis concipiantur diſtincta diſtinctione virtuali, vel rationis, cum fundamento in re vel intrinſeco, vel extrinſeco, ſecundùm quam diuerſitatem diuerſimode concipere poteſt intellectus, & diſtinguere vnam rationem ab alia, & cum diuerſo reſpectu priorem, & poſteriorem, v.g. ſi probet dari ens quoddam neceſſarium, prior ratio, quæ probatur eſt eſſe, nam ſi eſt ens neceſſarium, ergo eſt. Deinde ex neceſſitate probatur quod ſit ex ſe neceſſarium, quia neceſſitatem non habet aliunde; Hinc infertur vnitas in tali ratione, & modi eſſendi, inde deitas, quia ens cũ talibus proprietatibus eſt Deus; denique infertur exiſtere, quia exiſtentia eſt de eius eſſentia. In quo diſcurſu non fit illatio ab eſſe ad eſſe ex ſe ſeù ab intrinſeco, neceſſarium; ſed ex eſſe neceſſario ad eſſe neceſſarium ex ſe. Neque ab vnitate ſimpliciter infertur exiſtentia Dei, ſed ab vnitate tali, ſeu talis entis ex ſe neceſſarij, quæ non abſtrahit ab eſſe, ſicut ens in communi, & eſſentia; atque ita non ſolùm ex neceſſitate entis infertur eſſe, ſed ex tali eſſe vnitas, & ex tali vnitate deitas, & ex hac exiſtentia; qui diſcurſus in hac forma vt iacet non patitur inſtantias Theologi recentioris. Si verò ſermo ſit de attributis relatiuis ad creaturas, qualis eſt omnipotentia, prouidentia &c. putant aliqui demonſtrabilem eſſe materialiter propoſitionem hanc **Deus eſt**. Sed

Digitized by Google

Contra eſt, quia ſi nomen, Deus, ſumatur ex aliqua tali perfectione relatiua, non eſt demonſtrabile à priori quod ſit. Probatur ex eodem principio, nam etiam hoc modo acceptum relatiuè, vel materialiter dicit eſſentiam, vel quid diſtinctum ab illa formaliter; ſi primum ergo idem ſumitur ad probandum idem, puta eſſentia, ſiue Deus ad probandum Deum eſſe, & eſt inepta demonſtratio aſſumens pro medio Deum materialiter acceptum ad probandum eundem. Si ſecundum, hoc diſtinctum eſt attributum differens ab alijs tantùm per hoc quod concipitur cum ordine ad creaturas, ſed tamen vt quid ſupponens eſſentiam, ad quam conſequitur, ergo per ipſum non poteſt probari eſſentia, ſeu quod Deus ſit à priori, quia ſupponitur eſſentia attributis, & non demonſtratur per illa, vt per medium à priori quod ſit.

Dices ante quodlibet attributum intelligitur eſſentia tanquam radix, & ratio cuiuslibet, ergo ſumi poteſt vt medium ad oſtendendum ipſum eſſe de Deo ſic accepto.

Reſpondeo nego ſequelam, quia vel probatur per ipſam eſſe Dei, & hoc non, cum eſſe Dei ſit illi eſſentiale, & proinde ſupponatur in medio aſſumto, ideſt in eſſentia, quæ eſſentialiter exiſtit, & non poteſt pro medio ſumi ad probandum, quod exiſtit, quia ſequeretur quod exiſtit, quia exiſtit. Vel probatur tale eſſe Dei v. g. omnipotentis, prouidentis &c. Et hoc iam pertinet ad quæſtionem quid eſt, & non an eſt: Niſi fortè hinc inferatur eſſe quia eſt omnipotens, quo caſu argumentum eſt à poſteriori. Et hæc de demonſtratione propriè dicta, & reſpectu cuiuſcumque intellectus in quocumque ſtatu, quia in Deo non eſt cauſa à priori exiſtentiæ, etiam virtualis, cum illa claudatur in ratione eſſentię. Loquendo verò de demonſtratione impropriè, vt dicit ſyllogiſmũ conſtantem ex pręmiſſis veris, & neceſſarijs, dupliciter de illa loqui poſſumus; vel enim procedit ab effectis, ex quibus infertur exiſtentia cauſæ formaliter vt cauſa illorum eſt; & fit demonſtratio à poſteriori propriè dicta; vel aſſumuntur alia media, & non effectus vt ſic, & tunc

Abſolutè loquendo confici poteſt ſyllogiſmus euidenter oſtendens diuinam exiſtentiam. probatur quia vt Ocham & Gabr. in 1. d. 3. q. 4. a. 2. concl. 3. poteſt formari maior continens prædicatum exiſtentiæ ſecundũ conceptum, quem beatus habet hoc modo, exempli gratia, Deus ſecundũ conceptum beati exiſtit; & ſubditur propoſitio minor, in qua conceptus, quem viator habet, ſubijciatur, v. g. ſed Deus conceptus à viatore eſt idẽ, quem concipit Beatus, ergo Deus ſecundùm conceptum viatoris exiſtit. Non dico hanc eſſe veram demonſtra ſtrationem à priori, ſed ſyllogiſmum neceſſarium ex ſuppoſitione beatitudinis, & euidentem: non enim viſio eſt cauſa exiſtentiæ Dei, ſeu ratio cur illi conueniat exiſtentia, tum quia ante viſionem exiſtit; tum quia nulla alia datur huiuſmodi in Deo ratio, vt patet ex dictis, ſed eſt medium extrinſecum neceſſariò concludens, non ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſuppoſito ordine diuinæ prouidentiæ dignantis ſua viſione beatum, & ſua cognitione viatorem. XXXVII. Ocham. Gab.

Dices primò hic ſyllogiſmus peccat in forma, quia terminus, exiſtit, qui eſt maior extremitas in maiore, ſumitur ibi pro exiſtere obiectiuè in conceptu beati, quod eſt exiſtere euidenter, & intuitiuè: In concluſione verò eſt prædicatum, & ſumitur pro exiſtere obiectiuè in mente viatoris quod eſt longè diuerſum, ſcilicet exiſtere euidenter abſtractiuè modo naturali, vel ineuidenter per fidem,

Deinde hic ſyllogiſmus non eſt demonſtratio beato, quia non habet iudicium illatiuum de ipſo eſſe Dei in concluſione, cùm habeat euidentiſſimè in maiore per viſionem beatam, ſed ſolùm haberetur de iudicio viatoris; ſed neque ipſi viatori eſt demonſtratio, quia ipſe non habet præmiſſas, maior enim ſupponit ſcientiam beatam; Deinde viator ſcit ſe non habere euidentiam, niſi per demonſtrationem ab effectis abſtractiuè, & non per viſionem, quæ accipitur vt mediũ. Faſ. 1. p. q. 2. a. 2. dub. 1.

Tertiò arguit Gil. viſio beata vt pote apprehenſiua, & iudicatiua non eſt apta vt veniat in compoſitionem menta-

talem cum alijs terminis ſimplicibus, & ita inſeruire nequit demonſtrationi.

Ad primum nego diuerſimodè accipi, exiſtit, in maiore, & in concluſione; ſumitur enim ſemper pro reali exiſtentia Dei, & eſſe obiectiuè in mẽte beati, & viatoris tenet ſe ex parte ſubiecti in maiore, & concluſione, & ideo non variat prædicatum. Sicut ſi quis diceret Sol qui interdiu videtur eſt lucidus, ſed idem Sol, qui videtur interdiu eſt idem, qui videtur noctu ab Antipodis, ergo Sol, qui videtur ab Antipodis, eſt lucidus, terminus lucidus idem eſt in maiori, & concluſione.

Ad ſecundum. Eſt demonſtratio beato per actum reflexum, aut ſignatum, quem poteſt formare ſimul cum cognitione apprehenſiua, ſimul & iudicatiua eſſentiæ, & attributorum; ſicut qui intuitiuè videt Ecclypſim, poteſt eam demonſtratiuè intelligere per diſcurſum à priori; atque ita eam iam cognitam intuitiuè alio modo cognoſcere per diſcurſum: pari modo beatus per diſcurſum cognoſcere, ſi velit, poteſt, Deum exiſtere; quem per viſionem beatam nobiliori modo cognoſcit. Atque adeo confici ſyllogiſmus poteſt abſolutè loquendo probans efficaciter, Deum exiſtere diſtinctus à demonſtratione per effectus à poſteriori.

Ad tertium negatur aſſumptum, cur enim compoſita non veniant in compoſitionem mentalem cum terminis ſimplicibus, & non inſeruiant pro medio demonſtrationis? Certè definitio eſt quid compoſitum, & tamen illa eſt vel vnicus, vel optimus medius terminus demonſtrationis. Sed & ad hoc idem probandum; Secundo inſeruit quod Deus poteſt viatori communicare euidentem ſui notitiam intuitiuam, vt Chriſto Domino communicatam certum eſt; vel abſtractiuam, quam dari poſſe per ſpeciem aliquam probauimus; in ijs enim, & ſimilibus entibus formari poteſt ſyllogiſmus, in quo medius terminus ſit notitia aliqua, & prædicatum concluſionis ſit exiſtentia v.g. Deus, qui dixit Moyſi, ego ſum qui ſum, exiſtit; ſed ille idem eſt Deus qui creditur à nobis, ergo Deus, qui creditur à nobis, exiſtit.

Huiuſmodi ſyllogiſmi ſunt euidẽtes, & neceſſariò concludentes, apud habentes viſionem, aut notitiam euidẽtem apprehenſiuam extremorum; cœteris illa carentibus non ſunt euidentes licet ſint certi, vt pote conſtãtes propoſitionibus de fide; ſi tamen quis per diſcurſum à poſteriori acquirat euidentem notitiam exiſtẽtiæ Dei, poterit ſimiliter illa vti tanquam medio ad probandum, quod iam nouit à poſteriori per creaturas, vt effectus diſtinctos à notitia, quæ non inſeruit vt effectus, ſed vt ſignum ad probandum; cuius generis ſunt argumenta, quibus vtitur S. Bonauentura in 1. diſtinct. 8. cit. ad probandum quod ſit Deus, licèt aliunde habeat euidentiam in ſe.

AN POSITA EVIDENTI

Reuelatione myſterij Trinitatis, cognoſcatur euidenter, quod ſit, ſeu quoad, An eſt.

CAP. IX.

- *I.* *Status quæſtionis.*
- *II.* *Duæ ſententiæ, negans & affirmans.*
- *III.* *Ex euidentia atteſtantis ſequitur notitia euidens Trinitatis, quoad eſt.*
- *IV.* *Probatur varijs rationibus.*
- *V.* *Reſpondetur argumentis contrarijs*

XXXVIII QVIA poſſibilitas cognitionis myſterij huius, de qua ſupra fusè egimus, Metaphyſica eſt, & extraordinaria, in præſentia ſermo eſt de ordinaria, quæ facta eſt per reuelationem. Porro cum reuelatio multis fiat modis, de quibus S. Bonau. tom. 7. opuſc. de profectu Re- S. Bonau.
ligioſi lib. 2. c. 76. qui tamen reducũtur ad interiores, & exteriores creatoris, aut creaturæ, puta Angeli, vel hominis loquentium; quęſtio eſt, an ſi cognoſcatur euidenter Deum eſſe, qui reuelat, & mentiri non poſſe certum eſt, euidenter etiam cognoſcatur verum eſſe quod reuelat, ita vt cogatur intellectus aſſentiri, quòd ſit trinus,

Digitized by Google

nus, omni dubitationis expulſa nebula, vt maneat clara cognitio quoad an eſt, & ſit certa contra omnem falſitatem.

Suppono autem dari poſſe euidentiam in atteſtante, vt ſupra dixi, & cũ communi ſententia docet Suarius tractat. 1. de fide diſp.3. ſect.8. cum poſſit Deus clarè oſtendere ſe eſſe qui reuelat; etenim inter modos cognoſcẽdi Deum à S. Bonauentura enumeratos in 2. diſt. 24. dub. 4. vnus eſt per intimam vnionem cum anima ex S. Dionyſio, qua clarè cognoſcit dilectũ, & eſt certa ipsũ loqui atq; ita inter varias reuelationum ſpecies vna eſt, qua ſpiritus audiens loquentem Deum, euidenter nouit, ipſum eſſe, qui loquitur; qualem fortè notitiam habuit ſupremus Angelus, ſciens habere ſe ſuperiorem ſolummodo Deũ; aut ſine dubio habere potuit volente Deo: quæritur igitur, an poſita euidenti reuelatione tali, euidens ſit, dari Trinitatem, etiamſi in ſeipſa non videatur Trinitas, ſed in alio, ſeu per aliud: certa eſt enim doctrina Philoſophi 2. Poſt. c. 1. diuerſam eſſe quæſtionem, ſi eſt, & quid eſt: & S. Aug. lib. 83. q. 1. quæſtio de re eſt, vtrum ſit.

Vazq. Prima ſententia eſt Vazq. 1.p. diſp. 135. c. 3. putantis ex teſtimonio, aut memoria non poſſe colligi euidentem notitiam Trinitatis, quia ſunt extrinſeca media, ex quibus non poteſt deduci euidens notitia concluſionis. P. Ruiz. Didac Ruiz de Trin. diſp. 42. ſect.3. & aliorum apud ipſos.

Secunda ſententia eſt affirmatiua, Caiet. cui fauent Caiet. 2. 2. q. 171. a. 5. Durand. Durand. in 3. diſt. 23. q. 9. Baſſolis, & alij citati ab ipſo Vazq. c.1. illius diſp. Suar. quibus ad numera Suarium de fide diſp. 3. ſect 8. p.3. inde probantẽ non eſſe actum fidei, quando concluſio deducitur ex duobus principijs euidentibus, Deus eſt, qui loquitur, Deus non poteſt mentiri, ergo verum eſt, eſſe Trinum, vti ipſe aſſerit. Sequitur Cuniga. P. Franc. à Cuniga tract. de Trin. q. 32. diſp.7. dub. 3.

Vnica Aſſertio.

XXXIX. Poſita euidentia reuelationis in atteſtante, ſequitur notitia euidẽs myſterij Trinitatis quoad an eſt, quæ Viatori à Deo communicari poteſt. Eſt conformior principijs S. Bonauenturæ ſuperioribus capitibus relatis.

Probatur primo. Illa eſt euidens, & clara notitia, per quam intellectus ita perſpicuè cognoſcit aliquid, vt nulla maneat obſcuritas, ſeu dubium de illo; ſed poſita euidentia reuelationis intellectus ita clarè cognoſcit, eſſe Trinitatem, vt nulla remaneat obſcuritas, vel dubium de exiſtentia eius, ergo euidenter cognoſcit. Maior probatur; euidens enim, & clara notitia opponitur obſcuræ, atque ita quemadmodum obſcura dicitur, quæ ſecum adiunctam habet dubitationem, & incertitudinem tanquam tenebras, vel defectum lucis; ita & clara, ac euidẽs, quæ caret dubitatione, & certa eſt, at poſita euidentia reuelationis in atteſtante concluſio eſt clara, & certa, quia ſequitur ex duplici propoſitione clara, & certa, ergo &c. v.g ſi dicatur, quicquid Deus reuelat, eſt verum, Deus reuelat, ſe eſſe Trinum, ergo eſt verum, quòd ſit Trinus, vtraque propoſitio eſt euidens Angelo, igitur & concluſio, quia hæc ſequitur naturam præmiſſarum; & ideo ſi vtraque eſt neceſſaria, & concluſio neceſſaria eſt; ſi contingens, & hæc erit contingens, ergo ſi euidens, & hæc erit euidens.

Confirmatur, quia illud eſt euidenter verum, cuius oppoſitum eſt euidenter falſum, ſed eſt euidenter falsũ, Deum mentiri, ergo eſt euidenter verum, non mentiri, ſed verum dicere, quæ eſt euidentia Metaphyſica diſtincta à morali, & phyſica, & ipſis certior, ac nobilior. Euidenter verum opponitur euidẽter falſo.

Neque valet dicere, quòd concluſio non eſt euidens in ſe, quia mediũ eſt extrinſecum: nam etiam effectus Dei, & creaturæ ſunt quid extrinſecũ Deo, & tamen euidenter ex ipſis probatur exiſtentia Dei; & ſicut connexio ipſorum cum Deo eſt neceſſaria ex ſuppoſitione quod voluerit Deus libere producere, licèt alioqui eſſentialiter

ab

Digitized by Google

ab ipſo pendeant; ita & connexio reuelationis cum Trinitate eſt neceſſaria ex ſuppoſitione quòd voluerit Deus reuelare, & poſita reuelatione veritas rei eſſentialiter cum illa connectitur: ex quo

Secundo probatur aſſertio. Ad cognitionem abſtractiuam euidentem, quoad an eſt, ſufficit cognitio connexionis neceſſariæ medij termini etiā extrinſeci cum prædicato concluſionis, ergo & reuelationis euidentis cum Trinitate, ad hoc vt cognoſcatur euidenter quod eſt. Conſequentia patet, antecedens probatur, quia euidens eſt per ſe aliquid exiſtere, quoties exiſtit aliud, cum quo illud eſt neceſſariò connexum, ac proinde per ſe euidens eſt, verum eſſe, quòd Deus ſit Trinus, ſi euidens eſt reuelatio, cum qua eſt neceſſario connexa iſta veritas, quia impoſſibile eſt, ſeparari veritatem rei reuelatæ à reuelatione. Et licèt connexio ſit ſecundùm communem rationem reuelationis, quæ in omni materia habet adiunctā veritatem neceſſariò; tamen hoc non impedit euidentiam concluſionis ex præmiſſis euidentibus, ſicut neque impedit in terminis connexis ex natura rei, v.g. in homine ſi probetur eſſe ſenſibilis, per medium commune, quod eſt animal.

Si dicas, non fore euidentem in ſeipſa, & ſecundum propriam naturam, rem quæ euidenter reuelatur à Deo, ac proinde ex euidenti reuelatione non deriuari euidentiam in obiectum reuelatum, contra eſt ratio, qua probatur concluſio.

Tertio. Quia poſito ordine cælorum, qui de facto eſt, Mathematicus euidenter nouit Eclypſim futuram, ergo & poſita euidenti reuelatione, is cui reuelatur, nouit rem reuelatā, ſiue illa futura ſit, ſiue preſens, ſiue præterita. Probatur ſequela. Non minus neceſſariò connexa eſt veritas rei reuelatæ cum reuelatione, quam Eclypſis cum tali occurſu corporum, quia hic impediri quidem poteſt, ſed non ſeparari veritas rei reuelatæ à reuelatione, cum implicet Deum mentiri, non autem inuerti rerum naturalium ordinem; ex cognitione verò neceſſariæ cognitionis vnius cum alio redundat euidentia connexorum, ſi euidenter cognoſcatur illud, quod non poteſt eſſe ſine altero; neque hoc eſt rem cognoſci in alio, & non in ſe, ſed eſt cognoſci in ſe abſtractiuè, quia cognitio terminatur ad illam: quamuis ratio cognoſcendi ſit medium extrinſecum & commune.

Deus mentiri non poteſt.

Neque eſt cognoſci Trinitatem ſecundùm quid eſt, ſed ſi eſt, cognoſcitur enim hæc propoſitio eſſe vera, Trinitas, ſeu Deus eſt trinus. XL.

Quarto. Illa cognitio in ſuo genere eſt euidens, cuius medium, ſeu ratio cognoſcendi ita eſt determinatiua intellectus ad aſſenſum, vt iudicet implicare contradictionem oppoſitum; ſed cognitio exiſtentiæ Trinitatis eſt huiuſmodi, ergo. Probatur maior, quia euidenter ſciens implicare oppoſitum, euidenter etiam ſcit, id eſſe verum, cuius oppoſitum implicat, ergo euidenter ſciens implicare quod ſit falſum id quod reuelatur à Deo, euidenter etiam ſcit, eſſe verum illud idem. Minor patet, quia huiuſmodi cognitio habet medium reuelationem euidentem determinatiuum ad iudicandum, quòd ſit Trinitas, & quod implicet non eſſe.

Dixi in ſuo genere, quia abſolutè poſſibilis eſt alia cognitio euidentior, nimirum intuitiua: ſed hoc non obſtat, quo minus abſtractiua ſit etiam euidens, vbi medium euidenter cognoſcitur connexum cum re ſcita; alioqui nulla datur abſtractiua cognitio euidens, quoad an eſt rei cuiuſquā, vel ſi datur, iccirco datur, quia cognoſcitur neceſſaria connexio medij, per quod ſcitur, cum re, quæ ſcitur: at in propoſito cognoſcitur neceſſaria connexio reuelationis cum veritate rei reuelatæ, nempe quod ſit Trinitas, ergo euidenter etiam cognoſcitur, eſſe Trinitatem, & dicitur etiam cognoſci exiſtentia in ſe, quia verè cognitio terminatur ad illam, licèt per medium prius cognitum, quod non impedit cognoſci rem in ſe, ſicut neque quando medium eſt intrinſecum, & neceſſariò connexum, niſi fortè dicas, nunquam cognoſci rem in ſe, niſi quando intuitiuè cognoſcitur.

Obijcies primo. Talis cognitio, vel eſſet per propriam ſpeciem Trinitatis, & ita

& ita eſſet intuitiua; vel per alienas ſpecies creaturarum, & ita non repræſentaret Deum, niſi vt vnum, quia creaturæ producuntur ab illo vt vno, ideſt vt ſapiente, omnipotente, &c.

Confirmatur. Vel illa ſpecies repræſentaret Deum inſtar alicuius rei creatæ, atq; ita non vt Trinum; eritne igitur propria, quidditatiua, & intuitiua Dei; quoad hanc partem?

Reſpondeo, cognitio illa eſt per alienas ſpecies, & iſtæ repræſentant Deum vt vnum, & Trinum, quia plures ſunt, & connectuntur ab intellectu, cui fit reuelatio, cognoſcente abſtractiuè Trinitatem, & vnitatẽ coniunctas in eodem ſubiecto, quia conuincitur per euidentiam reuelationis; neque hoc magis impoſſibile, quam quod per ſpecies naturales elicitas ex ſenſibus & corporeis cognoſcat Deum inſenſibilem, & incorporeũ abſtractiuè. Neque ad hoc neceſſariò requiritur vnica ſpecies propria, ſed plures eſſe poſſunt alienæ prærequiſitæ ad ſimplicẽ aſſenſum, quod Deus ſit Trinus.

Ad confirmationem, repræſentaret immediatè vt vnum, & trinum, ſed abſtractiuè, atque adeo non eſſet quidditatiua, & intuitiua Dei; tum quia eſſet aliena, tum quia multiplex.

Inſtantia eſt in alijs, quæ cognoſcuntur per alienas ſpecies, v. gr. in Angelo, qui cognoſcitur vt ſubſtantia incorporea à nobis viatoribus immediatè, ſed cognitione abſtractiua; atq; adeo per ſpeciem non intuitiuam, & quidditatiuam.

Reſponderi etiam poteſt ex doctrina S. Bonauenturæ in 1. diſt. 3. a. 1. q. 2. ad arg. quòd immediatè anima Deo coniungitur, quia audiens ipſum loquentem nõ indiget alia ſpecie ad intelligendam veritatem, quam audit, ſed ab ipſa immediatè mouetur ad aſſenſum.

Obijcies ſecundo, reuelatio licèt euidens, eſt extrinſeca myſterio reuelato, ergo non parit euidentiam. Patet ſequela, quia antecedens in ſe euidens non facit conſequens in ſe euidens, niſi ex natura rei habeat connexionem cum illo.

Reſpondeo, negatur ſequela, & ad probationem, negatur aſſumptum; ſufficit enim connexio neceſſaria antecedentis euidentis cum conſequente ad hoc vt iſtud ſit euidens in ſe, licèt non intuitiuè, præſertim vbi euidens eſt implicare contradictionem, quod oppoſitum conſequentis ſit verum, & quod connectatur cum antecedente euidenter vero.

Obijcies tertio, omnis aſſenſus, qui nititur teſtimonio eſt fides, & non euidens notitia rei teſtificatæ, ergo aſſenſus; quod ſit Trinitas ob reuelationem non eſt euidens: Antecedens probatur; quia ſi Deus euidenter manifeſtaret aliquid futurum, non ideo illud diceretur euidens ex doctrina S. Thom. 2. 2. q. 5. a. 2. & ideo poſſet eſſe fides de illo.

Reſpondeo, diſtinguo antecedens, ſi teſtimonium ſit euidenter verum, res teſtificata eſt etiam euidenter vera, quia & oppoſita euidenter falſa; proinde cognitio illius eſt euidens: ſi verò teſtimonium ſit obſcurum, notitia illi innixa eſt obſcura; in propoſito autem teſtimonium Dei reuelantis ſupponitur euidens, & neceſſariò cõnexum cũ veritate rei teſtificatæ, quia Deus mentiri non poteſt: an verò ſit fides, vel non, cognitio illa prima, diſputant Theologi apud Suar. loco cit. S. Thomas negat eſſe euidens quod dicitur à Propheta in ſermone Domini, quia non cognoſcit intuitiuè: cognitio enim abſtractiua comparat one intuitiuæ obſcura eſt, licet in ſuo genere ſit euidens, quomodo etiam cognitio Eclypſis futuræ poteſt eſſe euidens, quia demonſtratiuè procedit; ſed comparata ad intuitiuam præſentis Eclypſis obſcura eſt.

Obijcies quarto, non poteſt euidẽter cognoſci myſterium hoc ex cognitione eorum, cum quibus habet maiorem connexionem, ergo neque ex euidenti reuelatione, cum qua nullã habet connexionem, niſi per accidẽs. Probatur antecedens. Creatura producitur à tribus perſonis, & ad illas, vt ad ſuum principium dicit relationẽ, & dependentiam; neque tamen ex cognitione intuitiua ipſius, aut relationis cognoſcitur euidenter Trinitas. Et idem eſt de viſione beata, quæ poteſt cognoſci non cognita Trinitate, ſicut & ſpecies impreſſa, ſi daretur, &

vnio

Digitized by Google

vnio hypoſtatica, quia ex cognitione intuitiua relationis non cognoſcitur terminus, alioqui Angelus intuitiuè cognoſcens relationem creaturæ ad Deum, cognoſceret etiam intuitiuè Deum. Conſequentia probatur, quia ſicut res ſe habet ad eſſe, ita & ad intelligi; ſi ergo cognitio eorum, quæ magis ſunt connexa, non ducit in cognitionem termini connexi, quantò minus cognitio eorum, quæ non habent connexionem.

Reſpondeo, negatur ſequela vtraq; primi argumenti, & probationis; poteſt enim interdum magis iuuare cognitionem abſtractiuam medium extrinſecum, & non connexum, ſiue quia faciliùs, & clariùs interdum cognoſcitur, ſiue quia per accidens habet maiorem connexionem, quàm intrinſecum; quomodo euidentiùs cognoſcitur futura Eclypſis, ſi Deus euidenter reuelet, quam ſi demonſtratiuè ſciatur per computationes Mathematicas: nam euidentius eſt eſſe verum, quod reuelat Deus, & implicare quod ſit falſum, quàm quod futura ſit Eclypſis, quę impediri poteſt

Obijcies quinto, Vel illa notitia eſſet naturalis, vel ſupernaturalis, ſi primum, ergo naturaliter cognoſcibile eſt myſterium Trinitatis euidenter; quod tamen merito dicitur à Theologis, & SS. Patribus ſupra rationem. Si ſecundum ergo poſita euidenti reuelatione, intellectus ſciens Deum non mentiri, non poterit aſſentiri Concluſioni, niſi ſupernaturaliter iuuetur.

Reſpondeo, illa notitia poteſt eſſe naturalis, & ſupernaturalis; ſi enim Deus eleuet intellectum ad aſſenſum, actus erit ſupernaturalis; ſi non eleuet, erit naturalis, ſicut & actus fidei circa idem obiectum materiale poteſt eſſe naturalis, puta ſi quis credat Deo reuelanti clarè aliquid, & præbenti ſolum concurſum naturalem ad credendum ſibi, & poteſt eſſe ſupernaturalis, ſi eleuet intellectum auxilio ſupernaturali ad credendũ. Quę reſponſio ſupponit idem obiectũ materiale habere diuerſas formalitates, prout eſt attingibile à potentia eleuata, vel agẽte ſolum per vires naturales, de quo egimus non ſemel primo tomo, & infra acturi ſumus.

Ad auctoritatem SS. Patrũ, & Theologorum aſſerentium myſterium Trinitatis eſſe ſupra rationem reſpõditur eos loqui de cognitione naturali præciſa reuelatione, ſine qua non ſolum quid ſit, ſed etiam quod ſit cognoſci non poteſt naturę viribus altiſſima Trinitas; noſtra autem aſſertio eſt de cognitione conſequẽte reuelationem, qua præterea poſita opus eſt gratiæ auxilio ad credendum, vt oportet ad ſalutem.

AN IN REBVS CREATIS

Sit aliqua ſimilitudo Trinitatis.

CAP. X. & XI.

I. Variæ Sanctorum Patrum ſimilitudines ad explicandum myſterium Trinitatis.
II. In anima rationali impreſſa imago Trinitatis.
III. In ea declaranda ſenſus S. Auguſtini.
IV. Hic variè explicatus à SS. Thoma, ac Bonauent.

AD explicandum myſterium hoc ineffabile, varias excogitarunt Sancti Patres ſimilitudines creaturarum, quibus vtcumque molliretur difficultas intelligentiæ ipſius, nuſquam tamen in hac mortalitate plenè aſſequendæ. XLI.

S. Athanaſius tom. 2. in quæſtionib. quarum prima eſt; Quid eſt Deus q. 4 *Typus enim Patris eſt orbis ſolaris, Typus Filij eſt radius, typus Spiritus Sancti eſt lumen Solis, &c.* Rationes ſimilitudinis ibi proſequitur. Prima eſt, quia ſicut iſta non dicuntur tres Soles, ſed vnus, ita tres perſonę ſunt vnus Deus. Secunda ſicut iſta tria ſunt inſeparabilia, ita & tres perſonæ. Tertia, ſicut Sol eſt cauſa radij, & luminis, ita Pater eſt principium Filij, & Spiritus Sancti. Quarta, ſicut radius ſolaris deſcendit in terram, & ab orbe ſolari non ſeparatur; ſic Filius deſcendit in vterum Virginis, nec tamen à Patre ſeparatur. Idem de Spiritu Sancto ait S. Nazianz. orat. 45. ad Euagrium. Quinta, addi poteſt ex Cyr. Alex. lib. 3. theſaur. c. 1. S.Athan.

& ſicut

& ſicut Sol in ſplendore ſuo eſt, & ſplendor Solis in Sole, ſic Pater in Filio, & Filius in Patre perſonarum numero duo, identitate eſſentiæ vnum;

Altera comparatio eſt cum igne, S. Athanaſius ibidem; *Tres ſunt ſubſiſtentiæ vnius ignis, ſcilicet ſubiectum ignis, & vrens, & lucens, & tamen vna eſt natura ignis, Pater eſt ignis, Filius eſt vrens, Spiritus Sanctus eſt vis illuminans*.

S. Damaſc. S. Damaſ. l. 1. fid. c. 9. in eo comparat, quod ſimul ignis, & ſimul ab ipſo lux, & non poſterior,

Cyrill. Alex l. 12. theſ. c. 15. *Caloris principium ignis eſt, & tamen in ipſo, & ex ipſo inſeparabiliter calor eſt*.

S. Hilarius. Hylar. lib. 7. Trin. *Nam cum ſit in eo ſplendor luminis, naturæ calor, virtus vrendi, mobilitas æſtuandi, totum tamen ignis eſt, & hæc vniuerſa vna natura eſt*.

Gregor. Niſſ. Tertiò, Gregorius Niſſenus lib. de differ. eſſentiæ, & hypoſtaſeos expendit tres colores in Iride ſic conuenire, vt viſus nequeat diſcernere vbi terminentur, ſed quaſi continuos per modum vnius intueatur; ita in communione eſſentiæ eas proprietates, per quas vnaqueque perſona cognoſcitur, in vnaquaque elucere affirmat. Eadem ſimilitudo vtitur Baſil. ep. 43.

S. Auguſt. Quarto, Comparant fonti, fluuio, ſeu riuo, & aquæ Auguſt. l. de fide, & ſymb. c. 9. *De fonte interrogati non poſſumus dicere, quòd ſit fons; & rurſum potionem, quæ de fluuio, vel fonte eſt, nec fluuium, nec fontem poſſumus appellare; tamen in hac Trinitate aquam nominamus; & cum de ſingulis quæritur ſigillatim, aquam reſpondemus*. Idem Anſ. l. de Incarn. Verbi c. 7. & ep. de proceſs. Spiritus Sancti.

Quinto, arbori idẽ Auguſt. lib vnico de fide, & ſymbolo c. 9. *Sicut in arbore radix non eſt, niſi radix, nec robur, niſi robur, nec ramos, niſi ramus poſſumus dicere, &c.* cum illa regula nominis maneat, vt radix lignum, & robur lignum, & rami lignum, nec tamen tria ligna dicantur, ſed vnum. Comparant præterea lucernæ, candelæ, & ſimilibus. Vide Ruiz. diſp. 44. ſ. 3. ſed quanta in his ſimilitudinibus diſſimilitudo? quam modica in ijs lux ad arcana eſt conſpicienda? Non enim laborat humana mens in intelligendo, quomodo ex tribus vnum ſit principium alterius, & hæc duo ſimul vnius tertij; neque quomodo tria aliqua ſint inſeparabilia, aut habeant eandem denominationem ſingula, aut tria ſimul dent denominationem tertio ex ipſis conflato,

Sed in eo planè cœcutit, quod non percipiat quomodo tres perſonę inter ſe diſtinctæ ſint vna, & eadem eſſentia, quomodo Pater det Filio illud eſſe, quod habet in ſe, & illud idem Pater, ac Filius communicent Spiritui Sancto, neque tamen dici poſſit Pater eſſe Filius, vel vice verſa, quomodo dando hoc eſſe Filio, dicatur generare, non item Spiritui Sancto, & ſimilia; quibus non inuenitur ſimile in allatis comparationibus entium irrationabilium. Videndum igitur, an

An in anima rationali eluceat ſimilitudo Trinitatis.

ITa Patres Græci, ac Latini ex illo Gen. 1. Faciamus hominẽ ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram; non quia tunc Deus induerit humanam formam, ad cuius ſimilitudinem crearet hominem, vt Oleaſter, & Eugub. in Coſmopæia coniectant, ſed quia ratione imbuit, ac mente, qua maximè Deum refert. Aug 6. Trin. cap. 12. Hoc excellit in homine, quia dum ad imaginem ſuam hominem fecit, per hoc, quod dedit ei mentem intellectualem, qua præſtet pecoribus; eſt enim incorporea, immortalis capax ſapientiæ, viſionis Dei, & beatitudinis: quod ſit libera, cæteris animantibus ſua poteſtate prę ſſit, ac dominetur & quod ad rem præſentem facit, prædita ſit intellectu, voluntate, memoria, vt propterea dicatur imago Trinitatis, & ſenſus eſt, faciamus ad imaginem ſimilitudinis, ſeu ad imaginem ſimilem, vt Cornel. ibi, quia Deum repræſentat non tantum ſicut veſtigiũ, quomodo eff ctus ſuam cauſam repręſentat ex D. Th. q. 45. a. 7. & Aug. ibid. & S. Bonauent. in 2. diſtinct. 26. dub. 1. S. Bonau. *In productione, inquit, hominis non tantum erat manifeſtatio Trinitatis in veſtigio, ſed etiam ſecundum imaginem; ideo*

XLII.

ideo tribus perſonis pluraliter attribuitur hominis productio, vt oſtendatur, quod in homine Trinitas repræſentatur expreſſè, &c. Ideo ſenſus eſt, quod non ſicut ſimilitudo quælibet rem ſimilem, quomodo ouum ſimile eſt ouo ex
S.Thom. Aug. l. 83. qq. q. 51. 74. S. Th. 1. p. q. 93. 1. ſed vt quid exprimens exemplar noſtrum, non ſecus ac ſimillima imago noſtri, ad quod requiritur, vt exprimat Trinitatem. *Noſtram certè, quia pluralis eſt numerus (ait Aug. l. 12. Trin c. 6) non rectè diceretur, ſi homo ad vnius perſonæ imaginem fuerit, ſed quia fiebat ad imaginem Trinitatis, propterea dictum eſt ad imaginem noſtram.*

Et quidem cum in explicanda ſimilitudine hac varia dicantur à Patribus, & Scholaſticis; tamen plerique omnes admittunt, quod ſicut mens gignit verbum, & amorem; ita Pater producit Filium, ac Spiritum Sanctũ: deinde, quod ſicut tres ſunt potentiæ in anima, ita in vna & eadem eſſentia tres ſunt perſonæ.

Verùm quia in ijs longè adhuc apparet maxima diſſimilitudo, conatus eſt S. Auguſtinus pluribus de Trinitate libris enucleatius oſtendere ſimilitudinem, quem deinceps ſequutus eſt Magiſter in 1. d. 3. & Scholaſtici reliqui, niſi quod & ipſi in explicanda mente S. Auguſtini variant, quę tamen ſi quæ alia, manuducit ad lucem illam inacceſſibilem; ideo ſingillatim eam inueſtigare operæ pretium eſt ex declaratione præſertim S. Bonau. in 1. diſt. 3. q. 2. per totam.

SENSVS AVGVSTINI

In explicanda ſimilitudine animæ rationalis cum Trinitate.

CAP. XI.

XLIII. VT declaret trium Perſonarũ diſtinctarum inter ſe indiſtinctionem in eſſentia, docet primò, quod memoria, intelligentia, voluntas ſint vna eſſentia, ſeu ſubſtantia. Deinde quod inter ſe opponantur. Tertiò, quod habeant æqualitatem. ſic l. 10. c. 11. *Quocirca, inquit, tria hæc eo ſunt vnum, quò vna vita, vna mens, vna eſſẽtia, & quicquid aliud ad ſe ipſa ſingula dicuntur. Eò verò tria quo ad ſe inuicem referuntur; quæ ſi æqualia non eſſent, non ſolùm ſingula ſingulis, ſed etiam omnibus ſingula non vtique ſe inuicem caperent. Neque enim tantum à ſingulis ſingula, verùm etiam à ſingulis omnia capiuntur. Memini enim me habere memoriam, & intelligentiam, & voluntatem, & intelligo me intelligere, & velle, atque meminiſſe; & volo me velle, & meminiſſe, & intelligere, totumque meam memoriã, & intelligentiam, & voluntatem ſimul memini. Et concludit, quapropter quando inuicem à ſingulis & tota omnia capiuntur, æqualia ſunt tota ſingula totis ſingulis, & tota ſingula ſimul omnibus totis, & hæc tria vnum, vna vita, vna mens, vna eſſentia.*

Sed quomodo hæc tria ſunt vna eſſentia? Aut enim loquitur de potentijs, & iſtæ vel ſunt tres inter ſe diſtinctæ, & non identificatæ in vno tertio, vel ſi dicuntur vnum quid eò, quod nõ diſtinguantur ab anima in ſententia Scoti, certè non poſſunt dici tres, ſed vna tantùm res, cum diuerſis connotatis. Aut loquitur de actibus, & conſtat meminiſſe, intelligere, ac velle eſſe diſtinctos, & habere diuerſas eſſentias. Plures ſunt explicationes, referam præcipuas.

Primò. Reſpondet Magiſt. in 1. diſtinct. 3. dici vnam eſſentiam, & ſubſtantiam, quia exiſtunt in vna anima ſubſtantialiter, ad differentiam accidentium, quę poſſunt adeſſe, & abeſſe, quæ eſt doctrina eiuſdem Auguſtini l. 9. Trin. c. 4. & ſupponit loqui de Potentijs.

Sed ſic omnes proprietates dicerentur vna eſſentia, & inde non cognoſceretur identitas Perſonarum cum eſſentia, quia inhærentia inſeparabilis non facit identitatem cum ſubiecto earum rerum, quæ ſubſtantialiter exiſtunt in ipſo; hic autem quæritur, quomodo tres Perſonę identificentur realiter cum eſſentia retenta diſtinctione inter ſe.

Secundò. Reſpondet S. Th. in 1. d. 3. S.Thom.
q. 4. a. 3. 1. *Cum dicitur, tres potentiæ ſunt vna mens, non eſt prædicatio eſſentialis, ſed totius poteſtatiui de ſuis partibus. huius enim eſt proprium adeſſe cuilibet parti ſecundum ſe, & ſecundum*

aliquid virtutis, ſed non ſecundum perfectā virtutem, & ideo prædicatur quidem, ſed non adeo propriè, ſicut totum vniuerſale; quod idem docet 1.p.q.77. artic.1.1. *Totum potentiale, inquit, adeſt ſingulis partibus ſecundum totam ſuam eſſentiam, ſed non ſecundum totam ſuam virtutem; & ideo quodammodo poteſt prædicari de qualibet parte, ſed non ita propriè ſicut totum vnum; & per hunc modum Auguſt. dicit, quod memoria, intelligentia, & voluntas ſunt vna animæ eſſentia.* Et de ver. q. 10.a. 7. 2. *Mens non eſt quædam potentia præter memoriam, intelligentiam, voluntatem, ſed vt quoddam totum potentiale comprehendens hæc tria, ſicut etiam videmus, quod ſub potentia faciendi domum comprehenditur potentia dolandi parietes, lapides, &c.*

Sed tunc verus ſenſus propoſitionis illius eſſet, quod memoria eſt mens, ideſt pars mentis, & ſimiliter intelligentia; & hoc non quia eſſet prædicatio totius integralis de ſuis partibus: vel quod memoria eſt mens, ſicut homo eſt animal, & neque hoc dici poteſt, quia eſſet prædicatio vniuerſalis de inferioribus, quod reijcit idem S. Thom. *Vel quod mens poteſt meminiſſe, intelligere, & velle, quod eſt adeſſe ſecundum virtutem imperfectam ſuis partibus, & hinc non iuuatur intelligentia myſterij, quia adſunt plures res diſtinctæ ſine identitate; ex quo non explicatur, quomodo eadem eſſentia ſit in tribus perſonis, & tres perſonæ ſint vna eſſentia;* Multò minus ordo originis, quia vna potentia non procedit ab alia; neque vnus habitus ab alio; & tamen eadem diſt.q 5. a.2.ait: *Quod hæc aſſignatio ſumitur ſecundum eſſentiam, & habitus ſubſtantiales.* Et quamuis retractarit in ſumma, vt aduertit Capr.in 1. d. 2. q.3.a.2. quia in ſumma 1.p.q.79. art.7. primum. *Ex quo patet, ait, quod illa tria non accipit Auguſt. pro tribus potentijs, ſed memoriam accipit pro habituali animæ retentione, intelligentiam autem pro actu intellectus, voluntatem autem pro actu voluntatis.* Nihilominus eadem difficultas manet, quia non oſtenditur vnitas eſſentiæ in diuerſis perſonis ex pluribus eſſentijs diuerſarū rerum ſpecie diſtinctarum.

Retractauit S. Thom in ſumma.

XLVI. Tertiò. Scotus in 1. d.3. q.9. putat, ſermonem eſſe de potentijs, ſeu actibus primis, & actibus ſecundis ſimul, & ſimilitudinem Trinitatis ſic explicat. Anima habet in ſe perfectionem, ſecundum quam eſt actus primus productiuus notitiæ, & amoris, & habet aliam in ſe perfectionem, ſecundum quam recipit formaliter notitiam genitam, & habet aliam perfectionem, ſecūdum quam recipit formaliter volitionem. *Iſtæ tres perfectiones, inquit, Scotus, dicuntur memoria, intelligentia, & voluntas, vel anima inquantum habet ipſas. Anima igitur inquantum habens actum primum totalem reſpectu intellectionis, & obiectum ſibi præſens in ratione intelligibilis, dicitur memoria, &c.* Et eadem in quantum recipit notitiam genitam, dicitur intelligentia, & intelligentia perfecta, vt eſt ſub illa notitia genita; voluntas etiam dicitur perfecta, in quantum eſt ſub illo actu primo volendi.

Scot.

Accipiendo igitur iſta tria ex parte animæ, vt ſunt ſub tribus actibus ſuis; in iſtis, inquam tribus eſt conſubſtantialitas ratione illarum trium realitatum, quæ ſunt ex parte animæ, ſed eſt diſtinctio, & origo ratione iſtarum actualitatum receptarum in anima ſecundum iſtas realitates in anima.

Sed præterquam quod in hac reſponſione pleraque ſunt incerta, non apparet ſimilitudo, quæ maximè quæritur, quia nec quomodo in tribus prædictis ſit conſubſtantialitas, cum anima ſit ſubſtantia, actus eius ſint accidentia, vt aduertit etiam Scotus: proinde verum quidem eſt, illos inter ſe diſtingui, falſum autem identificari in ſubſtantia animæ, aut realitatem eorum eſſe eandem cum realitate animæ.

Deinde in diuinis Pater, & Filius communicant eamdem eſſentiam, quā habent in ſe, Spiritui Sancto; hic autē non ſunt duo producentia, & communicantia eādem eſſentiam vni tertio: neque enim anima, vel intellectus dant ſuum eſſe amori, cuius eſſentia diuerſa eſt ab eſſentijs illorum etiam inter ſe diuerſis.

Non ergo per hanc explicationem intelligitur, quomodo tria ſint vnum, & vnum tria realiter, aut quomodo duo procedant ab vno in eadem prorſus

ſus natura, non magis quam ſi per album explicetur nigrum, aut per calorem frigus; explicatur enim identitas eſſentiæ in diuinis per diſtinctas eſſentias creatas.

Niſi fortè dicas ſimilitudinem attēdi penes hoc, quod ſicut in anima eſt memoria, intellectus, & voluntas, quæ ſunt vna eſſentia animæ realiter, ita in diuinis ſunt tres perſonæ habentes eandem eſſentiam; & quod ſicut ex memoria cum ſpecie procedit notitia, ſeu verbum, & ex hac procedit amor, qui eſt de re cognita, ita in diuinis ex intellectu Patris, ſeu ex memoria fœcunda procedit Filius, & ex vtraque procedit Spiritus Sanctus.

Sed hinc apparet quidem aliqua ſimilitudo ſecundum proceſſionem per intellectum, & voluntatem, non autē ſecundum identitatem eſſentiæ in tribus perſonis, quia potentiæ animæ nō ſunt inter ſe diſtinctæ realiter, ſicut Perſonæ: Smilitudo autem niſi ſit triū realiter diſtinctorū non eſt eius, quod quæritur.

Quartò. Propterea S. Thom. 4. cōt. gent. c. 26. *Similitudinem in hoc agnoſcit, quod mens intelligendo ſeipſam verbum ſuum concipit in ſe, quod nihil aliud eſt, quam intentio intelligibilis mentis, quæ & intellectu dicitur in mente exiſtens; quæ dum vlterius ſeipſam amat, ſeipſam producit in voluntate vt amatū: Vlterius autem non procedit intra ſe, ſed concluditur circulo, dum per amorem redit ad ipſam ſubſtantiam, à qua proceſſio inceperat per intentionem intellectam, ſed fit proceſſio ad exteriores effectus, dum ex amore ſui procedit ad aliquid faciendum; & ſic tria in mente inueniuntur; mens ipſa, quæ eſt proceſſionis principium in ſua natura exiſtens, & mens concepta in intellectu, & mens amata in voluntate.* S.Thom.

Sed quia hæ tria non ſunt vna natura, neque ſunt perſonæ, cum non ſint ſubſiſtentia; ideo concludit in mente noſtra inueniri ſimilitudinem Trinitatis quantum ad proceſſionem, quæ multiplicat Trinitatem, quia eſt Pater ingenitus, & Filius genitus per modū Verbi in intellectu concepti, & Spiritus Sancti per modum amoris procedens. Et propter hoc ſic conſideratur diuina ſimilitudo in homine, ſicut ſimilitudo Herculis in lapide, quantum ad repræſentationem formæ, non quantum ad conuenientiam naturæ. Quę explicatio illud habet incommodi, quod contra S. Auguſtinum negat illa tria eſſe vnam naturam, & eſſentiā; ſed in quo ſenſu hoc aſſerat Auguſtin. docet alibi S. Thomas, vt mox patebit, nam

Quintò. Reſpondet S. Th. 1. p. q. 77 n. 1. ſecundum. *Auguſtinus, inquit, loquitur de mente ſecundum quod noſcit ſe, & amat ſe. Sic ergo notitia, & amor inquantum referuntur ad ipſam vt cognitam, & amatam, ſubſtantialiter, vel eſſentialiter ſunt in anima, quia ipſa ſubſtantia, vel eſſentia animæ cognoſcitur, & amatur. Et ſimiliter intelligendum eſt, quod alibi dicit, quod ſunt vna vita, vna mens, vna eſſentia, in quantum videlicet habent pro obiecto animā, quæ eſt vna vita, eſſentia &c.* Idem ferè docet in quæſtionibus de anima q. 12. & cum eo Capr. in 1. d. 3. in fine.

S. Bonauentura in 2. d 3 a. 1. q. 1 & vltra ad hæc magis explicat mentem Auguſtini. *Imago, inquit, attenditur in ijs tribus potentijs cum comparatione ad vnitatem eſſentiæ, & pluralitatem actuum, in quibus eſt diſtinctio, & ordo, & origo vnius ab altero, &c.* Sic igitur actus reminiſcendi, intelligendi, amandi habentes pro obiecto mentē, ſiue animam, ſunt plures; ſubſtantia autem animæ, quæ illos terminat, eſt vna, in qua illi dicuntur eſſe ſubſtantialiter, ſicut & potentiæ ipſæ dicūtur ſubſtantiales, & eſſentiales, quia omni accidente circumſcripto (ait S. Bonau. ibid. q. 3. in reſol.) *intellecto, quod anima ſit ſubſtantia ſpiritualis, hoc ipſo quod eſt ſibi præſens, & ſibi coniuncta habet potentiam ad memorandum, & intelligendum ſe: vnde iſtæ potentiæ animæ ſunt ſubſtantiales, & ſunt in eodem genere per reductionem, in quo eſt anima, &c.* ait per reductionem, quia vt deinde explicat, cum egrediātur ab anima, non ſunt ipſa anima, ergo ſimilitudo eſt in hoc, quod actus iſtarum potentiarum ſunt diſtincti, ſicut & perſonæ in diuinis, & habent ſuas proprietates ſicut illæ. Item terminus illorum eſt idem, ideſt mens memorata, cognita, amata, vnus actus procedit ab alio, ita & perſonæ: quæ XLV. S. Bonau.

eſt ſimilitudo ducta non à potentijs Solis, ſed cum anima ratione mentis ſe noſcentis,& amantis,vt notat S.Bonauent.ibidem: Quæ expoſitio cum illa D.Thomæ eſt magis ad mentem Auguſtini, & ſi quæ alia ad formandũ conceptum Trinitatis ſatis accommodata; quod oſtendo ſequentibus propoſitionibus continentibus doctrinã Auguſtini, & S. Bonauenturæ, quod præſtari non poteſt meliùs,quàm verba ipſa Doctoris Sancti ad probationẽ adducendo.

PROPOSITIONES

Ad oſtendendam imaginem Trinitatis in anima rationali ex doctrina S.Auguſtini, & S. Bonauenturæ.

CAP. XII.

- *I.* *Quomodo mens, notitia, amor dicantur ſubſtituta à S.Auguſt.*
- *II.* *Quomodo hæc tria dicantur vna ſubſtantia.*
- *III.* *Quomodo item relatiua dicantur.*
- *IV.* *Quomodo in ijs inſit ſimilitudo æqualitatis perſonarum.*
- *V.* *Hac ſimilitudine repræſentatur circuminſeſſio perſonarum.*
- *VI.* *Corollaria ex dictis SS.Auguſtini, & Bonauenturæ.*

XLVI. PRIMA Propoſitio.Mens, notitia, & amor non ſunt accidentia,ſed ſubſtantia. Ita l.9.de Trin.c.4. Cuius clauſula eſt. *Miro itaque modo iſta inſeparabilia ſunt à ſemetipſis, & tamen eorum ſingulum quoque ſubſtantia eſt, & ſimul omnia vna ſubſtantia, vel eſſentia*; Et ibidem dixerat,*non ineſſe cognitionem, & amorem menti, ſicut ineſt calor corpori, quia ſubſtantialiter etiam iſta ſunt, inquit, ſicut ipſa mens,quia etſi relatiuè dicantur ad inuicem, in ſua tamen ſunt ſingula quæque ſubſtantia*. Conſequenter non congruit textui reſponſio aſſerentium non ineſſe illa duo menti, ſicut inhæret accidens ſubiecto, à quo ſeparabile eſt; ſed vt proprietates inſeparabiliter debitas eſſentiæ, quia de nulla proprietate verum eſt, quod ſit ſubſtantia, ſicut eſt ſuum ſubiectum, niſi per reductionem dicatur eſſe in eodem genere, ceu verum eſt de cognitione, & amore, quod ſint ſubſtantialiter, vt ipſa mens.

Confirmatur, quia hæc tria ita ſe habent, ſicut ſi ex eodem prorſus auro fierent tres annuli, quilibet enim eſſet ſubſtantia, & aurum. *Quemadmodum, inquit, ſi ex vno, eodemque auro tres annulos ſimiles facias, quamuis connexos ſibi, referuntur ad inuicem, quod ſimiles ſunt, omnis enim ſimilis alicui ſimilis eſt: & Trinitas annulorũ eſt,vt vnum aurum.* Similia habet l.14. c. 8. & alibi paſſim in dictis libris de Trin.quæ quomodo ſint intelligenda, ipſemet ſæpiùs declarat, pro quo ſit.

Secunda Propoſitio.

MEns, notitia, & amor dicuntur vna ſubſtantia, ſeu eſſentia, XLVII. quatenus mens ſeipſam nouit,& amat; ita vt eadem ſit mens cognoſcens, mẽs cognita, & amata.

Probatur primò de Notitia. Quando mens ſeipſam cogitat quodammodo ſe ante ſe, ſiue in conſpectu ſuo ponit, ergo tunc eadem eſt mens cognoſcens, & cognita, & proinde vna ſubſtantia,& eſſentia cognoſcentis,& cognitæ. Sic l.14.Trin.c.6. *Tanta eſt tamen cogitationis vis, vt nec ipſa mens quodammodo in conſpectu ſuo ponat, niſi quando ſe cogitat. Ac per hoc nihil in conſpectu mentis eſt, niſi vnde cogitatur, vt nec ipſa mens, quia cogitatur quicquid cogitatur, aliter poſſit, eſſe in conſpectu ſuo, niſi ſeipſam cogitando,&c.* & infra. *Mens igitur quando cogitatione ſe conſpicit, intelligit ſe, & recognoſcit, &c. proinde vna res eſt conſpiciens, & conſpecta, intelligens, & intellecta.*

Secundò, probatur idem de amore ſui ipſius: Amans enim, & quod amatur hoc idem eſt, quando ſe ipſe amat, ſicut amare, & amari eodem modo id ipſum eſt,cum ſe quiſque amat;eadem quippe res bis dicitur, cum dicitur, amat ſe, & amatur à ſe. Tunc enim non eſt aliud atque aliud amare, & amari, ſicut non eſt alius, atque alius amans, & amatur.

Tertiò, ergo de tribus ſimul concludit eod.l.9.c.4. *Quomodo autem illa tria non ſint eiuſdem ſubſtantiæ, non video,*

video, cum mens ipſa ſe amet, neque ipſa ſe nouerit, atque ita ſint hæc tria, vt nõ alteri alicui rerum mens vel amata, vel nota ſit. Vnius ergo eiuſdemque eſsentiæ neceſſe eſt, hæc tria ſint, &c. videlicet mens in ſe, mens conſpecta à ſe, mens amata à ſe.

Probatur prætereа, quia ex eodem Auguſtino cap. 102. ad Euodium; *Tria hæc, inquit, memoria, intelligentia, voluntas animæ inſunt, non eadem tria eſt anima: Illa verò Trinitas non ineſt, ſed ipſa Deus eſt*; ergo in tantum dicuntur vna eſſentia, inquantum eadem mens eſt obiectum memoriæ, intelligentiæ, amoris in ſenſu hic explicato ab Auguſtino; alioqui locis citatis oſtendit differre inter ſe mentem, notitiam, & amorem.

Ex quo ſtatim apparet ſimilitudo Trinitatis, in qua vna & eadem eſt eſſentia in tribus perſonis communicata per intellectum, & voluntatem in duabus; incommunicata verò in prima.

Neque obſtat, quod habet idem Auguſtinus l. 14. c. 12. *Hæc igitur Trinitas mentis non propria Dei eſt imago, quia ſui meminit mens, & intelligit, ac diligit ſe; ſed quia poteſt etiam meminiſſe, & intelligere, & amare à quo facta eſt.* Non obſtat, inquam, quia Auguſtinus ibi docet, non vnam tantum eſſe rationem imaginis in anima intelligente, & amante ſe; ſed etiam intelligente, & amante Deum, quod indicat particula; ſed etiam, quæ coniũctiua eſt antecedentis, vt ſit ſenſus, nõ tantùm eſſe imaginem, quia nouit, & amat ſe; ſed etiam quia Deum, vt S. Bonau. cit. diſt. 41. q. 2.

Magis obſtare videtur, quod hic eſt quædam quaternitas, & proinde diſſimilitudo; meminiſſe enim, intelligere, & amare tria ſunt, & quia ſimul includitur mens, quæ eſt principium horum actuum, eliciuntur 4. Si enim dicit Auguſtinus tria eſſe cum mens nouit, & amat ſe, cur non ſint quatuor, cum meminit ſui, intelligit, & amat ſe, &c.

Sed reſpondeo per memoriam intelligi mentem vt informatam ſpeciebus, vt præſto eſt exire in actum intellectionis, in quem dum exit, vocatur quidem memoria reſpectu præteritorum, ſed eſt intellectio formaliter, atque adeo ſemper eſt Trinitas rerum, nimirum mens, notitia, amor, etiam ſi quatuor ſint nomina.

Tertia Propoſitio.

Hæc tria relatiuè dicuntur, & vnam tamen habent eſſentiam abſolutam, ſi obiectiuè ſumantur, & non pro actibus formaliter l. 10. c. 11. & intelligentia quippe, & voluntas ad aliquid dicuntur. Vita eſt autem vnaquæque ad ſeipſam & mens, & eſſentia: Memoriam autem ibi accipit pro mente. Et lib. non. cap. 4. *Quomodo autem illa tria non ſint eiuſdem ſubſtantiæ, non video, cum mens ipſa ſe amet, atque ipſa ſe nouerit, atq; ita ſint hæc tria, vt nou alteri alicui rerum mens vel amata, vel nota ſit. Vnius ergo, eiuſdemque eſſentiæ neceſſe eſt, hæc tria ſint, & ideo ſi tamquam commixtione confuſa eſſent, nullo modo eſſent tria, nec referri ad inuicem poſſent.* LXVII.

Qualis autem ſit hæc relatio, non explicat Auguſtinus, ſed eſt cognoſcentis ad cognitum, & amantis ad amatum; & proinde rationis, ſi comparetur mens cum mente; realis, ſi cum ſuo actu. Prima reductiuè pertinere poteſt primò ad genus earum, quæ fundantur in actione, & paſſione, quatenus anima, ſeu mens ponens ſe ante ſe dat ſibi quoddam eſſe intentionale, ſeu obiectiuum, ſeu apparens, quod per ſui cognitionem accipit nõ ſolùm formaliter, vel quaſi formaliter, eo quod omnis cognitio dat formaliter eſſe cognitum, ſeu apparens, ac repræſentatum potentiæ cognoſcenti; ſed etiam effectiuè, quia illud eſſe qualecumque ſit, virtute aliqua efficiente fit, ideſt cognoſcitiua, cuius eſt rem intelligere, & ponere in eſſe conſpicuo, ſeu ante ſe per intellectum, quod non dicit puram denominationem extrinſecam, ſicut accipit Ceſar, ex. gr. quando per picturam repræſentatur; per illam namque non fit præſens picturæ, ſicut res cognita fit præſens cognoſcenti virtute potentiæ cognoſcitiuæ, vt notat Aur. in 1. d. 3. a. 3. iuxta mentem S. Auguſtini diſtinguentis inter cognitionem formantem, quia eſt actus, & formatam, quæ eſt res in eſſe

Anima ponens ſe ante ſe, dat ſibi quoddã eſſe intentionale

Aureol.

eſſe cognito ex l. 10. c. 3. & l. 14. Trin. c. 7. & alibi, cuius dictum ſæpe repetitum eſt, quod mens ſeipſam intelligens, & amans tria ſunt, & vnũ, proinde non eſt tantum vnum quid variè denominatum extrinſecus; quod clariùs patebit ex 4. Propoſitione.

Secundò. Hæc relatio præterea pertinet ad caput relationum ſecundùm menſuram, & menſurabile, quia ſi eo comprehenduntur potentiæ, & obiecta, & proinde actus vtriuſque proportionati nulla maior propoſitio eſt, quàm eiuſdem ad ſcriptum, qua is eſt mens cognoſcens ſe, & amans ſe; vnde & eſt omnimoda æqualitas, vt paulò poſt dicetur ex eodem Auguſtino, & S. Bonauent.

Tertiò. Conſequenter eſt relatio fundata in vnitate, quia non ſolùm eſt ſimilitudo inter animam cognoſcentem ſe, & cognitam à mente, & amatam, ſed identitas & propterea omnes iſtæ ſunt relationes rationis, quia reales exigunt terminos taliter inter ſe diſtinctos, in quo deficit ſimilitudo hæc creatæ imaginis à Trinitate increata, in qua tres ſunt relationes reales, & tres perſonæ realiter per illas diſtinctæ.

Dices, mens in ſe, mens ante ſe, mens extra ſe ſunt tria ſuppoſita, vnum reale, & duo intentionalia; ergo & omnes relationes reales, quia verè tres ſunt termini habentes diſtinctionem, & vnitatem, ſicut in diuinis.

Aureolus a. illo 3. contendit ex Auguſtino tria eſſe ſuppoſita, id eſt animam cognoſcentem, & amantem ſe tripliciter ſubſiſtere, quia aſſumit, quod omne intelligens, & amans ſe ſubſiſtit in tribus ſuppoſitis, proinde admitteret conſequentiam.

Sed cum ipſe fateatur; *Quod illud eſſe intentionale ſit ens quoddam diminutum, & apparens, iuxta illud Comment. 9. Metaph. com. 9. aſſerentis intelligibilia eſſe non ſimpliciter, ſed eſſe in anima, & in cognitione*; conſequenter dicendum eſt relationes fundatas in eſſe hoc diminuto, & ſecundum quid, eſſe diminutas, non autem perfectas, & ſimpliciter: hoc autem eſt eſſe relationis rationis non realis.

Deinde in diuinis tres ſunt perſonę realiter, & non tantum intentionaliter inter ſe diſtinctæ, ita vt verum ſit dicere, non ſolum formaliter, ſed etiã realiter, Pater non eſt Filius, & vice verſa; at de anima verum eſt dicere, quòd eadem eſt realiter cognoſcens, & cognita, amans, & amata; & ideo non poteſt realiter referri ad ſeipſam, quia nulla res opponitur ſibi ipſi; vnde & ipſe fatetur, hanc eſſe imaginem Trinitatis imperfectam, quia Pater eſt conſpiciens, Filius eſt poſitus in eſſe conſpicuo, Spiritus Sanctus vi amoris egreſſus non intentionaliter tantum, ſed realiter. Quod ſi comparetur relatio, de qua idem Auguſtinus lib. 9. Trin. c. 5. *Quamuis noſcens, vel nota, vel noſcibilis ad ſuam notitiam relatiuè dicatur; amans quoque & amata, vel amabilis ad amorem referatur, quo ſe amat, &c.* Si, inquam comparetur relatio cum diuinis generationis, & proceſſionis Spiritus Sancti, cõuenit quidem in realitate, ſed deficit in identitate reali, quia notitia, & amor formaliter diſtinguuntur ab anima, & non ſolum inter ſe, ſicut actus à ſuo principio, & accidens à ſubiecto; non item proceſſiones ab eſſentia; & ideo etiam ex hac parte deficit ſimilitudo, & imperfecta eſt, ſuppoſita doctrina communi, quod actus animæ ſint quid diſtinctum ab anima, & quid medium inter ipſam, & obiectum contra paucos aſſerentes obiectum immediatè coniungi animę ſine actu medio, quod aliis eſt inintelligibile.

Notitia, & amor formaliter ab anima diſtinguuntur, & non ſolũ inter ſe.

Quarta Propoſitio.

In mente, notitia, & amore formaliter, & ſimul obiectiuè ſumptis ineſt ſimilitudo aliqua æqualitatis diuinarum Perſonarum. XLIX.

Aſſertio ſupponit & ipſa eſſe inter ſe æquales ex Auguſtino l. 9. Trin. c. 4. *Igitur ipſa mens, & amor, & notitia eius tria quædam ſunt; & hæc tria vnũ ſunt, & cum perfecta ſunt, æqualia ſunt. Sed qua ratione? Pergit. Mens verò cum ſeipſam cognoſcit, & ipſa cognoſcitur, Cum ergo ſe totam cognoſcit, neque ſecum quicquam aliud par illi eſt, cognitio ſua, quia neque ex alia natura eſt eius cognitio, cum ſeipſam cognoſci, & cum ſe totam nihil amplius percipit,*

nec

nec minor, nec maior eſt. Rectè igitur diximus hæc tria cum perfecta ſunt, eſſe conſequenter æqualia; idem enim & de amore ibidem docet, vt tria hæc ſint mens, notitia, & amor.

Parui autem ad hoc refert, quòd anima in corpore ſeipſam perfectè nõ cognoſcat: ſufficit enim, quod ſoluta à corpore.

Idem l. 10. c. 11. aliter explicat. *Quaſi æqualia non eſſent, inquit, non ſolùm ſingula ſingulis, ſed etiam omnibus ſingula; non vtique ſe inuicē caperent, &c.*

Sed dubium ſtatim occurrit, quia vtrobique loquitur Auguſtinus de actibus, nam c. illo 4. apertè habet; *Sicut autem duo quædam ſunt mens, & amor eius, cum ſe amat; ita quædam duo ſunt mens, & notitia eius, cum ſe nouit*: licèt igitur vnum ſint mens in ſe, ante ſe, & extra ſe, id eſt conſpecta, & dilecta, vt ſupra diximus; tamen actus non ſunt vnum quid inter ſe, & cum mente: Cognitio enim & amor diuerſæ ſpeciei ſunt, & diuerſi à mente, à qua procedunt, quomodo igitur habet ibi Auguſtinus, & hæc tria vnum ſunt, aut quomodo ſi vnum ſunt, æqualia ſunt, vt ibidem dicitur?

Augetur difficultas ex ſecundo loco, nam in fine capitis illius 11. concludit de memoria, notitia, amore: *quapropter quando inuicem à ſingulis, & tota omnia capiuntur, æqualia ſunt tota ſingula totis ſingulis, & tota ſingula ſimul omnibus totis; & hæc tria vnum, vna vita, vna mens, vna eſſentia &c.* Falſum autem videtur quod notitia ſit vna, & eadem eſſentia cum amore, & cum mente, ſiue accipiatur mens pro potentia, ſiue pro ſubſtantia animæ.

Confirmatur, quia de odio hoc dici nõ poteſt, quod ſit idē cum anima, de quo idē Aug. l. 14 Trin. c. 14. *Sic itaq; condita eſt mens humana, vt nunquam ſui non meminerit, nunquam ſe non intelligat, nunquam ſe non diligat. Sed quoniam qui odit aliquem, nocere illi ſtudet, non immerito, & mens hominis, quando ſibi nocet odiſſe ſe dicitur. Neſciens enim ſibi vult non male, dū non putat ſibi obeſſe quod vult: ſed tamen mala ſibi vult, quando id vult quod obſit ſibi &c.* Quis tunc dixerit odiū idē eſſe cum anima?

Reſponſio eſt S. Aug. de tribus numeratis duo affirmare, primo quòd vnum ſint, ſeu vna vita, vna eſſentia. ſecundo, quòd ſint inter ſe æqualia. Primum verificatur de obiecto actuū, quod idem eſt cum principio ipſorum, id eſt de mente in ſe, ante ſe, extra ſe, quæ eſt vna, & eadem realiter. Secundum verificatur de actibus ipſis, qui dicuntur, ęquales in ſenſu clarè ab Auguſtino explicato; & ideo propoſitio fuit de actibus formaliter & obiectiuè ſimul ſumptis; ſi enim formaliter tantùm ſumantur æqualitatē habent, ſed non vnitatem eſſentiæ. Quocumque autem alio modo ex ſupra allatis explicetur hæc vnitas triū, mentis, notitiæ, amoris, neque congrua videtur textui explicatio; neque oſtendit ſimilitudinem animæ rationalis in repræſentanda vnitate eſſentiæ in tribus perſonis communicatæ filio per intellectum Patris, & Spiritui Sācto per voluntatem Patris, & Filij; ſicut oſtenditur, cum dicimus, mentē per cognitionem ſui ponere ſe ante ſe per amorem quidem ferri in ſe, ſed quaſi per egreſſum quemdam, cum proprium ſit amantis per amorem tanquam per inclinationem, & veluti pōdus ferri in amatum; Sic enim vna & eadem anima habet eſſe quodammodo triplicatum videlicet in ſe non acceptum ab illo ſuo actu; & refert primam perſonam; ante ſe communicatum per ſui cognitionem, & refert ſecundam cui Pater per intellectionem communicauit propriam eſſentiam: extra ſe per amorem ſui, & refert tertiam perſonam, quę ſpiratur per modum amoris, cum hoc quidem diſcrimine, quòd in anima illa duo eſſe ante ſe; & extra ſe ſunt entia diminuta, & intentionalia: in diuinis autem duę Perſonæ productæ habent eſſe reale, ſicut improducta. Sed hoc non tollit ſimilitudinem, qualis reperiri poteſt in creatis; quia vna & eadem mens eſt veluti bis poſita cum ſe nouit, & hæc notitia eſt verbum eius; ideoque ait Auguſtinus eod. cap. 11. 10. *Et imago & verbum eſt, quia de illa exprimitur, cum cognoſcitur, eidem coæquatur, & eſt gignenti æquale quod genitum eſt.*

Mens in ſe, ante ſe, extra ſe, eſt vna, & eadem realiter.

Quamquam, & in alio ſenſu vocat æqualia, quatenus videlicet mens cū ſe perfectè nouit, non excidit ipſam co-

cognitionem ſuam, ſicut quando cognoſcitur Deus, quod eſt obiectum excellentius, quàm cognitio & mens. Neque maior eſt ipſa cognitione ſua, ſicut quando agnoſcit corporalia inferiora ſe, proinde adæquantur ſicut ea, quæ neque excedunt neque exceduntur. Mens verò, ait c. 4. l. 9. *Cum ſeipſam cognoſcit, non ſe ſuperat notitia ſua, quia ipſa cognoſcit, & ipſa cognoſcitur. Cum ergo ſe totam cognoſcit, neque ſecum quicquam aliud, par illi eſt cognitio ſua &c.* quæ eſt adæquatio obiecti cognoſcibilis, & actus, ac potentiæ cognoſcentis ſecundùm extenſionem, nam præter hanc eſt alia æqualitas explicata mentis in ſe, ante ſe, extra ſe.

Quinta Propoſitio.

L. HAc eadem ſimilitudine mentis cognoſcentis, & amantis ſeipſam repræſentatur circuminſeſſio mutua perſonarum.

Circuminſeſſio vt accipitur à Theologis eſt mutua exiſtentia diuinarum Perſonarum in ſeipſis, & habet fundamentum in ſcriptura Io. 10. ad probandum quod dixerat; Ego & Pater vnũ ſumus, ſubdit, quia Pater in me eſt, & ego in Patre: quod repetit c. 14. & c. 17. vt Patres tam Græci, quam Latini apud Suar. l. 4. de Trin. c. 16. Ruiz diſp. 107. ſect. 5. & alij, de quo infra.

Igitur l. 6. Trin. c. 10. fin. habet Aug. *In ſumma Trinitate tantum eſt vna, quantum tres ſimul ſunt, nec plus aliquid ſunt duæ, quàm vna, & in ſe infinita ſunt. Ita & ſingula ſunt in ſingulis, omnia in ſingulis, & ſingula in omnibus, & omnia in omnibus, & vnũ omnia.*

Et de mente, notitia, ac amore hæc habet l. 9. c. 5. *In alternis autem ita ſunt, quia & mens amans in amore eſt, & amor in amantis notitia, & notitia in mente noſcente, ſingula in binis ita ſunt, quia mens, quæ ſe nouit, & amat, in amore, & notitia ſua eſt, & amor amantis mentis, ſeque ſcientis in mente notitiaque eius eſt. Et notitia mentis ſe ſcientis, & amantis in mente, atque in amore eius eſt, quia ſcientem ſe amat, & amantem ſe nouit. Ac per hoc & bina in ſingulis, quia mens quæ nouit, & amat, cum ſua notitia eſt in amore, & cum ſuo amore in notitia; amor quippe ipſe, & notitia ſimul ſunt in mente, quæ ſe amat, & nouit. Tota verò in totis quemadmodum ſint, iam ſupra oſtendimus, cum ſe tota mens amat, & totam nouit, & tota amorem ſuum nouit, totamque amat notitiam ſuam, quando tria iſta ad ſeipſa perfecta ſunt.*

Mens, quæ ſe nouit, & amat, cũ ſua notitia eſt in amore.

Quomodo verò vna perſona ſit in alia, declarauit per mutuam exiſtentiam mentis in notitia, & amore ſui; ex eo namque, quòd mens ponit ſe ante ſe per cognitionem, eſt in notitia ſua formata: quomodo enim non ſit in eo quod eſt ipſa, aut quomodo à ſe abeſſe queat? Et idem eſt de amore, per quem licèt dicatur egredi, & ponere ſe extra ſe, hoc non indicat ſeparationem, aut diuiſionem à ſe, ſed modum diuerſum tendendi in ſeipſam per amorem, ac per notitiam. Amans enim fertur in amantem, & ei inhæret, & quodammodo imprimit ſeipſum in illo, amor meus, pondus meum; illuc feror quocumque feror: Cognoſcens non item, ſed trahit potius obiectum, ponendo illud ante ſe per ſimilitudinem, quam de illo format.

Quòd ſi præciſè de actibus animæ ſit ſermo, dicuntur illi quidem ſimul eſſe, quatenus ſunt in eo ſubiecto, à quo eliciuntur; non tamen vnus diceretur eſſe in alio, neque mens in alterutro, vel vtroque, quia neuter eſt ſubiectum alterius, aut mentis, à qua fiunt, & prout vnus eſt obiectum alterius, v. g. amor, notitia, quando mens cognoſcit amorem ſuum, aut amat notitiam ſuam. At non propterea dicitur, vnus eſſe in altero, ſed potius tendere in alium; alioqui diceretur cognitio, qua quis cælum cogitat eſſe in cælo, id eſt eſſe præſens cælo, quod eſt falſum. Reſtat igitur, vt hæc mutua inexiſtentia ſingulorum in ſingulis, binis &c. attendatur ſecundùm obiectum notitiæ, & amoris, ita vt notitia mentis ſe ſcientis, & amantis in mente, & eius amore ſit, quia mẽs ſcientem ſe amat, & amantem ſe nouit; & ideo mens noſcens eſt in mente cognita, & amans in amata, & vice verſa, ratione identitatis, & vnitatis cognoſcentis, & cogniti: In quo elu-

elucet ſimilitudo circum nſeſſionis diuinarum perſonarum, quarum vna inexiſtit in alia, quia eſt vna & eadem eſſentia, in qua ſingulæ perſonæ idẽtificantur.

Eſt autem circũinceſſio idem quod Græce περιχώρησις, vt eruditiſſimus P. Petau. tom. 2. theol. dogm. l. 4. c. 16. Bella l. 1. de Trinitate & l. 2. de Chr. c. 5. quę vox ſignificat mutuam aliquorum commeationem, ſiue inceſſum inter ſe, vt ex SS. Dionyſ. de diuin. nom. cap. 9. Damaſ. & alijs patribus græcis, ac latinis declarat idem Petau. & ab illis Latini Scholaſtici ſumpſere: Non tamen D. Th. qui 1. p. q. 42. a. 2. & 1. Sent. diſt. 19. quærens an Pater ſit in Filio, & vice verſa, non meminit huius vocis; at verò S. Bonau. ea vtitur tum ſerm. 21. in hexaem. tum in compendioſo principio lib. ſent. to. 6. *De gyro, inquit, circuminceſſionis perſonarum ad inuicem poteſt intelligi quod ſcriptum eſt: Gyrauit cælum in circuitu gloria. Arcus ille eſt Verbum increatum, & incarnatum, radius ſolis ingeniti exceptus in nube concaua humanitatis aſſumptæ. Iſte arcus, id eſt iſtud Verbum Dei gyrat cælum Trinitatis; ſic enim tertium cælum vocat Auguſt. In circuitu gloriæ, quia & Verbum in Patre, & Pater in Verbo eſt, & Pater & Verbum in Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus in Patre & Verbo eſt*, quod explicat in 1. Sent. diſt. 19. cum Magiſtro ex illo Io. 14. Ego in Patre, & Pater in me eſt: quo nomine Scotus Durandus, & ex recent. Suar. de Trin. l. 4. c. vltimo Vazq. 1. p. diſp. 169. & alij vtuntur ad ſignificandam inexiſtentiam mutuam perſonarum per naturæ communionẽ, ſeu vnam perſonam eſſe in alia, & è conuerſo, nec aliter Græci ſignificantes conſubſtantialitatem Perſonarum, ac proinde inſeparabilitatem, mutuũ & arctum nexum; & veluti mutuam penetrationem, ac admirabilem introitum citra confuſionem, & mixtionem; etenim quia immenſus eſt Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus Sanctus extra ſe eſſe nequeunt, ſed ſe mutuò capiunt, & inexiſtunt inuicem ſine confuſione vlla. Vide Genebrardum ſecundo libro de Trin. hoc fuſiùs explicantem.

Notant autem Suar. & Vazq. loc. cit. vnam perſonam eſſe in alia ſecundùm ſe totam: quia licèt eſſentia ſit proxima ratio iſtius inexiſtentiæ, tamen relationes ipſæ in ſe ipſis exiſtunt: quod multis rationibus probat Scotus illa videtur appoſita, quã affert Suar. quia quælibet perſona ratione eſſentię habet immenſitatem, ac proinde mutuam præſentiam. citantur ab illis nõ ſolum Scotus, ſed Capreolus, Caietanus, Ferrar. Bonau. & iam videtur certa concluſio, quia canit Eccleſia, in Patre totus filius, & totus in Verbo Pater, & pro eo ſunt Patres, inter quos Fulgentius l. 3. ad Monimum c. 7. *Sicut de tota mente naſcitur Verbum, ſic intra totam permanet natum; & quia cogitante mente non eſt eius aliquid vbi in ea ſubiectum non ſit: ideo verbum tantum eſt, quanta eſt mens ipſa, de qua eſt, & cum apud illam eſt, in illa eſt, & quãta illa eſt, tantum etiam verbum eſt, quia de tota, & in tota eſt*, & lib. de fide ad Pet. c. 1. *Per hanc vnitatem naturalem totus Pater in Filio, & Spiritu Sãcto, eſt, totus Filius in Patre, & Spiritu Sancto eſt, & totus Spiritus Sanctus in Patre, & Filio.* S. Fulgent.

Corollaria ex doctrina S. Auguſtini, & S. Bonauenturæ.

LII. PRimum, & veluti repetitio breuis dictorum eſt, quòd in anima rationali elucet imago Trinitatis; Primo, quia ſicut per intellectum producit Verbum, ſeu cogitationem formatam, & per voluntatem producit amorem: Ita Pater per ſuum intellectum, ſeu memoriam fœcundam producit Filium, ſeu Verbum increatum; & vterque per voluntatem producit Spiritum Sanctum, & hæc eſt imago proceſſionum diuinarum.

In anima humana imago trinitatis elucet.

Secundum eſt, quòd ſicut in anima cognoſcente ſe, & amante, ſunt duo actus inter ſe diſtincti, & eadem anima quaſi geminata per illos; ac proinde anima in ſe, anima conſpecta, & anima dilecta; ita in Trinitate eſt generatio Verbi, & productio Spiritus Sancti, ſed vna eſſentia per illos communicata, atque adeo eſſentia in Patre cognoſcente, in Filio cognito, in Spiritu Sancto ſpirato.

Tertio. Sicut in tribus prædictis

ſunt relationes mutuæ, & vnum abſolutum, quod eſt mens; ita in diuinis ſunt relationes Paternitatis, Filiationis &c. & vna eſſentia abſoluta in Perſonis.

Quarto. Quod ſicut in illis eſt æqualitas tam ratione eiuſdem mentis cognoſcentis, & amantis ſe, quam actuũ, qui non exceduntur, neque excedunt, quando feruntur in ipſam mentem; ita inter Perſonas eſt æqualitas tam ratione eſſentiæ, quæ eſt eadem in omnibus, quàm ratione ipſarum, quarum nulla excedit perfectionem aliam.

Quinto. Quòd ſicut ob prædictam Vnitatem animæ cognoſcentis ſe, & amantis vnus actus dicitur eſſe in alio, & omnes in ſingulis &c. Ita ratione vnitatis eſſentiæ, qua realiter identificantur perſonæ, vna exiſtere dicitur in alia, quæ eſt circuminſeſſio Perſonarum.

Sexto. Iſtas eſſe ſimilitudines imperfectas, & ideo dictum illud Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, non intelligendam eſſe de perfecta Imagine, ſed imperfecta; quod & indicat particula ad, quæ quemdam acceſſum ſignificat competentem rei diſtanti, de quo notat Ferrar. 4. cont. gent. c. 26. §. conſiderandum 3. ex D. Thom. ibidem in fin. Attenditur autem ſimilitudo, hæc ſecundùm conuenientiam in natura aliquo modo, ſed non ſecundùm æqualitatem, qualis eſt ſimilitudo Herculis in lapide, quantum ad repræſentationem formæ, & figuræ, quæ eſt accidens conſequens naturam, ad differentiam perfectę Imaginis, quæ attẽditur ſecundum æqualitatem perfectionis naturæ, vt D. Bonau. in 1. diſt. 4. a. 1. q. 2. ſed cum ſint gradus in vtraque ſimilitudine, prout magis, vel minus repræſentat aliquid in adumbrando myſterio Trinitatis, ille eſt ſuperior, in quo reperitur eſſentiæ vnitas cum Trinitate, qualis nullus eſt, ſi conſideretur anima ſecundùm potentias & actus præcisè; ſed bene ſi vt ipſa eſt principium, & obiectum actuum ſuorum, ſi notitiæ, & amoris ſui ipſius, quia ſic eſt vna, & eadem, & habet tamen eſſe quaſi triplicatum, vt patet ex dictis.

Septimo. In ſententia D. Auguſtini notitiam, & amorem, quibus mens ſeipſam nouit, & amat, eſſe actus vitales ab ipſa diſtinctos, ſicut in alijs principium, productuum ipſorum; & obiectum terminatiuum eorum. *Sicut autem, inquit, l. 9. c. 4. cit. duo quædam ſunt, mens & amor eius cum ſe amat; ita quædam duo ſunt mens, & notitia eius cum ſe nouit, & l. 14. c. 6. Mens igitur quando cogitatione ſe conſpicit, intelligit ſe, et recognoſcit: gignit ergo intellectum hunc, et cognitionem ſuam etc.* Hæc autem duo gignens & genitum dilectione tertia copulantur &c. quod & diſcurſus verba in relatis auctoritatibus clarè demonſtrant, vt omittam rationes, quibus maxima Philoſophorum pars in libris de anima probat actus animæ vniuerſaliter diſtingui ab anima, contra paucos; inter quos Aur. in 1. d. 35 a. 1. propoſit. 1. contendit intelligere non eſſe actum diſtinctum à potentia ſpecie informata, & in obiecto in eſſe apparenti, ad quod gratis varias auctoritates affert S. Auguſtini, & commentatoris facientis ſenſum, & intellectum potentias receptiuas, non actiuas ſecundo de anima com. 51. & conſequenter concedit, quòd ſi ſermo ſit de actu ſecundo, qui eſt conſiderare, vel iudicare intellectus exit de otio ad actuale iudicium ſine reali mutatione, atque ita fit tranſitus à contradictorio in contradictorium ſine reali mutatione: quod cum cæteris impoſſibile meritò videatur, in propoſito ſi mens ſeipſam cognoſcens, & amans nihil omnino agit, non apparet, quomodo verum ſit quod habet Auguſtinus, & ipſe Aureol. fusè proſequitur ponere ſe ante ſe, bis poni, ſeu quaſi geminari, accipere eſſe intentionale, & ſimilia, quæ ſine operatione aliqua, ne intelligi quidem poſſunt, ſicut neq; quod fiat cogitatio formata, aut notitia genita, ſeu Verbum ſine aliqua formatione, & generatione tanquam via ad terminum aliquo modo diſtinctum ſaltem formaliter.

Octauo. Non poſſe mentem in ſe, ante ſe, extra ſe dici tria ſuppoſita, vt vocat ibid. Aur. quia mens vt cognita ſupra eſſe reale addit tantùm eſſe intentionale diſtinctum, quod ſicut nõ

eſt

eſt ſimpliciter ens ſed tantùm ſecundùm quid, id eſt in intellectu, vt idē Aur. ex Auerroe, fatetur, ita non poteſt dici ſuppoſitum; & ideo deficit ſimilitudo Trinitatis, quia in Diuinis vna Perſona dat eſſe alteri à ſe diſtinctum, & ſunt tres perſonæ, quarum vnaquæque diſtinguitur ab alia, & opponitur illi: Mens autem cognoſcēs ſeipſam non producit ſubſtantiale aliquid à ſe diſtinctum cum eadem ſit intelligens, & intellecta. Ex quo rurſus ſequitur, non ſolùm rationabiliùs dici, quod tria ſuppoſita ponantur in diuinis ſecundùm eſſe reale, & non ſolùm intentionale Verbum, ſicut & quod tres ſint perſonæ realiter diſtinctæ: deinde falſum eſſe, quod ſit demonſtratum ſimpliciter, tria eſſe ſuppoſita vel realia, vel intentionalia in diuinis, idque innotuiſſe Philoſophis, inter quos Ariſtoteles 12. Met. t. 39. cum tribuit Deo ſuî intellectionem, & complacentiam, quæ vita eſt iucundiſſima: conſequenter admittit, quòd ſubſiſtat in ſe realiter, & ante ſe, vel realiter, vel ſaltem intentionaliter, cum ſe intelligat, & extra ſe vel realiter, vel intentionaliter, cum ſe amet, quæ non differunt realiter, ſed tantùm ratione ab eſſentia, vt S. Bonauentura in 1. diſtinct. 9. parte prima a. 4. §. 2. & in ſolutione inſtantiarum putās demonſtratiuè probari generationem Verbi, eo quod Deus ſi ſeipſum intelligit, Deum etiam generat; quæ eſt ſana locutio apud Theologos, vt idem S. Bon. in 1. diſt. 4.

Quicquid autem ſit de nota opinionis, certe neque Ariſt. neque Philoſophi cæteri diſcurſu naturali in cognitionem Trinitatis venere, vt ſupra diximus. Neque inferre potuerunt ex eo quod ſit Deus, intelligit, & amat ſe, ac delectatur; quia in hoc ipſi ſūmam ſimplicitatem agnouerunt, & nullam multiplicitatem. Quin Ariſtoteles ipſe 12. Met. cit. ſubſtantiam in intellectione collocat: & cum purū actum faciat liberum ab omni compoſitione, complacentiam, amorem, gaudium cum eſſentia, atque adeo cū intellectione confundit, & vnitatem ſolam prædicat. Vnus ergo Princeps Trinitatis ne leuiter quidem meminit. Philoſophi cæteri aliunde argumentum hauſerunt, vt ſupra dixi. Auguſtinus fide doctus quo erat ingenij acumine imaginem impreſſam humanæ menti feliciſſimè euoluit, & peruiam fecit intelligentiam Trinitatis in vnitate appoſita ſimilitudine animæ, quaſi ſeipſam geminantis in ſuis actibus, neque tamen vllis ſimilitudinibus perueniri ad Trinitatis cognitionē exiſtimat l. 7. Trin. c. vlt. & ep 102. ad Euod. Nec ideo putanda ſunt hæc tria Trinitati ſic comparata, vt omni ex parte conueniant, cui enim ſimilitudini in diſputando conuenientia tāta conceditur, vt ei rei, cui adhibenda eſt, ex omni parte coaptetur, vel quando ex creatura ad creatorem aliquid ſimile aſſumatur? præſertim cum ex alia parte emineāt diſſimilitudines, quas Scholaſtici perſequuntur cum Magiſt. ſentent. lib. 1. diſt. 4. qualis eſt, quod homo vnus meminit, intelligit, diligit, qui nec memoria, nec intelligentia, nec dilectio eſt, ſed hæc habet; cum in Deo propter ſummam ſimplicitatem idem ſint cum eſſentia eius. Item imago, qui eſt homo, vna perſona eſt, in Deo ſunt tres perſonę, & quidem vnius Dei. Eſt ergo in anima imago, & ſimilitudo Trinitatis, ſed exigua.

Præter allatam ſimilitudinem alias agnoſcit in anima rationali S. Auguſt. l. 14. c. 12. *Hæc igitur Trinitas mentis non propterea Dei eſt imago, quia ſui meminit mens, & intelligit, ac diligit ſe, ſed quia poteſt etiam meminiſſe, & intelligere, & amare à quo facta eſt, quod cum facit ſapiens ipſa fit: ſi autem non facit, etiam cum ſui meminit, ſe ſeque intelligit, ac diligit ſtulta eſt.*

Sed hæc eſt ſimilitudo per gratiam, & virtutes, quibus ſimilis redditur anima Deo, vt ſanctus eſt, & quidē ita excellens, vt ea præditi dicantur etiā Filij Dei. Videte, qualem charitatem dedit nobis Deus, vt Filij Dei nominemur & ſimus; Filius autem 1. Io. 3. imago Patris eſt, ſed hic de Imagine Trinitatis loquimur, quæ & manere poteſt in peccatoribus, quia attenditur ſecundùm naturam.

Hac præſtantior eſt, de qua l. 14. c. 17. *habet, in hac quippe imagine tunc perfecta erit Dei ſimilitudo, quando Dei perfecta erit viſio, de qua dicit Apoſtolus*

Paulus, videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem &c. Apoſtolus autem Ioannes, Dileƈtiſſimi, inquit, nunc Filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus; ſcimus autem, quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt; idque duplicem ob cauſam, ſeu potius duplici modo, Primo, quia ibi eſt gratia conſummata, & proinde perfeƈtior etiam ſimilitudo ex gratia prouenies. Hinc apparet tunc in iſta imagine Dei (ſubdit Aug.) fieri eius plenam ſimilitudinem, quando eius plenam perceperit viſionem.

Secundo. Quia viſio eſt vitalis imago obieƈti, & eò perfeƈtior, quo clariùs videtur: Cum igitur ibi clarè, & intuitiuè videatur Trinitas, anima viſione beata perfuſa, ſimilitudinem in ſe Trinitatis habet, & fit quodammodo Trinitas, quatenus dicitur intelleƈtus omnia fieri quæ percipit, præſertim hic vbi eſſentia ipſa immediatè ſine vlla ſpecie vnitur ipſi, ipſumque deificat.

Hæc quæ de Anima rationali diƈta ſunt, conuenientiùs de Angelo dici poſſunt; tum quia totus ſpiritus eſt ab omni concretione corporis liber; tum quia cognoſcere ſe, & amare perfeƈtiùs poteſt, quàm anima, cum ſit naturæ pręſtantioris; proinde habere triplex illud eſſe in ſe, ante ſe, extra ſe; tum quia cum ſit ſuppoſitum perfeƈtè ſubſiſtens, expreſſiùs repræſentat tres perſonas ſubſiſtentes, quàm anima, quæ ſuppoſitum non eſt.

Ezech. 28. Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia, & decore.

Quæ non ſolùm ad literam de Rege Tyri, ſed etiam de Angelo in ſenſu literali, vel in myſtico à Spiritu Sanƈto intento explicantur à Patribus, vt dicit Suar. l. 2. de Ang. c. 3. n. 7. & l. 7. de quo Gaſtaldo Alaſſienſis q. 51. de Angelis ar. primo per multas controuer. & alibi.

Appendix ad proxima capita ſuperiora.

Ex diƈtis de modo cognoſcendi Deum per ſpeciem expreſſam de facto; per impreſſã de poſſibili; & ex ijs quæ S. Patres de Trinitate Sanƈtiſſima, per creatas ſimilitudines cognoſcenda explicare conati ſunt, vt ſupra diximus, concluſio certa deduƈta eſt conformis SS. Bonauent. & Thom. nullam creaturam eſſe poſſibilem, quę perfeƈtè illam repræſentet, vt obieƈtũ quod cognitum ducat in eius cognitionem, & exprimat illam, vt in ſe eſt infinite perfeƈtam, vnam in eſſentia, ac trinam in perſonis; Hinc autem cõſurgit dubium minime quidem traƈtari ſolitum in morem ſcholaſticum; dignũ nihilominus quod diſcutiatur in gratiam ſanƈtorum, quibus per imagines creatarum rerum Deus notitiã tam claram recõditi myſterij indidit, vt euidentiam de illo pene habuerint, Libet vnum de multis exemplis ſeligere, quia domeſticum eſt, & tam multis argumentis certum; vt de eo dubitare ſit amentis, & humanam fidem abolentis.

De S. Ignatio Fundatore Societatis noſtræ refert P. Petrus Ribadeinera ab illo admiſſus, adhuc adoleſcens, & educatus in timore Domini, at religioſa diſciplina, viſionem admirandam in hæc verba. P. Rebad. l. 1 c. 7.

Die quadam in ſcalarum gradibus templi Dominicanorũ conſiſtens, & horarias B. Virginis preces recitans, cæpit ita in Deum intelleƈtu ferri, quaſi Sanƈtiſſimam Trinitatem ſpecie quadam viſibili ſignificante exterius, quod interius percipiebat, cerneret, cui diuinę cõſolationis magnitudine, & copia vt ſibi à ſuſpirijs, fletuque etiam inter ipſas publicas ſupplicationes, quas deinde perſecutus eſt, ad prandium vſque temperare requiuerit. Similia habet l. 4. c. 2.

In eumdem ſenſum Nicol. Orlandinus l. 1. Hiſt. ſoc. n. 27. In gradibus, inquit, templi Dominicanorum, quod Manreſæ eſt, horarias Matris Virginis preces aliquando percurrens, mente in ſublimem ſenſim contemplationem ad auguſtiſſimum adorandæ Trinitatis myſterium, quadam ſub rerum corporearum Imagine contuendum abreptus, incomprehenſi eius myſterij notitias inenarrabiles percepit tanto cum gaudio, vt modum lacrymis adhibere eo die, ne in publica quidẽ ſupplicatione, & conſpeƈtu multitudinis poſſet. Nicol. Orland.

Di-

Digitized by Google

Pet. Maſ. Diſerte etiam Ioannes Petrus Maſſeius S. Ignatij Vitæ lib. 1. c. 7. Idem teſtatur ijs verbis. Quodam die dum in dicta publica ſupplicatione Minoreſſæ religioſum agmen inſtruitur, & Ignatius inter in Beatiſſimæ Virgini pſallit, inſiſtens gradibus templi Dominicani, ſubito in Deum ita rapta mens eius eſt, quaſi per appoſita quædam, & maximè illuſtria ſymbola Trinitatis ipſius numen auguſtiſſimum cerneret diſtinctum perſonis, vnum eſſentia &c.

Iacob. Bider Eadem eſt narratio P. Iacobi Bider. l. 2. c. 7. Vitæ S. Ignatij, & quotquot de hac apparitione mirabili ſcripſere poſt Rebadeneiram qui primus oculatus teſtis, aut auditor prouidus, ac prudens luci dedit, quæ luce clariora ipſi innotuerant.

Hinc argumentum ſumitur contra dicta ſuperioribus capitibus, quod dari poſſit ſpecies obiectiua, & imago corporea, quæ viſa repræſentet Trinitatem, non quidem clarè ſicut eſt viſionis facie ad faciem; ſed tamen ita perfecte, ac euidenter, vt vnitatem eſſentiæ, & perſonarum Trinitatem intellectui obiciat, eumque per viſionem corporeæ ſimilitudinis, ad altiſſimam cognitionem euehat.

Reſpondeo negādo ſequelam, quia ſpecies illa corporea repræſentans Trinitatem menti Sanctiſſimi huius Patriarchæ ſupernis illuſtrationibus aſſuetæ, & cœleſtium radiorum ſplendoribus perpetim perfuſæ, non fuit obiectum quod exprimeret myſteriū reconditum, ſed quod excitaret memoriam illius aliunde cogniti per fidē. Ad quod explicandum inſeruit doctri-

S. Bonau. na ſuperius c. 6. tradita à S. Bonau. in 1. diſt. 23. a. 2. q. adhibita explicatio-

S. Thom. ne S. Thomæ q. 18. de ver. a. 2. loquentis de viſione qua Adamus in ſtatu Innocentiæ Deum nouit per inſpirationem videlicet internam ex irradiatione diuinæ ſapientiæ; per quem modum Deum cognoſcebat per ſimilitudinem menti impreſſam, vt loquitur Angelicus; ſeu per experientiam gratiæ, & influentiæ, quam nouerat, ſicut cum ſponſus cœleſtis alloquitur animā, vt dicit Seraphicus. Quemadmodum enim in apparitionibus legis veteris, & nouæ S. Trinitas ſe manifeſtare conſueuit per figuras corporeas, plurimum imaginationi obiectas, alias etiam oculis corporeis repræſentatas, quibus ſuam naturam, & proprietatē aliquam indicaret; ſed intus animam ad eam intelligendam illuminaret; ita & huic ſeruo ſuo ad propagandam fidem, & notitiam Trinitatis per varias formas corporeas, & ſymbola, me arbitro, imaginaria, eleuabat mentem eius ad cognitionem non quidem facie ad faciem; ſed tamen clariorem, quā quæ eſt in ænigmate; & ſimilē illi qua Ang. dicitur à S. Bon. nouiſſe Deū per ſuam ſubſtantiam ſine ænigmate in 2. diſt. 3. p. 2. a. 2. q. 7. & nobiliorem adhuc illa, quia hæc fuit ex peculiari dono gratiæ; illa ex vi intellectus naturalis cognoſcentis Deum in ſubſtantia ſpirituali creata, tanquam in ſpeculo: hæc ob peculiarem gratiæ influentiam nouit myſterium indicatū eſſe verum clarius quàm fide creditū per reuelationem obſcuram: illa ſine peculiari adiutorio, quàm quod naturæ debetur nouit Deum; ſed non trinum, & vnum per vires naturales, quamtumuis excellentes haud cognoſciſſet. vide S. Thomam 1. p. q. 12. a. 8. c. docentem vniuerſaliter quod cognitio per gratiam perfectior eſt; quam quæ habetur per naturalem rationem de Deo; tum quia lumen naturale intellectus confortatur per infuſionem luminis gratuiti; tum quia interdum phantaſmata in imaginatione hominis formantur diuinitus magis exprimentia res diuinas, quàm ea quæ naturaliter à ſenſibilibus accipimus &c. quæ duo contigiſſe in multis apparitionibus S. Ignatio factis haud eſt dubium.

Exiſtimo hic ingenuis animis me gratum facturum, ſi modum quo ſe Trinitas Ignatio manifeſtabat, ex eius manuſcriptis non recte cuero, ſed candide ſyncereque communicauero, quæ Deus nobis communicata voluit, vt ex modica luce per nubilum chartarum paucarum ad poſteros transfuſa, coniectura fieret, immenſi luminis quo mens illius perfundebatur, & per caput, ac vultum viſendum ſe oculis alienis præbebat. Mos Diuo erat in ephemerides referre ſingularia dona, illuſtrationes internas, affectiones ſcrupli-

plices apparitiones quà imaginationi, qua oculis obuias, vt hebdomadam, cum hebdomada, menſem cum menſe conferens, debita cum Deo contracta pernoſceret, & ex ſolutioni omni ſtudio, ac diligentia inuigilaret: tum ne veſtigium cœleſtium negotiorum deprehendi poſſet ab vllo mortalium, ſchedas dumtaxat illorum conſcias igni mandabat. Contigit autem non caſu, ſed prouidentia numinis, vt inuolucrum vnum chartarum in quo ſingillatim euenta dierum quadraginta per diurnam, nocturnamque cum Deo conuerſationem ſua manu hiſpanicè adnotauerat, flammas euaſerit, & poſt eius obitum ſit inuentum, vel, vt Orlandinus narrat lib. 10. à n. 55. in arcula, reculis aliquot ſeruandis deſignata; vel vt à ſenioribus acceperam ante annos quatuor & quinquaginta, cum Philoſophiæ magiſtro vterer Andrea Eudemonianne Cretenſi acerrimi ingenij viro, orbi propter elegantia ſcripta non ignoto, plura edituro iam parata prælo, ni redeuntem ex legatione Hiſpanica, cum Eminentiſſimo Cardinali Franciſco Barbarino, cui Theologi nomine, ac honore nutu Vrbani VIII. inſeruiebat, mors immatura oppreſſiſſet. Multo ergo tempore antequam obiret ipſe, ego met mea manu ex autographo illo ſuperſtite deſcripſi auidè ad verbum commentariolum plane diuinum, in quo reperi viſiones Sanctiſſimæ Trinitatis non oranti modo, & ſacrificanti conceſſas; ſed & foras prodeunti, & negotia externa tractanti; & erant illæ quotidianæ, & interdum ſæpius repetitæ. Et quidem quomodo tres perſonæ cũ animo ſuo agerent, ac loquerẽtur, fatetur ſe nõ poſſe verbis explicare, cum ſint arcana verba, quæ non licet homini loqui; formas autem corporeas ad audiendum excitantes fuiſſe diuerſas: modo ſolis, ex quo mens proceſſionem Filij qui lux eſt, à patre qui principium, & ab vtroque proceſſionẽ Spiritus Sancti qui calor, & amor eſt. Alias obijciebantur tres animantes; nec addit quales eſſent; ſed in promptu eſt conijcere, quod columbæ, vel agni, vel ſimiles, quibus pro ſymbolis rerum ſacrarum vtitur Deus in ſcripturis. Frequentior erat apparitio lucis, aut ignis lucidiſſimi qualem ſuper Apoſtolos in die Pentecoſtes illapſum eſſe in Actis eorũ legimus. Omiſſa omniũ narratione aliorũ quæ in indice illo apud me aſſeruato, numerantur, vnius meminiſſe non piget apparitionis, quam verbatim pene, vt in contextu iacet, hic inſero, ideſt per decurtata conciſa, quæ notis aliquid indicantibus affiniora ſunt; quàm periodis rem, vt geſta eſt explicantibus; ſiquidem ſibi ſoli, & Deo Sanctus adnotabat, cautus ne in cuiuſpiam manus, vel oculos aliquando incideret. Die igitur trigeſima quarta, feria 5. ab initio quo ſe collegerat, vt de Paupertate profeſſorum Eccleſijs ſtatuenda deliberaret, cum in ſacro faciendo ad illa verba Canonis; Te igitur, deueniſſet, vidi inquit, non in nubilo, ſed in lucido idem eſſe, & eſſentiam diuinam in figura ſpherica paulo maiore, quam ſit illa quam ſol pręfert. Et ab hac videbatur mihi Pater manere, ita vt in prolatione verborum; Te igitur clementiſſime Pater, prius repræſentaretur eſſentia diuina, quã Pater; & in hac repræſentatione Sanctiſſimę Trinit. ſine diſtinctione perſonarum, hoc eſt ſine viſione diſtincta illarum, magna deuotio erga rem repræſentatam, motiones, & affectiones internæ, copia lacrymarum, intenſio amoris aduerſus Sanctiſſimam Trinitatem &c. Poſt abſolutum ſacrũ in ipſa gratiarum actione ante altare, rurſus obiecta eſt eadem figura ſpherica, & cognitio emanationis patris, ac filij ab eadẽ ſimul cũ S. Spiritu ab eſſẽtia diuina, ſed filij per intellectionem Spiritus S. per amorẽ, ita vt illam ſphęram non egrederentur ad denotandã idemtitatem earum in eſſentia, & hic rurſus commotio interior, & fluuius lacrymarum. Tum ad D. Petri inchoata precatione ante aram Sacramenti venerabilis de nouo apparuit color ille lucidiſſimus repræſentans eſſe diuinum vti prius. Nec erat in mea facultate illud non intueri. Poſtmodum inter ſacrum de S. Petro renouata eſt viſio præterita, & auctæ interiores motiones. Dein poſt horas binas genuflexus ante Sanctiſſimum Sacramẽtum optabam copiam mihi fieri earũdem viſitationum; ſed fruſtra. Tandẽ

Apparitu in luce ſpherica.

veſ-

veſpere hæc ſcribenti viſendam ſe dedit eadem lux afferens intellectui notitiam minus claram, ac minus diſtinctam, nec tanti ponderis, quanti attulerat antea: quippè ipſa etiam minor erat, in modum ſcilicet ſcintillæ grãdiuſculæ repræſentantis animo illud idẽ, quod ſphera ſplendida, & trahens ad ſe affectum. Hic caue putes ſenſum fuiſſe Sancti, quod Pater proprie procedat ab eſſentia; ſed ſolum quod hæc ſit Principiũ, quo, perſonę producunt, vt loquitur conc. Florent. ſeſ. 18. & 19. de quo Suar. l. 6. Trin. c. 5.

Ex qua narratione colligitur viſionem hanc lucis fuiſſe imaginariam; ſi enim viſibilis fuiſſet oculis, poterat illos Ignatius auertere, aut claudere, & conſpici deſijſſet; quod ſibi non licuiſſe fatetur; quia nimirum non eſt homini ſuper imaginationem imperiũ deſpoticum, ſicut ſupra ſenſus externos à quibus ſubtrahere obiecta valet, ne ſentiantur. Deinde colligitur altiſſimam fuiſſe cognitionẽ myſterij Trinitatis, quod ipſe diſertè teſtatur aſſerens mentem raptam ad contemplandum ſupra cœlos, quod offerebat ſpecies illa in terris. Tertiò cauſam tam nobilis intelligentiæ fuiſſe internam irradiationem, de qua ſupra ex S. Th. aut gratiæ influentiam, vt ibidem ex S. Bonau. Quamò comparandas haſce viſiones cũ quibuſdã inſignioribus Sanctorum reliquorũ, coniecturam haud obſcuram inde ſumimus, quod in ipſa prima Manreſana, de qua initio retulimus, tanta ei claritas myſterij inacceſſi effulſit, vt homo tum rudis litterarum, & idiota, quæ viderat ſtylo ſimplici explicarit, & in libellum octoginta, plus, minus, folijs conſtantem retulerit; quo mirifice iuuari poſſent arcanioris Theologiæ profeſſores, ni auctoris humilitas ſuppreſſum voluiſſet volumen theoricum, plurimum auctori laudis, non multum lectori fructus afferre potens ad mores formandos.

Conijcere quibuſdam pijs, doctiſq; viris libuit in huiuſmodi raptibus adeo frequentibus, & intima cum Deo familiaritate, aliquando conceſſum fuiſſe Ignatio temporaneum, breuemque eſſentiæ diuinæ intuitũ: Aſt. nos cum S. Bonau. illi ſententiæ adhæſimus, quod cum nullo mortalium hactenus ſit diſpenſatum in ea lege, quæ enunciat Deum nemo vidit vnquam, ſed nec videre poteſt Io. 1. & 1. Io. 4. & 1. Timot. 6 & exod. 33. Non videbit me homo, & viuet, de quo ſupra in propria quæſtione.

Confirmatur ex S. Thoma in quodlib. q. 1. a. 1. vbi quærit vtrum S. Benedictus diuinam eſſentiam clare viderit, & propoſita auctoritate S. Gregorij pro affirmatiua, reſpondet negatiue, explicatque Gregorium quod ſolum velit S. Benedictum per lumen diuinitus in viſione peculiari acceptum plus vidiſſe, quàm homines communiter videant; & in eo lumine, quod creatura eſt intellectum eleuans, alibi dicitur à S. Gregorio Deum vidiſſe S. Benedictus. Cæterum in corpore articuli, ait, impoſſibile eſt vt mens humana corpori vnita Dei eſſentiam videat, vt Aug. dicit 12. ſuper Geneſ. ad lit. niſi huic vitę mortali funditus homo interent; vel ſic alienetur à ſenſibus, vt neſciat vtrum ſit in corpore, an extra corpus, vt de Paulo legitur 2. ad Cor. 12. Beatus autem Benedictus quando illam viſionem vidit, nec huic vitæ funditus mortuus erat; nec à corporeis ſenſibus alienatus, quod patet per hoc, quod dum adhuc in eadem viſione perſiſteret, alium ad idem videndum aduocauit, vt idem Gregorius refert, vnde manifeſtum eſt quod Dei eſſentiam non vidit. hactenus S. Thom. cuius probatio, niſi aliud obſtaret, vſurparetur facile ab ijs qui piè coniectant viſam aliquando diuinam eſſentiam à S. Ignatio; nam cum alias alienaretur à ſenſibus in ipſo meditationis curſu, & ardore vehemẽti mẽtẽ abſorbente ad cœleſtia, tum vero alienatio illa fuit luculenta, & per ſæcula prorſus inaudita, quam vrbi Manreſanæ notam, ac decantatam per ora ciuium oculatorum teſtium ſcriptores plerique poſteris admirandam tradidere, quos inter P. Petrus Ribadeneira ſupra memoratus l. 1. c. 7. Vitę Ign. Manreſæ accidit vt die quodam Sabbat. ſub horam completorij à ſenſibus ſic deſtitueretur, vt à pijs quibuſdam viris, & mulieribus repertus pro mortuo haberetur, & niſi cordis tenuem palpitationem quidam deprehendiſſent, ſepulturæ procul dubio mandauiſ-

S Bened. vidit clare eſſentiam diuinam.

viſſet. Manſit in hac ecſtaſi, ſiue abſtractione à ſenſibus ad alteram vſque diem ſabbathi ſequentis hebdomadæ, quo die hora Completorij, quaſi e ſõno excitatus multis qui eum obſeruabant, præſentibus, oculos aperuit Sacratiſſimum Ieſu nomen ingeminans. Atque huius quidem rei qui teſtes fuerunt, ijdem illi auctores ſunt, nam ipſe Ignatius hoc tam inſigne Domini beneficium mirifice occultauit, & quod ego quidem ſciam, aperuit nemini &c.

Ideo clam nobis eſt qualis hæc Ecſtaſis, aut raptus fuerit; & cum enim vt docet S. Thomas raptus mentis ad diuina triplex ſit, per ſimilitudines imaginarias; per effectus intelligibiles, & per eſſentiam Dei, ex 22. q. 175. a.3. 1., & de verit. q. 13. a. 2. ex dictis ſuperius cognouimus eleuationes alias & diuinas viſitationes ad intelligẽtiam rerum diuinarum, ad duos priores modos pertinere; hæc vero de qua ſermo eſt, ſublimiorem cæteris fuiſſe ſuadent Circumſtantiæ, quæ illam comitatæ ſunt, puta totalis abſtractio ab omni ſenſu interno, appetitus ſenſitiui ceſſatio, vegetatiuæ functio penitus abſorpta, tenuitas vitalis motus vix ex palpitatione exigua cordis deprehenſa, duratio per octo dies in eo ſtatu ità morti adſimili, vt parum abfuerit quin ſepeliretur cum mortuis: quam porro profundam mentis immerſionẽ in pelago diuinitatis hæc prodigia indicant? neque tamen hęc tertij generis à S. Thoma recenſita à nobis prædicãda, qui nulli mortalium contigiſſe claram Dei viſionem diximus, quid igitur? reſpondeat forte S. Bonau. tract. de ſeptem gradibus contempl. tom. 6. Rom. impreſſionis, Ecſtaſis eſt deſerto exteriori homine ſui ipſius ſupra ſe voluptuoſa quædam eleuatio ad ſuperintellectualem diuini amoris fontem &c. ſed continet hæc abſtractio ſenſuum, & raptus in Deum aliquid adhuc magis ſingulare, & inſolitum, & perſimilem beatorum mentibus in intelligentia, & fruitione Dei quietem non claræ quidem viſionis facie, ad faciem; ſed tam ſublimis, ac admirabilis vt plena eius notitia, ſicut & prodigioſæ ſanctitatis Ignatij ad illud tempus reſeruetur, quo miſericordia Domini in Sanctos ſuos, & horum mirabilia dona interna in lucem veniant, & vniuerſitati Angelorum, & hominum propalentur; Certè quidem quanta hæc in Ignatio fuerint ſuboiere Deus à longe mortales voluit, cum ex ore cordatiſſimi viri, & ſuas laudis ſedulo cælantis excidere vel permiſit, vel extollere intendente diuinam gratiam in Sanctos, permouit, vt de ſeipſo diceret. Niſi dona ipſis collata excellentiora fuerint, quam à ſcriptoribus mãdata ſunt litteris, non eſſe cur vlli ipſorum inuideret. Sed ſpeculatiua tractanti libuit breui, ac veluti per tranſennam l B. re quæ viſionibus Sancti annexa ſunt; fuſius perſequi vetat inſtituti ratio: inſtar prol xæ panegyris ſit elogiũ ab Vrbano VIII. Pont. Max in verba pauca ponderoſa contractum.

S. IGNATII CONFESSORIS FVNDATORIS SOCIETATIS IESV Sanctitate, & miraculis clari, & catholicæ Religionis vbique propagandæ Studioſiſſimi. Mart. Rom. 31. Iulij.

DE

Digitized by Google

TERTIA PARS DISPVTATIONIS PRIMAE

DE REPVGNANTIA

Viſionis beatæ cum falſitate, & malitia.

AN VISIO BEATA

Poſſit de abſoluta Dei potentia eſſe falſa.

CAP. I.

I. Status quæſtionis.
II. Duplex ſententia.
III. Eligitur negatiua.
IV. Soluuntur argumenta contraria.

I. VISIO beata conſideratur, vel vt tendit in obiectũ primariũ, qui eſt Deus; vel vt in ſecundarium, quæ sũt creaturæ, vt patet ex dictis, & inter has eſt ipſa anima, & eius cognitio. De vtroque mens format iudicium; nam & iudicat illud eſſe ſummum lumen, quod intuetur; & de ſe, ac ſua cognitione variè iudicat, vt expreſsè S. Bonau. in 3. diſt. 14. a. 1. q. 3. ad vltimum: reſpectu primi impoſſibile eſt eſſe falſum, quia iudicare non poteſt non eſſe ſummum lumen, quod clarè intuetur: reſpectu ſecundi controuerſia eſt inter recentiores agitata, an poſſit eſſe falſa.

Quæſtio ſit reſpectu obiecti ſecundarij.

Prima ſententia eſt affirmatiua eorum, qui vniuerſaliter docent cognitionem ſupernaturalem de abſoluta potentia poſſe eſſe falſam Gabrielis, in 3. diſt. 12. litt. D. & diſt. 38. litt. G. Almaini, Aliacenſis, & aliorum, quos refert, & ſequitur P. Martinez à Ripalta tom. 1. de ente ſupern. diſp. 59. qui n. 7. de Viſione beata in particulari probare conatur.

Secunda ſentẽtia communis negat, quam validè tuetur P. Hurtado tom. de fide diſp. 19. ſect. 3. & alij mox referendi.

Vnica Aſſertio.

II. NEque ſecundum legem ordinariam, neque de potentia abſoluta poteſt Viſio beata eſſe falſa. Probatur primò ex principijs S. Bonauẽt. qui in 2. ſent. diſt. 37. a. 2. q. 3. oſtendit in vniuerſum, quod enunciatio falſa vt ſic à Deo fieri non poteſt, tum quia omne quod Deus poteſt facere, habet exemplar in Deo; ſed enunciatio falſa vt ſic, non habet exemplar in Deo cum ipſa veritas ſit ratio exemplandi; tum quia ſicut ſe habet bonitas ad malitiam, ſic ſe habet veritas ad falſitatem; ſed à ſumma bonitate nullo modo poteſt eſſe malitia, ergo à ſumma veritate nullo modo poteſt eſſe falſitas. Tum quia verum, & ens conuertuntur, ſed à Deo non poteſt eſſe, quod non ſit aliquo modo ens; ſi enim purè nihil eſſet à Deo non eſſet, nihil, ergo à Deo non poteſt eſſe, niſi verũ, cuius priuationem dicit enunciatio falſa vt falſa: ita in rationibus dubitandi S. Bonau. & in reſolutione magis explicat diſtinguendo materiale, & formale enunciationis, ſicut & actionis,

Omne factibile à Deo habet exẽplar in ipſo.

Digitized by Google

nis, & probando, quod ſicut in iſta Deus non poteſt eſſe cauſa malitiæ; ita nec in illa poteſt eſſe cauſa falſitatis, in hoc poſitæ, quod res non eſt, ſicut repræſentatur per ſignum, & ideo dicitur priuatio adæquationis ad rem, quæ eſt quidam defectus, nullus autē defectus Deo attribuendus eſt. Et vniuerſaliter in 1. diſt. 42. a. 1. q. 3. præmiſerat Deum non poſſe, quod dicit defectum, vel impotentiam, quam eſſe doctrinam S. Auguſtini l. 5. Ciu. c. 10. & S. Thomæ 1. p. q. 21. a. 4. & alibi, oſtendi 1. tom. diſp. 1. q. 1. c. 2. regul. 7. quia hæc poſſe non eſt potentia, ſed impotentia. Cùm igitur Viſio beata iudicium quoddam contineat, ſaltem virtuale, vt S. Bonau. citatus initio docet, ſequitur neque diuinitus falſam eſſe poſſe, quia falſitas eſt à cauſa deficiente, qualis non eſt Deus, qui eſt cauſa Viſionis beatæ.

Confirmatur, quia Deus nō poteſt habitum erroris infundere, vt Medina 1. 2. q. 24. Turrian. 2. 2. diſp. 3. dub. 4. Coninch. de fide diſp. 10. dub. 1. neque habitum inclinantem ad vitiū, vt Suar. in 1. 2. diſp 4. ſect. 2. num. 5. tractat. 4. Quia ſic inclinaret in errorem, & vitium, quod alienum eſt à prima ſumma veritate, & bonitate: ergo multò minùs ad actualem viſionem falſam, non ſolùm ſe ſolo producendo illam; ſed neque concurrendo ſpeciali modo cum intellectu ad ipſam. In quo eſt diſparitas appetitus ſenſitiui inditi à Deo, quia hic eſt connaturalis naturę hominis, & de ſe rectus eſt, quod ſi per accidens inclinet ad malum, ſubditur rationi, à qua dirigitur; habitus autem prædicti ſunt contra naturam, & de ſe inclinantes ad malum, vt Suar. ibidem; quæ opinio non ſolum magis pia; ſed etiam magis eſt probabilis; licèt alioqui non facilè aſsignatur implicantia contraria.

Secundò probatur principaliter, quia aſſenſui fidei infuſæ ſuccedit Viſio beata tanquam perfectiſſima omnium operationum; ſed illa non poteſt eſſe rei falſæ vt ſic, quia Deus non poteſt reuelare falſum, vt cum cōmuni ſuppono ex tractatu de fide; igitur neque Viſioni poteſt ſubeſſe falſum. patet ſequela, quia ſi reuelatio obſcura fidei non admittit falſitatem, quantò minùs reuelatio clara, ſeu clara Dei Viſio admittet? hæc enim ita perficit intellectum, vt reddat incapacem erroris, ac falſitatis, vt docet Suar. in 1. 2. S. Thom. tract. 1. diſp. 14. ſect. 2. n. 4 & ad ſummum compatitur ſecum ſuſpenſionem aſſenſus in quibuſdam nō clarè viſis, neque reuelatis.

Dices non poſſe ſubeſſe falſum fidei ſuppoſita vera reuelatione obiecti ſui, quæ non cadit ſupra falſum, quia Deus mentiri non poteſt, cum ſit ſumma veritas infallibilis, & fallere neſcia; poſſe autem ſubeſſe ſi reuelatio non ſit vera, ſed apparens: Conciliū Tridentinum loqui in primo ſenſu, & de lege ordinaria, nos de extraordinaria.

Reſpondeo primò non exiſtēte vera reuelatione, neque actum fidei exiſtere, defectu obiecti formalis, ſeu rationis formalis credendi, quæ eſt prima veritas reuelans. Reſpondeo ſecundò quicquid ſit de hoc, diſparitatem magnam eſſe actus fidei à viſione, hæc enim eſt vltima perfectio hominis, & in ſua entitate excellentiſſima, quę non compatitur ſecum falſitatem, quæ eſt magnum malum intellectus & alienum à fœlicitate patriæ, quæ conſiſtit in viſione ſaltem partialiter.

Tertiò probatur, quia viſio vel eſt formalis beatitudo, vel certè ad beatitudinem ſpectat vt pars potiſſima, iuxta varias ſententias: & iuxta omnes, perficit in ſummo intellectum; Eſt autem beatitudo ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus ex recepta definitione Boetij l. 1. de conſol. proſ. 2. relata à S. Bonauentura in 4. diſt. 49. p. 1. a. 1. q. 1. igitur non eſt capax maximi mali intellectus, qualis eſt falſitas, quæ ſi adueniret, ſignum eſſet variari viſionem, & loco eius ſuccedere cognitionem imperfectam.

Confirmatur, quia viſio beata eſt eſſentialiter connexa cum ſuo obiecto primario, quod actualiter, & neceſſariò repræſentat; & aptitudine etiam eſſentiali connexum cum ſecundariò, quod repræſentat ad beneplacitū verbi; illud autem non poteſt eſſe falſum, quomodo enim participatio ſummæ lucis, & primæ veritatis, qualis eſt viſio, capax ſit tenebrarum falſitatis, ſi proprium eius eſt expellere tenebras,

non

Digitized by Google

non minùs quàm lucis ſolaris iiſdem exemplis aerem illuminare.

Confirmatur, quia actus ſcientificus conſtans vera demonſtratione, primorum item principiorum cognitio non poteſt vllo modo eſſe falſa, quia lumine naturali intellectus determinatur ad eorum aſſenſum. Igitur neque viſio beata falſa eſſe poteſt, quę cauſatur à lumine gloriæ non minus iuuante potentiam, quam lumen naturale, & ipſam eleuante ad nobiliorem cognitionem, cuius proprietas eſt veritas, ſiue adæquatio cū obiecto, ſicut & cognitionis primorū principiorum, ac demonſtrationum, in qua nullus error, nulla falſitas contingere poteſt.

Denique ex vi viſionis videtur primariò Deus, & ſecundariò creaturæ, vel formaliter ex vi obiecti cogniti, cū quo habent connexionem tanquam in cauſa, vt cenſet opinio probabilis grauium Theologorum, à quibus tamen diſſentire libuit viam S. Bonauenturæ terentibus; & hoc modo eſſentiā diuinā, & verbum cognitū repræſentare falſum eſt impoſſibile, cum ſit eſſentialiter ſumma veritas: Vel dicūtur cognoſci creaturæ in Verbo per particulares reuelationes à Verbo factas; & reuelari falſum à prima veritate in dicendo, ſicut repugnat in reuelatione myſteriorum fidei in via, ita & multò magis in patria: Vel demum quia poſita manifeſtatione à Verbo facta videntur in ipſo creaturæ tāquam in exemplari, cuius ſunt imitatio, vt infra cum S. Bonauentura explicabimus; & tunc ex duplici capite aſſignato falſitas repugnat: hoc eſt, quia in exemplari non relucet falſitas; neque à reuelante Verbo manare poteſt.

Confirmatur ex S. Thoma 3. cont. gent. c. 6. Viſio, inquit, illius ſummæ veritatis omnem falſam æſtimationem excludit, & idem Capreolus in 1. d. 1. qu. 3. a. 1. concl. 4.

Soluuntur argumenta contraria.

III. AD probandam vniuerſalem aſſertionem, quod in actibus ſupernaturalibus poſſibilis ſit falſitas de potentia abſoluta multa profert argumēta P. à Ripalta, & in ſoluendis obiectionibus Patris Hurtadi locis citatis, nimiùm quàm prolixus eſt, nobis hic ea duntaxat ſoluenda, quæ ad viſionē pertinent, àquocumque demùm opponantur.

Primùm eſt. Nulla creatura poteſt eſſe eſſentialiter immortalis, quia nulla eſt, quæ à Deo deſtrui non poſſit, vt cum communi Theologorum docent Suar. lib. 1. de Angelis c. 9. & 1. 2. tract. 1. diſp. 14. ſect. 2. Vazq. 1. p. diſp. 182. n. 7. quia eſſentialiter pendet in eſſe, & conſeruari à Deo, qui liber eſt in agendo, & conſeruando: At ſi viſio beata incapax eſt falſitatis, non poteſt à Deo annihilari; nam beatus cognoſcit ſuam beatitudinem fore æternam, & hæc cognitio per te non poteſt eſſe falſa; ergo neceſſariò eſt vera, qualis non eſſet ſi poteſt annihilari, igitur eſt indeſtruibilis. Suar. Vazq.

Ad hoc argumentum, in cuius confirmatione, & confutatione reſpōſionum ſeſe effundunt citati recentiores, expedita eſt reſponſio ſupra allata, hanc eſſe neceſſitatē durationis æternæ non ſimpliciter, qualis eſt ſolius Dei; ſed ex ſuppoſitione diuini decreti ſtatuentis beatam viſionem in æternum conſeruare, idque conuenienter ſtatui patriæ, quem æternæ fœlicitate addixit; & naturæ viſionis, quæ non habet contrarium, neque principium intrinſecum corruptionis, ac proinde ſolum deſinere poteſt per carentiam diuini influxus, vt Suar. loc. cit. quæ carentia liberè pendet à voluntate Dei, quæ immutabilis quidem eſt; ſed non mutat intrinſecas rerum naturas, ac proinde non reddit eſſentialiter incorruptibiles, ſed ſolùm extrinſecè, & accidentaliter ex vi decreti liberi, vt eſt exemplum in Angelis, qui natura ſua carent contrariò, & ſunt incorruptibiles; ſed præciſo decreto ęternę conſeruationis ex carentia diuini influxus volente Deo annihilarentur. Neque aliud prædicatum eſſentialis incorruptibilitatis in illis agnoſci à Deo poteſt ante, vel poſt decretum. Idem eſt de viſione, quæ licèt nō poſſit eſſe falſa; tamen hinc non arguitur alia neceſſitas, quàm ex ſuppoſitione, quæ latè vagatur per omnia, quæ pēdent à decreto diuino, & ſunt immutabi- IV.

tabilia, licet eo præciſo, in ſenſu diuiſo ſint mutabilia, & contingentia. Sic etiam Card. de Lugo de Incarnat. diſp. 19. ſect. 1. n. 20. ex ſuppoſitione, inquit, non poteſt non eſſe obiectum poſtea reuelatum, quia tamen illa ſuppoſitio non eſt talis, vt reddat obiectum illud ſecundùm ſe incorruptibile, aut indefectibile, nullum eſt inconueniens in illa neceſſitate, &c. P. etiam Arriaga tom. 1. de Deo diſp. 5. ſect. 4. ſubſ. 2. n. 22. retractat, quod docuerat in Phiſ. diſp. 15. à n. 64. poſſe produci creaturã non annihilabilem.

Card. de Lugo.

Secundum argumentum eſt. Poteſt effectus ſupernaturalis eſſe vitioſus, ergo & aſſenſus, ſiue iudicium ſupernaturale eſſe falſum. Antecedens probatur, quia poteſt quis affectu miſericordiæ ſupernaturali velle facere eleemoſynam, & mox moueri ad executionem ex intentione vanæ gloriæ, quo caſu affectus prior vitiatur. Conſequentia patet, quia non minus repugnat malitia bonitati morali affectus, quam falſitas veritati aſſenſus, ille poteſt vitiari, ergo & iſte.

Reſpondeo, nego antecedens cum Suario de fide diſp. 6. ſect. 7. num. 13. & lib. 2. de Gratia c. 3. n. 14. Vazq. 1. 2. diſp. 53. c. 4. & diſp. 54. c. 3. & diſp. 84. c. 3. Val. 1. 2. diſp. 5. q. 1. p. 2. & alijs potiſſimum. S. Bonau. 1. 2. diſp. 40. a. 1. q. 1. expreſsè requirente non ſolùm intentionem finis boni ad bonitatem actus, ſed & ordinationem ad finem bonum, & vt habeat alias circumſtantias, ex quibus integratur bonitas; & in particolari, vt modo conueniant fiat, quale non eſt, quod fit ex inani gloria mouente ad illud: reliqui tenentes hanc ſententiam afferunt potiſſimam rationem, quia actus ſupernaturalis fit auxilio gratiæ per Chriſtum, quæ variè ſoluitur ab auctoribus contrarijs, quos numerat plurimos, & ſequitur P. Ripalta primo tom. de ente ſupernaturali diſp. 50. fuſiſſimè tractans quæſtionem, quæ non eſt propria huius loci, ſufficit enim negatio antecedẽtis. Sed quicquid de illo ſit, diſparitas inter affectum pium, & viſionem patet ex dictis; viſio enim cum ſit eſſentialiter participatio ſummę lucis excludit formaliter errorem, & falſitatem intrinſecè, & extrinſecè, dato quod affectus bonus poſſet vitiari extrinſecè à circumſtantia mala: quæ non cadit in viſionem; & ſi per impoſſibile caderet in vidente Deum ſub omni ratione boni, & neceſſariò diligente, non afficeret, neque mutaret intrinſecè viſionem, quin ferretur in Deum clarè viſum.

Suar.

Tertium argumentum eſt. In ſententia probabili, quam tuetur Vazq. 1. 2. ſupra relatus: poteſt Deus ſe ſolo infundere errorem intellectui, quia cùm ſit malum phyſicum, eſt ordinabilis ad bonum finem, ergo habenti viſionem beatificam poteſt falſitatem de aliquo ſaltem contingente infundere.

Reſpondeo primò negando antecedens ob rationes ſupra allatas. Deinde eo dato non diceretur viſio falſa, quia reſpectu primarij obiecti, nullus contigit error; ſed neque reſpectu ſecundarij ad quod ſe extendit, quia ſi videatur per reuelationem, Deus non reuelat falſum; ſi ea poſita videatur in Verbo, videtur tanquam in exemplari, in quo nulla elucet ratio falſitatis, vt ſupra.

Quartum argumentum. Poteſt exiſtere non ſolum cognitio ſenſitiua, cui comparatur intuitiua intellectus; verum etiam & naturalis intellectiua, ac etiam ſupernaturalis, obiecto non exiſtente, ſed apparente tantùm, quia obiectum concurrit in genere cauſæ efficientis, quã Deus ſupplere poteſt, & tunc erit falſa, ergo etiam ſupplere poteſt in viſione.

Reſpondeo quicquid ſit de antecedente, nego conſequentiam; diſparitas eſt excellẽtia viſionis ſupra omnes alias cognitiones, etiam ſupernaturales, ratione cuius certa eſt de obiecto clarè viſo, & non apparẽte: ſicut enim qui per demonſtrationẽ nouit aliquid, certus eſt ſe ſcire; ita & multò magis intuitiuè videns Deum certus eſt ſe verè obiectum exiſtens videre.

Quintum argumentum eſt, quia cum viſione beata ſtare poteſt peccatum, ergo & falſitas. Pro ſolutione quæro an de abſoluta.

A N

Digitized by Google

AN DE ABSOLVTA

Potentia ſtare poſſit peccatum cum Viſione beata.

CAP. II.

I. Variæ ſententiæ.
II. Locus difficilis ex S.Hieron.
III. Non compatitur viſio beata peccatũ vllum actuale.
IV. Probatur auctoritate, et ratione.
V. Non repugnat viſio ſine dilectione de abſoluta potentia.
VI. Soluuntur obiectiones contrariæ.
VII. Neceſſitas coactionis, et naturalis inclinationis.
VIII. Reſponſio ad argumenta alia recentiorum.

V. QVAESTIO fit tã de peccato actuali, quam de habituali.

Prima ſententia eſt de facto beatos Angelos aliquando peccare in miniſterijs erga homines, in quibus negligentias aliquas admittunt. tribuitur Origeni pluribus locis citatis à Salaſ. 1.2. q 4.a. 1.tract.2.diſp.7 ſect. 8. Sed à S. Hieronymo epiſt. ad Pammachium vbi recenſentur errores Origeni adſcripti nulla de hoc mentio. Neque P.Petrus Halloix in Origene defenſo lib.4. vbi exactè diſquirit, & diſputat de erroribus falsò eidem attributis, eumq; eruditè purgat de hoc verbum vllum facit. Sed monet in vniuerſum multa irrepſiſſe in libros eius fraude Arianorum; multa item admiſta adulterina, inter quæ hoc erroneum, eſſet ſi in libris eius inuenitur. Idem aduerterat Bellarm. l.2. de Chriſto c.10. certè legenti libros Periarchon à c. 5. multa differit de Angelis beatis Origenes, & omnia ad amuſſim catholicam; & licèt ibi aſſerat Angelos non eſſe ſubſtantialiter impeccabiles, tamen vt patet ex diſcurſu ſolùm intendit Deum eſſe natura impeccabilem, Angelos autem per gratiam à Deo acceptam, quod eſt diuerſum ab eo, quod ipſi imponitur, quaſi affirmet de facto interdum peccare. Ab iſto errore excuſari nequeũt Caluiniani non parcentes Angelis in hoc, vt ex teſtimonijs Caluinij refert Suar.lib.6.de Angelis c.7.init. qui etiã in 1.2.tract.1.diſp.10. ſect.1. lapſum Origenis notat.

Magis videtur difficile, quod habet S.Hieron. in c.6.Micheæ init. vbi ſunt hæc verba. *Sicut enim interdum Epiſcopi culpa eſt, interdum plebis; & ſæpè Magiſter peccat, ſæpè diſcipulus, & nonnunquam patris vitium eſt, nonnunquã filij, vt vel benè, vel malè erudiuntur: ita in iudicio Dei vel ad Angelos crimen referetur, ſi non egerint cuncta, quæ ad ſuum officium pertinebãt: vel ad populum, ſi illis vniuerſa facientibus, ipſi audire contempſerint.* Propterea Sal.loco cit.credere ſe ait ex aliena ſententia loqui S. Hieronymum, vt ſæpè facere ſe teſtatur in comment.epiſt.ad Epheſios, & Galat. Apol. contra Ruffinum, &c. Sed ex totius contextus explicatione ſatis patet loqui ex proprio ſenſu; & ideo ſignificatum verborũ Prophetæ, quid ſint montes, quid valles, colles, fundamenta terræ, ſedulo inueſtigat, & per montes, & colles Angelos interpretatur, quos criminis reos iudicandos aſſerit, ſi in ſuis miniſterij defecerint. Difficilis locus ex S.Hieronymo.

Ideo commodior eſt interpretatio, vt ad explicandam æquitatem, ac ſeueritatem iudicij examinaturus ſit Dominus diligentiſſimè, qui partem habuerint in peccatis, Angeli ne qui defecerint in cura hominum ſuæ curæ commiſſorum; an ipſi populi, qui audire, & obtemperare Angelis recta ſuadentibus detrectarint. Certum autem eſt culpam illis minimè tribuẽdã, ergo tota refunditur in ipſos peccantes populos.

Neque videtur hęc expoſitio excogitata, ſed omnino congrua textui, in quo ſunt hæc verba. *Et contende iudicio, vt ſiue montes, ſiue colles reperti fuerint non dignè populos procuraſſe, vel meum videatur eſſe quod tales præpoſui: vel culpa tollatur à populo. & referatur ad principes, &c.* Quis autẽ dicat Deo imputandum, quod tales præpoſuerit populis, qui in eorum cura deliquerint? Eſt igitur per conceſſionem dictum, quod aut Angeli deliquerint, ad inferendum quod non ipſorum culpa illi peccauerint, ſicut neque Dei, quod tales præpoſuerit, ſed ipſorum peccan-

cantium, ex quibus tota eſt perditio. Igitur propoſitio eſt, quod neque Angeli, neque alij Beati de lege ordinaria peccare poſſunt, & tota quæſtio reducitur ad potentiam abſolutam.

VI. Secunda ſententia affirmat de potentia abſoluta dari poſſe tam tenuem viſionem, vt non neceſſitet ad amandum, ſed etiam odium Dei poſſit habere ſecum in aliquo caſu. defendit

Salaſ. probabiliter Salaſ. 1.p.q.2. tract.2.diſp.

Holcoth 7.ſect.1.n.6.& abſolutè tenuerat Hol-

Adam. coth.in ſuis determinationibus q.9. a.

Gabr. 2. & Adam, cuius argumenta ſoluit Capr.in 1.diſt.1.q.3.a.1. & alij præſertim Nominales. Gabr.in 1.diſt.1. q.6. a.2.concl.4.& ſupplementum ipſius in 4.diſt.49.q.2.a.3.dub.5.dicto 2.

Tertia ſententia abſolutè negat poſ-

Capr. ſibilitatem peccati cum viſione beata.

Caiet. eſt Thomiſtarum Capr. loc. cit. Caiet.

Ferrar. 1.p.q.82.a.1.& 2.& 1.2. q.10. a.2. Ferrar.3.cont.gent. c.62.ob auctoritatem

Thomiſtæ. S.Thomæ locis citatis, & alibi.Et quãquam in ea probanda variæ afferuntur rationes, & variè explicantur; tamen conuenit inter Auctores huius ſententiæ in vniuerſum Beatos reddi intrinſecè impeccabiles ex vi actuum, in quibus eſſentialiter conſiſtit beatitudo contra Scotum in 1.diſt.1.q 4.& in 4.diſt.43 q.9. & 10. Ocham. Gabr. Greg. & alios exiſtimantes Beatos ex vi viſionis non fieri intrinſecè impeccabiles; ſed ſolùm extrinſeca prouidẽtia Dei ſtatuentis ita neceſſitari illos ad amandum ſe ſuper omnia; vt nunquam poſſint ab illo amore ceſſare, ac proinde neque peccare,quod inuoluit etiam decretum non concurrendi ad vllam actionem peccaminoſam. Tho-

Suar. miſtas ſequitur Suar.1.2.diſp.10.ſec.1. tract.1. cui tamen videtur non repugnare peccatum habituale cum viſione de potentia abſoluta, vt probat à num.23.

Prima Aſſertio.

VII. Impoſſibile eſt abſolutè peccatum vllum actuale iungi cum beatific viſione. Probatur primò auctoritate

S.Bonau. S.Bonauenturæ, cuius ratio à Sanctis Patribus, & Scriptura deſumpta,eſt efficaciſſima. Hic vniuerſaliter docet in 2.diſt.31.fin.& diſt.44.a.1. q.1. fin. gloriam afferre impoſſibilitatem ad malum, & loquitur de potentia abſoluta, vt patet ex diſcurſu, & ex ratione, quam

Deinde reddit in 4.diſt. 49. p.1. a.1. q.4.in reſol. *Anima, inquit, per gloriam non ſolùm eſt deiformis, ſed etiam conformis Deo, & voluntati eius*; ergo non poteſt eſſe difformis; patet ſequela, quia hæc eſt proprietas viſionis, ſiue gloriæ, vt perfectiſſimè vniat animam Deo cognito,vt ſummo bono, & adeò æſtimato, vt cætera illius comparatione nihili æſtimet; offenſam verò eius ſummum, ac deteſtabile malum iudicet tam ſpeculatiuè, quàm practicè; itaut impoſſibile ſit iudicium practicũ, hic & nunc hoc obiectum, quod illi diſplicet, mihi bonum eſt: igitur nec poſſibilis eſt conſenſus, neque diſſenſus practicus, neque operatio voluntatis illum ſupponens. Quod ſi ita eſt, nulla ratione poterunt ſimul permanere peccatum, & viſio, quia hæc eſt impedimentũ illius introductioni per inordinationem voluntatis creatæ, quæ in ſumma illa vnione ad bonum incommutabile eſſe nequit, nec aliunde peccatum oriri poteſt, quàm à voluntate creata.

Confirmatur ex eodem in opuſc.de ſeptem donis Spiritus Sancti tom. 6. Similitudo ex S.Bern.

c.11.referente verba S.Bernardi de dilig.Deo. *Quomodo ferrum candens ignitum ſimillimum igni fit, priſtina, propriaque forma exutum: & quomodo Solis luce aer perfuſus in eandem transformatur luminis claritatem,adeout non tam illuminatus, quàm ipſum lumen eſſe videatur; ſic omnem tunc in Sanctis humanam affectionem, quodam ineffabili modo, neceſſe erit à ſemetipſa liqueſacere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem: Alioqui quomodo* Deus erit 1.Cor.16.

omnia in omnibus, ſi in homine aliquid de homine ſupererit? &c. Itaq;voluntas Beati in Dei voluntatem ſic intime transfuſa, vt vna quodammodo eſſe videatur, non poteſt à recta regula deflectere, ſed redditur impeccabilis, ſicut & illa impeccabilis eſt; ſecus ſi in ſenſu compoſito eſſet peccabilis nõ eſſet transfuſa in voluntatem diuinã. Ita etiam loquitur Sãctus Auguſtinus S. Auguſtin.

in Pſalm. 35. *Cum accepta, inquit, fuerit illa ineffabilis viſio perit quodammo-*

Digitized by Google

dammodo humana mens, & fit diuina.

Secundo probatur principaliter auctoritate S. Thomæ 1.2 q. cit. vbi probans, Angelos beatos peccare non poſſe, rationem affert, quia eorum beatitudo in hoc conſiſtit, quod per eſſentiam Deum vident, eſſentia autē Dei eſt ipſa eſſentia bonitatis. Vnde hoc modo ſe habet Angelus videns Deum ad ipſum, ſicut ſe habet quicūque non videns Deum ad communē rationem boni. Impoſſibile eſt autem, quod aliquis quicquam velit, vel operetur, niſi attendens ad bonum, vel quod velit diuertere à bono in quantum huiuſmodi.

S. Thom.

Eſt autem eadem ratio de quocumque beato. Idem in vniuerſali docuerat 1.2 q.4. cit.

Quæ ratio confirmatur ex eo, quod beatitudo in communi quoad ſpecificationem tantùm neceſſariò appetitur & quoad exercitium non ſemper explicitè cognoſcitur, Deus autem in patria neceſſariò ſemper clarè videtur quoad exercitium, & ſub omni ratione boni, à quo voluntas non poteſt deflectere.

Dices, hanc proportionem non tenere in omnibus; nam bonum in communi eſt vniuerſale vniuerſalitate prædicationis, bonitas verò diuina eſt vniuerſalis vniuerſelitate continentię, & cauſalitatis; ideo illud includitur in omnibus bonis, non autem hæc: Voluntas: igitur quicquid amat dicitur amare ſub ratione boni in communi, non per modum intentionis, & electionis, neque quia feratur in illud ſub ratione abſtracta; ſed ſolum quia fertur in obiectum ſub aliqua ratione boni, in qua oportet rationem boni communem includi; vt verò feratur in obiectum creatum ſub ratione bonitatis diuinæ, debet ferri per modum electionis, & intentionis, quia vna bonitas non includitur in alia, & ideo poteſt vna referri ad alteram, vt ad finē; ergo ſecluſo amore, ſeu actu circa ipſum finem, nulla eſt neceſſitas volendi cætera omnia, vt ſubſtant ipſi fini: igitur ratio S. Thomæ ſolùm cōcludit, quod eſt aliqua proportio inter illa duo; ſed cauſa eius non eſt eadem in vtroque: ita Suar. 1.2. diſp. 10. cit. ſect. 1 num. 14.

Nihilominùs ratio Sancti Thomæ eſt efficax, licèt cauſa proportionis nō ſit eadem, eſt tamen ſimilis, fundatur enim in hoc, quod voluntatis obiectū eſt bonum, & ſicut non fertur vlla potentia extra ſuum obiectum, ſed neceſſariò quoad ſpecificationem tendit in illud; ita voluntas tendit in bonum, & in malum nonniſi ſub aliqua ratione boni; tam per naturalem inclinationem, quàm per electionem, & intentionem. Quod ſi hoc verum eſt de quolibet obiecto creato reſpectu boni, cuius ratio in illo includitur; multò magis locum habet in diuina bonitate, quæ clarè viſa tam magnum bonum æſtimatur, vt nihil appeti à voluntate poſſit, quod ipſi diſpliceat, aut ab ea, quæ eſt ſumma, & prima regula omnis rectitudinis declinet; idque multò magis, quàm bonum in communi, quod vel non cognoſcitur ab operante explicitè, vel ſi cognoſcitur non adeò æſtimatur, vt infinita illa bonitas, & bonorum pelagus, in quod mens immergitur, & maiori impetu tendit per viſionem, quam in beatitudinem, ſeu bonum in communi per naturalem inclinationem, qua neceſſitatur ad volendū quicquid vult ſub ratione boni. In vtroque igitur eſt efficacia tanquam in fine trahendi voluntatem, ſed maior in diuina bonitate. VIII.

Ratio S. Th. efficax.

Tertiò. Probatur, quia per viſionē formaliter anima Deum poſſidet, & in eo, vt in vltimo fine quieſcit, & per iudicium ſpeculatiuum, & practicum iudicat nihil ipſi repugnans eſſe appetibile; ita igitur illi adhæret, vt violentum illi ſit ab ipſo deflectere, multò magis, quam grauibus à centro, & leuibus à ſuo loco dimoueri; ſi ergo non poſſunt ſimul eſſe proſecutio, & fuga eiuſdem obiecti, neque acceſſus, & receſſus ab eodē termino per idem mouens, ita nec viſio, quæ eſt veluti proſecutio, & acceſſus ad Deum, cum peccato, quod eſt fuga, & receſſus à Deo, quemadmodum neque actus vitales contrarij in vniuerſum, quia vnus deſtruit obiectum alterius.

Quartò. Probat S. Thom. alijs rationibus lib. 4 cont. gent. c. illo 92. quarū vna quinto loco poſita confirmat argumentum noſtrum tertium, quia in volun-

voluntate non contingit peccatum, niſi in intellectu aliqualis ignorantia præcedat, nihil enim volumus, niſi bonum verum, aut apparens iuxta illud Prouerb.15. *Errant, qui operantur malum:* Vnde & Philoſophus 3.ethic. c.1.ait, quod omnis malus eſt ignorans, ſed beatus non poteſt eſſe ignorans, cum in Deo omnia videat, quę pertinent ad ſuam perfectionem, non igitur peccare poteſt, quia nullus vel error, vel defectus conſiderationis in eo eſſe poſſit.

Dices hoc principium morale eſſe verum de lege ordinaria, iuxta quam moraliter eſt impoſſibile peccare voluntatem ſine errore intellectus, ſed abſolutè difficile eſt probare, quod nō poſſit pro ſua libertate nullo præuio errore intellectus, eligere malum, vt tenent Scotus in 2.diſt. 6. q.1.& in 3. diſt.36.a.2.dub.1. Ocham, Gabr. Val. 2.tom.diſp.6.q.8.punct.1. & 2. Molin. 1.p.q.63.a.3.memb.5. Suar.l.7. de Angel.c.4.& alij apud ipſos in ſuam ſententiam explicantes Ariſtotelē, S.Aug. & Scripturam.

Deinde hæc ratio aſſumit, quod Beatus in Verbo nouit omnes ſuas actiones, & circumſtantias earū, quod non ſequitur neceſſariò ex vi viſionis, neque eſt debitum ſtatui illi, vt obijcit Suar.1.2.cit.diſp.10.ſect 1.n.7.

Contra eſt, quia non ſolum contingit error in iudicio practico quando quis peccat, quatenus iudicet hic, & nunc conueniens ſibi operari malum apprehenſum ſub aliqua ratione boni, quia nemo intendens ad malum operatur; ſed etiam in iudicio ſpeculatiuo contingit ſemper defectus aliquis conſiderationis puta turpitudinis vitij dedecentis naturam rationalem; debiti illud vitandi tanquam pernicioſum animæ; & in habente Dei cognitionē, quantum ſit malum offendere illum, quæ & ſimilia ſi penetrarentur, non peccarent homines etiamſi poſſent omnibus poſitis adhuc peccare, dum ſunt in via, non item in patria, vbi clara eſt Dei cognitio, debiti illi placendi, fœlicitatis in vnione cum illo, miſeriæ in ſeparatione, quæ intimè penetrata adſtringunt illi voluntatem immutabiliter, neque relinquunt libertatem ad peccandum: à quo igitur

In peccante ſemper eſt defectus conſiderationis.

proueniret tunc peccatum? Ad ſecundam inſtantiam primò quidem ſatis eſſet viſio diuinæ eſſentiæ ad ligandam voluntatem in eius adhæſione. Deinde verò licèt ex vi Verbi cogniti non videantur creaturæ in noſtra ſententia, tamen videntur alijs modis, & inter viſa ſunt quę pertinent ad beatum, vt infra explicabimus.

IX. Confirmatur aſſertio ex eodem S. Thom.4.cont.gent.cit. quia ita ſe habet finis in moralibus, & operabilibus, ſicut principia in ſcientijs: vt ergo facta reſolutione in prima principia habetur ſcientia, & in ea quieſcit intellectus; ita acquiſito fine vltimo, voluntas in illo hæret immobiliter, vt nihil velit, niſi in ordine ad ipſum.

Si quæras an hæc impeccabilitas proueniat formaliter ex vi viſionis, an dilectionis neceſſariò ad illam conſequentis.

Reſpondeo, quod de facto cauſa adæquata eſt viſio, & dilectio, de abſoluta verò potentia ſi ſuſpenderetur dilectio, ſufficiens eſſet viſio ad rectificandum, & firmandum in bono voluntatem, ne peccare poſſet.

Reſponſio ſupponit ſuſpendi poſſe dilectionem, quod eſt contra Aegid. quodl 5.q.6.& alios negantes videntē Deum poſſe ipſum nō amare, ſed cum viſio ſit operatio intellectus diſtincta, & prior natura dilectione, quæ eſt in voluntate non apparet repugnantia, cur Deus poſita viſione nequeat ſubtrahere concurſum ad dilectionem, vt infra patebit, quo caſu dico adhuc beatum fore impeccabilem; ratio eſt, quia vt S. Bonau. ſupra; viſio traheret totam attentionem ad Deum, & redderet animam ita illi conformem, vt voluntas videri poſſet etiam in ipſam Dei voluntatem transfuſa: Intellectus etiam à tanta claritate illuſtratus, vt ritè penetraret quanti ſit æſtimanda diuina bonitas, & quantopere vitāda, quæ ipſi diſplicent: quibus poſitis impoſſibile eſt mentem tanto lumine abſorptam declinare ad ea, quæ ipſi diſplicent: quia tota transfunditur in diuinam voluntatem, vt ex S. Bernar. docet S.Bonauentura tom.6. opuſc.de ſeptem donis Spiritus Sancti, explicās varijs ſimilitudinibus, ſtillæ modicæ aquæ multo vino ſuperinfuſæ, quæ in illud

Digitized by Google

illud vertitur amiſſo proprio colore, & ſapore: Ferri igniti quod in ignem verſum videtur: aeris illuminati qui claritatem Solis induit, &c.

Secunda Aſſertio.

X. NOn apparet repugnantia cur de potentia abſoluta non poſſit cõmunicari viſio beata ſine deletione culpæ habitualis. eſt contra Vazq. 1. 2. diſp. 11. cap. 10. ſed probat Suar. 1. 2. diſp. 11. cit. ſect. 2. citans Duran. & Medinam; quia viſio, & peccatum habituale in terminis non repugnãt, & illa eſt in intellectu, hæc verò in voluntate; licèt igitur ratione ſtatus, quem Deus vult ab omni miſeria liberum, ſe non compatiantur inuicem; tamen formaliter non ſe deſtruunt, ſicut ſe deſtruunt amor actualis, & odium, fides, & infidelitas. Neq; obſtat, quod ad viſionem ſequatur rectitudo in voluntate, quia hoc non eſt delere culpam habitualem, & moralem habitudinem ad peccatum præteritum non retractatum, neque remiſſum, qualis diceretur ſi formaliter repugnarent; ſed eſt obiectiuè cõcurrere ad conſtituendam voluntatem in ſtatu, in quo peccare nequeat, eo quod repręſentet illi Deum clarè viſum ſub ratione tam magni boni, vt rapiatur ad eius amorem: hoc autem non implicat fieri etiã non remiſſa culpa pręterita, quia Deus ſua dona poteſt communicare exiſtentibus in peccato, & damnatum ad inferni pœnas poſſet participem viſionis ad horam, vel eo amplius facere ſine remiſſione peccatorum, & acceptatione ad amicitiam beatitudinis propriã.

Confirmatur, & explicatur ex doctrina S. Bonam. in 2. diſt. 42. diſt. 1. tex. *Culpa, ſeu peccatum inuoluit deordinationem in actu, vel anima: deordinatio autem actus conſiſtit in auerſione à Deo, & conuerſione ad creaturam: deordinatio in anima ratione auerſionis dicitur deformitas; ratione conuerſionis dicitur macula; & ſuper iis fundatur reatus ad pœnam; qui manet poſt commiſſam culpam per comparationem ad illam (non retractatam ſcilicet, neque remiſſam) Manet, & macula, quæ dicitur polluta anima, & priuata gratia per deordinationem amiſſa, &c.* Quamuis igitur per

Deordinatio in actu, & in anima.

viſionem ita ordinetur voluntas, vt deordinari ea durante nequeat ob rationes allatas; tamen manere poteſt reatus ad pœnam nolente Deo illam remittere, ſicut neque offenſam, & propterea remaneret habitudo ad culpam præteritam non remiſſam, & ex hac parte peccatum etiam habituale, quemadmodum maneret cum gratia in via de abſoluta potentia: idque magis apparet, ſi neque gratia ſic videnti infunderetur, & dilectio ſuſpẽderetur, ne forte dicas per alterutram deletum iri peccatum habituale.

Reſponſio ad argumenta contra ſuperiores Aſſertiones.

PRimum eſt contra vniuerſalem doctrinam, quod voluntas in patria neceſſitetur ad bonum, & reddatur impeccabilis intrinſecè, quia Sanctus Auguſt. in Enchir. c. 105. Neque, inquit, aut voluntas non eſt, aut libera dicenda non eſt, qua Beati ſic eſſe volumus, vt miſeri eſſe, non ſolùm nolimus; ſed nequaquam prorſus velle poſſimus. Igitur ſi in patria voluntas intrinſecè non poteſt velle malum, nõ eſt libera, nec voluntas manet: & idem eſt de dilectione, ſi non poteſt eã nolle. Idem de libero arbitrio lib. 3. cap. 1. omnem motum voluntatis docet eſſe liberum, alioqui boni non eſſent laudandi, nec voluntas monenda. XI.

Ex quibus formant rationem Scotiſtæ, quia de eſſentia voluntatis eſt eſſe liberam, & cum in patria non mutetur eſſentia, conſequenter nec libertas mutabitur, nec modus operandi, qui vnius potentiæ vnus eſt.

Confirmatur, quia non eſt vnde inferatur neceſſitas, niſi fortè ab obiecto clarè viſo, & hinc non neceſſitatur voluntas contra naturam ſuam eſſentialiter liberam; viſio enim clara, & obſcura ſunt veluti approximationes ad potentiam, quæ non mutant illam: quæ ratio ſupponit dilectionem fieri à voluntate, & non à ſolo Deo, quaſi neceſſariò illam recipiat, & non influat actiuè voluntas in illam.

Deinde ex Ariſtotele 2. Phyſ. t. 49. agere liberè, & agere naturaliter ſunt oppoſiti modi agendi, & primò diſtinguunt actiuum principium, & 9. Met.

tom.10. probat principium agendi liberum diſtingui à principio agendi neceſſariò, & ideo in parte rationali dari intellectum, qui eſt agens neceſſariū, & voluntatem, quæ eſt principium agendi liberum: multiplicantur argumenta ad probãdam hanc libertatem voluntatis in patria, ſed ex horum ſolutione ſoluta manent omnia.

Ad auctoritatem S.Auguſt. reſpondetur primò eum loqui de neceſſitate coactionis, ſecundùm quam amittitur libertas, & infertur violentia voluntati; non de neceſſitate naturalis inclinationis ad beatitudinem, quam nemo quoad ſpecificationem nolle poteſt, quia naturalis appetitus ad illam fertur; quoad exercitium autem ſi prorſus nolle cogeremur, liberi non eſſemus: ſed in excercitio per actum elicitum liber eſt homo, ſicut in alijs non connexis cū beatitudine, vt Bellarm. mox citandus, & ſermo eſt de beatitudine in vniuerſum, non in particulari de clara viſione. In quem ſenſum S.Bonauentura in 2.diſt.25.p.2.a.1.q.5 ad arg. *Voluntas, inquit, duci poteſt ab agente creato, mutari vero ab alio non poteſt, niſi ab agente increato; cogi verò ab aliquo non poteſt. Et pro tanto dicit Bernardus, quod libertas voluntatis eſt ita plena ſuo modo in creatura, ſicut in creatore, & in omnibus reperitur æqualiter: hoc enim intelligitur quantum ad coactionis priuationem, &c.* Quæ eſt etiam doctrina S.Thomæ 1.p.q.82.a.1 vbi oſtendit, quæ neceſſitas voluntati repugnet, & quæ non. Itaque dilectio neceſſariò ſequitur ad viſionē, & hæc non eſt neceſſitas coactionis, ſed naturalis ſequelæ, & connexionis vnius cū altera. Quæ autem ſit neceſſitas coactionis explicat S. Bonauentura in 1. diſt.6 a.1.q.1. in reſolut. *Neceſſitas, quæ prouenit ex principio diſconueniente eſt, inquit, duplex. Aut enim eſt ex ipſo mouente contra naturam, & hæc eſt neceſſitas violentiæ. Aut contra voluntatem, & hæc eſt neceſſitas coactionis, &c.* quā non cadere in voluntatem docet in 2.diſt.15.p.2.a.1.q.5.in reſol. *Tunc autem, inquit, voluntas dicitur cogi quando intelligitur ipſam inuitā aliquid velle, & repugnante actu voluntatis deliberatiuæ aliena virtute moueatur, & repugnantia manente ad idem aliquid volē-dum inclinari; & hæc duo oppoſita implicare oſtendit dicens, quod ſi aliquid vult, voluntariè vult, & ſe ipſa mouente vult. Ex hoc autem quod cogitur, ſi aliquid vult, ſeruiliter vult, & ſi aliquid vult ab alio vult, quia violentum eſt, cuius principium eſt extra, nihil conferente vim paſſo; ergo liberum arbitrium cogi non eſt aliud, quā ſimul, & ſemel eſſe liberum, & ſeruile, eſſe voluntarium, & non voluntarium, eſse à ſe, & non à ſe, quæ repugnant.* fuſius de hoc Vazq.1.2.diſp.26.

S.Bonau.

Quid ſit neceſsitas coactionis ex S. Bonau.

XII. Ad argumentum contra libertatem dico, quod neceſſitas coactionis repugnat naturæ voluntatis, & cum in patria non ſit coactio, manet eadem voluntas, licet non libera quoad dilectionem conſequentem ad viſionem; ſicut nec manet libertas in via reſpectu beatitudinis in communi: neque hic modus operandi neceſſariò, poſita viſione eſt contra naturam voluntatis; ſed ſupra per potentiam obedientialē, quatenus eleuatur potentia intellectiua ad viſionem, & conſequenter ad dilectionem: quo cadit dictum S.Auguſtini relatum à S.Bonau. loco citato in hæc verba. *Auguſtinus ait ſuper Gen. ad lit. Tūm non poteſt Deus facere contra naturam, quam bonam inſtituit: quā non poteſt facere contra voluntatē ſuam: Si igitur Deus voluntariè liberum arbitrium dedit homini, impoſſibile eſt eum de libero arbitrio facere contra inditam ſibi libertatem; ſed ſi ipſum cogeret contra eius libertatem faceret, ergo liberum arbitrium cogi à Deo eſt impoſſibile, &c.* Igitur iuxta SS.Auguſtinum, & Bonauent. neceſſitas coactionis eſt contra libertatem voluntatis; talis autem non eſt neceſſitas dilectionis, & fruitionis in patria; imò connaturaliter ſequitur ad viſionem, & vim potius pateretur voluntas, ſi impediretur ne diligeret Deum clarè viſum, & repræſentatum ſub omni ratione boni. Audi S.Bonau. in 2.diſt.2.p.25.a.1.q.2. in reſolut. vbi cum probaſſet, quod liberum arbitriū ſecundum quod liberum poteſt eſſe non ſolum reſpectu contingentis, ſed etiam neceſſarij, vt patet in Deo, in Chriſto, in Angelis, & hominibus beatis, ſubdit: Cum enim, inquit, duplex ſit neceſſitas videlicet coactionis, & immutabilitatis. Neceſſitas coactio-

Liberum arbitrium cogi à Deo eſt impoſsibile.

nis

nis repugnat libertati arbitrij, neceſſitas verò immutabilitatis non, pro eo quod arbitrium dicitur liberum, quia non ſic velit hoc, vt poſſit velle eius oppoſitum; ſed quia omne quod vult appetit ad ſui ipſius imperium, quia ſic vult aliquid, vt velit ſe velle illud; & ideo in actu volendi ſeipſum mouet, & ſibi dominatur, & pro tanto dicitur liberum, quamuis immutabiliter ordinetur ad illud, &c. hinc eſt effatum apud Theologos commune, quod voluntas quoad actus elicitos cogi non poteſt, vt Suar. mox citandus.

Confirmatur, & explicatur reſponſio ex doctrina S. Thomæ.

XIII. AD argumentum principale ſimilia habet S. Thom. 1. p. q. 82. a. 1. 2. vbi arguens ex auctoritate S. Aug. l. 5. Ciu. c. 10. dicentis, quod voluntas nihil ex neceſſitate appetit: *Dicendum, inquit, quod verbum Auguſtini eſt intelligendum de neceſſitate coactionis; Neceſsitas autem naturalis non aufert libertatem voluntatis, vt ipſemet in eodẽ loco dicit, &c.*

Ex qua duplici auctoritate habes præter neceſsitatem coactionis, dari alteram naturalem non auferentem libertatem, qualis eſt reſpectu beatitudinis naturalis, in quam rationalis creatura fertur quodam naturali impetu; & quoad ſpecificationem neceſſariò; ſed quoad exercitum liberè; qualis non eſt reſpectu beatitudinis ſupernaturalis in patria, in quam neceſſariò fertur voluntas, tã quoad ſpecificationem; quàm quoad exercitium: talis etiam fuit voluntas non peccandi in Chriſto Domino, libera quidem à coactione, ſed non à neceſſitate non peccandi, quæ ſunt exempla S. Bonau. in textu citato.

Secundò. Habes non idem eſſe voluntarium quod liberum; nam ad illud ſufficit, quod ſit ex principio intrinſeco cognoſcente ſingula; ad hoc verò vt poſſit agere, & non agere, aut agere contrarium. Sic amor in patria eſt voluntarius, ſed non liber; & alia dantur voluntaria, & non libera, vt fusè ex S. Aug. & SS. Patribus alijs declarat Bellarm. de gratia, & lib. arb. l. 3. præſertim c. 4. Ideo damnatę ſunt a Pio V. Greg. XIII. & Vrb. VIII. duæ propoſitiones Michaelis Baij, quarum altera in catalogo apud Suar. tom. 1. de grat. proleg. 6. c. 2. illas recenſentem, eſt. Quod voluntariè fit, & ſi in neceſſitate fiat, liberè tamen fit: & ponitur ibi n. 39. Altera eſt nu. 66. ſola violentia repugnat libertati hominis naturali: quarum contradictorias admittunt catholici; nimirum non dici liberè fieri, quod ex neceſſitate fit, licet voluntariè fiat. Conſequenter non ſolum violentiam repugnare libertati, ſed aliunde hanc tolli poſſe, etſi non intercedat coactio, aut violentia, vt patet in exemplis allatis. Et hæc dicta ſint ad intelligenda dicta SS. Bonauent. & Thomæ, iuxta ſenſum catholicũ, exactior enim tractatio de libertate arbitrij non eſt huius loci, & habetur apud Bellarm. lib. cit. Suar. in opuſc. de libert. hum. & in altero de lib. Dei, & l. 5. de grat. à c. 4.

Hic ſolum in gratiam S. Thomę ſtudioſorũ explicandus locus in ſpeciem difficilis, quo non modo hæretici, ſed & aliqui catholici vtũtur ad probãdũ libertati humanæ ſolũ obſtare coactionẽ, & multa liberè fieri, quę neceſſario fiunt. Igitur S. Thom. q. 10. de Pot. a. 2.

Proponit quinto loco, hoc argumentum. Voluntas libera eſt; quod ergo procedit per modum voluntatis, procedit per modum libertatis. Quod autem procedit per modum libertatis poteſt procedere, & non procedere; & tantum, vel non in tantum procedere; quia quæ liberè fiunt, non ſunt determinata ad vnum; ergo Pater potuit producere Spiritum ſanctum, vel non producere; & dare ei quancunq; menſuram magnitudinis vellet; ſequitur ergo, quod Spiritus Sanctus ſit ens poſſibile, & non ens per ſe neceſſe eſſet, &c. en argumentum.

Ad quintum, reſpondet, dicendum quod naturalis neceſſitas, ſecundum quam voluntas ex neceſſitate aliquid velle dicitur, vel fœlicitatem, libertati voluntatis non repugnat, vt Auguſt. docet in quinto libro de Ciu. Dei c. 10. libertas enim voluntatis, violentiæ, vel coactioni opponitur. Non eſt autem violentia, vel coactio hoc, quod aliquid ſecundum ordinem ſuæ naturæ mouetur; ſed magis in hoc quod naturalis

motus impeditur; ſicut cum impeditur graue ne deſcendat ad medium, Vnde voluntas liberè appetit fœlicitatem, licet neceſſariò appetat illam. Sic autem & Deus ſua voluntate liberè amat ſeipſum, licèt de neceſſitate amet ſeipſum. Et neceſſariũ eſt, quod tantum amet ſeipſum, quantum bonus eſt, ſicut tantum intelligit ſeipſum, quantum eſt: liberè ergo Spiritus Sanctus procedit à Patre, non tamen poſſibiliter, ſed ex neceſſitate. Nec poſſibile fuit ipſum procedere minorem Patre; ſed neceſſarium fuit ipſum Patri eſſe æqualem, ſicut & Filium, qui eſt Verbum Patris, Sic S. Thomas viſus aduerſarijs coniungere libertatem voluntatis cum neceſſitate, dummodo abſit coactio, itaut liberè dici poſſit appetere, quod neceſſariò appetit, vt habet textus, qui facilis eſt ſi liberum pro voluntario, vel ſpontaneo accipiatur; difficilis ſi pro indifferente.

Omiſſis autem quæ pertinent ad proceſſionem Spiritus Sancti an ſit dicenda libera, vel neceſſaria, quæ eſt celebris controuerſia inter Scotiſtas, & Thomiſtas, quod facit ad præſentẽ difficultatem reſpondet Bellarm. l. 3. de grat. cit. cap. 6. fin. quod loquitur S. Thom. hic de voluntate ſimplici, non de volũtate vt eſt principium electionis, quæ ſola liberum arbitrium nominatur. Quæ diſtinctio eadem eſt cũ allata ſupra ex S. Bonau. quod arbitriũ conſideratur, vt liberum, ſeu vt natura, cui competit libertas; & ita ſtat cũ neceſſitate diuerſa à coactione: Vel vt deliberans, & ita poſcit indifferentiã ad operandum liberã ab omni neceſſitate, etiam naturalis inclinationis, qualis eſt ad fœlicitatem, quam odiſſe nemo poteſt, appetere actu elicito libere quiſque poteſt, atque ita patet dari aliam neceſſitatem diſtinctam a coactione.

Addit Bellarm. quod videtur S. Thom. in modo loquendi locum iſtum reuocaſſe in prima parte ſummæ quæſt. 41. a. 2. ſed bene conſideranti videtur potius declaraſſe, iuxta ſenſum diſtinctionis prædictæ S. Bonauent. qua adhibita, ſimul cu altera de neceſſitate quoad ſpecificationem, & exercitium facilè intelligitur in quo ſẽſu liberum componat cum neceſſario, & quomodo Chriſtus diceretur liberè amare Deũ, quem tamen neceſſario amabat, vt S. Bonau. ſupra, & S. Thom. in 3. diſt. 18. q. 1. a. 2. licet diuerſimodè explicetur libertas Chriſti à Theologis.

Reſponſio ad alterum argumentum Scotiſtarum.

IAm verò ad argumentũ initio poſitum ductũ ex modo operandi, & auctorit. Ariſt. 3. reſpon. quod modus operãdi voluntatis nõ eſt vnus, niſi genericè, quia cũ ſit potentia vniuerſalis, ſicut & voluntas multis modis ſpecificè diuerſis operari poteſt, vt patet ex hoc, quod amplecti poteſt obiectũ repræſentatum, & ab eo refugere: proſecutio autem, & fuga non minus differunt, quam libertas, & neceſſitas. XIV. Reſponſio.

Ergo, inquies, non magis meretur voluntas denominationem potentiæ liberæ, quam neceſſariæ, quia circa beatitudinem in communi, & circa Deum clarè viſum verſatur neceſſariò, quæ ſunt obiecta omniũ nobiliſſima.

Reſpondeo. Nego ſequelam; denominatio enim fit à potiori, vt S. Bonauent. in 3. diſt. 2. a. 2. q. 1. ad argum. niſi aliud obſtet, & ab eo, quod per ſe alicui conuenit; potiora autem ſunt omnia obiecta, in quæ per continuum vſum liberè tendit voluntas, quam ſit beatitudo in communi quoad dandam denominationem libertatis, in cuius exercitio purpetuò eſt per actus explicitos conſequentes ad repræſentationem intellectus proponentis obiecta cum indifferentia, cum de beatitudine in vniuerſali rarò cogitet, licet eam implicitè voluntas quærat, quatenus bonum quærit, etiam cum malè operatur. S. Bonau.

Dixi etiam ab eo, quod eſt per ſe, & conuenit naturæ voluntatis, quia viſio non conuenit per ſe, ſed quaſi per accidens in hoc ſenſu, quod non debetur viſio beata ad exigentiam naturæ per ſe illam requirentis, ſicut requrit concurſum Dei ad operationes naturales, ad quas inſtituta eſt; ſed ex extrinſeca Dei benignitate ordinantis illam ad finem ſupernaturalem, & eleuantis ad eius aſſecutionem, ſtãte eius capacitate, de qua ſuperiùs actum eſt, ob quam congruenter viſio datur.

Inſta-

XV Inſtabis, ſi denominatio fit à potiori, ergo voluntas Dei potius dicenda eſſet neceſſaria, quàm libera, quia neceſſariò amat eſſentiam ſuam, quæ eſt obiectum potiſſimum comparatione creaturarum, quas liberè vult.

Reſpondeo, voluntatem Dei ſolùm appellari liberam reſpectu creaturarũ, quarum nulla neceſſariò vult. Imò ex hoc petitur argumentum contra Scotum, quia eadem voluntas reſpectu aliquorum obiectorum non eſt libera, reſpectu aliorum eſt libera, & habet proinde non eundem modum tendẽdi in illa, ſed diuerſum: Nam etiam voluntas Dei verſatur circa creaturas poſſibiles per neceſſariam complacẽtiam, & circa futuras, & exiſtentes per efficacem actum amoris, diuerſum ab amore ſui: igitur eidem voluntati cõuenit diuerſitas modorum tendendi in obiecta formaliter loquẽdo de Deo, in quo modus, tendentia, operatio intrinſeca realiter idem ſunt cum eſſentia.

Neq; hic multum laborandum eſt de nomine, dum res teneatur; illud enim interdum imponitur non à digniori, ſed etiam à notiori, qualis non eſt beatitudo in communi, neque in particulari, vt S. Bonau. in 3. cit.

Neceſſitas ab obiecto & potentia oritur.

Ad confirmationem reſpondeo, neceſſitatem oriri ab obiecto, vt clarè viſo, & ab ipſa potentia, quæ talis naturæ eſt vt allecta à bono, amet illud, & quo maius illud eſt, magis trahatur ab illo; & ſi ſub omni ratione boni repræſentetur bonum infinitè optimum, non poſſit non amare; cuius naturæ argumenta ſunt in humanis, ad quæ plerumque ita afficitur voluntas, vt trahi neceſſariò videatur, quæ fuit occaſio errandi hæreticis aſſerentibus liberum arbitrium eſſe titulum ſine re, etiamſi altius deinceps fingant principium diuinorum decretorum. quid mirum igitur, ſi infinitum bonum, & ſupra quam cogitari poteſt, pulchrum, ac delectabile potens ſit neceſſitate ad ſe amandum; ſeu quod idem eſt voluntas non poſſit non amare illud ita ſibi applicatum, ſeu ſub omni ratione boni clarè repræſentatum? idque non ſolùm neceſsitate quoad exercitium; ſed etiam quoad ſpecificationem, cum circa beatitudinem in cõmuni ſit neceſsitas ſolùm quoad ſpecificationem, vt ſupra diximus.

Ad auctoritatem Ariſtotelis reſpondeo in citatis textibus nihil tale tractari ab Ariſtotele: cæterum quia doctrina eius alibi tradita eſt, quod agẽdi neceſſariò, & liberè principia ſunt diſtincta non ſolùm in diuerſis ſubiectis; ſed etiam in eodem, vt in homine, in quo voluntas, quæ eſt potentia libera, & intellectus, qui eſt potentia neceſſaria, & non poteſt diſſentire ijs, quæ ſibi vt vera repræſentantur; diſtinguendum eſt principium agendi neceſſariò, vt aliud ſit minimè intellectiuum, qualia ſunt agentia omnia tam animata, quàm inanimata rationis expertia: Alia prædita ratione, vt homo & Angelus: prima cum ſint penitus materialia, & limitata ad functiones materiales, nihil participant libertatis, licèt nonnulla præferant quandam ſimilitudinem: Secundi generis ſunt magis eleuata à materia, & propter mentis nobilitatem libera sũt in ſuis operationibus; ita tamen vt neceſsitari ad illarum aliquas poſsint ſecundum eandem potentiam, quæ eſt voluntas; cum quo tamen ſtat, vt diſtinguatur ab intellectu per hoc, quod eſt potentia libera, quia ſolum reſpectu beatitudinis non eſt libera, ſed reſpectu omnium aliorum; neque illa neceſsitas magis obſtat libertati, quàm obſtet impotentia extendendi ſe ad impoſsibilia; ſicut enim ob connexionem naturalem cum intellectu, & dependentiam ab ipſo non poteſt operari, neque velle, niſi quod ipſi repræſentatur; ita ob inclinationem ad bonum, non poteſt non amare, quod vt omninò amabile ipſi repræſentatur; & tamen hæc neceſsitas non impedit libertatem ſimpliciter, quæ ſolùm attenditur reſpectu poſsibilium, & ſufficit ad diſtinctionem ab intellectu.

Principium agendi neceſſario eſt duplex.

Argumenta contra primam Aſſertionem ex Ratione.

XVI. IN particulari arguit Sal. loco cit. De abſoluta potentia dari poteſt viſio tam tenuis, & vnius tantum, vel alterius attributi, vt non ſolum voluntas non amet neceſſariò Deum; ſed etiam poſsit odiſſe, ſi proponerentur aliqua

Digitized by Google

aliqua prouocantia ad odium: exemplum ponit ſecunda ſententia ſupra, ſi videnti Deum reuelaretur damnatio ad pœnas inferni; qua facta conſurgeret odium contra ipſum. Confirmatur, quia poſſet videri hoc attributum abſq; eo, quod cognoſceretur Deus, vt ſummè amabilis, & vt vltimus finis, qui intelligi non poteſt ſine reſpectu ad creaturam; & licet cognoſceretur hæc ratio, tamen moueret ſolùm ad amorem concupiſcentiæ, non amicitiæ.

Addi poteſt tertiò, quod gratia, quę eſt forma ſanctificans de abſoluta potentia ſtare poteſt cum peccato in probabili ſententia Medinę 1.2.q.117 a.2. Suar.tom.3.de gratia l.7. à cap.19. contra Vazq.1.2. diſp.204. de quo infra agemus. ergo multò magis viſio, quam non eſt certum eſſe formam ſanctificantem.

Quartò, quia vt dictum eſt, non opponuntur contradictoriè viſio, & peccatum; tum quia ſunt in diuerſis potentijs, tum quia formaliter vnum non eſt negatio alterius, neque includit illam.

Reſpondetur ad primum, ſermonē eſſe de viſione beatifica: quæ clara cum ſit, ac intuitiua non poteſt eſſe tam tenuis, vt non trahat ſecum dilectionem, quia quodlibet diuinum attributum non ſolùm vt idem cum eſſentia; ſed formaliter conſideratum in ſe eſt infinitæ pulchritudinis, & amabilitatis; conſequenter videri non poteſt clarè, quin ametur: neque motiua contraria vim vllam habent ad impediendum amorem: ſolus Deus poteſt ſuſpendere actum dilectionis, quo caſu ſola viſio impediret quamlibet voluntatis obliquitatem, multò magis odij contra ipſum; vt enim arguit Vazq.contra ſecundam ſententiam 1.2.diſp.16.c.2.nō poſſet moueri, Deū videns, odio abominationis, quia nullum malum videre in eo poteſt, quod abominetur; neque odio inimicitiæ, eo quod apprehendat Deum vt ſibi aduerſarium, quia inflicturus ſit pœnam; nam viſio ſummæ bonitatis, & æquitatis impediret omnem peruerſā erga ipſum affectionem, & etiamſi diſpliceat pœna, odio haberi non poteſt illam infligens, cuius voluntas repræſentari non poteſt, niſi vt ſummè bona, & amabilis omnibus in operibus ſuis; licèt ſecus accidat in viatore non cognoſcente ipſam intuitiuè; & ideo apprehendente Deum ſub aliqua ratione ſibi diſplicente, vt nimium ſeuerum, vel ſimilia.

Dices ergo neque impediri poſſet gaudium ſequens ad viſionem, quia cum ea iuncta eſt neceſſariò approbatio, & complacentia maior de Dei voluntate, quam de proprio commodo; ex alia parte quomodo non triſtetur, qui cogitat ſe in æternum inferni pœnas paſſurum? non enim in hoc caſu locum habet, quod profert Ariſtoteles 7.ethic.c.14. voluptas, ſi vehemens ſit pellit dolorem, quia atrocitas pœnæ apprehenſæ non poteſt non excitare dolorem aliquem:

Reſpondet Capr.loc.cit.ad 10. Adā potius auctū iri gaudium ex eo, quod videt iuſtam eſſe pœnam à Deo decretam; & alioqui gaudium neceſſariò ſit annexum viſioni.

Sed tranſeat imminutum iri gaudiū, nego ſequi poſſe odium Dei, aut peccatum aliud, ſtante viſione, quæ fert ſecum æſtimationem boni, quod in adhæſione Dei conſiſtit, & talem cū eius voluntate cōformitatem, vt mens in eum conuerſa videatur, & difformis fieri nequeat: vt SS.Auguſtinus, Bernardus, Bonauentura ſupra loquebantur, & ex alia parte quicquid illi repugnat tantopere abhorret, vt ſub nulla ratione tanquam bonum apprehendere valeat. *Non poteſt odium Dei ſtare cū viſione beata.*

XVII. Adde nec imminutum iri gaudium etiamſi dolor; & triſtitia aliqua adueniret, quia eſſent de diuerſis obiectis, nimirum illud de Deo viſo, hæc de pœnis inferni: quemadmodum anima Chriſti ex viſione beata tantam percipiebat lætitiam, vt apta eſſet expellere omnem triſtitiam de alia qualibet re; ſed diſpenſatione diuina factū eſt, vt ſimul de alijs rebus triſtaretur, hoc eſt de paſſione, vt erat afflictiua corporis, & mortalis, vnde orabat Pater, ſi fieri poteſt tranſeat à me calix iſte; de peccatis Iudæorum in ea inferenda, & ſimilibus, vt Vazq. 1. 2. diſp.16.c.2.contra Canum 12.de locis c.14.dicentem animam Chriſti tēpore paſſionis priuatam fuiſſe fruitione, quia

quia cum hac non ſtat triſtitia, quam ſententiam putat erroneam Suar. t. 1. in 3. p. diſp. 38. ſect. 3. citans Henricum notantem tanquam fidei contrariam, vtpote contra Scripturam, & Patres. Quicquid tamen de hoc ſit, communis, & vera ſententia eſt Chriſtum ab initio conceptionis beatum fuiſſe, & in tota vita duraſſe beatitudinem, & nūquam priuatum fuiſſe fruitione, neq; gaudio, etiam in paſſione, licèt ſimul triſtaretur; idque in ſuperiori portione animæ, vt S. Bonau. in 3. diſt. 16. a. 2 q. 1. & 3. idem Suar. ibidem contra Caietan. 3. p. q. 46. a. 7. tenentem triſtitiam Chriſti pertinuiſſe ad partem inferiorem rationis, quia erat de obiectis inferioribus, & temporaneis.

Ad confirmationem, nego antecedens; nullum enim attributum clarè videri poteſt, niſi vt ſummè amabile amore amicitiæ: neque neceſſe ad hoc eſt, vt cognoſcatur explicitè ſub ratione finis vltimi, quomodo amatur amore concupiſcentiæ; ſed ſatis eſt, quod videatur clarè illa bonitas, & pulchritudo infinita attributi diuini, vt excitet amorem ſuum, qui ſi per diuinam potentiam ſuſpenderetur, non tamen ſuſpendi poteſt ſumma æſtimabilitas diuinæ bonitatis, & iudicium ſummæ infœlicitatis eius offenſæ, ſaltem implicitum, cum quo non ſtat auerſio voluntatis à Deo.

Ad tertium patebit capite ſequenti, interim concedo paritatem de peccato habituali, nego de actuali, quia viſio eſt poſſeſſio, ac tentio Dei viſi, peccatum actuale eſt amiſſio, & auerſio à Deo, qui actus inuoluunt contradictionem ad inuicem, & ſe non compatiuntur. ex quo patet.

Ad quartum, quia viſio eſt vnio, & perfectiſsima ad Deum conuerſio; & ideo ſtare non poteſt cum peccato, quod eſt auerſio à Deo, idque loquendo de peccato actuali, non item de habituali, quod inuoluit offenſam moralem, qua minimè condonata de abſoluta potentia communicare ſui viſionem poteſt Deus, vt dictum eſt.

Contra ſecundam Aſſertionem.

XVIII. Obijcies, quia contra Dei ſapientiam, & bonitatem videtur donum gloriæ, & viſionis, quo nullum in hoc genere præſtantius eſt, dare indigno peccatori, & inimico ſuo, ſicut Regem dedeceret promouere ad primam dignitatem virum illa indignum, & inimicum ſuum. Deus autem omnia facit in ſapientia.

Secundo. Talis homo eſſet beatus propter viſionem, & eſſet miſer propter maculam peccati, hoc eſt non beatus, quod implicat.

Tertiò, quia viſio ſi non ſanctificat formaliter, tamen rectificat voluntatem per ſe ipſam, & ex ſua natura poſtulat eſſe cum gratia; proinde carentia gratiæ in vidente Deum non habebit rationem priuationis, quæ requiritur ad culpam, ſed tantum negationis gratiæ, quæ poteſt eſſe ſine culpa.

Confirmatur, & explicatur magis argumenti iſtius vis, nam macula peccati habitualis, qua dicitur homo maculatus, eſt priuatio gratiæ habitualis, & eſt reſpectus quidā rationis ad præteritum peccatum nondum retractatum quo reſpectu dicitur homo manere conuerſus ad creaturam, quam præterito peccato dilexit; hæc autem macula deleri non poteſt, niſi forma, quæ habeat oppoſitionem cum ipſa, qualis eſt viſio beata: cum enim huic debeatur gratia, per quam tolleretur culpa, ſi non detur, hoc ipſo tollitur debitum habendi illam, ac proinde ceſſat ratio priuationis, in qua conſiſtit macula, & manet ſimplex carentia gratiæ, quæ non eſt culpa.

Reſpectus etiam rationis, quo dicitur homo conuerſus manere ad creaturam, tollitur per viſionem, quia illi debetur dilectio, per quam tollitur conuerſio ad creaturam, quia voluntas neceſſariò fertur in Deum, qui eſt terminus oppoſitus creaturæ. ita fermè Vazq. cit. diſp. 11. c. 10.

Ad primum, ſi Deus vellet in hoc caſu oſtendere potentiam ſuam, non deeſſent rationes commendandæ ſapientiæ, ac bonitatis; ſicut non deſunt de facto cum dat fidem, ac ſpem, & dona gratis data peccatoribus.

Ad ſecund. Talis homo non eſſet completè beatus, quia careret gratia, quæ ad hoc requiritur, quod magis in conſequentibus explicabitur.

Ad tertium quomodo viſio rectificet

tatem gratiæ cum mortali, & S. Thomam interpretentur de lege ordinaria.

2. Sent. affir. Secunda ſententia penitus oppoſita non agnoſcit implicantiam in hac ſimultate, & nullam eſſe conatur oſtẽdere Suarius lib. 7. de Gratia à c. 19. & l. 11. à c. 3. Salas 1. 2. q. 71. tract. 13. diſp. 2. ſect. 15. Ripalt. tom. 2. diſp. vlt. prẹter alios commentatores S. Thomæ citantes pro ſe veteres, ac recentes Theologos non paucos. (Suar. Sal. Ripal.)

Scot. Præcipuus ex ijs eſt Scotus in 2. diſt. 35. §. Iſtæ queſtiones. Ex vniuerſali principio contra Thomiſtas, quod Gratia, & peccatum non opponantur phyſicè, ac formaliter; ſed ſolùm demeritoriè, ex hoc quod peccans reddit ſe indignum gratia, & ideo illam amittit, non quia formaliter, aut efficienter à peccato corrumpatur; ſed quia Deus deſinit illam conſeruare. Deinde peccatum habituale non eſſe maculam, vt à ſecunda ſententia, etiam quoad hoc, variè explicatur, ſed conſiſtere in ordinatione, ſiue reatu pœnẹ ex lege Dei: & ſequuntur Scotiſtæ inter quos tractat quæſtionem in terminis Faber in 4. diſt. 14. diſp. 1. c. 9. quorum ſententia nixa dictis principijs expedit ſe facilè ab argumentis contrariæ; Sed nobis ad doctrinam S. Bonauenturæ attentis concedenda quidem eſt oppoſitio moralis cum Scoto; ſed inſuper videndum, an ſit alia oppoſitio, & alia via ineunda ſit, & ſtatuendum qualis ſit oppoſitio inter peccatum, & gratiam: ex cuius determinatione patebit reſolutio quæſtionis tam quoad peccatum actuale, quàm quoad habituale; quia quoad hoc par eſt vtriuſque ratio: ſupponimus autem eſſe aliquam inter illa oppoſitionem in communi conſenſu Theologorum, licèt alij ſolùm moralem fateantur, vt Scotiſtæ, alij phyſicam, & hanc nonnulli contendunt eſſe contradictoriam inter habituale ſaltem, & gratiam, cuius illud dicunt eſſe priuationem, appellantque maculam, alij tantùm ſimilem contrariæ, & quaſi contrariam nominant, vt Suar. l. 7. cit. c. 20. prolixus in probando quod præter priuationem gratiæ phyſicam, inſit peccato ratio offenſæ, & iniuriæ Deo illatæ per actuale, quæ perſeuerare moraliter cenſeatur, egeatque ad ſui deletionem fauore extrinſeco Dei condonantis, de lege ordinaria coniuncto ſemper cùm infuſione gratiæ connaturaliter illum depoſcentis; ſed de potentia Dei abſoluta ſeparabili. In vniuerſum igitur ſecunda ſententia de compoſſibilitate peccati cum gratia habet præter nominatos, etiam Nominales indifferenter loquentes tam de actuali, quàm de habituali peccato. (Faber.)

Prima Aſſertio.

INter peccatum mortale tam actuale, quàm habituale eſt quidem aliqua oppoſitio, ſed non contradictoria cum Gratia diuina. Probatur primò auctoritate S. Bonauenturæ vtraque pars. Hic lib. 2. ſent. diſt. 26. a. 1. q. 4. ad quartum. *Dicendum, inquit, quod ipſa gratia deficit in ſe ipſa. Si autem quæratur ratio, huius quare deficit, hoc eſt propter auerſionem mentis humanæ. Cum enim gratia non ſaluetur niſi ex continuatione influentiæ à bonitate diuina ſuper faciem mentis noſtræ, quando anima à Deo auertitur, per peccatum, influentia non continuatur, & per conſequens gratia corrumpitur; & ideo quodammodo gratia per peccatum dicitur corrumpi, non quod peccatum agat in gratiam; Sed quia anima per peccatum ſe auertente, & Deo ceſſante influere, neceſſe eſt gratiam in ſe ipſa deficere &c.* Ratio igitur defectionis gratiæ non eſt quia ponatur aliquid contradictorium, ſeu contradictoriè oppoſitum ipſi in anima; ſed quia Deus deſinit illam conſeruare, ita merente peccatore propter ſuam auerſionem à Deo. Cùm autem ceſſatio diuinæ influentiæ in gratia conſeruanda ſit actio ad extra, ac proinde libera, poſſet, ſi vellet continuare conſeruationem, & eo caſu ſimul eſſet gratia cum peccato, atque adeo non ſunt oppoſita contradictoriè, vel priuatiuè, quia hæc implicant in eodem ſubiecto ſimul eſſe, vt patet in luce, ac tenebris, quæ ſimul eſſe nequeunt in aere, & poſitio vnius eſt ablatio alterius, & vnum formaliter negat alterum. XX. (S. Bonau.) (Gratia deſinit eo quod Deus deſinat illã cõſeruare.)

Ex hoc autem loco colligitur ma-

ti agentis, ſed propter defectum ipſius liberi arbitrij, ſuſcipientis &c. Eſt autem eadem ratio gratiæ, & caritatis, ſiue eædem ſint realiter, ſiue ſint diſtinctæ, ſed inſeparabiliter coniunctæ, & eodem modo oppoſitæ peccato per quod expelluntur. Confirmatur ex 1 ſent. diſt. 17. p. 2. a. 1. q. 3. in reſol. & ad arg. vbi ait, *quod caritatis influentia eſt ſecundùm diuinam acceptationem, & proinde quod magis, & minùs acceptet, & quod hac ſubtrahatur ſicut ex gratia per mortale, & quidem neceſſariò* de lege ſcilicet ordinaria.

XXI. Rationes variæ afferuntur ab auctoribus huius ſententiæ: alij dicunt non eſſe oppoſita condictoriè peccatum, & gratiam, quia non ſunt in eodem ſubiecto, gratia enim recipitur in ſubſtantia animæ, peccatum eſt in voluntate.

Iſti aſſumunt incertum pro certo, quid enim ſi dicatur potentias animæ non diſtingui realiter ab anima cum Scotiſtis? quid item ſi dicantur actus potentiarū recipi in anima cum multis philoſophis? etiam ſi ab ea diſtinguerentur potentiæ. quid ſi ſufficiat commune ſubiectum mediatum ad oppoſitionem, ſicut ſufficit ad dignificandum virtutis actum, vt ſit dignus præmio æterno! quia videlicet actus receptus immediatè in potentia, mediatè recipitur in ſubſtantia animæ, ſicut multa accidentia recepta in quātitate.

Rationes variæ inualidæ

Alij probant quia conuerſio habitualis in gratia conſiſtens, & auerſio actualis, quæ eſt peccatum, non opponuntur.

Sed aſſumunt quod eſt probādum, & negatur ab aduerſarijs. Neque fortior eſt ratio ab amore naturali amicitiæ, quæ in pura natura ſtaret cum peccato; ex quo inferunt, quod etiā ſtare queat amicitia ſupernaturalis in natura eleuata. Reſponderent enim aduerſarij diſparitatem eſſe quod in ſtatu puræ naturę nulla eſſet forma depulſiua peccati, ſicut eſt in eleuata, quæ habet adiunctam gratiam incompatibilem cum peccato: exemplum afferrent, quia in eleuata ſtant cum peccato non ſolùm data naturalia, ſed etiam ſupernaturalia fidei, ac ſpei, & in aliquibus dona gratis data prophetiæ, ſanitatum &c.

Quod addunt alij non eſſe oppoſitionem inter infinitum, qualis eſt malitia peccati, & finitum, qualis eſt gratia, neque illam ab hac poſſe ſuperari, facilè negatur, primò quia malitia peccati à pluribus finita ponitur; deinde quia licèt eſſet infinita, tanta eſt gratiæ excellentia, vt minimus gradus depellat totam malitiam, & conciliet animam Deo, & hæredem gloriæ efficiat, neque ad peccati expulſionem requiritur actiuitas vlla gratiæ. Sed ſola poſitio eius.

Minùs valet quod contradictio ſolùm ſit inter formam, & eius negationem; ſufficit enim, quod negatio inferatur, vt patet in amore ſupernaturali Dei, & odio, quæ ſunt oppoſita, & tamen negatio ſolùm infertur, & non eſt immediata, & vniuerſaliter actus vitales oppoſiti ſimul repugnant.

P. Ripalta probat, quia nulla eſt exigentia in peccato non commorandi cum gratia, alioqui haberet connexionem cum gratia, & ea repugnante, ipſum quoque repugnaret, quod eſſe falſum oſtenderat diſp. 32. ex principio vniuerſali, quod nulla res ordinis naturalis connexionem habeat cū ſupernaturali, aut tranſcendentaliter ad ipſam referatur, & in propoſito implicante gratia, implicaret deſtructiuum eius, quod eſt peccatum, nullum enim eſt deſtructiuum rei impoſſibilis. tom. 2 citato ſupra.

Verùm reſponderent negando aſſumptum, ipſi enim aduerſarij ponunt mutuam hanc exigentiam, & peccati, vt depellat gratiam; & gratiæ ad expellendum peccatum, & ſicut ſi per impoſſibile implicaret peccatum, non ſequeretur implicatio gratiæ, ne dicatur eſſentia gratiæ pendere à peccato; ita vt non poſſet produci à Deo, niſi ex ſuppoſitione peccati, cuius eſt deletiua; ita neque ex ſuppoſitione impoſſibilitatis gratiæ, ſequeretur impoſſibilitas peccati, ſtaret enim conceptus eius, quod eſſet actus exorbitans à regula honeſtatis, & expelleret gratiam, ſi illa eſſet poſſibilis; quemadmodum & ſtaret conceptus gratiæ quod eſſet forma ſanctificans animā, ac proinde expulſiua peccati, ſi illud eſſet poſſibile; quæ eſt exigentia radi-

calis ſufficiens ad eſſentiam gratiæ.

Deinde negatur quod nulla res ordinis naturalis connexionem habeat cum ſupernaturali, anima enim rationalis ex eo quod eſt imago Dei, & capax eius connexionem habet cum gratia, ac proinde cum gloria; & vniuerſaliter omnis creatura reſpectu potentiæ obedientialis connexa eſt cum creatoris potentia illam aſſumere volentis ad effectus ſupernaturales, ac etiam naturales modo ſupernaturali producendos, vt oſtendi p. tom. diſp. 1. in fine primæ quæſt. vbi etiam reieci principium eiuſdem auctoris petentis ſupernaturalitatem rerum ex connexione cum gratia, vt eſt quid commune vnioni hypoſtaticæ, & gratiæ infuſæ.

Aliqua naturalia connexionem habent cum gratia.

Efficaciùs igitur probatur non eſſe talem oppoſitionem inter gratiam, & peccatum ex eo, quod per diuinam potentiam poſſent ſtare ſimul, ac proinde nullam oppoſitionem inter illa, quæcumque aſſignetur phyſica, vel moralis, eſſe contradictoriam, ſit ergo.

Secunda Aſſertio adhærens ſecundæ ſententiæ.

XXII. NOn implicat contradictionem, quod ſimul ſtent in eodem ſubiecto Gratia, & peccatum, ſi Deus velit. Sermo eſt de peccato tam actuali, quàm habituali. ita ſentire S. Bonauenturam patet ex locis citatis, quibus ait, gratiam non alia ratione expelli à peccato, niſi quia hoc poſito ſe ipſa deficit, quia videlicet Deus ipſã non conſeruat, igitur non deſineret, ſi conſeruaretur à Deo, conſeruatio autem libera eſt. Citat Suar. l. 7. de Gratia c. 19. à num. 12. Riccardum, Caietanum, Medinam, Zumel, Bellarminum qui lib. 2. de Iuſtificat. c. vlt. ait. Sine miraculo non poteſt poſt actum peccati manere gratia, nec poſt actum dilectionis ſuper omnia manere peccatum. Igitur per miraculum manere poſſunt hæc ſimul.

Ricard, Caiet. Med. Bellarm.

Probat P. Suar. ibidem quia peccatum non conſiſtit in phyſica priuatione habitualis gratiæ, ſed in actu inordinato, vel omiſſione, igitur poſſunt eſſe ſimul,

At iam diximus quædam non ſtare ſimul etiamſi vnum non dicat formaliter negationem alterius, vt vnio hypoſtatica, & peccatum, Amor Dei, & odium eius, quæ non opponuntur immediatè contradictoriè, quia ſunt actus poſitiui, licèt vnum contineat negationem alterius. Et licèt à regula vniuerſali quod abſolutè non repugnent in eodem ſubiecto, niſi contradictoriè oppoſita, excipiat actus vitales oppoſitos contrariè tantùm, & tamen ſimul incompoſſibiles; tamen aduerſarius contendit in propoſito ſatis eſſe ad repugnantiam hanc, negationem mediatam vnius de altero, quia licèt gratia non ſit formaliter negatio peccati, tamen hæc infertur ex illa.

Probari poteſt ex notatis in doctrina S. Bonauentura ſupra, quia productio, & conſeruatio gratiæ liberè dependet à Deo, & poſſet illam producere, & conſeruare tam producendo in ſubiecto, quàm ſine ſubiecto, ſupplendo vicem illius, ſicut de facto ſupplet in ſpecierum ſacramentalium cõſeruatione: ergo peccante homine non ponitur aliquid neceſſitans Deum ad gratiam deſtruendam. probatur ſequela, quia non obſtante peccato poſſet eandem numero gratiam extra ſubiectum peccans conſeruare, igitur & in ſubiecto, ſi enim quid obſtaret maximè quia eſt forma incompoſſibilis in eodem ſubiecto, quod ſimul eſſet iuſtum, & iniuſtum, Deo gratum, & odioſum, & ſimilia, quæ non obſtãt; quia ſicut Deus poſſet ponere gratiam in ſubiecto irrationali incapaci iſtarũ denominationum, ita poſſet in damnato, quod merè fungeretur vice ſubiecti materialis, & non redderetur formaliter iuſtum, gratum, amicum &c.

Dices eſſe impoſſibile poni gratiam in ſubiecto rationali quin det ſimul iſtos effectus iuſti, amici, &c. ſicut neque poni aliam formam in ſubiecto apto, quin det effectum formalem.

Contra, quia cœteræ formæ in tribuendis ſuis effectis formalibus non egent, niſi vt afficiant ſubiecta, & illis inhæreant: gratum verò eſſe, & amicum Dei requirit voluntatem Dei gratum, & amicum habere volentis eum, cui dat gratiam, quia ſicut abſq; gratia infu-

infuſa poteſt habere pro amico quem voluerit, & de abſoluta potentia dare illi gloriam, cui non infuderit gratiã; ita vice verſa nõ apparet, cur nequeat creare in illo gratiam, & non habere pro amico, imò & cum eadem gratia damnare ad pœnas inferni: quo caſu gratia eſſet, vt qualitas materialiter ſe habens in tali ſubiecto Dei inimico nõ magis illud iuſtificans, aut amicum reddens, quàm ſi in lapide poneretur. vnde enim conſtat, quod gratiam ponere in homine peccatore ſit idem, quod illud reddi amicum Dei actu, & formaliter, ſi Deus illam infundens, aut conſeruans in peccante nolit illũ habere pro amico? aut quomodo oſtẽditur repugnantia cur gratia non poſſit ſe quaſi mortuo modo habere, in eo, quem Deus habere non vult pro amico; ſiquidem & in damnato ponere illam poſſet abſque voluntate recipiẽdi ipſum in amicitiam, ſicut poſſet eandem euehere ad tempus ad viſionẽ beatam mox ad infernum rediturum, & nunquam inter amicos, quales beati ſunt, reponendum?

Dices ponere in eo gratiam eſt gratum reddere, & amicum, ſicut ponere lucem in aere eſt ipſum illuminare.

Ad perfectã cum Deo amicitiam requiritur fauor eius.

At hoc eſt, quod negatur, quia amicũ eſſe, non ſolùm à gratia inhærente prouenit, ſed etiam à fauore extrinſeco Dei, non item illuminatio aeris poſita luce.

Secundò. Potuiſſet Deus condere hominem mortalem, quoad corpus, & animam ſi voluiſſet, itaut pereunte corpore definerct cõſeruare animam; immortalem quidem, ſed dependenter à diuina conſeruatione, quæ libera eſt; & in eo ſtatu potuiſſet, velle illi ſolùm bona naturalia, ac amare diuerſo modo, quàm de facto amet volendo ipſi gratiam, & gloriam; itaque fuiſſet tunc amicitia naturalis inter Deũ, vt auctorem naturæ, & hominem bonis tantùm naturalibus inſtructum: qui ſi peccaſſet, & factorem ſuum offendiſſet, non eo ipſo ſtatim bonis illis priuatus eſſet, quia vitæ conſeruatio, valetudo, honor, & ſimilia perſeueraſſent etiam diſſoluta per offenſam, & contemptum Dei amicitia; nam per hæc quidem reddidiſſet ſe indignum peccator continuatione bonorum naturalium; ſed quia peccatum non erat eorum priuatio, poterat ſimul cum eorum conſeruatione ſtare, quia Deus nolebat ea deſtruere, etiamſi offenſor eius, & contemptor id mereretur; ita in ſtatu ordinationis ad finem ſupernaturalem per gratiam, & media ſupernatura ia conſequendum, cur non poſſet Deus non obſtante peccato, velle conſeruare gratiam, & alia dona?

Quia, inquies, peccatum de ſe expellit gratiam, & eſt eius deſtructiuũ, ſicut & gratia peccati, non autem eſt deſtructiuum bonorum naturalium. Contra, quia cum non ſit formaliter quid poſitiuum non deſtruit gratiam per vllam poſitiuam cauſalitatem, igitur demeritoriè, ex hoc, quod reddit ſe indignum peccator, vt Deus cõſeruet in ipſo gratiam, & eodem modo ſe reddidiſſet indignum amicitia naturali Dei in ſuppoſitione allata; & proinde etiam ablatione bonorum naturalium, quæ tamen Deus conſeruare potuiſſet, ergo etiam poſſet Deus, ſi vellet, conſeruare gratiam in eo, qui per peccatum reddit ſe illa indignum, licèt de lege ordinaria non conſeruet, quia gratiæ debetur vt expellat, & expellatur à peccato.

Confirmatur, quia ſicut de facto ita ſe habet Deus cum prædeſtinato ad gloriam, vt nulla quantitas, vel qualitas delictorum eius poſſit immutare decretum, vel ita tollere amicitiam, vt non computetur inter amicos, & per finalem pœnitentiam non cõuertatur, qui diu auerſus fuit, & odibilis: Ita de poſſibili decernere potuiſſet nolle habere pro inimico, eum qui præciſo hoc decreto fuiſſet inimicus, & odio habitus propter peccatum; nam vel conſideratur odium vt ſe tenet ex parte Dei, & ita non differt ab eſſentia eius immutabili: vel ex parte effectus extrinſeci pœnæ multiplicis peccatori debitæ; atque hæc cum ſit libera, potuit non eſſe volita à Deo, & vice eius volita eſſe bona tam ſupernaturalia, quàm naturalia peccatori, qui ſe redderet illis indignum, & hoc modo quantumuis maculatum, & odibilem non habere odio actu, & formaliter, quod liberum eſt, ſicut & in humanis poteſt Pater, exempli gratia, non odiſſe filium ſui offenſorem, neq; puni-

punire ſceleris patratorem. In dato autem caſu non diceretur Deus inimicus, quia licèt peccator cauſam daret inimicitiæ, tamen nollet illum habere pro inimico, & ita odio haberet impietatem; vt tamen impium amare perſeueraret, vt miſericordiam ſuam, & caritatem pateſaceret, licèt amor hic eſſet diuerſus ab eo; quo iuſtum proſequitur gratia affectum, & conſiſteret in voluntate dandi gloriam, & conſeruandi gratiam in caſu noſtro.

XXIII. Suadent hoc fieri poſſe exempla, quæ de facto contingunt inſignium peccatorum, quos præuenit Deus miſericordia ſua, etiam dum actu peccāt, immittendo illis cogitationes ſanctas, & efficaciter tangendo corda, vt patet in S. Paulo, de quo S. Auguſtin. de Sanctis ſerm. 28. (tom. 10. p. 268.) Dum graſſatur, percutitur; dum Chriſti Sanctos perſequitur violento radio cęleſtis luminis cęcatur, & qui aduerſus Deum erigebatur, diuina voce terribiliter proſternitur, &c. & vniuerſaliter præparationis modum ad iuſtificationem explicat Tridentinum ſeſſ. 6. c. 5. & 6. (Modus conuerſionis peccatoris ex Triden.) quem initium à diuina gratia illuminante, & excitāte ſumere docet, & per actus fidei, ſpei, timoris Domini, odij peccati, ac deteſtationis, progredi vſque ad gratię infuſionem, antequam ſimul ſtant prædicti actus ſupernaturales, quæ ſūt dona Dei amantis amore beneuolentiæ ſimul cum peccato nondum remiſſo; igitur eodem volēte conſeruare gratiam, quæ eſt maximū donorum, non impedietur à peccato, quod licèt ex natura ſua poſſit expellere, non tamen ita vt præter naturā, & exigentiam ſuam nequeat Deus illam conſeruare in peccatore, ſicut poteſt qualitates oppoſitas in eodem ſubiecto conſeruare intenſas in ſummo gradu, & vltra: neque enim peccatum de ſuo primario conceptu dicit negationem gratiæ, ſed deordinationem à ratione; neque gratia priuationē peccati, quod ſi eſſet impoſſibile adhuc gratia eſſet gratia, vt ſupra diximus. Et videtur incredibile, quod creatura rationalis ſit libera in amando eū, qui odio dignus eſt: Deum verò neceſſariò odiſſe illum, à quo offenditur, etiamſi odio abominationis malitiam non odiſſe nequeat, cum ſit ſumma bonitas, cui non diſplicere malum nequeat.

Quod ſi hoc concedas, neges autem ad impoſſibilia non eſſe liberum, quia hoc eſt impotentiæ; impoſſibile autem eſſe, quod peccatum, & gratia ſint ſimul; rurſus interrogo vnde habeas, quod ita ſint oppoſita, vt aduentu peccati cogatur Deus annihilare gratiam, quam vti poteſt ſine ſubiecto conſeruare, eandem numero, quæ erat ante peccatum; ita gratis aſſeritur, quod neceſſitetur eius omnipotentia ad expellendam illam à peccatore. Neque paritas eſt cum luce incompoſſibili cū tenebris, tum quia lux formaliter, & phyſicè eſt expulſio tenebrarū, quarum negationem intrinſecè inuoluit; tum quia non dicuntur tenebræ expellere lucem, ſed exortu lucis expelli tenebræ, qui eſt effectus formalis lucis, ſeu potius lux ipſa dicens negationem tenebrarum, vt prædicatum eſſentiale, quale non eſt reperiri in gratia, quæ poteſt quantum eſt de ſe infundi animæ, vel Angelo carenti peccato, ac proinde exiſtere ſine expulſione peccati quemadmodum viceverſa aduenire peccatum, qui non expellatur gratia, ſi non fuiſſet infuſa antea.

Tertiò, congrua eſt præterea ratio ab excellentia gratiæ apud S. Bonau. in 2. diſt. 27. a. 1. q. 2. ad argum. quia cū ſit in genere ſupernaturalium præſtātiſſima, & à ſolo Deo producibilis, nō eſt ab vlla creatura, multò minus à peccato, quod nihil eſt annihilabilis, vt Scot. Gabr. Almain. quos ſequitur Salaſ. loco cit. quod ergo non ſe compatiantur peccatum, & gratia in eodē ſubiecto à demerito peccatoris prouenit Deum prouocātis ad influentię ſubtractionem, vt S. Bonauentura ſupra; (S. Bonau.) at ſubtractio libera eſt, & poteſt eam nolle Deus, vt diximus.

Dices, eſto, verum hoc ſit ex parte peccati, ſed non ex parte gratiæ, quia hæc ex ſe ipſa expellit peccatum; non enim dici poteſt, quod hoc deſinat ſubtrahente Deo cōcurſum, quia Deus non conſeruat peccatum; igitur eſt phyſica oppoſitio gratiæ cum peccato, & hæc formalis, cui repugnat cōpoſſibilitas in eodem ſubiecto, ſicut in vniuerſum repugnant forma, & negatio eius, quippe oppoſito peccati,

ti, quod non eſt quid poſitiuum, in cõmuni ſententia; ſed formaliter quid negatiuũ; quomodo enim quod nihil eſt opponatur poſitiuè enti reali?

Reſpondeo, quod licèt Deus non conſeruet peccatum, tamen ab ipſo pendet remiſsio peccati; quæ cum ſit libera, poteſt Deus abſolutè conſeruare gratiam, & non remittere peccatum, qui ſunt duo effectus non neceſſariò coniuncti, vt dicebamus de infuſione gratiæ in ſubiectum carens culpa, & de committente peccatum antequam habeat gratiam, inde colligẽtes non opponi phyſicè peccatum, & gratiam, neque vnum de ſuo formali conceptu dicere negationem alterius: idque loquendo tam de oppoſitione contraria propriè ſumpta, quàm de contradictoria.

Inſtabis preterea cum Suario lib. 11 de grat. c. 4. quia licèt gratia fiat à ſolo Deo, fit tamen dependenter à ſubiecto; & ideo non ſimpliciter creari dicitur; igitur poterit expelli ab agente creato, ſi aliquid in idem ſubiectum inducere poſsit, quod formaliter, & phyſicè repugnet illi: Igitur fundamentum eſt, quia nullum agens poteſt inducere formam ita contrariam gratiæ, & caritati, vt illa inducta neceſſariò expellatur iſta.

Reſpondeo ita eſſe, ſed quærenti vlterius rationem huius impoſſibilitatis recurrendum eſt ad gratiæ excellentiam, & ad altius principium, quod quæ à ſolo Deo fieri poſſunt, ſiue per creationem, ſiue alio modo independenter ab omni creatura, non habent agens contrarium, à quo mediatè, vel immediatè corrumpi queant, vt patet non ſolùm in Angelis, anima rationali nobiliſsimis entibus, ſed etiam in materia prima, quæ propè nihil ab Auguſtino vocatur, & etiã à Philoſopho dicitur incorruptibilis: Addidi verò independenter ab omni creatura ob Sacramenta, quæ deſinunt deſtructis accidentibus, cum quibus manebant. Quod verò aſſumit Medina plura mala, & maiora facere hominem, quàm bona, locum habet in moralibus, & actibus proprijs, non in phyſicis, & eorum deſtructione, ad quam non extenditur virtus eius phyſica, præſertim ſi à ſolo Deo fiant, & conſeruẽtur.

Quæ à ſolo Deo fieri poſſunt non habent contrarium à quo expellantur.

Neq; item obſtat, quod opponit Vazq. aſſerens gratiam generari, & corrũpi, quia hoc paſsim ab alijs negatur, præſertim à S. Bonau. qui in 4. diſt. 17. p. 1. a. 2. q. 1. creari affirmat. Et nemo negat à ſolo Deo fieri poſſe gratiam, quæ ob ſui nobilitatem ab agente creato produci nequit, quocumque deinde appelletur vocabulo hæc productio: cõſequenter ab eo ſolo conſeruatur efficienter, ac liberè in ſubiecto, materialiter concurrente ad conſeruationem, donec ceſſet diuina influentia ipſam conſeruare, quod non præſtat, niſi quando peccator reddit ſe indignum per offenſam grauem. Verum quidem eſt, quod notat Vazq. parum referre, quod gratia à ſolo Deo fiat, & conſeruetur, ſi habeat contrariũ, à quo expellatur. At non habere colligitur ex eo, quod propter ſuam nobilitatem in ordine ſupernaturalium excedat vires agentis creati ad ſui productionem, & conſeruationem. Et quod dictum eſt de oppoſitione peccati ad gratiam locum habet in diſpoſitionibus ad illud, quod videlicèt ſolùm demeritoriè opponantur gratiæ, quæcumque enim illæ ſint, non magis ſunt oppoſitæ, quàm ipſum peccatum, ad quod diſponunt.

XXIV. Quartò, principaliter probatur aſſertio, quia opinio Scoti negantis oppoſitionem formalẽ phyſicam, & ponentis ſolùm demeritoriam inter peccatum, & gratiam probabilis eſt, neq; eſt improbabilis aliorum recentiorũ, qui præter demeritoriam in eo poſitam, quod peccans ſe reddit indignum gratia, & dignum priuatione gloriæ, agnoſcunt etiam aliquam oppoſitionẽ phyſicam, ſed non contradictoriam, & vtraque habet rationes probabiles, ac auctores graues; contraria verò nulla nititur demonſtratione, nec efficaciter oſtendit, quod ad completam iuſtificationem non requiratur diuina voluntas, & fauor præter infuſionem gratiæ; ergo vbi agitur de diuina omnipotentia, concedendum eſt plus illam poſſe efficienter, quàm poſsit formaliter peccatum, atque adeo malitiã illius non obſtare, quin ad eius præſentiam pergat Deus conſeruare gratiam, ſi velit miraculosè agere: ſiquidẽ vnũ non eſt negatio alterius, nec eã ne-

neceſſariò, directèq; includit, vt probatum eſt, etiam dato, quod habeat gratia repugnantiam quaſi contrariã cum peccato, vt putat Suar. lib. 7. de gratia c. 20. n. 6. hinc inferens num. 9. quod ſicut per diuinam potentiã poſſunt duo cõtraria eſſe in eodem ſubiecto ſecundum gradum intenſum; & duo corpora in eodem loco, & vnum in duobus locis repugnante natura; ita poteſt eſſe gratia cum peccato contra naturam ſuam, ſi præſente iſto non ſuſpendat Deus conſeruationem illius; idque verum eſt tam de actuali, quàm de habituali peccato, quod conſtituitur per moralem relationem ad actuale non retractatum, neque remiſſum; ac proinde moraliter durans, & ferens ſecum priuationem gratiæ, ratione cuius anima dicitur maculata; licèt in ea directè, & formaliter non conſiſtat.

Et confirmatur ex ſolutione argumentorum infra adiungenda, inter quæ vnum, & principale, in quo fundatur prima opinio eſt ductum à natura gratiæ, quam non ſolùm contendunt eſſe expulſiuam peccati, & ei formaliter opponi; ſed etiam eſſe ſignum diuinæ voluntatis iuſtificandi peccatorem, & reconciliandi eum ſibi, vt non requiratur alia voluntas condonandi peccatum, vel fauor externus præter internum gratiæ, quæ ſi conferatur, non poteſt non habere ſuum effectum, qui eſt purgare maculam, ſi adſit, & reddere hominem ſanctum; gratum, & amicum Deo; qui liberè quidem eam infundit; ſed ſi infundat, ſanctificat, ne contradictoria velle dicatur, quod eſt impotentiæ, & ipſi repugnat. Hoc, inquam, fundamentum debile eſt, quia aſſumit, quod probandum eſt: nimirum quod ad perfectam ſanctificationem non requiratur præter gratiam, extrinſeca voluntas Dei condonare volentis offenſam, & quod gratia ita ferat ſecum cõdonationem, vt inſeparabilis ſit ab eius infuſione per quamcumque potentiam. Quod confirmatur, & explicatur magis; nam in peccato conſideratur primò deformitas, & deordinatio à ratione, quam eſſe poſſe ſi per impoſſibile non eſſet Deus, in noſtra, & communi ſententia infra oſtendemus, ac proinde etiamſi non eſſet poſſibilis gratia, quæ non niſi à Deo eſſe poteſt, adhuc eſſet peccatũ, hoc eſt malum morale, & deordinatio à ratione, & hoc modo non habet oppoſitionem ad gratiam, niſi radicalem. Secundò conſideratur peccatũ theologicè, vt eſt auerſio à Deo, & contemptus eius per violationem legis, & deordinationem à fine; & neq; hoc modo opponitur contradictoriè gratiæ, quę eſt habitualis conuerſio ad Deum; quia non diligere peccatores, ſeu negatio dilectionis Dei peramicitiã in peccatore, ſtare poteſt de potentia abſoluta cũ dilectione per beneuolentiã quod patet à poſteriori, quia poteſt ei velle bona, quæ vult amico ſuo; idque ſiue actuale, ſiue habituale ſit peccatũ, ergo & gratiã in eo conſeruare. Tertiò, ſi dicas non poſſe, quia velle gratiam eſt velle deſtructiuum peccati, & acceptare in filiũ adoptiuũ, & amicum; vera quidem hæc ſunt loquendo de gratia, & peccato iuxta connaturalem ordinem; ſed non oſtẽdunt, quod Deus non poſſit contra hunc exercere ſuam abſolutam potẽtiam, ſi velit; neque talem connexionem gratiæ cum remiſſione offenſæ diuinæ, vt nequeat conſeruare gratiã, & non condonare iniuriam. ſiquidem, vt ſupra dictum eſt, poſſet damnatum euehere ad tempus ad viſionem beatam, & non habere pro amico, & filio hærede Regni, quem paulò poſt vellet remittere ad pœnas inferorum; cur igitur non poſſet conſeruare gratiam ob ſuos fines in peccatore, cui nollet condonare iniuriam, neque damnationem æternam? quæ omnia clariùs etiam conſtabunt ex ſolutione argumentorum.

RESPONSIO

Ad Argumenta contraria.

CAP. IV.

I. *Solutio eorum, quæ obijciuntur ex auctoritate ſacra.*

II. *Et quæ ex S. Bonauentura.*

III. *Explicatur oppoſitio peccati cum gratia ex eodem Sancto.*

IV. *Quæ formæ oppoſitæ poſſint eſſe ſimul per diuinam potentiam.*

V. Oppo-

V. Oppoſitio moralis, & phyſica quomodo differant.

XXV. S. Ioann. PRIMVM eſt ab auctoritate; nam 1. Ioan. c. 3. Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt, &c. quod in ſenſu compoſito eſt intelligendum, itaut non componat, ſeu ſimul ſtet peccatum cum gratia; alioqui in ſenſu diuiſo certum eſt habentem gratiam peccare poſſe, & illam amittere. Neque loquitur S. Ioannes de potentia ordinaria, vt ſit ſenſus, quod gratia & peccatum non ſtent ſimul de lege ordinaria, ſecundũ quam ſe inuicem expellunt; ſed de abſoluta, itaut neque ſecundum hanc poſſint eſſe ſimul, quia addens, & non poteſt peccare, addit aliquid præcedentibus verbis; Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit; quæ eſt impoſſibilitas ſimpliciter, & in ſenſu compoſito.

Tridcnt. Accedit auctoritas Trident. Conc. ſeſſ. 5. c. 5. vbi exuentes veterem hominem, & nouum, qui ſecundum Deũ creatus eſt, induentes, vocat puros, immaculatos, Deo dilectos, &c. haud dubium quod ratione gratiæ; vnde & ſeſſ. 6. c. 7. vocat ſanctificationem, & renouationem interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum; vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, ex inimico amicus: Igitur gratiæ vis hæc eſt, quam ſine expulſione peccati non exerceret: ex quo colligitur repugnantia, quam habet cũ peccato, & impoſſibilitas manendi cum illo; ſiquidem eſt forma intrinſecè ſanctificatiua, hoc eſt depulſiua peccati. Et addit, quod vnica formalis cauſa noſtræ iuſtificationis eſt iuſtitia, non qua Deus iuſtus eſt, ſed qua facit nos iuſtos. Et S. Bonau. in 3. diſt. 34. a. 2. q. 2. docet malum opponi directè virtuti, & gratiæ; vnde mutuò, inquit, ſe expellunt, & ſimul eſſe non poſſunt, & in fine reſolutionis hanc oppoſitionem vocat formalem. Et in 4. diſt. 4. a. 2. q. 2 ad argum. ait, quod culpa, & gratia repugnat ſecundum oppoſitionem formæ, ſicut lux, & tenebræ. Pret. in 2. diſt. 42. per totam; peccatum mortale dicit auerſionem à Deo, & conuerſionem ad creaturam. Gratia verò dicit conuerſionem ad Deum; hæc autem opponuntur formaliter: Et in 4 diſt. 17. a. 2. q. 1. ad argum. Gratiæ, inquit, talis proprietas eſt, quæ culpæ non poteſt permiſceri.

Ad auctoritatem Scripturæ reſpondeo, illam varias habere interpretationes, quas ex Sanctis Patribus refert ibi Cornelius à Lapide: ſed breuiter vna eſt, loqui illam in ſenſu compoſito, quod non poſſit quis peccare, & manere in gratia, quam etiam Suar. lib. 7. de Grat. c. 19. n. 23. approbat, vtpote S. Auguſt. ibi tract. 5. ſed ſermo eſt de lege ordinaria; nam de abſoluta non loquitur Apoſtolus; neque illam indicant poſtrema verba; ſed tantùm præcedentia declarant, & vtraque de potentia ordinaria intelliguntur. Altera eſt interpretatio, quam iidem approbant ex S. Auguſt. de gratia Chriſti ca. 21. vt ſit ſenſus formalis, quantum videlicet attinet ad natiuitatem ex Deo per gratiam, & caritatem; quæ non poſſunt eſſe principia peccandi: Si quis ergo vt natus ex Deo operetur, non poteſt peccare abſolutè: quamuis enim liberum arbitrium peccare ſimpliciter poſſit, non tamen vt rectum à gratia, & caritate; & propterea qui ex Deo natus eſt per gratiam, & filius eius adoptiuus eſt, atque vt talis operatur, peccare non poteſt, licèt abſolutè poſſit. Quæ explicationes magis textui congruunt, quam aliæ apud eundem Cornelium non incongruæ.

Ad auctoritatem Concilij Tridentini reſpondeo primò cum Bellarmino lib. 2. de iuſtif. cap. 2. mentem Concilij fuiſſe reijcere errores hæreticorum, quos cap. 1. ad ſex recenſet, negantiũ vnicam, & formalem cauſam iuſtificationis eſſe iuſtitiam inhęrẽtem animæ, ideſt gratiam per Chriſtum infuſam animæ, quæ ſecum affert remiſſionem peccati, & quæ de lege ordinaria non poteſt eſſe ſine illa. Secundò, quæ eſt communis inter catholicos expoſitio, Tridentinum ſe abſtinet à quæſtione metaphyſica inter Scholaſticos agitata, quæ pertinet ad potentiam Dei extraordinariam, & abſolutam; & loquitur tantum de lege ordinaria, ſecundum quam peccatum, & gratia nun- Bellarm.

nunquam ſunt ſimul, quia ita ſtatuit Deus, & exigit natura rerum, ſupra quam tamen extendit ſe eius omnipotentia, ſicut apparet in alijs formis, quarum vna directè, & formaliter nõ eſt expulſio alterius; iſtæ enim expellunt ſe inuicem ex eodem ſubiecto, quocumque demum modo fiat expulſio; ſed per diuinam potentiam poſſunt eſſe ſimul in ſummo gradu intẽſæ: quamuis enim peccatum formaliter non ſit priuatio gratiæ, illi tamen opponitur, & connaturaliter ab inuicem ſe expellunt modo ſuperius explicato, & inſuper.

Ad auctoritatem S. Bonauenturæ in primis reſpondeo agnoſci ab illo oppoſitionem moralem inter peccatũ & gratiam, vt ſupra explicatum eſt; & ſecundum hanc expellunt ſe inuicem ex eodem ſubiecto, quod per peccatũ reddit ſe indignum gratia, & per conuerſionem ad Deum diſponit ſe ad gratiam, quã connaturaliter expellit peccatum. Deinde agnoſcit oppoſitionem aliquam phyſicam, non quia vnum dicat formaliter negationem alterius; ſed quia vtrumque diuerſo modo afficit ſubiectum, & phyſice reddit ineptum ad ſuſceptionem alterius, vt ſuperiùs explicatum eſt; quam oppoſitionem formalem voco, & quaſi contrariam ſimilem oppoſitioni formarum contrariarum; quia licèt peccatum formaliter nihil ſit, & negationem inuoluat, tamen completè conſideratum dicit materiale, ſeu ſubſtratũ malitiæ vitiantis actum poſitiuum, vt docet S.Bonauent. in 2. diſt. 42. a. 1. q. 1. in opponendo, & a. 4. q. 1. ad argum. quod idem cenſendum de habituali, quod eſt quidem macula, ſeu priuatio gratiæ debitæ ineſſe cum relatione ad actum præteritum, qui moraliter perſeuerare cenſetur; ſed conſequenter intelligitur non remiſſus, aut retractatus; & ratione poſitiui oppoſitio dicitur quaſi contraria, non materialiter ſumpti, ſed vt ſubſtat malitiæ, quas duas rationes attendit S. Bonau. in 2. diſt. 42. a. 3. q. 1. in reſol. ad aſſignãdas differentias materiales, & formales peccati, & ad arg. quibus docet, quod ratione actus, & habitus, peccatum eſt in genere moris; non autem formaliter acceptum, & vt nihil eſt. Idem ergo dico de contrarietate ad gratiam.

S. Bonau.

Ad alteram ex 4. ſentent. reſpondeo primò loqui ibi Sanctum de peccato in ſecundo ſenſu, vt eſt nihil, quo modo habet ſimilitudinem cum tenebris, quæ à luce expelluntur; & opponitur formaliter gratiæ; ſed quia in concreto hanc inuoluit, quatenus carentia rectitudinis boni, & conformitatis ad rationem, qua priuat, habet adiunctam ſecum negationem gratiæ ordinariè loquendo, & ideo peccatum comparatur tenebris, imò & dicitur tenebra intelligibilis à S. Auguſt. ſupra, quia ipſo poſito aufertur lux gratiæ, quam Deus deſinit conſeruare, ſi aderat; aut ſi non aderat, minuit habilitatem illam ſuſcipiendi, cui ſemper opponitur moraliter, quatenus illa reſpicit gratiam, vt diximus cum S. Bonauent. neque in alijs tenet ſimilitudo lucis priuationis, ſeu tenebrarũ cũ peccato, & in præcipuo difficultatis pũcto deficit, quia peccatum non eſt formaliter priuatio gratiæ, ſicut tenebræ ſunt priuatio lucis, licèt opponatur gratię, quæ vnit animam Deo, idque ex ſua natura; peccatum autem ſeparet à Deo, & ſit auerſio ab ipſo, vt mox dicam.

Tertia auctoritas ex 2. ſent. non obſtat, ſed potiùs confirmat ſolutionem ſecundæ; ibi enim expreſsè habet, quod propriè loquendo, peccatum magis debet dici formaliter priuatio boni ſibi oppoſiti, quã auerſio à Deo; quia tamen cum hac priuatione boni oppoſiti coniuncta eſt ordinariè auerſio à Deo, & proinde peccatum: ideò fert ſecum priuationem gratiæ, atque adeo opponitur auerſio gratiæ primò quaſi contrariè, quatenus dicit actum conuerſionis ad creaturam, cui auerſio dat, vt ſit peccatum, ſicut diſertè ibid. S. Bonau. Secundò priuatiuè, quatenus peccatum mediatè fert ſecum carentiam gratiæ debitæ haberi ab anima, quæ peccauit, & eſt quædam deformitas ex defectu prouenies eius, quod deberet eſſe; ſicut in corpore eſt deformitas defectus mẽbri alicuius; vnde & deformitas peccati dicitur opponi pulchritudini à Sancto Bonauentura in 2. diſt. 35. a. 2. ad argum. in fine. Quæ oppoſitiones ſunt phyſicè,

præter

præter moralem, ac demeritoriam, de qua ſuperiùs dictum eſt.

Inſtabis, quia ex oppoſitione morali inferebamus non repugnare ſimul ſtare cum gratia de abſoluta potentia peccatum, ergo ſi præter hanc datur etiam phyſica, reſpectu iſtius ſtare nõ poterit; ideoque Scotus ſolùm demeritoriam admittit, & cum eo, qui dicunt gratiam eſſe qualitatem, quæ ex ſola Dei voluntate habet vt ſanctificet animam, & ideo eſſe poſſe cum peccato.

Reſpondeo etiam phyſicè oppoſitas formas per diuinam potentiam poſſe ſimul eſſe in ſubiecto contra naturam ipſarum, dummodo oppoſitio non ſit contradictoria, & eſſe vnius nõ tollat formaliter eſſe alterius, qualem non eſſe inter peccatum, & gratiam demonſtratum eſt; quia gratia per peccatum in tantum expellitur, in quantum Deus deſinit illam conſeruare. Vnde & quærens S. Bonauentura à quo gratia corrumpatur, à Deo, vel libero arbitrio, vel à peccato, reſpondet, quod ipſa gratia deficit in ſe ipſa. Si autem, inquit, quæratur ratio huius, quare deficit, hoc eſt propter auerſionem mentis humanæ. Cum enim gratia non ſaluetur, niſi ex continuatione influentiæ à bonitate diuina, &c. ſupra relata in 2. diſt. 26. a. 1 q. 4. hinc fit, quod ceſſante influentia ſeipſa gratia deficit: quod ſi formaliter peccatum eſſet cauſa corruptionis, debuiſſet reſpondere quæſtioni affirmatiuè, quod ſcilicèt corrũpitur à peccato. Et quia communiter dici ſolet, quod peccatum expellit gratiam, reſpondet diſt. 35. a. 1. q. 2. in fin. dicens, *quod etſi dicatur corrumpere, nõ tamen eſt propriè cauſa corruptionis, ſed potius ipſe peccans, &c.* Quod ſi eſſet propria, & formalis oppoſitio contradictoria, vel contraria, diceretur propriè cauſa corruptionis, non ſecùs ac formæ oppoſitæ in naturalibus: propriè, inquam, & phyſicè; nam ſicut moraliter dicitur Deus effectiuè deſtruere peccatum, ita & gratia formaliter, vt infra.

Quomodo peccatũ expellat gratiá

Ad vltimam patet ex dictis, fatemur enim eſſe contra naturam, & proprietatem gratiæ, vt culpæ permiſceatur de potentia ordinaria; ſed Deus ſi ve-

lit, agit ſupra, & contra naturam de potentia abſoluta, & extraordinaria; & ideo non obſtante oppoſitione morali, & quaſi contraria phyſicè inter illas poſſunt abſolutè eſſe ſimul volẽte Deo infundere gratiam in peccatore, vel illam iam infuſam conſeruare.

Ad explicandas autem alias auctoritates S. Bonauent. in ſpecie inter ſe contrarias tenenda diſtinctio eſt de oppoſitione morali, & phyſica quaſi contraria, quam vtramque admittit, & iuxta ſubiectam materiam diuerſo modo loquitur de oppoſitione gratiæ cum peccato, & de effectis vtriuſque, qui quoniam ſunt oppoſiti oppoſitionem arguunt inter illa ex doctrina tradita in 2. diſt. 41. a. 1. q. 1. in oppon. quod bona actio ornat; mala verò deformat animam: illi debetur præmiũ; huic pœna; ac proinde opponuntur & phyſicè, & moraliter. & eodem lib. diſt. 35. a. 2. q. 2. *Gratia reddit animam ordinatam, & ſpecioſam, & potentem in bonum: culpa deordinat ipſam, & deijcit ad malum, & ſimilia.* S. Bonau.

ARGVMENTA

Ex rationibus contra prædictas Aſſertiones.

CAP. V.

I. *Effectus gratiæ formalis iuxta opinionem S. Bonauenturæ, quæ communis eſt.*

II. *Plura requiruntur ad denominationem iuſti, quam ad iniuſti.*

III. *Fauor diuinus condonans peccata ſemper eſt coniunctus cum gratia de lege ordinaria.*

IV. *Quomodo Deus poſſit condonare offenſam ſine infuſione gratiæ.*

V. *Quomodo peccatum expellat gratiã.*

VI. *Si Deus mallet ſuſpendere influxũ conſeruatiuũ gratiæ in peccatore, nulla eſſet indecentia, ſed oſtenſio abſolutæ potentiæ.*

PRIMVM, ac potiſſimum eſt, quia gratia, ſiue inhærens iuſtitia reddit habentẽ perfectè iuſtum, Deo gratũ, ac dilectum, cum ſit perfecta ſancti- XXVI.

Digitized by Google

tas; peccatum autem tam actuale, quàm habituale maculat peccatorem, & reddit inuiſum Deo, ergo non poſſunt hæc duo ſimul eſſe in eodẽ ſubiecto; alioqui eſſet iuſtus, & iniuſtus, amicus, & inimicus Dei, mundus, & maculatus, quæ ſunt contradictoria.

Confirmatur ex S. Bonau. in 2. diſt. 29. a. 1. q. 1. in reſol. vbi docet animam acceptari à Deo in templum, in filiũ, in ſponſam, & ſubdit, Hæc autem omnia facit gratia gratum faciens, cui eſt adeo iuncta Dei conformitas, vt nullo modo poſſit diſſimilis fieri, adeo iũcta ſpiritalis venuſtas, vt nullo modo poſſit deformari; & ideo reddit animã Deo acceptam, & eſt ratio acceptandi ſecundum illas tres proprietates prædictas, &c. igitur inſeparabilis eſt ab illa triplex hæc acceptatio, ſicut inſeparabilis eſt à luce illuminatio, quia eſt de ratione eius.

Neque dicas loqui Sanctum de potentia ordinaria, quia ibidem ad vltimum aſſerit impoſſibile eſſe animam ſine munere gratiæ eſſe acceptã Deo, quia hoc eſſet facere naturam eſſe gratiam, & vice verſa, quæ implicant in terminis; Igitur & implicat eſſe gratiam, quæ eſt ratio acceptationis, & non eſſe acceptam animam, in qua eſt.

II. Argumentum.

SEcundum eſt, quia oppoſitorum oppoſita eſt ratio; ſicut ergo nõ poteſt eſſe peccatum, quin reddat inuiſum, & inimicum Deo; ita non poteſt eſſe gratia, quin reddat acceptum, & amicum Deo; igitur ſi ſunt ſimul gratia. & peccatum, ſimul erunt contradictoria.

Confirmatur, quia ſi gratia non facit formaliter animam, cui infunditur amicam, & gratam Deo, ergo non aliter ſe habet, quam ſi poneretur in anima alia qualitas naturalis illam afficiens, quia per te non haberet rationem gratiæ vt ſic; ſed vt qualitatis materialiter conſideratæ, vt dicunt Auctores primæ ſententiæ: hoc autem eſt abſurdum, quia forma in ſubiecto dat neceſſariò ſuum effectum formalẽ, qui in præſenti eſt gratũ Deo efficere, proinde formaliter gratum reddere ſubiectum, in quo eſt.

Tertium Argumentum.

TErtium eſt, quia ſi gratia in caſu poſſibili ſeipſa non haberet prędictos effectus ſanctificandi perfectè animam, remittendi, ſeu expellendi peccatum, reddendi amicam, & gratã Deo; ſed egeret extrinſeco fauore, & acceptatione Dei, hac præciſa nõ eſſet in nobis perfecta iuſtitia, & ſanctitas, quod eſt hæreticum, quia egeret fauore extrinſeco, ſine quo eſſet imperfecta, & impotens perfectè ſanctificare. in quem ſenſum multa congerit Vazq. 1. 2. diſp. 204. à c. 2.

Confirmatur, quia tunc cauſa noſtrę iuſtificationis non eſſet vnica, ſed duplex nimirum gratia, & fauor externus contra Concilium Tridẽt. ſupra, cuius auctoritas ægrè explicatur, niſi dicatur, ſolam gratiam perfectè ſanctificare animam; eſſe formaliter expulſiuam peccati; ac proinde cum illo ex natura rei incompoſſibilem.

Quartum Argumentum.

QVartum eſt, quia ſi peccatum, & gratia non ſe formaliter expellunt, ergo huius infuſio, & illius expulſio ſunt duæ mutationes per accidens connexæ, quia vna poteſt eſſe ſine alia: conſequentia eſt clara; falſitas conſequentis probatur, quia iuſtificatio impij per gratiæ infuſionem dicitur à Tridentino ſeſſ. 6. c. 4. translatio de ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, & iuſtitiæ, quæ comprehendit duas mutationes neceſſariò connexas.

Quintum Argumentum.

QVintum. Inducens diſpoſitiones contrarias formæ, quæ eſt in ſubiecto, dicitur illam efficienter expellere mediatè, & diſpoſitiones ipſæ dicuntur expellere immediatè, vt patet in calore expellente frigus è ſubiecto, ergo peccans dicetur expellere efficienter gratiam mediatè, & peccatum ipſum immediatè, vel vt cauſa motiua, quia Deus propter illud priuat gratia; vel formalis, vt repugnans intrinſecè, ac formaliter gratiæ, & ſicut Deus efficienter delet peccatum, ita

ita formaliter delet ipſa gratia ex Sancto Bonauentura in 4. diſt. 17. a. 1. q. 1. ad primum paulo ante citato; quæ autem formaliter ſe expellunt, repugant in eodem ſubiecto.

Sextum Argumentum.

SExtum eſt, quia in tantum dicitur manere poſſe gratia cum peccato, in quantum adueniente peccato Deus poteſt gratiam conſeruare in peccatore; at adueniente gratia non datur conſeruatiuum peccati, quia Deus illud non conſeruat; igitur eſſe deſinit, & non niſi per gratiam expellentem, quia ex parte Dei non poteſt eſſe deſtructio, niſi vel per ſubtractionem concurſus, quæ in peccato non datur; vel per introductionem formę contrariæ, quæ hic eſt ſola gratia.

Septimum Argumentum.

SEptimum eſt, quia licèt non eſſet oppoſitio priuatiua phyſica, aut contradictoria inter peccatum, & gratiam; tamen adeſt repugnantia moralis ſufficiens ad oſtendendam impoſſibilitatem gratiæ cum peccato in eodē ſubiecto; talis eſt, quod per gratiam ſit diuinæ naturæ particeps, & filius Dei adoptiuus; igitur dedecet diuinā bonitatem, & ſapientiam, vt eum relinquat Diaboli mancipium, qua e eſt ſub iugo peccati. Item quod dimidietur iuſtificatio tollendo priuationem, quam dicit peccatum per poſitionem gratiæ, & non dimittendo offenſam, cum Dei perfecta ſint opera. Denique perſeuerantia culpæ malum eſt, & dedecet diuinam bonitatem miraculosè impedire ne [illegible]; nec apparet qui finis bonus huius mali durationi poſſit aſſignari ad honeſtandam Dei voluntatem boni amantem, & cauſā.

Confirmatur ex Sancto Bonauentura in 2. diſt. 36. a. 3. quæſt. 1. ad arg. Malum culpæ priuat inordinatè, & vituperabiliter; & ideo non poteſt attribui Deo; ergo neque poteſt impedire laudabiliter ne auferatur, quando adeſt gratia, cuius proprium eſt mundare animam, & purgare à macula.

Octauum Argumentum.

OCtauum eſt, quia, vt ſupra diximus cum actuali dilectione nō ſtat peccatum actuale mortale, quod non ſolùm de dilectione patrię verum eſt; ſed etiam viæ; quia iſti ſunt actus vitales, quorum alter vnit Deo, alter ſeparat à Deo, quæ ſimul eſſe nō poſſunt; ergo multò minus actu peccans poteſt recipere gratiam, quæ vnit animam Deo.

Ad primum Argumentum.

REſpondeo. Denominationes illas iuſti, amici, grati, &c. comparari ad oppoſitas denominationes iniuſti, inimici, ingrati, &c. ſicut bonū ad oppoſitum malum, in quo valet cōmunis regula, quod plura requiruntur ad bonum, quod eſt ex integra cauſa; quam ad malum, quod eſt ex ſingulis defectibus, vt S. Bonauent. in 4. diſt. 17 p. 1. a. 1. q. 3. ad vltimum.

Ideo non dici abſolutè iuſtum, amicum, &c. qui non eſt ſine macula peccati, vt macula comprehendit non ſolum priuationem gratiæ, quæ eſt quid phyſicum; ſed etiam offenſam, & iniuriam Dei, quæ eſt quid morale; ad quod tollendum requiritur voluntas Dei remittentis, & non ſolum gratiam infundentis, aut conſeruantis: Simile eſt ſi Rex offendentem ſe Senatorem non priuaret dignitate, neque veſte Senatoria; ſed nollet tamen ipſum, vt prius, amicum; hic non diceretur perfectè reconciliatus Regi, neque amicus, ita nec diceretur Dei amicus, cui peccanti Deus non auferret veſtem nuptialem gratiæ, quia liberè eam cōſeruare poteſt in quocumq; ſubiecto ei placet; neque tamen vellet cōdonare offenſam; quia conſeruatio gratie non eſt formaliter remiſſio offenſæ; & ideo poſſet Deus habere illum pro inimico, & damnare ad inferni pœnas. Neque refert, quod gratia ſit iuſtitia inhęrens, & ſanctificans animam; dignitas autem Senatoria ſit quid morale nō reddens neceſſariò amicum Regi Senatorem; nam ad perfectam ſanctitatem, & amicitiam Dei requiritur condonatio offenſæ, & non apparet cur non poſſit Deus

Poſſet Deus nolle habere pro amico aliquem, in quo gratiam conſeruaret

Digitized by Google

Deus velle vnam ſine altera. Neque probatur quod infuſio, vel conſeruatio gratiæ ſit formaliter condonatio iniuriæ, aut ab ea inſeparabilis de potentia abſoluta. Alioqui dicam quod conſeruatio dignitatis Senatoriæ in Senatore præſertim ſi ſit filius Regis, non poteſt eſſe ſine reſtitutione in amicitiam, quam fert ſecum dignitas, quæ eſt quid morale, & filiatio quæ eſt quid naturale.

Inſtabis quia gratia, quæ eſt participatio ſumma naturæ diuinæ, facit eiuſdem participē eum, in quo eſt, idque neceſſariò: ac proinde reddit filium adoptiuum, & hæredem gloriæ, igitur & amicum; Vnde & S. Bonau. in 2. diſt. 26. dub. 2. probatur definitio Gloſſæ quod Gratia ſit iuſtificatio, & remiſſio peccatorum.

Reſpondeo vt ſupra, ad hos effectus, & denominationes ſimpliciter, & abſolutè requiri non ſolùm id, quod phyſicè præſtat gratia intrinſecè inhærens; ſed etiam quod extrinſecè cōfert fauor diuinus condonans peccata, vt ſunt offenſa eius; qui de lege quidem ordinaria ſemper coniunctus eſt cum gratia; & ideo dicitur vnica cauſa formalis intrinſeca iuſtificationis noſtræ; ſed de abſoluta potentia eſt ſeparabilis. Dictum autem S. Bonau. ex Gloſ. intelligitur de lege ordinaria, & ſecundùm exigentiam naturalem Gratiæ, quæ fert ſecum remiſſionem peccatorum, quam Deus nunquam ab illa ſeparat.

S. Bon. dictū de lege ordinaria intelligendum.

Ad confirmationem ex S. Bon. reſp. loqui Sanctum de lege ordinaria, & de connaturalitate ordinis, quem Deus de facto ſeruat; non de poſſibili, quem contra hanc exigentiam exequi poſſet, ſi vellet: Imò Verbum acceptationis, quo vtitur S. Bonau. indicat actum acceptantis, qui liber eſt ad tres illas acceptationes nominatas ibi coniungendus, ac ſeparandus.

Ad inſtantiam reſpondeo, dictum S. Bonau. in ſolutione intelligendum eſſe iuxta doctrinam traditam in reſolutione, quod Deus per gratiam conſecrat animam in templum, adoptat faciens de ſerua filiam; de ancilla ſponſam; quæ tria inuoluunt perfectam, & abſolutam ſanctificationem; ac proinde non ſolam gratiæ infuſionem, maculæ ex eius priuatione, deletiuam; ſed & omnimodam condonationem Iniuriæ diuinæ, & redintegrationem amicitiæ, quæ ſine gratia non fiunt. Quod autem hic ſit verus ſenſus Seraphici ex eo manifeſtum eſt, quod alibi docet Deum abſolutè delere poſſe culpam ſine gratia, & conſequenter mundare animam, & acceptam habere vt prius ante peccatum, quod ſi idē eſſet infundere gratiam, & delere culpam; aut ſi hæc duo ſeparari non poſſent, non deleret culpam Deus de potentia abſoluta, quin gratiam ſimul infunderet cōtra eūdē S. Bon. in 4. diſt. 17. p. 1. a. 1. q. 1. in reſol. *Ideo, inquit, quamuis delere poſſet Deus ſine medio (ideſt ſiue gratia, de qua ibi ſermo eſt) culpam, decreuit tamen delere per gratiam, quæ non tantùm faceret innocentem, imò etiam naturam debilitatam habilitaret ad bonum*. Et verbum, decreuit, ſignificat non loqui conditionatè, ſiue ex ſuppoſitione, quod poſſet, quaſi dicat dato quod poſſet, quod tamen eſt impoſſibile; tamen decreuit delere peccatum per gratiā, non enim de impoſſibilibus cōparatis cum poſſibilibus dicitur cōgruè quod quamuis poſſet, v. g. communicare homini ſuam omnipotentiam, tamen decreuit non communicare, quia ſuper impoſſibilia non cadit decretum nec conditionatum, quia ſuperfluum eſt ac inutile; nec abſolutum, quia impoſſibile de re impoſſibili.

Ad II. Argumentum.

PAtet ex dictis. Nam voces amicus, gratus, iuſtus ſignificant Sanctitatem, & amicitiam perfectam, quæ inuoluit omnia requiſita, inter quæ eſt condonatio offenſæ: ideo niſi ſit totalis emundatio culpæ non ſolùm vt dicit priuationem gratiæ, ſed etiam vt remiſſionem iniuriæ, non poteſt Deo offenſus dici amicus, neque iuſtus ſimpliciter, & abſolutè; & ideo contradictoria non verificantur de eodem.

Ad confirmationem licèt Scotiſtæ nonnulli non agnoſcentes inter gratiam & peccatum aliam oppoſitionē, quàm demeritoriam; concedant ſequelam; tamen iuxta dicta neganda eſt,

eſt, habet enim oppoſitionem quaſi contrariam, quia peccatum quod eſt auerſio à Deo magis opponitur gratię, quę eſt conuerſio ad Deum, quàm frigori v.g. vel calori, & vice verſa; ideo negatur ſequela, quia gratia ex ſua natura facit Deo gratum; vel completè, ſi adſit diuina condonatio; vel incompletè, ſi abeſſet per legem extraordinariam.

Ad III. Argumentum.

NOn eſt hereticum aſſerere quod ad iuſtificationem perfectam requiratur fauor diuinus, ſed ſolùm quod per iuſtitiam inhærentem de facto tanquam per cauſam formalem non abſoluatur iuſtificatio contra hereticos recurrentes ad ſolam non imputationem peccatorum præſente fide; vel ad ſolam imputationem iuſtitiæ, & meritorum Chriſti; vel ad alias cauſas, vt ſupra ex Bellarmino: contra quos Tridentinum ſtatuit vt dogma fidei iuſtificationem fieri per inhærentem iuſtitiam, & vnicam cauſã formalem; ſed non excludit extrinſecum fauorem, ſiue amorem Dei maximè in tanto beneficio elucentem; neque deſcendit ad quæſtionem metaphyſicam; neque fundamenta eam determinant, quæ ſibi ſumit prima ſententia ab excellentia, & natura gratiæ. Igitur in forma ad argumentum reſpondeo negando ſequelam de lege ordinaria, quia gratia non ſolùm ſui informatione tollit priuationem & maculam peccati; ſed etiam habet adiunctam condonationem offenſæ, & alios effectus numeratos: de potentia autem abſoluta non afferret ſecum, quicquid connaturaliter ferre deberet, quia Deus liber eſt ad eam conſeruandam in peccatore, & ad non remittendam offenſam, ſi nolit: quo caſu ex alio capite diceretur perfecta ſanctitas, non ſolùm quia quantum eſt de ſe apta eſt iuſtificare peccatorem; ſed quia ex ſe poſceret quicquid neceſſarium eſt ad perfectam iuſtificationem, cum ſubordinatione tamen ad diuinam voluntatem, ac potentiam, à qua liberè dependet. Ex quo patet ad confirmationem, nam cauſa intrinſeca iuſtificationis vnica eſt; ſed non excludit extrinſecum amorem Dei, & voluntatem condonandi iniuriam. In quo conuenit vtraque ſententia; ſed prima contendit non diſtingui à voluntate dandi gratiam! ſecunda mauult de facto diſtingui formaliter in ordine ad obiecta formaliter diuerſa, & de poſſibili non repugnare quin realiter diſtinguantur infuſio gratiæ, & remiſſio peccati: quò pertinent verba S. Bonauenturæ in 4. diſt. 17. p. p. a. 2. quæſt. 1. ad vltimum: non eſt omnino idem culpam expellere, & gratiam dare.

Ad IV. Argumentum.

IN primis gratia, & peccatum cum non ſolùm demeritoriè opponantur, ſed etiam phyſicè quaſi contrariè in ſenſu explicato ſuperiùs, dicuntur ſe formaliter expellere à S. Bonauent. in 4. diſt. 17 cit. p. 1. a. 1. q. 1 ad primum, vbi ait Deum effectiuè expellere culpam, ſed formaliter (addit) delet ipſa gratia; Neque obſtat quod dixerat ſupra gratiam ſeipſa deficere ſubtrahente Deo ſuam influentiam ad præſentiam peccati, quin dicatur formaliter expelli, quia etiam formæ propriè contrariæ, vt calor, & frigus dicuntur ſe expellere ex eodem ſubiecto eo quod ad præſentiam, & exigentiam vnius, Deus deſinat conſeruare alteram in ſentẽtia probabiliore; licèt ſit diſparitas in caſu noſtro, quia Deus non deſinit conſeruare peccatũ, quod ab ipſo non eſt; & ideo non dicitur opponi contrariè, ſed quaſi contrarie Gratiæ: Neque item obſtat, quod demeritorie opponantur gratia, & peccatum, quia cum hac oppoſitione ſtat alia quaſi contraria ſufficiẽs ad formalem expulſionem, vt ſupra. S. Bonau.

Deinde in forma ad argumentum diſtinguo conſequens, nam de lege ordinaria infuſio gratiæ, & peccati expulſio eſt vna, & eadem actio realiter, ſicut illuminatio, & depulſio tenebrarum; formaliter autem diſtinguuntur, tum quia infuſio cõſideratur, vt actio à ſuo principio procedens; expulſio vt effectus tenens ſe, ex parte ſubiecti, à quo peccatum expellitur: Tum quia infuſio gratiæ operatur expulſionem peccati; & ideo præcedit vt cauſa, iuxtà

tà S. Bonau. in 4. cit. diſt. 17. p. 1. a. 2. q. 1. in reſol. atque adeo concipitur, vt diſtincta formaliter, & neceſſariò connexa, quia ex natura rei non ſtant ſimul in eodem ſubiecto: At verò de potentia abſoluta ſe compatiuntur, & ita poſſunt eſſe duæ mutationes realiter diſtinctæ, & per accidens connexæ. Illa igitur tranſlatio à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ eſt vna actio realiter, & tantùm formaliter duplex ſecundùm diuerſam conſiderationem; quæ diſtinctio inuoluit connexionem per ſe mutationum in ſenſu formali, quia in hoc tranſlatio prædicta eſt inter duos terminos neceſſariò connexos, gratiæ videlicet infuſionem, & peccati expulſionem, qui tamen de abſoluta potentia ſunt ſeparabiles.

Ad Quintum.

FVſè diſputat Suarius l. 11. de Grat. c. 4. quomodo peccatum mortale tam habituale, quàm actuale expellat gratiam; Ego iuxta doctrinam S Bonau. breuiter dico primò loquẽdo de cauſa efficiente nullum peccatum phyſicè expellere gratiam immediatè; patet quia peccatum formaliter non eſt agens phyſicum, neque peccans dicitur efficere; ſed deficere. Secundò eſſe diſpoſitionem phyſicam quaſi contrariam oppoſitionem habẽtem cum gratia; ſed impotentẽ phyſicè expellere illam, niſi Deus ſubtraheret influentiam ſuam. Tertiò ratione huius diſpoſitionis poſſe dici peccantem expellere phyſicè gratiam quatenus ponit aliquid in anima aduerſarium gratiæ. Quartò poſſe appellari cauſam moralem, ſeu demeritoriam efficientem expulſionem, quatenus mouet Deum ob ſuam deformitatem ad ſubtrahendum influxum in gratiam: quæ omnia ſupra ex S. Bonau. ſunt explicata. Tum in forma ad argumentum nego ſequelam principaliter intentam, quod repugnent de potentia abſoluta in eodem ſubiecto gratia, & peccatum; quia oppoſitio illa eſt quaſi contraria, ſimilis formis phyſicè contrarijs, v.g. calori, & frigori, quæ contra naturalem exigẽtiam poſſunt eſſe in eodem ſubiecto ſummè intenſæ per diuinam potentiam.

Ad auctoritatem S. Bonauen. iam reſpondi eo loco loqui de cauſa morali tam effectiua, qui eſt Deus; quàm formali, quæ eſt gratia, ad cuius præſentiam, & exigentiam de potentia ordinaria deſinit peccatum remittente illud Deo liberè; ſicut adu ntu peccati deficit gratia ſubtrahente Deo ſuum concurſum conſeruatiuum; quẽ ſi vellet continuare poſſet non obſtante indignitate peccati, & peccatoris: quæ tamen moralitas non impedit quò minus Deus gratiam conſeruans dicatur phyſicè etiam concurrere.

Ad Sextum.

PAtet ex dictis, adueniente enim gratia recedit peccatum, quia de lege ordinaria Deus condonat offenſam, ita illa exigente, quę eſt ſemen gloriæ, & confert ius ad illam; ſed dependenter à voluntate Dei, qui poteſt illud ſuſpendere, & non remittere iniuriam, etiam habenti gratiam; ſicut à ſimili poteſt ſuſpendere calefactionem igni habenti vim calefactiuã: conſequenter concedenda eſt oppoſitio inter gratiam, & peccatum; Sed non talis, quæ afferat ſecum incompoſſibilitatem in eodem ſubiecto, vt explicatum eſt.

Ad VII. Argum.

PRo ſolutione ſeptimi recolenda eſt doctrina S. Bonau. in 2. diſt. 36. a. 3. q. 1. quam ex S. Auguſt. & S. Thoma attulimus tom. 1. diſput. prima paſſim: reſpondens enim argumẽto, quod conditor naturæ nihil facit contra naturam: *Dicendum, inquit, quod ſi natura dicatur naturalis creaturæ obedientia, vel naturale iudicatoriũ, ſecundùm quod homo eſt habilis ad iuſtitiam, quia vtrumque horum dicit immediatam ordinationem ad Deum, ſic Deus non facit contra naturam, ſicut nec facit contra ſeipſum. Alio modo natura dicitur vis operans ſecundùm ſolitũ curſum, etiam quodcumque bonum, quod ineſt creaturæ ex ſua origine, & hoc modo Deus facit contra naturam, ſiue per miracula potentiæ, ſiue per ſupplicia vindicantis iuſtitiæ, & ſic non facit ſimpliciter contra naturam, imò potiùs ſecundùm* quomodo dicatur Deus facere contra naturam

Digitized by Google

dùm naturam, cuius operatio ſubiacet diuinæ potentiæ. Et cum Deus vtitur creatura ſiue ad manifeſtationem diuinæ potentiæ, ſiue ad manifeſtationem diuinæ iuſtitiæ, vtitur ea prout debet &c. Quæ doctrina locum habet in omni creatura tam naturali, quam ſupernaturali, quia vtraque pleniſſimè Dei ſubiecta eſt dominio, vt illa vti poſſit ad omnes effectus, qui non implicant contradictionem: At verò non implicare conſeruationem gratiæ cum peccato iam probauimus.

Quid facit Deus bonū eſt.

Hoc autem poſito, ſi Deus velit facere, ſequitur manifeſtè quod ſit decens, quia quicquid facit bonum eſt, vt S. Bonau. in 2. diſt. 41. a. 1. q. 1. ad arg. & ratio vniuerſalis eſt, quia ſumma bonitas non poteſt velle malum, quod eſt peccatum; neque infinita ſapientia aliquid inordinatum poteſt proponere voluntati vt decens; neque potentia aliquid tale exequi, quod eſſet impotentiæ. Igitur ſi poſſit conſeruare gratiam in peccatore, hic effectus nullam habet moralem indecentiam, vt quod per gratiam ſit diuinæ particeps naturæ, ſi gratia ſemper habet hunc primarium effectum phyſicum, non magis indecens eſt manere in anima informata gratia peccatum quoad offenſam, quàm ſi per poſſibile, vel impoſſibile daretur ſubſtantia ſupernaturalis libera, quæ peccaret; vt notauit Suar. lib. 7. cit. illa enim ratione ſupernaturalitatis diceretur diuinæ particeps naturæ, & tamen haberet peccatum, ratione cuius neque filius adoptiuus eſſet, neque ius ad gloriam haberet, & mancipatum pateretur Diaboli. In quo caſu non deeſſent diuinæ ſapientiæ ſui fines, & ille in primis, de quo S. Bonau. in 2. diſt. 23. a. 1. q. 1. in reſol. *Maioris, inquit, ſapientiæ oſtenſiuum eſt ſcire ordinare bona cum malis, & eligere bona ex malis, quàm ordinare ſolùm bona cum bonis. Et probat ibi decuiſſe Deum facere hominem expugnabilem ad oſtendendam magis ſuam ſapientiam, potentiam, iuſtitiam: quæ ratio habet locum in caſu noſtro.*

Ex quo patet ad alias inſtantias; Dei enim perfecta ſunt opera, hoc eſt, bona, quia mala ab ipſo non ſunt, niſi mala pœnæ, tanquam à iuſto iudice, qualis poteſt eſſe negatio remiſſionis peccati, vt offenſa eſt, etiam poſita gratia, præter alios fines, ob quos laudabiliter negari poteſt.

Et hæc quæ dicta ſunt, non ſolùm de macula habituali; ſed etiam de peccato actuali intelliguntur; quod enim obijcitur à nonnullis, quod habituale peccatum conſiſtat in priuatione gratiæ, non item actuale, negatur à nobis, nam iuxta S. Bonau. in 2. diſt. 42. dub. 1. text. peccatum ſiue culpa eſt deordinatio vel in actu, vel in anima: deordinatio autem in actu conſiſtit in auerſione, & conuerſione, & per has etiã anima deordinatur cùm peccat ratione auerſionis dicitur deformis; ratione conuerſionis dicitur maculata; vt ſupra notauimus. hic ad inſtantiam dicimus quod hæc quidem ferunt ſecum priuationem gratię, ſed non directè, & formaliter in ea conſiſtit peccatum, vt ſupra probatum eſt; & licèt conſiſterent, eadem eſſet ratio peccati habitualis, & actualis. Aliter, & fuſiùs impugnat obiectionẽ Suar. l. 7. cit. Sed expeditè ſoluitur ex doctrina S. Bonau. hic, & diſt. 35. a. 1. q. 1. ad vltimum relata ſupra in 1. aſſertione.

Ad Octauum.

Reſpondeo. Nego ſequelam, diſparitas eſt, quia actu peccanti poteſt Deus gratiam infundere; ſed actu diligenti non eſt vnde pro inſtãti dilectionis adueniat peccatum, neque in patria iam à peccato ſecuræ, neque in via, quia voluntas non poteſt ſimul vniri, & ſeparari à Deo, illud enim acceſſus eſt, hoc receſſus ab eodem termino, idque formaliter, & actualiter, ac proinde in vno includitur negatio alterius.

SOLVTIO SINGVLARIS

Argumenti à S. Bonauentura allata.

CAP. VI.

1. *Simul infunditur gratia, & expellitur peccatum, nec pro inſtanti ſtant ſimul.*

Digitized by Google

II. *In eodem inſtanti temporis conſiderantur duo inſtantia naturæ, reſpondentia infuſioni gratiæ, & expulſioni peccati.*

III. *Prius enim intelligitur Deus infundere gratiam; tum expellere peccatum.*

IV. *De abſoluta Potentia poteſt infundi gratia, actu peccanti.*

V. *Completa iuſtificatio includit infuſionem gratiæ, & remiſſionem offenſæ.*

XXVII. Argumentũ à S. Bonauẽ propoſitum. HIC in 4. ſent. diſt. 17. p. p. a. 2. q. 1. quærit an infuſio gratiæ neceſſariò præcedat expulſionem culpæ, & in arguendo pro parte negatiua proponit argumentum iſtud, culpa expellitur vel quando eſt, vel quãdo nõ eſt. Non primũ quia quando eſt culpa in anima non eſt infuſa gratia, quia tunc ſimul eſſent duo oppoſita in eodem. Neque ſecundum quia tunc ſemper expelleretur.

Reſpondet autem in hæc verba. *Dicendum quod quia expulſio eſt mutatio ſubita (id eſt inſtantanea) & in mutatione ſubita ſimiliter eſt fieri, & factum eſſe, ideo ſimul eſt expulſio, & expulſum eſſe: Vnde expellitur quando primò non eſt. Dicitur ergo pro tanto expelli, quia prius fuit, & adhuc eſset, niſi contrarium repugnaret; & non ſemper dicitur expelli, ſed ſolùm in primo inſtãti, in quo eſſe deſinit, & tunc quidem non eſt.* Similem habet reſponſionem ſupra diſt. 11. p. p. a. 1. q. 5. ad arg. *Dicendum, inquit, quod in mutatione ſubita eſt ſimul fieri, & factum eſſe; & ſimul deſinere, & deſijſſe; quia ergo in inſtanti deſinit eſſe panis, non eſt panis. Rurſus, quia incipit eſſe corpus, vel conuertitur in corpus, & corpus Chriſti, &c.* quæ doctrina ſumpta eſt ex cõmuni dicto Philoſophorum in inſtantaneis ſimul eſt fieri, & factum eſſe ex Ariſtotele.

XXVIII. Lorca diſp. 40. de Gratia. Contra hanc ſolutionem pugnat argumentum recentioris Theologi contendentis de facto ſimul eſſe gratiam, & peccatum pro inſtanti, in quo iuſtus per internũ volũtatis actũ cõſenſum conſummat peccatum; excluſio enim gratiæ poſterior eſt, quàm peccati commiſſio, quia hæc eſt cauſa illius, ideo enim expellitur, quia homo peccat. Ergo pro aliquo inſtanti ſimul ſunt peccatum, & gratia. Patet ſequela quia in illo inſtanti quo peccat nondum intelligitur priuatus gratia, quæ fuit toto tempore antecedẽti, ergo habet illam, ergo non poteſt priuari pro illo inſtanti, quia ſimul haberet, & non haberet, haberet quia antea non deſijt; non haberet quia per te non ſtat ſimul cum gratia, quæ pro illo inſtanti infunditur, aut conſeruatur antea habita.

Confirmatur, quia vt Scot. in 3. diſt. 37. §. ex ipſa ſolutione. Prius ſe voluntas auertit à Deo, quàm Deus deſinat conſeruare gratiam: ergo auertente ſe voluntate; vt cauſa expulſionis, perſeuerat gratia, cuius expulſio eſt effectus auerſionis, & ideo poſterior auerſione.

Reijcitur communiter hæc ſententia à Theologis, inter quos Suar. lib. 7. de Grat. c. 19 n. 4. fatetur viſam ſibi abſurdam poſt adhibitum conatũ ad eam in bono aliquo ſenſu interpretandam, quod aſſequi ſe potuiſſe negat. licet abſtineat à cenſura, quàm alieno iudicio relinquit. primò quia eſt contra omnes Theologos in re grauiſſima. Secundo quia Tridentinum ſeſſ. 5. c. 5. ait quod in renatis nihil odit Deus, igitur in inſtanti regenerationis non eſt peccatum, quia illud odit Deus vbicumque, & quandocũque eſt. Tertiò quia gratia, & peccatum repugnant ex natura rei, in ſenſu declarato; & ideo citra miraculum non poſſunt eſſe ſimul: quod ſi poſſunt in inſtanti non obſtante repugnantia, cur non poterunt etiam poſt illud? gratis autem recurreretur ad miraculum tanquam neceſſarium pro illo inſtanti; ſiquidem in quotidianis euentibus iuſtificationum de lege ordinaria non fiunt miracula, niſi quod iuſtificatio ipſa miraculum eſt, at non in ſimultanea exiſtentia peccati, & gratiæ in eodem ſubiecto, quæ neceſſaria non eſt: & ſi valeret etiam in omni generatione, & alteratione inſtantanea v. g. in illuminatione ſimul eſſe formam, quæ deſinit & illam, quæ incipit pro eodem inſtanti, & proinde ſimul eſſe formam ignis, & aquæ in eadem materia; lucem & tenebras in eodem

Suar.

Trident.

eodem aere, & ſimilia quę ſunt abſurda. Ideo reſponſio S. Banauenturę eſt quod in inſtanti intrinſeco quo gratia infunditur, deſinit peccatum, & vice verſa: atque ita primum eſſe gratiæ eſt vltimum eſſe peccati; & quærenti an expellatur culpa, quando eſt, reſpondetur quod expellitur qando vltimò eſt; Ita vt in eodem inſtanti infuſionis gratię Deus peccatum remittat, & anima mundetur, & vice verſa in inſtanti quo voluntas peccat, Deus deſinat conſeruare gratiam. Vnde quia peccatum totum ſimul expellitur, dici poteſt expelli quando non eſt, vt S. Bonau. ibid. & Alenſ. 4. par. qu. 13. memb. 4. & 3. ad vlt. & Suar. cap. illo 19. n. 6. Nimirum quando primò non eſt; ſeu quando vltimò eſt, & dicitur eſſe in expelli, & non ſimpliciter eſſe vel non eſſe, ſicut non eſt tempore, ſequente inſtans, & eſt tempore antecedente; in qua difficultate reali non valde laborandum de vocibus ad libitum vſurpatis, primò non eſt, vltimò eſt, dummodo in eodem inſtanti temporis dicatur vna forma induci; altera expelli.

Ad confirmationem ex Scoto, tantùm probatur prioritas naturæ non durationis, prius enim voluntas peccat, & à Deo ſe auertit, quàm Deus deſinat conſeruare gratiam, quia illud eſt cauſa iſtius, vt ſupra ex S. Bonau. dictum eſt; ſed ſimul duratione ſunt auerſio, & expulſio gratiæ, hoc eſt in eodem inſtanti temporis; tunc enim eſt fieri, & factum eſſe gratiæ, & expelli, & expulſum eſſe peccati, atque eſt primum eſſe gratiæ, & primum non eſſe peccati.

Ratio dicti S. Bonau. eſt, quia cum gratia expelli dicatur, eo quod Deus ad eius exigentiam poſito peccato deſinit illam conſeruare, non eſt cur eam conſeruet in inſtanti quo homo peccat, & miraculum faciat contra connaturalem ordinem, & legem, qua ſtatuit ne gratia, & peccatum, quæ habent oppoſitionem ſint ſimul in eodem ſub ecto contra naturam ſuam, idque etiam per inſtans, cum in eo poſſit ſubtrahere ſuum concurſum.

Verùm neque ratio philoſophica, neque Theologica obſtat; non prima, quia eadem difficultas eſt in naturalibus, & ſupernaturalibus, quæ incipiunt, & deſinunt in inſtanti, & per diſtinctionem prioris, & poſterioris ſecundùm naturam ſaluatur contradictio pro eodem inſtanti durationis, nec ſimul ſunt oppoſita contradictoriè; v.g. ſimul eſt tempore illuminatio, ſeu lucis diffuſio, & expulſio tenebrarum; ſed prius natura intelligitur illa, vt cauſa, & approximatio luminoſi, quàm illuminatio, licèt ſimul ſint duratione, quia ſimul eſt propinquitas luminoſi, & illuminatio; licèt illa natura ſit prior, ſicut prior eſt interpoſitio feneſtræ ſecundùm naturã deſitione illuminationis, quæ ſimul ſunt duratione; Ita in noſtro caſu in eodem inſtanti, quo peccatum ponitur velut obſtaculum luci diuinæ gratiæ, deſinit lux gratiæ, & non eſt ſimul cum peccato, niſi in deſinere, quod non eſt ſimpliciter eſſe, ſed cum addito in deſinere, ſeu primo non eſſe, vt loquitur S. Bonau. & quia deſitionis huius cauſa eſt poſitio peccati, ideo hæc prior natura dicitur, illa poſterior; ſed vtraque in eodem inſtanti temporis ad extra. Non obſtat etiam ratio theologica, vt enim D. Thom. 1. 2. q. 113. a. 8. diſcurrit, ſecundùm ordinem cauſæ materialis remiſſio culpæ præcedit in iuſtificatione; ſed ſecundùm ordinem cauſæ finalis præcedit infuſio gratiæ in eodẽ inſtanti temporis. & S. Bonau. in 2. diſt. 17. cit. a. 2. q. 1. *Deus, inquit, priùs mundat animam, & poſtmodum dat gratiam ſimul tempore, tamen poſteriùs natura*. Et hoc ex aliena ſententia; Ipſe verò ex propria, ait: *Sed quia communiter ponitur, & verum eſſe credo, quod Deus expellit peccatum per gratiam, ſicut Sol per radios tenebras, ſicut dicitur; Act. 15. fide purificans &c.* Ideo cũ cauſa præcedat effectum, infuſio gratiæ naturaliter prior eſt expulſione peccati, ſicut lux præit effugationem tenebrarum &c. Igitur in vtraque ſententia ſimul tempore eſt infuſio gratiæ, & expulſio peccati, licèt in aſſignanda prioritate naturæ ſit diuerſitas, & nobis arrideat modus explicandi S. Bonau. Infuſio gratiæ prior natura eſt expulſione peccati.

XXIX. Grauior eſt difficultas de actu peccante, an infundi illi poſſit gratia de nouo, quam antea non habebat, ſicut

Digitized by Google

conſeruari poteſt, quam ante peccatũ habebat, nolente Deo ſubtrahere cõcurſum, à quo in eſſe pendebat; & ratio difficultatis eſt, quæ aſſertur in argumento petita à maiori oppoſitione peccati actualis, quàm habitualis cum gratia.

Et Scotus quidem, ac Nominales oppoſitionem dumtaxat demeritoriã agnoſcentes inter gratiam, & peccatũ, eamque vt meram qualitatem fatentes, quæ effectus in iuſtificatione contingentes à Dei voluntate non ex ſua natura præciſè ſortiatur, facilè admitterent in actu peccante, gratiam infundi poſſe, non ſecus ac poni poſſet in lapide, quia in eo nihil plus præſtaret, quam in hoc, qui non diceretur gratus, neque iuſtus, quia eſt ſubiectũ incapax horum effectuum, ac denominationum; ſed qui præterea putant gratiam, & peccatum opponi phyſicè, quaſi contrariè, & primarium illius effectum eſſe reddere participem diuinæ naturæ hominem, vti ſubiectũ aptum ad hoc, ſoluere debent inſtantiam, ſi concedant actu peccanti gratiam infundi poſſe, ſicut poſſet conſeruari. Scot. Nomin.

In quo dubio reſpondeo, gratiam infundi poſſe actu peccanti, quia non eſt ratio diſparitatis inter conſeruationem, quæ eſt continuata productio, & nouam productionem: oppoſitio enim peccati & gratiæ eadem eſt, ſiue de nouo fiat, ſiue antea producta conſeruetur; quod autem actu peccator auertat ſe à Deo, & deordinet voluntatem ſuam, dignumque ſe reddat odio, & pœna, non obſtat omnipotentiæ Dei, & miſericordiæ, quin ſi velit producat in ipſo gratiam, ſicut poſſet in ſubſtantia lapidis, vel anima bruti; imo & in ſubſtantia Dæmonis producere.

Confirmatur, quia actu peccantes, vt ſupra de S. Paulo dictum eſt, Deus poteſt ſua gratia præuenire, illuſtrare mentem, cor tangere, torpentem, ac rebellem voluntatem allicere, trahere, compellere, & alia ſigna amoris, beneuolentiæ exhibere; ergo & gratiam ſanctificantem infundere, quæ vel ſtatim peccatum depellat, vel cum illo perſeueret. Non enim gratia ſe habet vt actus vitalis, puta dilectionis, contritionis, & ſimilium vitalium, qui ſimul eſſe nequeunt cum ſuis contrarijs; ſed ſimilis eſt habitibus, qui non omnes habent immediatam repugnãtiam cum actibus oppoſitis; ea quippe principium eſt, licèt remotum, & quidem præcipuum omnium operationũ virtutum infuſarum, vt Suar. lib. 6. de Grat. c. 12. n. 16.

Obijcit idem Suar. c. 21. n. 5. Inuolui contradictionem in hoc, quod peccatum dum actu fit, deſtruatur, idque ait eſſe per ſe notum; ideoque vel nõ poſſe infundi habitum gratiæ homini actu peccanti; vel ſi infundi poteſt, vt poſſe fatetur, non ſufficere ad remiſſionem peccati pro eo tempore. Suar.

Reſpondeo primò, non eſſe per ſe notum aliquid ſimul fieri, & eſſe deſinere, quia eius fieri conſiſtit in deſitione, vt patet in tempore, cuius omnes partes ſunt in continua ſucceſſione, & de nulla dici poteſt nunc eſt, quia omnium eſſe in tranſitu conſiſtit, vt S. Auguſt. l. 11. confeſs. c. 15. & de inſtantibus, & inſtantaneis idem eſt iudicium, deſinunt enim quando fiunt, quia toto tempore antecedente non erant, nec deſinebant; immediatè poſt tempore ſequente, non ſunt, nec deſinunt, ergo immediatè ante deſierunt; ac proinde quando fiebant; ſimul igitur fiebant, & deſinebant; quod defendẽtibus inſtantia neceſſariò dicendum eſt, non item Nominalibus, & alijs ea negantibus, potiſſimum ob argumentũ de incœptione, & deſitione ſimultanea viſum ipſis inſolubile; non item illa tuentibus, inter quos. Secundò, ipſemet Suar. ibid. c. 19. n. 6. contra Lorcã tenentem in eo inſtãti, quo iuſtus peccat mortaliter ſimul eſſe de lege ordinaria peccatum, & gratiam, quia peccatum eſt cauſa expulſionis gratiæ, ac proinde prius: ex quo ſequitur, quod ſimul ſint pro eodem inſtanti: alioqui ſi non eſt gratia in eodem inſtanti, igitur ante illud deſijt; ſed ante illud non erat peccatum, quod eſt cauſa expulſionis, ergo ante illud non fuit expulſa, ergo manet poſt illud in inſtanti, quo peccatum admittitur: cui argumento reſpondet idem Suarius, ſicut reſpondit S. Bonauentura; cuius ſolutionem verbatim ſupra recitauimus, docetque in eodem inſtanti quo iuſtus

peccat

peccat Deum ſuſpendere influxum; quo gratiam conſeruabat, & vniuerſaliter in formis contrarijs, eodem inſtāti, quo vna incipit eſſe in ſubiecto, altera deſinit per primū non eſſe. Quantum igitur ad hoc caput de ſimultanea duratione, nihil impedit quo minus in inſtanti, quo homo peccat infundatur gratia peccatum deſtruens. Quo modo idem Suar. in 1.2. diſp. 10. ſect. 1. n. 21. tract. 5. ſoluit obiectionē, quòd poſſet actu peccantem euehere ad viſionem beatam, & tunc eſſet ſimul viſio cū peccato: reſpondet enim in tali caſu primum eſſe viſionis fore primum non eſſe peccati, à quo videlicet ſtatim ceſſaret voluntas. Tertiò, ſi vellet Deus poſſet creare gratiam in ſubſtantia Dæmonis, ſicut poſſet in ſubſtantia lapidis, vt ſupra diximus, ergo poſſet etiam in peccante actualiter, ſiue vellet condonare iniuriam, ſiue non vellet.

Quæres. Poſſet ne tunc in eodē inſtanti compleri iuſtificatio, itaut non ſolum remiſſio eſſet offenſæ, & deletio omnis maculæ tam phyſicę, quàm moralis; ſed etiam nihil remaneret odibile in peccante.

Reſpondeo negatiuè. Completa enim iuſtificatio de ſuo formali, & intrinſeco cōceptu dicit formaliter omnimodam puritatem, & elongationem à culpa; illa verò non eſt vbi culpa nō penitus expulſa eſt, & ſimpliciter, ac abſolutè non dicitur non eſſe; ſed eſſe in deſinere, quod eſt aliquo modo eſſe; hoc autem omnino excludit completa ſanctificatio, & ideo immediatè poſt erit completa, ſi impedimentum non apponat peccator, ante quod cōplementum in rigore ſermonis non tam dicebatur iuſtus, quàm fieri iuſtus. Quid ſi in eo inſtanti moreretur? Reſpondeo, quod ſaluus fieret, quia in eo inſtanti haberet gratiam ex ſuppoſitione, & peccatum deſtrueretur.

COROLLARIA

Ex dictis.

CAP. VII.

I. *Duplex genus iuſtificationis admittendum ex S. Bonauentura.*

II. *Non implicat iuſtificatio formalis per actum ſupernaturalem.*

III. *Non tamen hæc eſſet completa iuſtificatio à Concil. Tridentino deſcripta.*

IV. *Deus amore beneuolentiæ præuenit peccatorem, priuſquam infundat gratiam perfectæ amicitiæ.*

PRIMVM eſt in doctrina S. Bonauenturæ admittēdum eſſe duplex genus XXX.
iuſtificationis, ſeu ſanctificationis. Vnum perfectum de lege ordinaria, quale deſcribitur à Tridentino ſeſſ. 5. & 6. per varia capita, & per illud conſecrat ſibi Deus animam in Templum, in Filiam, in Sponſam, vt loquitur in 2. diſt. 29. a. 1. q. 1. & in hoc eſt gratiæ infuſio, liberi arbitrij motus, contritio, peccati expulſio, vt explicat in 4. diſt. 17. p. p. a. 1 q. 3. in reſolut. & ad hanc iuſtificationem ita requiri gratiam, vt implicet ſine illa fieri expreſsè aſſerit loco cit. in 2. ad argum. Alterum genus iuſtificationis eſt incompletum, & ſolùm de poſſibili, & hoc indicatur in 4. cit. a. 1. in reſol. illis verbis: Ideo quamuis delere poſſit Deus ſine medio culpam, decreuit tamen delere per gratiam; & in eodem ſenſu ſoluit quæſt. 2. ad 3 argum. Quod ſi agens creatum ſine cooperatione ſuſcipientis expellit oppoſitum, vt patet in luce expellente tenebras; multò magis poteſt Deus expellere peccatum ſine cooperatione peccatoris; reſpondet, quod Deus non facit quicquid poteſt; ſed quod decet: decet autem voluntatem, quæ eſt potentia libera in agendo, & ſuſcipiendo concurrere per actum ad iuſtificationem. Igitur de potentia abſoluta ſine infuſione gratiæ, & ſine cooperatione voluntatis deleri poſſet culpa, & & eſſet incompleta iuſtificatio reſpectu alterius, quæ completur per gratię infuſionem, & per diſpoſitionem, & actus peccatoris concurrentis per liberum arbitrium adiutum gratia ad iuſtificationem: quod ſi ſine vlla diſpoſitione, & gratiæ infuſione remitteret culpam, decentia petenda eſſet ex motiuo voluntatis eius, quæ non poteſt velle, niſi bona, cum ſit ipſa bonitas.

Confirmatur, quia Deus, ſi vellet, poſſet

poſſet euehere ad viſionem beatam peccatorem ſine infuſione gratiæ, ergo, & ſine eadem poſſet remittere culpam. Antecedens probatur, quia potuiſſet Deus inſtituere ordinem rerum tam naturalium, quàm ſupernaturaralium diuerſum ab eo, qui de facto inſtitutus eſt, ac proinde ſaluare homines etiam peccatores ſine infuſione gratiæ. Sequela patet, quia non minoris potentiæ, aut miſericordiæ eſſet donare viſionem beatam in patria homini peccatori, quàm eidem remittere iniuriam, & habere pro amico in via, igitur ſi illud poteſt ſine infuſione gratiæ, poterit, & hoc alterum.

Cum S Bonau. ſentit Alenſ.4.p.q.17. membr. 4. §.1. & alij plures, quos citat, & ſequitur Suar. l.7. de Grat. c.22. exiſtimantes ad remiſſionem peccati non eſſe neceſſariam de potentia extraordinaria gratiam habitualem, inter quos ſunt nō ſolum Scotus, & Nominales, ſed etiam Thomiſtæ aliqui interpretantes S. Thomam requirentem gratiam ad remiſſionem perfectam, per quam omnia, quæ peccatū abſtulerat reparantur, & proinde pax, & amicitia cum Deo, vt Conrad. Ferrar. Ledeſma, quem loqui dicunt de lege ordinaria, non de abſoluta Dei potentia, ſecundum quam ſeparabiles putāt dictos effectus: quia nulla apparet implicantia, & ſuadent rationes allatæ, & aliæ, quibus inſuper.

XXXI. Probari poteſt ſententia hæc primò, quia de potentia abſoluta potuiſſet Deus creare hominem, & non ordinare ad finem ſupernaturalem: quo caſu non fuiſſet gratiæ infuſio, neque habitus, quia hæc ordinatur ad gloriā, vt ad finem, quo ſublato tolluntur; & fuiſſet nihilominus diuinæ prouidentiæ aliquod remedium præbere, quo in puris naturalibus reſurgere poſſet à miſeria, & non eſt, quod recurratur ad neceſſitatem gratię habitualis, quod etiam tum peccatum mortale eſſet iniuria Dei, dignum æterna pœna, & de ſe priuatiuum gratiæ; nam ex hypotheſi, quod non eſſet finis ſupernaturalis à Deo conſtitutus, peccatum non auertiſſet ab illo, & tam bona; quàm mala conſtitiſſent intra limites naturales, tam quoad bonitatem, & malitiam, quàm quoad pręmia, & pœnas, cur ergo quoad remedia fuiſſent diuerſæ conditionis? Nam quod peccata habuiſſent ſuam deformitatē, & Dei offenſam; proximè quidem nullam haberēt connexionem, vel reſpectum ad ſupernaturalia, à quibus ſtatus ille eſſet diuulſus: remotè verò quod ſint grauia; & de ſe gratiæ priuatiua, non probat iccirco opus fuiſſe gratia habituali ad illa purganda, quia ſolum radicaliter, & ſub conditione ordinationis ad finem ſupernaturalem per gratiam acquirendum, eſsēt priuantia actu gratia: à conditione autem poſſibili non liceret inferre, quod abſolutè opus eſſet remedio gratiæ; ſed ſolum ſub conditione, quod ſi infunderetur, purgaret à peccato.

Confirmatur, quia ex dicta ſuppoſitione ordinationis ad finem tantùm naturalem coniunctum eſſet Dei decretum de non danda gratia; ergo cū decreta Dei ſint immutabilia, nō fuiſſet poſſibilis homini gratia habitualis, ergo neque neceſſaria ad purgationē culpæ: & tamen non fuiſſet congruum diuinæ prouidentiæ relinquere ſine remedio proportionato naturam humanam in illo ſtatu. Aliter probat hoc caput Suarius, ſed an efficaciùs ambigo.

Nec valet dicere, quod tunc fuiſſet neceſſaria qualitas ſimilis gratiæ ad purgandam maculam peccati, & ordinandam animam ad finem naturalem, à quo ſe per peccatum deordinaſſet; vnde enim colligitur imaginaria hæc neceſſitas? aut quæ naturalis qualitas mundare queat animam, quod gratiæ vni datur, & non alteri qualitati, etiam ex infuſis? aut cur non poſſet per actus naturales reordinari?

Secundò. Ponatur, quod Deus ordinaſſet hominem ad finem ſupernaturalem, ſed non acquirendum medio habitu gratiæ, & virtutum infuſarum; at ſolum per actus ſupernaturales ſpeciali auxilio factos; per hos deleta eſſet culpa, quia delenda erat, ne quid coinquinatum intraret in regnum Cęlorum, aut ne omne ſemel coinquinatum excluderetur à Regno Cœlorum; igitur neque in hoc caſu neceſſaria fuiſſet gratia habitualis, cuius, vtpotè impoſſibilis ex ſuppoſitione decreti eā non conferendi, & minimè perinde

debi-

debitæ ineſſe, peccatum dici non potuiſſet priuatio.

Tertiò, ſtante præſente inſtitutione de iuſtificatione per gratiam, & expulſione eius per peccatum, non implicat hoc remitti ſine infuſione illius, puta per aliquem actum ſupernaturalem dilectionis ſuper omnia, contritionis; tum in communi ſententia, quod ipſa formaliter non iuſtificet; tum multò magis in minus communi Vazquez tenentis oppoſitum: poſſet enim Deus acceptare illum actum pro ſanctificatione, & habere pro amico, vel ſaltem pro non inimico, peccatorē actum amoris, aut contritionis, quæ eſt conuerſio ad Deum, & auerſio à peccato elicientem. Quamquam ex ſuppoſitione, quod actus ſolùm ſint diſpoſitiones ad iuſtificationem, & non expellant formaliter peccatum, non apparet, cur abſolutè nequeat per quemlibet actum etiam non ſupernaturalem peccatum remittere, quia in eo caſu nullus diſponit ad infuſionem gratiæ, quæ futura non eſſet ex Dei decreto, & omnes inſeruiunt vt conditiones, quibus poſitis mouetur Deus ad remiſſionē peccati, licèt congruentiùs ponerentur ij, qui oppoſitionem habent cum peccato, & ſunt via ad vnionem cum Deo, à quo peccatum auertit.

XXXII. Verùm illa non eſſet iuſtificatio cōpleta qualis deſcribitu à Tridentino, & S. Bonau. ſupra citatis, quia remaneret macula, vt dicit priuationem gratiæ, quæ non reſtitueretur, ſed illa priuatio non haberet rationem maculæ, quia non maneret per modum priuationis, ſed negationis, ita Deo decernente, vt poſt aliquod tempus ceſſaret debitum habendi gratiam: quo caſu illius carentia eſſet malum quoddam pœnæ non moralis maculæ, & priuationis, vt Suar. c. illo 22. n. 20. Qui caſus ficti, ſed non impoſſibiles, pro argumentis ſeruiunt ad probandum, quod detur de facto quidem completa iuſtificatio per infuſionem gratiæ ferentis ſecum remiſſionem peccatorū; ſed de poſſibili hos effectus eſſe ſeparabiles, & incompletam item de poſſibili, tum fore iuſtificationem.

Sed tunc obijcies, quia talis carentia fuit volūtariè inducta, & vt relata ad actum præteritum, qui cenſetur in ea perſeuerare moraliter, reddit hominem Deo odibilem, & inuiſum, ergo niſi tollatur ſemper remanet homo dignus odio; non poteſt autem tolli, niſi per formam, quæ priuat, quæ eſt gratia: vt arguunt qui negant remitti poſſe peccatum ſine infuſione gratiæ cum Caietanus 1. 2. quæſt. 113. artic. 2. Valent. tom. 2. diſput. 8. quæſt. 5. punct. 5. dub. vltim. & alijs motis auctoritate Sancti Thomæ ibid. negantis poſſe intelligi remiſſionem culpæ ſine infuſione gratiæ: & non loqui de lege ordinaria indicant verba, quod non poſſit intelligi, quia poſſibilia de potentia abſoluta benè poſſunt intelligi. Vazq. verò 1. 2. diſp. 207. c. 1. aſſumit quod negamus, non poſſe remitti peccatum perſonale ſine forma ſanctificante inhærente, qualis eſt gratia, aut actus perfectæ conuerſionis in Deum, qualis eſt contritio. Caiet. Vazq.

Reſpondeo ex doctrina S. Bonau. in 4. diſt. 17. p. p. a. 1. q. 1. in reſol. *Quod ſicut in omni opere domini eſt miſericordia, & veritas; ita & multò magis in opere iuſtificationis. Quia igitur homo peccauit, & nihil ante gratiæ infuſionem apud Deum meruit, Deus iuſto iudicio non omninò effectum culpæ tollit; imò pœnam relinquit, & ideo in priorem ſtatum hominem non ſtatim reſtituit. Et quoniam miſericors eſt, ideo etiam amplius bonum reddit. Quia magis indiget, ideo non tantum reſtituit innocentiam, ſed etiam dat gratiam, &c.* Ex quibus verbis habetur primò iuſti eſſe Dei iudicij, quod peccatorem non ſtatim cōuertat; ſed relinquat in peccato, quæ pœna eſt ſtatus hominis à Deo auerſi. Secundò eſſe miſericordiæ diuinæ, quod ſibi infenſo det gratiam, & reſtituat innocentiam, ideſt, puritatem, & à peccato emendationem; nam illam innocentiam, quæ conſiſtit in non peccaſſe reſtituere tam eſt impoſſibile, quam quod factum eſt factum non fuiſſe. Tertiò in hoc opere partem nullam meritò concedendam, quia in peccatore ante gratiæ infuſionem nōn fuit. Quæro igitur, an ante hanc Deus dignum odio peccatorem amauerit? Si neges, quomodo non amauit eum, cui benefacere miſericorditer voluit, In omni opere Domini miſericordia, & veritas.

& amo-

Digitized by Google

& nolle habere pro inimico offendẽtem abſque eo quod hìc phyſicam vllam mutationem accipiat, ſicut poteſt homo remittere iniuriam inimico ſuo abſque eo quod hìc intrinſecè mutetur, cum hoc diſcrimine, quod homo facit per actus voluntatis diſtinctos; Deus per æternum decretum ſibi idẽtificatum, vt ſupra in aſſertione.

Confirmatur quia Dei voluntate poteſt obſtrictus voto, vel alia obligatione pro tali tempore manere liber eo elapſo ſine vlla mutatione intrinſeca phyſica, ergo & poſſet velle, ſeu potius voluiſſe habere peccatorem pro ſuo inimico vſque ad tale tempus, & eo elapſo non habere ampliùs pro inimico, ſicut poſſet ferre legem obligantem ad obſeruationem ſub mortali, ad certum tempus, & poſt illud non obligantem, vt patet de lege vetere ceſſante obligare poſt promulgationem nouæ.

Dices voluntatem Dei intrinſecè eſſe immutabilem, ergo tota mutatio ſe tenet ex parte effectus extrinſeci, qualis eſt in dato exemplo promulgatio legis nouæ, eiuſque inſtitutio; igitur & in peccatore tranſeunte à ſtatu inimicitiæ cum Deo ad ſtatum amici, debet fieri aliqua mutatio, quæ ſit terminus diuinæ volitionis.

Reſpondeo in primis idem argumẽtum fieri poſſe de mutationibus prædictis obligationum, quæ ceſſant lapſu temporis ſine mutatione phyſica obligati. Secundò reſpondeo ſufficere nouum terminum moralem, qui ſufficiat ad tranſitum à contradictorio in contradictorium, qualis terminus eſt in ijs, quæ pendent à libera volũtate vel Dei, vel hominis, & conſiſtũt in merito, vel demerito, præmio, pœna & ſimilibus: v.g. ſi Deus, vel Pontifex ſtatuat, vt quis pro tanto tempore habeat talem auctoritatem, aut dignitatem, & non vltra; fit tranſitus ab habitu ad priuationem, vel vice verſa abſque alia phyſica mutatione, quàm temporis. Tertiò. Ne fiat controuerſia de re, quæ certa apparet, fiat aliquid, quo innoteſcat voluntas Dei terminata ad effectum moralem; v.g. reuelet Deus remittere ſe iniuriã ſibi illatam, licèt reuelatio ad remiſſionem non pertineat, niſi quatenus illam indicat, & reſpondet vt terminus diuinæ volitioni, qui per te debet eſſe aliquid phyſicum.

Secundò. Videt Deus ſcientia ſimplicis intelligentię poſſibilitatem decreti, quod ſi Petrus obiret in talibus circumſtãtijs remitteret ei omnes pœnas vel temporales, vel æternas vitæ futuræ, quo decreto poſito, & dictis circumſtantijs, ſine additione vllius rei phyſicæ remiſſiuæ pœnarum, deſinit earum reatus, ergo etiam videt poſſibilitatem ſimilis decreti remittendi iniuriam, ex qua prouenit reatus. Eſt enim paritas.

Confirmatur quia poteſt Deus habuiſſe decretum, quod ſi Petrus cum auxilio gratiæ ſpecialis, vel etiam ſine illo faceret eleemoſynam tali à ſe petenti, vellet illum efficaciter conuertere, & ſaluare, ergo & nolle habere inimicum; facta ergo eleemoſyna inciperet eſſe non inimicus, & hoc non per mutationem intrinſecam, quia actus ille eleemoſynæ formaliter non immutat à ſtatu inimicitiæ, ſed ſe habet vt cõditio, ſine qua abſolutè Deus nollet illum conuertere; & proinde ei bene velle, & nolle habere pro inimico ante vllam eius phyſicam mutationem.

Tertiò ſi Deus conſeruaret gratiam in peccatore, poſſet eius intuitu remittere peccatum, ſine vllius additione, quo fieret phyſica mutatio, & ſolùm Deo volente, vt gratia haberet ſuos effectus, inter quos eſt remiſſio, ſeu deletio culpæ: ergo abſolutè non implicat remiſſio ſine mutatione dicta. Antecedens patet, quia ſi eandem gratiam poſt peccatum dediſſet Deus eo fine, vt remitteretur, ſine dubio remiſſum eſſet, igitur & remiſſum eſſet, licèt de nouo non produceret; ſed antiquam conſeruaret in peccatore. (Gratia conſeruata per diuinam potentiam in peccatore, poſſet eſſe ratio remittendi peccatum.)

Ex quibus conſtat rationem à priori eſſe, quia huiuſmodi effectus morales non egent aliqua actione phyſica Dei vt dicantur de nouo fieri, ſed ſola voluntate diuina, ſeu actu interno, cui reſpondet remiſſio, & condonatio, ſicut & voluntati humanæ condonanti iniuriam reſpondet condonatio ſine mutatione offendentis. Ex quibus patet etiam originale remitti poſſe

etiam tolleretur originale, quia talis deletio non eſt ſine condonatione iniuriç, quicquid Suar. l. 7. Grat. c. 21. n.3. objiciat quod tota macula originalis conſiſtit in carentia gratiæ, vt voluntaria in Adamo, & ideo infuſa gratia tollatur; Nam cum hac carentia eſt iuncta offenſa Dei, ob quam filij Adam contrahunt odium Dei, & naſcuntur eius inimici; Poteſt ergo infundere gratiam, & non remittere iniuriam, non ſecus ac adultis peccatoribus; alioqui adulto habenti originale, & perſonale peccatum gratia tollere originale, & non perſonale. Argumenta contra hoc corollarium fermè ſolua manent ex dictis, quale eſt.

XXXV. Primò, quod ſicut peccatum non fit, neque conſeruatur à Deo; ita neque per ſolam ipſius voluntatem deſtrui poteſt niſi conſequenter ad aliquam phyſicam mutationem: negatur enim ſequela; nam neque ſcelera fiũt à Principe, & tamen illa condonare poteſt, multò magis Deus illatam ſibi iniuriam remittere: quo caſu fit mutatio moralis in peccatore ſufficiens ad hoc vt fiat tranſitus à contradictoria in contradictoriam ſine mutatione phyſica; & ad nouam denominationẽ realem; Sicut in exemplis allatis de voto, & alijs obligationibus patet; in quibus oſtenſum eſt ſufficere mutationem moralem. Et hæc eſt terminus actus liberi Dei cui debet reſpondere ex parte creaturæ aliquis effectus, ſufficit enim, vt ſit effectus moralis: Poteſt enim Deus ob infinitam perfectionem actu ſuo æterno facere in tempore quicquid vult ſiue phyſicum, ſiue morale, ac proinde remittere offenſam, condonare pœnam, ſoluere obligatione ſine vlla phyſica mutatione, ſiquidem, & ſimilia præſtat homo, & nulla inuoluitur in hoc imperfectio

Poteſt Deus æterno decreto facere quod vult in tempore.

Secundò Peccatum ob auerſionem à Deo, & conuerſionem ad creaturã habet rationem deformitatis, maculæ, & inordinationis, vt ſupra retulimus ex S. Bonau. ergo licèt remitteretur quoad offenſam Dei ſine mutatione phyſica, non tamen quoad maculam, quæ cenſetur permanere habitualiter ex actu præterito, & reddere odibilem peccatorem; igitur etiam remiſſa offenſa non eſt deletũ peccatũ.

Reſpondet Suar. lib. 7. de Grat. diſput. 23. tranſacto actu peccati non manere ſecundùm rationem culpæ, niſi vt iniuria Dei eſt, reddens illum dignum odio qui peccauit, donec remittatur; ratione autem conuerſionis ſolùm remanere obligatum ad pœnam, quæ obligatio durat moraliter ratione iniuriæ, cui eſt coniuncta, tanquam acceſſorium principali; & ideo condonata iniuria, auferri obligationem, & meritum pœnæ, & culpam quacumque ratione ſpectatam tolli à Deo tanquam à ſupremo diſpenſatore, & Iudice. Non placet primò quia, vt loquitur S. Bonau. in 2. diſt. 35. a.1. q. 1. ad primum. Malum culpæ prout eſt corruptio, & deordinatio exiſtens in actu poteſt eſſe cauſa deordinationis voluntatis ſecundùm habitum, & deordinatio in habitu eſt ex deordinatione in actu. Igitur præter auerſionem, priuationem gratiæ, reſpectum ad actum præteritum in ea incluſum, manet habitualis inordinatio in voluntate cauſata ab actu, quæ cum ſit quid phyſicum, & phyſicè perſeuerans, diſtinguitur ab iniuria formaliter ſumpta, & non apparet quomodo deleatur, niſi per aliquam mutationem phyſicam in volũtate deordinata. Secundò ad hominẽ priuatio gratiæ debitæ ineſſe non tollitur formaliter, niſi per formam oppoſitam, ergo neque priuatio rectitudinis debitæ ineſſe actui, & moraliter perſeuerans, quæ eſt inordinatio habitualis tollitur, niſi per formam oppoſitam, quęcumque illa ſit, & non dubitatur quin per gratiam. Tertiò quia prius eſt ſecundùm rationem quod actus habeat priuationem rectitudinis debitæ ineſſe, ſiue quod ſit difformis rationi, tanquam regulæ actuum humanorum, quàm quod habeat carentiam gratiæ, nam in ſententia communi, quam infra defendemus, ſi per impoſſibile non eſſet Deus, neque gratia eius, adhuc eſſet malum morale, & peccatum hominis ratione vtentis; ergo præciſa iniuria Dei, quę non eſſet ablato Deo, priuatio rectitudinis, & difformitas à ratione maneret in habitu ex actu inordinato, ac proinde non poteſt dici quod inordinatio ſit quid acceſſoriũ rationi iniurię, quę tũc non

eſſet; conſequẽter remiſſa iniuria per extrinſecã condonationem, non tolleretur fundamentum iniuriæ, quod eſt actus inordinatus, & exorbitans à ratione moraliter perſeuerãs in habitu, donec retractetur, aut formaliter per actum contrarium, aut virtualiter per aliquid æquiualens, qualis eſt gratia.

XXXVI. Ad argumentum igitur in forma reſpondeo, quod peccatum ratione debiti pœnæ, quod incurrit, ſiue reatus omnis, & ratione injuriæ, ac offenſæ, quam Deo infert remitti poteſt ſine mutatione phyſica peccatoris; ſed ratione maculæ ex priuatione rectitudinis debitæ ineſſe actui, & gratiæ debitæ conſeruari, ſi adeſt; aut comparari; ſi abſit, non poteſt deleri ſine intrinſeca mutatione phyſica per infuſionem gratię: In quo recolendum eſt, quod ſupra notauimus ex S.Bonauent. in 2.diſt.35.a.1.q.1. in reſol.& ad vltimum. *Quod malum culpæ eſt priuatio habilitatis mediæ inter bonum naturæ, & bonum gratiæ, & eſt in iuſtis, & peccatoribus, & in vtriſque reperit aliquod bonum quod corrumpat, cum hoc diſcrimine, quod in iuſtis habitum rectitudinis ſimpliciter tollit, habilitatem mediam ſolum diminuit, quatenus homo minus redditur habilis ad rectitudinem iuſtitiæ, eò quòd voluntas mouens ſe inordinatè reddit ſe inordinatam, & ad bonum minus habilem.* Igitur peccatum priuat habilitate ad bonum, minuendo illam, & tollit rectitudinem debitã ineſſe, deordinando voluntatẽ; & gratiæ decorem expellendo: habilitas autem ad bonum, quæ minuitur, ſiue dicat pronitatem ad peccandum cauſatam à peccato, ſiue carentiam auxiliorum ad non peccandum, non poteſt reſtitui ſine mutatione phyſica per actus contrarios, aut habitum gratiæ; rectitudo item debita ineſſe, quæ tollitur per deordinationem actus, & cenſetur remanere, ſicut cenſetur remanere actus præteritus malus non retractatus, nec remiſſus, ſi præciſe conſideretur, vt deordinat à ratione, & nõ vt auertit à Deo, & illum offendit, non poteſt deleri per condonationem extrinſecam, ſicut neque culpa, vt dicit priuationem gratiæ; ſed requiritur mutatio phyſica per aliquid intrinſecum, quicquid deinde illud ſit.

Habilitas ad bonum minuitur per peccatum.

Sed tunc tertiò obijcies, quia habilitas ad bonum non eſt quid diſtinctũ à potentia, & hanc neque minuit, neq; tollit peccatum, vt S.Bonauentura loco proximè citato, igitur non inuoluit eius priuationem. Deinde ſi minuit, ergo per additionem, vel detractionẽ alicuius à potentia peccante; vtraque autẽ vt mutetur eget mutatione phyſica intrinſeca. Tertiò non apparet quid ſit ille habitus inordinationis, quæ moraliter dicitur perſeuerare; vel enim eſt qualitas remanẽs poſt actuale peccatum, & hæc non tollitur, niſi per mutationem phyſicam: vel eſt denominatio ab actu præterito; & hæc non poteſt auferri, quia impoſſibile eſt, quod factum, vel omiſſum eſt, non eſſe factum, vel omiſſum, vel eſt priuatio gratiæ, & offenſa Dei, & neque hoc dici poteſt, tum quia hæc per te non eſt formaliter, & directè conſtituens peccatum; tum quia ſi per impoſſibile non eſſet Deus, neque gratia, adhuc eſſet peccatum, & non poſſet tolli per illius condonationem. XXXVII.

Ad primum reſpondeo, cõcedendo quod habilitas potentię non diſtinguitur à potentia, & huic nihil adimit peccatum, vt S.Bonauent. in 4.diſt.44. p.2. in fine, ſed dicitur minuere habilitatem, hoc eſt ponere impedimentũ ad recipiendam gratiam, & iuſtitiam; ſicut pęna ignis dicitur reddere inhabilem animam ad recipiendam gloriã; proinde peccatum cauſare dicitur hãc inhabilitatem, ſeu priuationem habilitatis, quia anima illo inquinata, minus eſt habilis ad recipiendam gratiam, quæ non poteſt admiſceri peccato, vt ſupra ex S.Bonau. in 4.diſt.17.p.2.ar.2. q.1. ad argum. & hoc impedimentum non tollitur, niſi per mutationem intrinſecam, quæ animam reſtituat priſtinæ innocentiæ, & puritati per gratiæ infuſionem, licèt Deus, cuius omnipotentiæ nulla poteſt vel malitia, vel potentia creata obſiſtere, æque valeat iuſtificare animam habentem hoc impedimentum, & inhabilem, ac non habentem, & habilem. Ex quo patet.

Ad ſecundum. Additur enim potentiæ impedimentum ad recipiendã gratiam, quæ eſt macula peccati, deformitas, inimicitia cum Deo, dignitas

æternæ

Digitized by Google

æternæ pœnæ, &c. quæ omnia per condonationem extrinſecam non tolluntur, ſed ſolùm aliqua, vt remiſſio iniuriæ, reatus pęnæ, debitum ſatisfaciendi, & ſimilia à voluntate Dei pendentia; non illa quæ phyſica ſunt, vt odibilitas intrinſeca à peccato proueniens, quod fert ſecum gratiæ priuationem, & cenſetur perſeuerare, donec retractetur; habitus relictus ab actu malo, deordinans potentiam per inclinationem ad malum, & defectus rectitudinis debitæ ineſſe, &c.

Ad tertium reſpondeo, quod habitus inordinationis dicitur perſeuerare dupliciter; nam vt S. Bonau. loco cit. in 2. diſt. 35. actus inordinatus gignit habitum malum in voluntate, inclinantem ad ſimiles actus, ſicut & reliqui habitus inclinant ad actus ſimiles illis, à quibus ſunt geniti; & hic cum ſit qualitas phyſica inhærens voluntati, non poteſt tolli ſine mutatione aliqua phyſica, & durat phyſicè quamdiu illa non ponitur. Secundò: dato quod non relinqueretur habitus phyſicus, tamen peccatum de facto remanere dicitur habitualiter, quia manet priuatio gratiæ, & inimicitia cum Deo; & non ſolũ denominatio ab actu præterito, vel relatio rationis ad eundem: inimicitia tolli poteſt per condonationem, priuatio nonniſi per phyſicam mutationem, quæ etiam tolleret inhabilitatem ad gratiam, cauſatam ab impedimento peccati. Quod ſi per impoſſibile peccatum non eſſet auerſio à Deo, neque haberet priuationem gratiæ, & nihilominus eſſet inordinatio à ratione non tolleretur, niſi per phyſicam mutationem actuum, & habituũ ordinantium volũtatem, quæ ſe deordinauerat: ſi verò actus nullum reliquiſſet habitum, neque pronitatem ad malum, tamen remaneret denominatio, quod præceſſerit peccatum, quæ tolli non poſſet, quia qui peccauit non poteſt non peccaſſe; ideo ad hanc non datur retractatio, qua fiat, quod factũ eſt, eſſe infectum; ſed benè vt quod deordinatum eſt, reordinetur, & tollatur deformitas in defectu rectitudinis conſiſtens, non ſecus ac quam ferret ſecum defectus membri in corpore, vt S. Bonauentura ſupra.

TERTIVM

Corollarium.

CAP. IX.

I. Vnica cauſa intrinſeca iuſtificationis eſt gratia.

II. Vnio hypoſtatica reddit intrinſecè ſanctam animam Chriſti.

III. Gratia cum ordinatione ad gloriã dat denominationes filij, hæredes, iuſti.

IV. Sola gratia delet culpam formaliter.

NON poteſt ſine gratia inhęrẽte reddi homo abſolutè gratus, filius adoptiuus, hæres gloriæ, & completè dilectus, hoc eſt dicere ſine completa iuſtificatione, qua conſecratur in Tẽplum, adoptatur in filium, vnitur in ſponſam, vt ſupra docuit S. Bonauentura; proinde habere denominationes ſimpliciter, quas tribuit gratia minimè poſſe; incompleté, & ſecundũ quid poſſe, & ſermo eſt de abſoluta potentia, quia de facto non contingit iuſtificatio, niſi completa; & proinde ad eam ſequuntur denominationes ſimpliciter, tam quę conueniunt ſubiecto abſolutè, vt quod ſit iuſtum, mundum à peccato, &c. quam quæ cum aliquo reſpectu ad extrinſecum, vt quod dilectum, acceptum Deo, hæres gloriæ, &c. Prima pars probatur, quia vnica, & totalis cauſa iuſtificationis intrinſeca, & formalis eſt gratia inhærens ex Tridentino ſupra; denominationes autem prædictæ, quæcumque ſint, ſi ſine addito, & completè ſumantur, ſupponunt hominem, cui tribuuntur eſſe iuſtificatum, ac proinde gratia affectum; ergo ſine illa ſimpliciter tribui non poſſunt, patet minor, quia licèt ſine gratia per abſolutam potentiam Deus remitteret peccatum condonando offenſam, adhuc tamen homo non eſſet eleuatus ad participationem diuinæ naturæ, qui eſt effectus gratiæ informantis animam; conſequenter non eſſet filius adoptiuus, nec hæres gloriæ filijs debitæ vt hæreditatis, igitur nec amicus ſimpliciter, & XXXVIII. S. Bonau.

com-

Digitized by Google

completè, nec dilectus, &c,

Secunda pars probatur, quia ſi remitteret Deus offenſam ſine gratię infuſione, aut condonaret pœnam, vel ſimilia beneficia præſtaret, non poſſet dici inuiſus, aut ingratus illi homo iſta recipiens, neque abſolutè carus, aut gratus ſicut qui recipit gratiam cum omnibus eius effectis primarijs, & ſecundarijs; igitur diceretur gratus ſecundum quid, & incomplete; ſimpliciter autem, & abſolutè non diceretur Deo placere, quo modo in ſtatu innocentiæ ſine gratia non placuiſſet, vt S. Bonau. ibidem, vbi habet rationē à priori ad probandam primam partē Corollarij huius, petitam à gratiæ excellentia; *Quæ animam conſecrat, vt ſit templum, aſſimilat, vt ſit Dei filia, faciem decorat, vt apta ſit eſſe ſponſa; additq; adeo iuncta eſt illi conformitas Dei, vt nullo modo poſſit ei eſſe diſſimilis; adeo iuncta ſpiritualis venuſtas, vt nullo modo poſſit deformari, & ideo reddit animam Deo acceptam, &c.* Quæ acceptatio longè altioris generis eſt, quam ea, quæ fundatur in bonitate, & pulchritudine naturali, vt docet ibi ad penultimum de anima Adæ, quæ in ſtatu innocentiæ tota erat pulchra, & ſine macula; & tamen non erat accepta ſecundum modum ſpiritualem, vt loquitur ad primum; vnde nec dici poterat tota pulchra, quia talis pulchritudo eſt à gratia. Erat tamen alia acceptatio, & complacentia ſecundum generalem modum, tum quia Deus diligit omnia, quæ fecit, vt dicitur Sap. 11. Diligis omnia Domine, &c. tum ſecūdum ſpecialem creaturæ rationalis, à qua diligitur, vt dicitur Prou. 8. *Ego diligentes me diligo*; quod etiam intelligitur de amore naturali. ſicut igitur in hoc obiectum complacentiæ, & dilectionis eſt bonitas, & motiuum naturale; ita illius altioris complacentiæ motiuum eſt ſupernaturale, & nō aliud quàm gratia, vel pertinens ad gratiam, ſi intelligatur Deus illam non infundere, ſed inchoare iuſtificationem per inſpirationem, & vocationem multiplicem; vel facere aliquid connexum ex ſua natura cum gratia, illuminationem, v.g., tactum cordis, dolorem de peccatis, &c.

S. Bonau.

Et per hanc diſtinctionem denominationum, vel completè acceptarum, ac ſimpliciter cōuenientium ſubiecto; vel incompletè, & ſecundum quid, conciliari poſſunt diuerſæ ſententiæ, qua affirmantes, quà negantes denominationes prædictas ſine gratiæ infuſione tribui poſſe homini, quas recenſet Suar. lib. 7. de grat. c. 3. Certe ſolui poſſunt earum argumenta, quæ magna ex parte coincidunt cū ijs, quę ſoluta ſunt contra negantes remitti poſſe culpam abſque infuſione gratię.

Deordinatio complete, & incomplete accepta.

Sed præterea obijcies, quia per vnionem hypoſtaticam anima redditur completè, & perfectiſſimè ſancta, amica Dei in ſummo; imo ratione illius dicitur filius naturalis Dei, & non adoptiuus, *Quia adoptio (inquit S. Bonau.* in 3. diſt. 14. a. 1. q. 1. ad arg. *) importat aliquam extraneitatem, & imperfectionem*; ergo abſolute non eſt neceſſaria gratia ad illas denominationes: Illas enim haberet natura vnita Deo, etiamſi careret gratiæ qualitate.

Deinde poſſet abſolutè Deus dare gloriam ſine gratia, & tunc homo diceretur eius amicus, dilectus, hæres gloriæ promiſſæ: & vice verſa poſſet dare gratiam, & negare gloriam; & tunc non diceretur ſimpliciter amicus, nec filius adoptiuus, neque heres; ergo denominationum dictarum ratio adæquata non eſt gratia inherēs animæ, ſiquidem & acceptari ad gloriam, carens gratia, & viſione beata perfundi poteſt.

Tertio. Toto tempore antecedente inſtans infuſionis gratiæ ſi peccator, aut non peccator in puris naturalibus ſe diſpoſuerit perfecto actu caritatis per auxilium ſpeciale elicito, ſimpliciter, & non ſecundum quid, vel incompletè eſt amicus Dei, & penitus ad illum conuerſus. Sic dicitur à Sancto Bonau. in 3. diſt. 10. a. 2. q. 1. ad arg. S. Bonau.
Quod ſpiritus caritatis facit filios adoptiuos, igitur & hæredes, & gratos, &c. & vrget magis ſi præcedat contritio perfecta, per quam homo totus ad Deum conuertitur, & à peccato auertitur.

Ad primum, illud eſt priuilegium vnionis hypoſtaticæ, vt ſeipſa reddat intrinſecè ſanctam animam Christi, vt Suar. to. 1. in 3. p. diſp. 18. ſect. 1. & ſubſtantialiter illam coniungat diuinita- XXXIX.

ti,

Digitized by Google

ti, à qua ſanctificatur, non vt à forma inhærente, qualis eſt gratia; ſed vt à termino intimè vnito, & eleuante ad eſſe diuinum, & filiationem Dei, qui eſt effectus vnionis longè, quàm ſit gratia excellentioris, vt S. Bonau. loco cit. igitur non licèt hinc inferre, quod alio modo contingant denominationes illæ, quàm per gratiæ infuſionem; quia ab hac veluti vniuerſali regula excipitur vnio hypoſtatica omnium ſupernaturalium præcellentiſſima.

Ad ſecundum, admiſſo vtroq; caſu de poſſibili, denominationes illæ eſſēt de obiecto non ſimpliciter, & complete tali, quale ſignificant voces iuſti, filij, hæredis, dilecti, &c. quia deeſſet aliquid, ad quod ſignificandum ſunt impoſitæ, nimirum gratia cum intentione gloriæ: Itaque ſi Deus ſtatuiſſet dare gloriam, & non gratiam, diceretur hæres gloriæ per denominationem ſolum extrinſecā à decreto Dei, cui reſponderet collatio glorię futura; ſed careret forma intrinſeca requiſita ad denominationem perfectam filij, hæredis, amici, &c. Et vice verſa habens gratiam, & nunquam habiturus gloriam diceretur quidem ſimpliciter iuſtus, at vero reliquas denominationes hæredis, filij, dilecti non mereretur, quia iſtæ ſi ſimpliciter, & perfectè alicui conueniant, gratiam, & gloriam ſuo tempore dandam amplectuntur. Atque ita negatur, quod gratia cum hac ordinatione non ſit ratio adæquata omnium denominationum prædictarum completè ſumptarum.

Ad tertium reſpondeo, quod perfecta amicitia inter Deum, & hominem non eſt ſine gratia ſanctificante, atque adeo in eodem inſtanti temporis, quo anima per actum perfectum caritatis, aut contritionis ſe diſponit ad gratiā, per eius infuſionem fit perfectè amica; ſed quia in eodem inſtanti concipiuntur duo inſtantia naturæ, in quorum primo præcedit diſpoſitio per dictos actus; in ſecundo ſequitur receptio gratiæ in anima, reſpectu primi non intelligitur perfecta amicitia, quę in ſuo conceptu inuoluit gratiam, ſed in ſecundo, & de hoc procedit ratio argumenti, & auctoritas S. Bonauenturæ.

Solutio ſupponit primo, quod ſola gratia delet culpam, vt S. Bonauentura in 3. diſt. 20. a. 1. q. 4. & in 4. diſt. 17. p. p. a. 1. paſſim, & alibi ſæpius. Secundo, quod contritio, vel ſaltem attritio eſt diſpoſitio neceſſaria ad iuſtificationem, vt probat fusè in eodem 4. loco cit. quam doctrinam communem inter catholicos tradit, & explicat Trident. ſeſſ. 6 c. 6. & iuxta illam reſponſio eſt, quod actus prædicti non iuſtificāt formaliter, ſed ſolius gratiæ id propriū eſt, ad quàm illi ſunt diſpoſitiones. Et hoc ſufficit ad ſolutionem argumenti, neque neceſſe eſt diuertere ad quæſtionem: An etiam contritio, vel dilectio formaliter excludat peccatum, vt cenſet Vazq. tom. 2 diſp. 204. an ſit ſola diſpoſitio, vt acriter contra illum oſtendit Suar. l. 7. de grat. c. 14. & to. 1. in 3. p. diſp. 4. ſect. 8. fusè.

QVARTVM

Corollarium.

CAP. X.

I. Poteſt Deus de potentia abſoluta infundere gratiam ſine diſpoſitione recipientis.

II. Gratiæ collatio poſſibilis eſt multis modis diuinæ potentiæ.

III. Peccatum habituale cum poſitiua voluntate perſeuerandi eſt impedimentum eſſentiale iuſtificationis.

IV. Dare gratiam, & culpam expellere ſunt connexa, ſed formaliter differunt iuxta S. Bonau.

DE potentia abſoluta poteſt Deus ſine vlla diſpoſitione peccatoris gratiam ſanctificantem infundere, & illum iuſtificare; eſt S. Bonauent in 4. diſt. 17. p. p. a. 2. q. 3. Dicendum, ait, quod ſecundum ſpeciale priuilegium poteſt Deus iuſtificare, ſine omni præparatione; tamen ſecundum legem communem non iuſtificat, niſi eos, qui ſe præparant: ſequitur Suar. lib. 7. de gratia c. 21. n. 15. explicans etiam in caſu, quo mortaliter peccauit homo, & poſt modum nec formaliter, nec virtualiter retractauit; imo nec poſt peccatum fecit vllum actum bonum: citat pro con- LX. S. Bonau.

Digitized by Google

contraria vtrumque Soto nixum auctoritate S. Thomæ, paulo poſt explicanda; pro ſe autem Scotum, Nominales, Ricchardum, Medinam, & Vazq. 1.2. diſp. 207. c. 3. conuenientes in aſſertione, diuerſos in rationibus.

Probatur primò, quia in habituali peccato conſiderari poteſt primo offenſa Dei, & hanc condonari poſſe per extrinſecum fauorem ſupra oſtenſum eſt. Secundò, denominatio ab actu præterito, quæ tolli non poteſt, quia impoſſibile eſt non peccaſſe eum, qui peccauit; ſed hæc nullam habet reſiſtentiam, ne gratia infundatur, vt patet in communibus iuſtificationibus peccatorum. Tertiò; Moralis macula, quæ relinquitur ex peccato non remiſſo, neque retractato, quod moraliter cenſetur permanere, & reddere peccatorem inuiſum Deo, & pœnæ æternæ reum: at hæc nec de ſe eſt indelebilis, nec à ſubiecto inſeparabilis; igitur ab agente infinitæ potentiæ poteſt auferri, præſertim cum non detur agens illam cōſeruans Deo potentius. Quartò, Priuatio rectitudinis deordinans voluntatem, & illam inhabilitans, vt ſupra S. Bonauent; & priuatio phyſica gratiæ debitæ ineſſe; at hæc vtraque tollitur per poſitionem gratiæ, quæ eſt forma oppoſita, niſi aliunde probetur, ita, eſſe connexam cum actu diſponente peccatorem, vt implicet ſeparari, quod ægrè probabitur.

Quæ continentur in peccato habituali.

Dices cum Suario ibidem n. 12. Homini peccanti non poteſt Deus infundere gratiam; & tamen peccatum illud non eſt immutabile, nec pendet à fortiori agente, quàm ſit Deus, ergo allata ratio nihil probat. Nec valet dicere, quod infundendo neceſſario faciet Deus, vt ceſſet à peccato, quia neceſſe eſſet, vt prius ſaltem natura ceſſaret à peccato actuali, vt ei gratia poſſet infūdi; nā habitualis gratia vt ſic non opponitur actuali peccato, formaliter; ideo per eam præcisè non poteſt peccatū tolli, ſed alia via ineunda erit puta per deteſtationem peccati, aut ſimilem actum; & aſſignabit aduerſarius rationem, quia macula ex actu preterito manens non eſt delebilis, niſi præcedat aliqua retractatio, idque ex natura ſua, & non quia pendeat à fortiori agente, ſed quia per gratiam habitualem nō immutatur actus præteritus, quo voluntas manſit, & manet moraliter auerſa à Deo.

Non obſtat hæc inſtantia primò, quia quod aſſumit de peccante actualiter ſupra reiectum eſt, ob id maximè quod ſi per ſe poteſt conſeruare gratiam Deus in peccante actu, cur non poſſit etiam infundere? quo caſu, ſi velit delere peccatum actuale, oſtenſū eſt non fore duo contradictoria: ſi nolit manebit in illo gratia ſine remiſſione peccati, ſicut maneret cum peccato habituali. Secundò. Non obſtat, quod aſſumitur de neceſſitate deteſtationis, aut ſimilis actus, quo mutetur præcedens voluntas, quia hic eſt ordo neceſſarius ad delendam maculam, & denominationem peccatoris ex actu præterito non retractato; non obſtat, inquam, quia aſſumitur gratis, quod negatur, & eſt petitio principij. Tertiò, quia ſi Deus infundat gratiam cū intentione iuſtificandi, & peccator non ponat impedimentum; gratia habebit omnes ſuos effectus quantum ex ſe, & Deus ad omnes vult concurrere, cuius voluntati in propoſito nihil eſt, quod reſiſtat. Quartò, quia actus omnes præuij ad gratiæ infuſionem ſe habent vt diſpoſitiones per ſe, & has ſupplere poteſt Deus, vt S. Bonau. ſupra, & alij communiter: Vnde ergo apparet implicantia iuſtificationis ſine diſpoſitione peccatoris? Aut cur gratiæ infuſio dici nequeat virtualis retractatio actus præteriti, cum per ipſam voluntas fiat principium operationum ſupernaturalium, & recuperet priſcam habilitatem amiſſam per actualem deordinationē? & hinc.

Secundò principaliter probatur corollarium, quia Deus poteſt ſupplere diſpoſitiones formarum inductioni neceſſarias, vt patet inducendò per ſingulas, quæ meræ diſpoſitiones ſunt: XLI.
Igitur multo magis ſupplere poteſt diſpoſitiones morales, hoc eſt per ſuam voluntatem conſtitutas; congruenter quidem, ſed non neceſſariò, & ex natura rei; itaut non poſſet alias conſtituere, ſicut enim ſacramentis poterat aliam materiam deſignare; ita & iuſtificationis alium modum præſcribere, quam qui de facto eſt; igitur quemadmodum poteſt gratiam per ſacramēta

colla-

collatam ſine ſacramentis conferre; ita & ſine actu peccatoris ſe diſponentis; gratiæ habitum infundere.

Confirmatur, quia infantibus confertur gratia ad originale delendum ſine vllo actu præuio, & in martyrio pro Chriſto pariter conferretur, ergo & adultis infūdi poſſet minimè diſpoſitis per actus de lege ordinaria requiſitos, ſi Deus ſua potentia vti velit.

Tertiò. Poteſt Deus conſeruare gratiam cum peccato habituali, etiāſi multiplicet peccator ſcelera illi oppoſita, ergo poteſt infundere peccatori non multiplicanti, neque ſe per actus bonos diſponenti. patet ſequela, quia conſeruatio gratiæ, eſt continuata infuſio, ergo ſi poteſt conſeruare, cur non & infundere? & quidem cum effectu iuſtificationis ſi velit?

Confirmatur, quia vt ipſe Suarius ibidem n. 15. fatetur, poteſt Deus infundere gratiam actu peccanti, ergo & habitualiter in peccato perſeueranti; non enim minorem oppoſitionem cum gratia habet actuale, quam habituale peccatum. Cenſet tamen ipſe non poſſe pro illo inſtanti remitti peccatum ob rationem ſupra à nobis ſolutam: diſcurrit etiam per actus antecedentes, comitantes, conſequentes infuſionem gratiæ, vt oſtendat nullos eſſe neceſſarios abſolutè ad infuſionem hanc; ſed difficultas ſolùm eſt de antecedentibus tempore, vel natura, nō autem de conſequentibus, qui ſupponunt gratiam, & proinde non ſunt neceſſarij ad illius infuſionem.

Obijcies, quia peccatum fuit voluntarium, & voluntas prior non retractata cenſetur moraliter permanere, ergo debet aliqua ratione fieri inuolūtarium, ad hoc vt remittatur, & iuſtificetur peccator, & non ſolum infundatur gratia ſine completa iuſtificatione.

Confirmatur ex S. Thoma 3. p. q. 86 a. 2. docente impoſſibile eſſe remitti peccatum ſine pœnitentia. Et ex Sancto Bonauent; ſupra aſſerente deordinationem, qua voluntas actu peccando deordinat ſe, manere in habitu. deordinatur autem voluntas conuertendo ſe ad creaturam, & auertendo à Deo, quæ auerſio, & conuerſio cenſetur durare moraliter, niſi retractetur, ac proinde impedimento eſſe iuſtificationi, nec tolli à gratia poſſe ſine aliquo actu peccatoris.

S. Thom.

Secundò. Quia hæc deordinatio eſt cauſa priuationis gratiæ, atque adeo prior; ergo etiamſi tollatur priuatio phyſica gratię; non tamen tollitur moralis deordinatio peccati, tum quia ablato poſteriori non tollitur, quod prius eſt; tum quia neque indirectè tollitur fundamentū conuerſionis prędictæ, quod non eſt priuatio gratiæ, licèt iſta tollatur per poſitionem ſui; igitur per retractationem tollendum eſt impedimentum voluntarij moraliter permanentis, & habitualis deordinatio: quia dum voluntas perſeuerat in auerſione à Deo, & conuerſione ad creaturam ponit obſtaculum iuſtificationi, & non poteſt amari à Deo amore neceſſario ad illam.

Reſpondeo ad argumentum, quod peccatum habituale dupliciter poteſt dici voluntarium, aut quia ſtat cum voluntate habituali illud rurſus admittendi, vel ſaltem in admiſſo complacente; aut indifferenter ſe habente, ideſt nec approbante, nec reprobante. Primo modo eſt impedimentum iuſtificationis, quæ non ſtat cum auerſione à Deo, qualis eſt in peccatore habitu perſeuerante in voluntate peccandi; vnde & qui actualiter peccat, ſi haberet propoſitum perſeuerandi in peccato, idem impedimentum poneret gratiæ; ſecus ſi ſtatuiſſet ſemel tantum peccare, imo & ſtatim confiteri; tunc enim diximus poſſe in eodem inſtanti infundi gratiam, & deleri maculam. Secundò autem modo non eſt impedimentum, neque tam ratio voluntarij, quam non voluntarij negatiuè; & ideo non eſt opus abſolutè retractatione, niſi virtuali, quam fert ſecum gratia rite diſponens voluntatem, quam informat: & eius infuſio, cum tollat formaliter ſui priuationem, & connaturaliter habeat adiunctam remiſſionem offenſæ, quæ pendet à voluntate Dei offenſi, ſi eam velit condonare, nihil reſtat deſiderandum in completa iuſtificatione ſine alia præparatione peccatoris. XLII.

Peccatū habituale quo modo dicatur voluntarium.

Ad confirmat. Reſp. S. Thomam loqui de potentia, & lege ordinaria, neque verbum, non poteſt, extraordinariam

S. Th. loquitur de lege ordinaria.

riam indicat, vtrique enim conuenire poteſt; De mente S. Bonauenturæ dubitare non ſinunt verba paulo ante relata ad probandum corollarium. De auerſione, & conuerſione comprehenſis nomine deordinationis idē eſto iudicium, ac de offenſa, quam Deus poteſt remittere ſine retractatione, & de priuatione gratiæ quæ tollitur per infuſionem non ponenti obicem, qualis non eſt relatio ad præteritum actum, neque moralis permanentia, quæ ceſſat ſtatim ac Deus remiſſione peccati illam tollit, ex quo patet.

Ad ſecundam negatur enim aſſumptum quod per gratiæ poſitionem nō tollatur habitualis deordinatio; ad probationem dicitur, quod licet deordinatio ſit cauſa, & prior priuatione; tamen ablata priuatione per poſitionem gratiæ, & illa tollitur, quia connaturaliter gratia exigit remiſſionem offenſæ, & Deus illam non ſeparat, licet abſolute ſeparare poſſet, neque impedit habitualis permanentia auerſionis, & conuerſionis, vt dictum eſt, quia hæc etiam tollitur ad poſitionē gratiæ. Quas reſponſiones conſonas eſſe doctrinæ S. Bonau. facile perſuadebit ſibi qui recolet verba eius in 4. ſent. diſt. 17. p. p. a. 2. q. 1. ad vltimum; Non eſt omnino idem culpam expellere, & gratiam dare &c. Ex hoc enim inferre licet, ergo aliquid aliud neceſſarium eſt præter gratiæ infuſionem, ad culpæ expulſionem: patet ſequela ex terminis, quia ſi nihil aliud requiritur, & culpa expellitur, idem eſt dari gratiam, & culpam expelli, hoc autem non facile aſſignabitur niſi dicatur cum gratiæ infuſione coniunctum eſſe fauorem Dei extrinſecum dantis gratiam, & remittentis offenſam, iuxta exigentiam eiuſdem gratiæ de ſe conciliatiuæ, & vnitiuæ hominis cum Deo. Deinde infertur ſeparari poſſe dationem gratiæ, & expulſionem culpæ, quia ſi ad hanc neceſſarius eſt fauor Dei condonantis offenſam, poteſt ſine hac condonatione infundi gratia, quæ licet connaturaliter exigat remiſſionem iniuriæ, non tamen eſſentialis illi eſt hæc remiſſio, quæ libere à Deo offenſo expectanda eſt. Tertio quod licet non ſint idem culpam expellere, & gratiam dare, neque eſſentialiter connexa; tamen talis eſt connexio inter illa, vt Deus infundendo gratiam, iniuriam condonet, & vbi non inuenit obſtaculum, vtrumque præſtet, negatio autem retractationis peccati præteriti non eſt obſtaculum diuinæ potentiæ ne det gratiam cum omnibus ſuis effectibus, neque contrarium ſufficienter oſtenditur ab aduerſario.

Reliquum eſt argumentum contra principia S. Bonauenturæ, de malitia peccati ſupra repetita, præſertim cōtra dicta in 2. diſt. 42. & alibi quod peccatum inuoluit deordinationem in actu vel anima, quæ deordinatio conſiſtit in auerſione à Deo, quod videtur falſum, quia ſi per impoſſibile non eſſet Deus, & homo eſſet eiuſdem rationis quæ nunc eſt, ac liber, adhuc peccaret, & tamen eius inordinatio in actu, vel anima non eſſet auerſio à Deo. pro ſolutione quæro,

AN EX HYPOTHESI

Impoſſibili quod non eſſet Deus, adhuc eſſet malum morale, & peccatum,

CAP. XI.

I. *Senſus quæſtionis.*
II. *Duæ ſententiæ in genere.*
III. *Aduertenda pro ſtatu quæſtionis.*
IV. *Concluſio affirmatiua pro ſecunda ſententia conformis eſt doctrinæ S. Bonauenturæ.*
V. *Pro illa ſunt ſcholaſtici fermè omnes, & Theologi Soc. in libris editis.*
VI. *Probatur auctoritate Patrum, & rationibus.*
VII. *Data hypotheſi quæſtionis huius maneret maior, & minor malitia moralis; ſed non theologica, quæ ſupponit Deum.*

QVAMVIS malum latiùs pateat, quàm peccatum, & XLIII.
hoc quàm culpa, vt S. Th. 1. 2. q. 21. a. 1. & 2. tamen ne fiat quæſtio præſens de nomine, in eodem ſenſu hîc accipiuntur, ita vt conuertantur malummorale, & peccatum, & culpa, vt abſtrahit à mortali

Digitized by Google

tali & veniali, quomodo etiam pro eo d m ſumi docet peccatum & culpam S. Bonau. in 3. diſt. 3. p. 1. a. 2. q. 1. ad arg. Quæſtio igitur eſt, vtrum ſi non eſſet Deus, aut ſi non præciperet, aut vetaret aliquid, homicidium ex. gr. mendacium, furtum & ſimilia rationi rectæ repugnantia, eſſent moraliter mala, non ſolùm fundamentaliter; ſed formaliter; idque philoſophicè loquẽdo; nam theologicè ex hypotheſi impoſſibili certum eſt, non fore mala, quia neque Dei, qui non eſſet ex ſuppoſitione, eſſent offenſa; neque gratia priuarent; neque pœna æterna, aut temporali plecterentur; & quantum ad hoc eadem quæſtio eſt, ſi non prohiberet mala per poſſibile, aut impoſſibile iuxta varias ſententias apud Suar. l. 2. de leg. c. 6.

Prima Sententia.

1. ſent. Vict. EST Victor. relect. 13. ad quid teneatur homo veniens ad vſũ rationis S. Ad rationẽ in contrarium, ita negans fore malum morale in dato caſu, vt contrariam reputet improbabilem. *Neque eſt mihi, inquit, intelligibile, quomodo aliquis peccet, ſi omnino non obligatur; neque video quomodo obligetur, ſi non habeat ſuperiorem, atq; adeo ſi vel Deus non eſſet, vel nihil præciperet, ego non dubito, quin nullum eſſet propriè peccatum, aut malum morale; licet poſſet eſſe peccatum, ſicut eſt in natura, vel in arte. Nec eſſet aliter malum, quòd homo interficeret Patrem, quàm quòd Lupus interficeret matrem, & addit rationes infra ſoluendas.*

Sed quàm conſequenter ad ea, quæ docuerat relect. 10. de homicidio, ipſe viderit. Ibi enim initio ait quòd facere contra naturalem inclinationẽ eſt peccatum, & ideo interficere ſeipſum peccatum eſt, quia naturalis inclinatio ſemper in bonum, & honeſtũ propenſa eſt, atque adeo nunquam malum ſuggerit; itaque in contrarium tendere illicitum eſt, ſicut & tendere in contrarium illi, quod à virtute ſuggeritur, quæ ad bonum ſemper inclinat &c. At in dato caſu interficere patrem, vel ſeipſum eſſet contra naturalem inclinationem, ergo eſſet peccatum.

Sequitur, tamen ſententiam Victoriæ Alphonſus Curiel in 1. 2. D. Th. q. 72. a. 6. dub. 3. in fin. Zumel. 1. 2. q. 71. a. 6. diſp. 8. Franc. Herrera Scotiſta in 2. ſent. in 2. p. diſp. 29. q. 4. tribuens Scoto; ſed confutatur ab alio Scotiſta Angelo à monte Peloſo infra citando, & pro ea citatur Sotus in Ep. ad Rom. c. 4. ſed ibi videtur eſſe pro contraria. Verba eius ſunt. *Continenter hoc nomine legis vti vbique ſupra, naturalis quoque comprehenditur. Nam etſi nulla fuiſſet ſcripta, nihilo ſecius violatio naturalis iuris, quod inſculptum eſt mentibus noſtris, delictum eſſet &c.* vbi etiam argumentum quod hęc ſententia putat validiſſimum, leue exiſtimat aſſerẽs; *Attamen dubitatio hinc, quamuis exigua, reſultat, & eſt, quod peccatum omne inobedientia quædam eſt, quæ ſuperiorem ſupponit, qui tunc nullus eſſet.* Curiel Zumel Herrera Sotus pro 1 ſent.

Citatur etiam Medina 1. 2. q. 18. a. 1. ad vlt. Sed ille tantùm docet, quòd in hac hypotheſi vtraque pars contradictionis ſequitur, & hypotheſim eſſe impoſſibilem, quia illa poſita ſequitur contradictio, quod mendacium v. g. ſit peccatum, & non peccatum, quod vel vtrique, vel neutri ſententiæ fauorabile eſt. Nuper eam defendit in Collegio Romano noſtro P. Sfortia Pallauicinus Flos ingeniorum in eodẽ Collegio Sacræ Theol. Lector; Fauẽt etiam qui dicunt, omne peccatum contra legem naturalem, ideo eſſe malum, & peccatum, quia voluntate Dei prohibitum eſt, adeo vt ipſius Dei odium præciſa prohibitione illius non eſſet malum, neque peccatum, vt Ocham. in 2. q. 1. Almain. & alij apud Vazq. 1. 2. diſp. 179. cap. 1. & Suar. lib. 2. de legib. c. 6. n. 4. Medina quid ſentiat Ocham. Almain.

Secunda Sententia.

XLIV. 2 ſent. affirmans. COmmunis eſt in data hypotheſi, adhuc fore malum, & peccatũ, licèt auctorum eius aliqui dicant, fore tantùm veniale, alij mortale, quos infra citabo. Inter quos cum aliqui aſſerant, remanſurum peccatum, ſi tolleretur Deus videntur clarè ſupponere, quòd peccatum in ſuo primo cõceptu non dicat oppoſitionem, vel cum vltimo fine, vel cum prima æter

Digitized by Google

na regula, vel cum aliquo alio Dei prædicato, vt in terminis Greg. & alij infra citandi.

Nota primo quæſtionem fieri ex hypotheſi impoſſibili, vt per locum intrinſecum videatur, quid ſequatur ex natura rei; ſicut cum quæritur, an ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc diſtingueretur ab illo, inueſtigatur, quæ ſit adæquata radix diſtinctionis harum Perſonarum, proceſſio,ne, an aliquid aliud; ita & hic quæritur, quæ ſit radix malitię actus, prohibitio,ne, vel lex diuina obligans ad aliquid vitandum, aut faciendum, vel aliquid aliud; ſi enim primum ponatur, manifeſtè ſequitur, ſublato per impoſſibile Deo, nullam fore malitiã moralem, etiamſi admittatur diſconuenientia phyſica actus, & obiecti cũ natura rationali; & diceretur tantum modo malum phyſicum, ſicut dicitur malum naturæ monſtrum, & in arte ceruix equina addita humano capiti, vel ſimilia, pro quo.

Nota ſecundo. Morale in propoſito dici non quod ſignificat conſuetudinem, aut frequentem modum operandi 1. 2. q. 58. a. 1. ſed quod in eodem inuoluit rationẽ vt regulantẽ, ac dirigentem; ita vt immediat principiũ ſit voluntas, quæ actum elicit; mediatum verò ratio, quæ dirigit; quomodo definitur à S. Th. q. 2. de malo a. 6. Actus moralis eſſe actus voluntatis à ratione procedens, non quomodocumque; ſed libere, vt dicitur actus non ſolùm hominis; ſed humanus, & eſt capax honeſtatis, ac turpitudinis, de quo vide Suar. de act. hum. tract. 3. diſp. 1. ſect. 1. Quæſtio igitur eſt, vtrũ actus capax eſſet turpitudinis, ita vt moraliter diceretur malus, & peccaminoſus; & non ſolùm materialiter, vt dicuntur mali defectus naturæ, vel artis diſconuenientes ipſis, in quocumque deinde conſiſtat formaliter moralitas actionis, ſiue in denominatione à voluntate libere operante; ſiue in conuenientia, aut diſconuenientia actionis ad rationem; ſiue in relatione rationis, quæ explicetur per regularitatem à ratione, vt Vazq. 1. 2. diſp. 73. c. 9. n. 43. hic enim ſolùm contẽdo actionem moraliter eſſe malam, quæ diſcordat à ratione, & fit à voluntate libere operante, quod ſufficit ad moralitatem ex D. Th. cit. & 1. 2. q. 88. a. 6. c. iuxta dicta ſupra q. 19 paſſim, in quocumque deinde conſiſtat malitia moralis, de quo variæ ſunt ſententiæ Theologorum in 2. ſent. & 1. 2.

Suar. — S.Thom.

Nota tertio. Queſtionem variari, ſi non retineantur termini in ſua ſignificatione, ita vt quando dicitur, ſi nõ eſſet Deus, intelligatur remotio omnium prorſus Attributorum, eſſentiæ, Perſonarum, quæ de facto ſunt, & nihil remaneat Dei. Vice verſa remaneant anima, corpus, potentiæ omnes eiuſdem rationis, quæ modò ſunt; & idem eſt de qualibet Creatura intellectiua iudicante de bono, & malo, ne fiat vis in verbo hominis; licèt non poſſint concipi omnia prædicata metaphyſica, quæ poſito Deo concipiuntur, v.g. dependentia ab ipſo quoad eſſe, & operari, ordinatio in ipſum tanquam in finem, & ſimilia, ſine quibus non eſt homo; ſed fingitur impoſſibilitas non eſſendi Dei, & poſſibilitas eſſendi hominis, ſecundùm conſtitutiua phyſica eiuſdem rationis, cuius de facto ſunt, ac proinde eiuſdem rationis animæ, & corporis, liberæ operationis, ac omiſſionis, tam eorum, quæ ſuæ naturæ diſconuenientia exiſtimaret, quàm quæ conuenientia.

Prima Aſſertio.

XLV. SI per impoſſibile non eſſet Deus, & tamen homo eſſet eiuſdem naturæ, cuius de facto eſt, adhuc poſſet agere malum morale, & peccare, licèt peccatum non eſſet culpa theologicè conſiderata. Habet Aſſertio fundamentum in ſcriptura, & Patribus indicantibus dari quædam mala præcisè, ex hoc quod rectæ rationi aduerſantur, & quædam honeſta ex hoc quod eidem conformantur.

Matth. 5. Diligi amicos, & ſalutari etiam ab Ethnicis teſtatur, duce videlicet natura, ac ratione, vt cum cõmuni Interpretum Cornelius ibi; diligere autem & ſalutare laudabilia ſunt, igitur contraria ſunt vituperabilia. Rom. 2. Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quę

Matt. 5. naturæ etiam ductu diliguntur amici.

legis

legis ſunt faciunt, &c. ductu videlicèt, & naturæ lumine, vt idem Cornel. cũ alijs. Et videtur reſpondere negantibus, ibi non eſſe peccatum, vbi non eſt lex obligans, & ſuperior illam ſtatuens; ſufficere namque docet Apoſtolus, legem naturalem dictantem, quid faciendum, quid omittendum ſit, quam qui violant, peccant, qui ſeruant, bene agere, & honeſtè dicendi ſunt; & ſicut iſti laude, ita & illi vituperatione digni ſunt, vt indicant verba ſequentia in contextu.

S. Bonau. Eſt conformis doctrinæ S. Bonauenturæ, nam in 2. ſent. diſt. 35. dub. 4. tex. reſpondens ad obiectionem ex Ambroſio ſumptam dicente, quid eſt peccatum, niſi legis diuinæ præuaricatio, &c. quod videtur contra diſtinctionem Auguſtini apud Theologos celebrem; quædam ſunt mala, quia prohibita, quædam prohibita, quia mala, &c. habet hæc verba: *Dicendum, quod lex aliquando accipitur ſtrictè pro lege ſcripta, vel data; aliquando largè, prout comprehendit legem naturæ, & legem ſcriptam, & legem gratiæ*; & in prædicta notificatione lex accipitur largè, igitur vbi eſt præuaricatio legis naturæ, ibi eſt peccatum, iuxta S. Bonauenturam edoctum à S. Auguſtino lib. de lib. arb. c. 6. & epiſt. 80. ad Hilarium infra citanda; ſed in dato caſu lex naturæ eſſet iubens honorare Parentes, & vetans illos occidere exempli gratia, ergo interficiens parentem diceretur violare legem naturæ, ac proinde peccare non ſolùm phyſicè, ac materialiter, ſicut ſi lupus interficeret lupum ſui genitorem; ſed moraliter actione libera repugnante rationi, atque adeo digna vituperatione.

S. Auguſt.

S. Thom. Quod magis explicant, ac confirmant auctoritates S. Thomæ multis in locis 1. 2. q. 19. a. 1. 3. *Bonum per rationem repræſentatur voluntati vt obiectũ, & in quantum cadit ſub ordine rationis, pertinet ad genus moris, & cauſat bonitatem moralem in actu voluntatis; ratio enim principium eſt humanorum, & moralium actuum, &c.* Tunc autem eſſent & repræſentatio, & ratio, ergo & moralitas. Idem repetit a. 2. & 3. & a. 4. *Ratio humana eſt regula voluntatis humanæ, ex qua eius bonitas menſuratur, &c.* Quod autem hoc habeat a lege æterna, cuius eſt participatio, oſtendit locutionem eſſe pro præſenti ſtatu, ſed pro confictio impoſſibili manente ratione, vt de facto eſt, maneret bonitas moralis, & malitia ab ea manans. Ideo a. 5. confirmat hanc doctrinam auctoritate Ariſtotelis, qui malitiam attendit penes rationem rectam. Et a. 6. c. *Bonum, & malum morale conſiſtit in actu in quantum eſt voluntarius.* Ariſtot.

Confirmatur ex vniuerſali principio 1. 2. q. 21. a. 2. c. *Quod actus eſt laudabilis, vel culpabilis, qui imputatur agenti ad laudem, vel culpam: tunc autem imputatur, quando eſt in poteſtate ipſius, hoc eſt quando habet dominium ſui actus, quod eſt in omnibus actibus volũtatis, per quam habet homo hoc dominiũ ſui actus, ac proinde bonum, vel malum in ſolis actibus voluntatis conſtituit rationem laudis, vel culpæ, &c.* Sed in data hypotheſi eſſet hoc dominium voluntatis, ergo & ratio laudis & culpæ, id eſt boni, & mali moralis. Actus laudabilis, & culpabilis.

Præterea 1. 2. q. 71. ar. 6. 4. aſſerit; *Omne peccatum eſſe malum, quia prohibitum, & tale cenſeri ex hoc, quod repugnat iuri naturali; ſic enim eſt inordinatum, quia non commenſuratur ſuæ regulæ proximæ, quæ eſt ratio humana, &c.* Hanc autem ſupponimus remanſurã ſecundum ſuam ſpeciem, in qua nunc eſt, licèt in dato caſu non eſſet participatio regulæ æternæ, quæ eſt Deus, qui ſupponitur, non eſſe, & q. 72. a. 2. ait, quod peccatum ſumit ſpeciem ab obiecto, & conſiſtit in appetitu commutabilis boni, quod inordinatè appetitur, quod contingit, quoties obiectum eſt difforme rationi, vt Suarez mox citandus.

Confirmatur diſtinctione ibidem allata ad quintum, quod peccatũ conſideratur vt eſt offenſa Dei, & tractatur à Theologis; & vt contrariatur rationi, & de eo agunt Philoſophi; & ideo ab Auguſt. vt Theologo l. 2. de lib. arb. c. 16. tom. 1. dafinitur per ordinem ad legem æternam; & non ad rationem: quomodo etiam à S. Dionyſio c. 4. de diuin. nom. dicitur; *Malum hominis eſſe, quod contra rationem eſt.* S. Auguſt. S. Dionyſ.

Deinde ex q. 100. a. 8. eiuſdem 1. 2. vbi docet aliquos actus ita eſſe malos, vt neq; Deus in illis diſpenſare queat, ergo

ergo e rum malitia non pendet ex eo, quod lege diuina ſint prohibiti; ſic enim abrogata lege, non eſſent mali; in quocumque deinceps poſita ſit formalis malitia ipſorum, iuxta varias ſententias. Idem 2.2 q.20.a 3. docet, quod ſi poſſet eſſe cõuerſio ad bonum commutabile ſine auerſione à Deo, adhuc eſſet inordinata.

Suar. XLVI. Conſentit Suar.de act.hum. tract.2. diſp.7.ſect.1.& l.2 de leg. cit. aſſerens aliquos actus voluntatis ex vi ſuorum obiectorum eſſe malos ante omnem voluntatem prohibentem, & independenter ab illa quoad rationem malitiæ; ideoque definitum à D.Thoma q.illa 100. a.8. quoſdam actus ita eſſe malos, vt nulla Dei diſpenſatione fieri poſſint, vt non ſint mali. Et ita Caiet.ibi, ac Sot.2.de iuſt.q.3.a.10.& alij; imò & ipſe Victoria relect. de homicidio, Riccar. Dur.Gabr.Scot.ibi citati. Verba Suarij ſunt n.11. fin.: *Si autem ſub conditionali fingamus, manere in nobis dictamen rectæ rationis iudicans malum, & per impoſſibile non eſſe in Deo, illud ſufficeret ad malitiam; quia illud ſufficit, vt voluntas tendat in turpe obiectum, &c.* Similia habet tract.5. diſp.1. ſect.1. n.8. de ignorante inuincibiliter Deum, & peccante.

Vazq. Ad idem eſt Vazq 1.2.diſp.97.cap.3 aſſerens nõ omne peccatum eſſe peccatum, quia prohibitum eſt; ſed quia ſuaptè natura malum eſt homini, hoc eſt diſconueniens naturæ rationali, vt rationalis eſt, ſeu quia contrariatur iuri naturali, quod idem facit cum natura rationali, vt ſic, à cui tanquam regulæ comparantur operationes humanæ, loquendo de peccatis ex obiecto talibus independenter à voluntate diuina; quæ ſicut eſſentias rerum mutare non poteſt, ita nec facere, vt tales operationes iuri naturali repugnantes non ſint peccata, & mala formaliter, ac moraliter; ac proinde etiam culpa moralis contra concedentes eſſe quidẽ peccatum ex hoc, quod repugnat iuri naturali, non autem culpam, quia hæc ſupponit præceptum poſitiuum Dei vetãtis tale opus; quod tamen non poteſt non vetari. Quæ diſtinctio videtur inanis, quia in actu libero habente malitiam eſt peccatum, ex hoc præciſè, quod adeſt culpa.

Idem c.1. eius diſput.habet diſertè: Non omne peccatum ideo debet cenſeri peccatum, quia ratione noſtra tale iudicatur; ſed neque quia diuina ratio ita dictat; nam quamuis ratio diuina ſit menſura omnis recti; non tamen eſt prima radix, & cauſa prohibitionis, ex qua malitia oriatur; quia ſi conceſſo impoſſibili, intelligeremus Deum non ita iudicare, & manere in nobis vſum rationis, maneret etiam peccatũ, quid clarius in hoc auctore?

Denique principale fundamentum aliud affert, quod regula noſtrarum actionum eſt natura rationalis vt ſic diſp.58.paſſim, & diſp.90,n.6.

Et quamuis Vazq.ibid.c.2. adducat Sanctum Bonauenturam ſupra citatum pro contraria, quaſi referentem malitiam peccati in prohibitionem, vel legis æternæ, vel iudicij, tamen nobiſcũ ſentit loquendo de ijs, quæ intrinſecè ex obiecto mala ſunt, quod idem eſt, ac prohiberi iure naturali; ſunt enim ſynonima repugnare iuri naturali, & prohiberi ab ipſo, ſiue à lege naturæ, & quod tale eſt ſuaptè natura malum eſt homini, ne fiat vis in verbis, & retineatur ſenſus, quod quædam ſunt intrinſecè mala ex ſuo obiecto, quia repugnant iuri naturali, ſeu legi naturæ independenter à voluntate Dei, quæ non mutat rerũ eſſentias; proinde in quacumque ſuppoſitione fore mala manente eodem obiecto. Pro qua ſententia eſt Scotus in 3.diſt.37.q.1.& alij citati à Vazquez ibidem c.3.

Azor.tom.1.inſtit. moralium lib. 4. c.1. q.2. ait, etiamſi ex hypotheſi impoſſibili Deus non eſſet, vel nihil imperaret, aut prohiberet, &c. nihilominus omnis actus contra rationem admiſſus hoc ipſo eſſet peccatũ, quod rectæ rationi eſſet aduerſus. Azor.

Coninch tom.de fide, ſpe, & carit. diſp.32.n.39. vbi docet, quod ſi Deus non prohiberet furtum, adhuc repugnaret iuſtitiæ. Coninch.

Sequitur Salaſ.tom.2.in 1.2.tractat. 13.diſp.2.ſect.4.n.57. vocans intolerabile dictum Herreræ, tunc nec malum morale fore, quia tunc homines in actibus liberis humanis, & moralibus deficerent, & à regula morum, quæ eſt ratio, deuiarent, ergo moraliter pecca- Salaſ.

Digitized by Google

peccarent: Citat ibi pro ſe Victoriã, & Gregorium; ſed gratis, Victoria enim, vt initio præmiſi, eſt pro contraria, & impugnat Gregorium concedentem tunc fore peccatum morale. Itaque Greg. pro nobis eſt in 2. d. 34. 35. a. 2. nam ſi per impoſſibile, inquit, ratio diuina, ſiue Deus ipſe non eſſet, adhuc ſi quis ageret contra rectam rationem angelicam, vel humanam, aut aliam aliquam, ſi qua eſſet, peccaret: & loquitur ibi de peccato formali, licèt non diſtinguat de mortali, vel veniali ſicut & Gabr. in 2. & 35. q. vnic. Almain in moral. tractat. 3. c. 16. dicens, ſufficere ad rationẽ actus mali, quod ſit contra rationem, Alenſis Magiſter S. Bonauenturæ 3. p. q. 27. membro 1. a. 1. ad 3. & alij, vt mirum ſit, quod dicitur ab aliquibus in nullo veterum affirmari remanſurum peccatum, ſi tolleretur Deus. Idẽ Salas ibid. diſp. 16. inuehitur in eos, qui negant fore mortale, ſi per poſſibile, vel impoſſibile daretur ignorantia, vel inaduertentia Dei.

Greg. Arim.

Alenſ.

XLVII. Sed quid quod Victoria ipſe relect. illa 13. cit. n. 10. allata diſtinctione de lege diuina ex S. Thoma 1. 2. q. 19. a. 4. 4. quod lex Diuina dupliciter conſiderari poteſt, vt eſt in ipſo Deo, quo modo nobis occulta eſt, & non obligat; & vt nobis innoteſcit per lumen naturale, vel per reuelationem, & hoc modo nos obligat, ſubdit: *Dico ergo, quod ad hoc vt aliquis obligetur lege diuina, non oportet, vt formaliter ſciat, eſſe aliquam legem, vel Legiſlatorem, à quo lata ſit; ſed ſatis eſt, quod ſciat aliquid eſſe bonum, vel malum, etiamſi ignoraret omnino cauſam, quare ſit bonum, vel malum, vel vtrum ſit prohibitum, vel non,* & hoc aſſerit ſatis eſſe ad peccatum.

Verbũ Vict. pro cõmuni

Accedit auctoritas Scoti. Hic etiam bonitatem, ac prauitatem operationis metitur penes conformitatem, vel difformitatem ad rationem.

Scotus.

Primò, ſent. in prolog. q. de Praxi §. ad quæſt. & in 3. diſt. 39. docet, quòd ſicut in mente noſtra eſt habitus principiorum ſpeculatiuorum, quę apprehenſi terminis apprehenduntur, & eorum cognitio dicitur intellectus; ex quibus vt fundamentis omnis alia ſcientia dependet: Ita in practicis dãtur quædã principia practica, ex quorum apprehenſione ſumuntur principia practica rectitudinis in operatione voluntatis, & ſunt per ſe nota, ac inſeruiunt pro regula concluſionum practicarum: Concluſiones enim ab illis deductæ ſunt veræ, & operationes illis conformes rectæ ſunt, & Concluſiones, quæ non deducuntur ab illis, ſunt falſæ, & operationes illis non conformes ſunt malæ. Ait inſuper habitum iſtarum vocari ſynderesim, quæ dictat, bonum eſſe amplectendum, & murmurat contra malum, itaut operans contra illam peccet, quia operatur contra rectam rationem: Eſſet autem ſynderesis in noſtro caſu, & principia practica per ſe nota, quibus operationes eſſent conformes, vel difformes, atque adeo malæ, vel bonæ moraliter, quia laudabiles, vel vituperabiles.

Idem in primo ſent. d. 17. q. 2. §. ſed oppoſitum huius, docet bonum morale dicere relationem conformitatis actus ad rectam rationem. Idem habet quodl. 18. vbi igitur eſt talis conformitas, ibi eſt & bonitas moralis, & vice verſa vbi eſt difformitas, ibi eſt malum morale.

In 4. diſt. 24. q. 3. duplicem aſſignat regulam directiuam actuum humanorum, vnam naturaliter notam; alteram ex diuina reuelatione: in ordine ad primam peccatum deteſtandum eſt ob ſuam fęditatem; in ordine ad ſecundam, in quantum eſt Dei offenſiuum, auerſiuum, &c. æterni ſupplicij inductiuũ, &c. ſed in data hypotheſi actus diſcordare poſſet à regula directiua, ergo & habere ſuam œditatem deteſtandam, igitur eſſet malum moraliter, quia alioqui non diceretur deteſtandum ob ſuam fœditatem; ſicut neque aliæ actiones phyſicæ, quæ ſi carent malitia, non dicuntur deteſtãdæ.

In eodem 4. diſt. 50. q. 6. Naturalis appetitus voluntatis eſt quædam lex naturalis, cui concordans voluntas eſt recta, ergo non concordans eſt mala per hoc ſimpliciter, quod diſcordat; poſſet autem in dicto caſu diſcordare, ergo & peccare moraliter.

Scotiſtæ in loca citata communiter conſiderant in peccato receſſum à regula æterna, quomodo vocant peccatum

tum propriè vt accipitur à Teologis; & vt recedit à recta ratione, & appellant malum morale: Sic recentiores inter illos hærentes dictis veterum, vt videre licet apud Fabrum Fauentinũ in 4.diſt.14.q.1.n.10. & apud Angelũ

Faber Angel.à M. P.

à Monte Piloſo tom.1.in 2.ſent. Scoti diſp.127.a.3. à nu 7. tractantem quæſtionem hanc in terminis contra Herreram, & Victoriam, ac diſertè concludentem, quod ſi per impoſſibile nõ eſſet Deus, nec aliqua lex diuina prohibens malum, & poſsibilis creatus intellectus rectè dictãs de operabilibus, exiſteret peccatum philoſophycè cõtra rectam rationem;& colligit id manifeſtè è principijs Scoti, quæ in hoc non diſcordant à principijs S.Th.

Auctoritas Patrum.

IN particulari referendus eſt. S.Auguſt.epiſt.80.ad Hilarium docens, præuaricatores eſſe à Dauide damna-

XLVIII S August.

to: *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ*; ac proinde moraliter peccantes non ſolùm qui in legem Moyſi peccant, ſed etiam qui ab illa non accepta immunes contra legem nature peccant; *Quæ eſt, inquit, in ratione hominis, qui iam vtitur arbitrio libertatis, naturaliter in corde conſcripta, qua ſuggeritur, ne mali aliquid faciat quiſque alteri, quod pati ipſe non vult, & hanc qui violant, præuaricatores sũt, & formaliter peccatores vocantur, & vt tales damnantur in ſcriptura.*

Idem habet Chriſoſt.in cap.2.epiſt. ad Rom.

S Chriſoſt.

Dices, ſupponere ibi Auguſtinum, quod habet tract. 106. in Ioan. neminem inuincibiliter ignorare Deum eſſe; etiamſi careat lege ſcripta, & fide; quòd ſi non eſſet hæc notitia, non eſſet præuaricatio ex mente Auguſtini, quia nec eſſet lex vlla, ſiquidem omnis lex alicuius ſuperioris eſt.

Contra, quia ſic variatur caſus impoſsibilis hypotheſis, quod ſi Deus nõ eſſet, & homo eſſet eiuſdem ſpeciei, cuius nũc eſt; tũc enim ratio dictaret, malum eſſe vitandum, & ipſa ſibi eſſet lex, nec ſuperiorem haberet; ſed ipſa eſſet ſuperior potentijs alijs, & legem daret illis, de quo infra.

S. Ambroſ.

S.Ambroſ.de Paradiſo c.8.cit.declarans dictum; Quid eſt enim peccatũ, niſi præuaricatio legis diuinæ? Dei autem præceptum, ſubdit: *Non quaſi in tabulis lapideis atramento legimus inſcriptum; ſed cordibus noſtris tenemus impreſſum, &c.* quatenus videlicet id, quod malum eſt, naturaliter intelligimus eſſe vitandum, & id quod bonum eſt, naturaliter nobis intelligimus eſſe appetendum;& ſic opinio noſtra ſibi legem facit,&c. vt deſinat aduerſarius obiectare in data hypotheſi nullã fore legem; & citat Ambroſius locũ epiſt. ad Rom.c.2.ad hunc ſenſum: Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ ſunt legis, faciunt.

Confirmatur ex eo, quod idem ait; *Non conſiſtente peccato, non ſolùm malitia, ſed etiam virtus fortaſſe non eſſet, quæ niſi aliqua malitia fuiſſent ſemina, vel ſuſtinere, vel eminere non poſſet*; atqui homo ratione præditus in eo caſu faceret actus virtutis, ideſt ſecundùm rectam rationem, & laudabiles: ergo & actus peccaminoſos contra rectam rationem,& vituperabiles, quia liberè operaretur, puta honoraret parentes, & eſſet obediens illis,& poſſet ijs contraria præſtare.

Idem ſenſus eſt S. Hieronymi tum alibi ſæpe, tum epiſt.ad Algaſium q.8. explicantis illud Apoſtoli Roman. 2. S.Hieron.
Gentes, quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt. *Iſta lex, inquit, quæ in corde ſcribitur, omnes continet Nationes, & nullus hominũ eſt, qui hanc legem neſciat; vnde omnis mundus ſub peccato, & vniuerſi homines præuaricatores legis ſunt, &c.* Et mox. *Quis enim ignorat, homicidium, adulterium, furtum, & omnem concupiſcentiam eſſe malum ex eo, quod ſibi ea nolit fieri? Si enim mala eſſe neſciret, nequaquam doleret, ea ſibi eſſe illata:* Idque vt probet præuaricatores eſſe, & formaliter peccatores, qui hanc legem naturalem ſcriptam in cordibus violant; at eadem maneret ex ſuppoſitione impoſsibili, quod homo eſſet idem, qui nunc eſt, ablato Deo.

Neque valet dicere, quod tunc eſſet peccatum phyſicum, non morale, & quod non magis peccaret homo interficiens patrem ſuum, quam Lupus interficiens matrem ſuam, vt loquitur Victoria ſupra; nam apertè impugnatur

tur

Digitized by Google

tur hic iocus ſeriò ab Hieronymo ibidem. *Hanc legem, inquit, neſcit pueritia, ignorat infantia, & peccans abſque mandato non tenetur lege peccati: maledicit patri, & matri, & parentes verberat; & quia nec dum accepit legem ſapientiæ, mortuum eſt in eo peccatum. Cum autem mandatum venerit, hoc eſt tempus intelligentiæ appetentis bona, & vetantis mala, tunc incipit peccatum reuiuiſcere, & ille mori, reuſque eſſe peccati*; & mox. *Per intelligentiam peccatorum, atque virtutum mihi peccatum naſcitur, quod priuſquam intelligerem, peccatum eſſe non noueram, &c.* quis nō videat & pueritiam, & tempus intelligentiæ fore in eo ſtatu impoſsibili hominis ſine Deo, & peccata quidem infantiæ, ac pueritiæ eſſe mala phyſica, ſicut & beſtiarum, adueniente autem intelligentia eſſe peccata formaliter, ac moraliter, vtpote contra mandatum, ſiue legem naturæ in cordibus inſitam, quæ dictat, non eſſe verberandos parentes, non furandum, non mentiendum, &c.

S. Gregor. S. Gregorius Magnus docet naturali ratione, quæ eſt lex mentis compelli hominem ſcire, ſeu prauum, ſiue rectum ſit, quod operatur, quæ ſunt verba eius in c. 37. Iob ad illud, qui in manu omnium hominum ſignat c. 16. & loqui de malo moraliter conſtat: *Si enim, inquit, malè ſe agere ignorant, cur in eiſdem factis alienos oculos declinantur. Ipſi enim teſtes ſunt, quia ſciunt malum eſſe quod agunt, quod videri ab alijs verentur, &c.* Atqui hoc idem pudor eſſet in homine in quolibet ſtatu & ſuppoſitione, quia vbique naturæ lege cognoſcunt, quid prauum, quid rectū ſit, ex eo quod ratione polleret.

Card. Bella. Adſtipulatur; ijs accenſeri dignus Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. c. 20. Itaque, inquit, ſi fingamus Deum non eſſe in rerum natura, qui leges iuſtas violabunt, peccabunt quidem in conſcientia, ſed nec Deum offendent, nec ad inferos damnabuntur, &c.

Car. de Lug. Sequitur inclytus Card. de Lugo. t. de Incarn. diſp. 5. ſect. 5. paſſim, & nu. 77. fatetur diſplicere ſibi eſſerentes in data hypotheſi non fore malum morale.

Eadem eſt doctrina Patrum aliorū tam aperta, vt non ſit neceſſe vltra ſex enumeratos Eccleſiæ Doctores in eis recenſendis diutius hærere; Cum neque veritas ſeipſam prodens poſceret curam auctoritatis congerendæ, niſi à Victoria aliò fuiſſet detorta à trita via, quam antiquitas inſtitit, & poſterioribus Theologis oſtendit. Ex dictis ergo Patrum habemus conuenire illos omnes in ſequentibus.

Primò inſitam eſſe homini cognitionem, ſiue intelligentiam boni, ac mali, quæ poſt infantiam, ac pueritiam lucere incipit. Proinde in quacunque ſuppoſitione illi adeſſe ex eo, quod homo eſt, etiamſi per impoſsibile non eſſet Deus.

Secundò: Hanc intelligentiam appellari legem vetantem malum fieri, & bonum ſuadentem.

Tertiò: Hoc bonum, & malum nō ſolum eſſe peccatum, ſeu vitium phyſicum & materiale; ſicut ſunt monſtra in natura; & errores in arte; ſed morale, ac formale conſtituens hominem præuaricatorem, peccatorem, & vituperabilem.

Quartò: Aliqua eſſe ex natura ſua ita ex obiecto, & intrinſece mala, vt nulla diſpenſatione poſſint deſinere eſſe mala, & hæc poſse dici mala, quia prohibita lege videlicet naturali. Nā

Quintò: Regula immediata, ſeu proxima, à qua deordinantia, ſeu difformia dicuntur mala, eſt ratio, quæ eſt vis animæ diſcernens inter bonum & malum, vt S. Bonauent. in opuſc. qui inſcribitur declaratio terminorum Theologiæ tom. 6. opuſc. S. Bonau.

Secundo. Probatur Aſſertio Ratione.

XLIX. EX quibus ſic formatur argumentum, quo ſecundo probatur Aſſertio. Quædam obiecta ita ſunt euidenter mala, vt ab homine ratione vtente non poſſint non cognoſci vt mala, & vitanda; ergo & inordinate agere, ſi tendat in illa, & moraliter peccabit, quia actu voluntario, ac libero facit, quod fieri dictamen rectæ rationis prohibet, v. g. ſi mentiatur, furetur, patrem occidat, malum aliquod facit non phyſicum duntaxat, quod faceret lupus mactans, ac deuorans ouem ex ouili alieno, aut matrem ſuā

interficiens; ſed morale, quale dicitur, quod à ratione deliberante manat, & actus humanus inordinatus, qualis poteſt eſſe ſine auerſione à Deo per ſolã conuerſionem ad creaturam, quę pręcisè inuoluit inordinationem, vt ſupra ex S. Thoma notatum eſt: Et nouit etiam Ariſtoteles tum alibi, tum 2. Eth. c.6. vbi docet furta, adulterium, homicidium. &c. eſſe praua ex ſua natura, & actus, ac habitus circa illa eſſe prauos.

Dices, in eo caſu fore malitiam moralem incompletam, non completam: illam vero ſufficere ad hoc, vt prohibeantur, ſicut in Republica expedit prohiberi actiones etiam non malas ob commune bonum; quæ reſponſio adhibita eſt ad molliendam propoſitionem Victoriæ nimis duram. Sed contra, quia loquendo de malitia morali intrinſeca ea attenditur pęnes obiectum, & diſconuenientiam cum ratione, ſeu ob indecentiam obiecti, præſcindendo à qualibet extrinſeca prohibitione, quæ poſterior eſt, ac ſupponit malitiam ita immutabilem, vt implicet mutari; quid igitur illi deeſt, vt compleatur? v. g. mendaciũ ex ſua natura eſt malum moraliter, ſed incompletè per te; aſſigna, per quid compleatur malitia moralis, fortè dices per prohibitionem Dei: Ad hæc eſt quid extrinſecum malitiæ, & ſupponit illam in ſuo genere completam. Deinde complementum malitiæ ſi cõpleatur, vel fit ab aliquo adueniente eſſentiali, & hoc non, quia mendaciũ, ex. gr. hoc præcisè malum eſt moraliter, quod tendit in obiectum rationi rectæ repugnans, & tota eſſentia eius in hoc ſeruatur, nec vlterius dici poteſt eſſentialiter compleri, quia eſſentiæ ſunt ſicut numeri, qui non complentur, niſi per mutationem ſpecificam ex additione, vel detractione prouenientem. Vel completur per aliquid accidentale, & neque hoc dici poteſt, quia accidentia non complent eſſentiam, neque eius definitionem ingrediuntur, ac proinde ſine illis cõpleta intelligitur, qualis per definitionem explicatur. Non igitur dici poteſt malitia moralis incompleta, quia hæc vox denotat aptitudinem ad hoc vt compleatur, quod repugnat eſſentiæ, ſi ſemel intrinſecè conſtituta intelligatur, vt intelligitur malitia moralis in aliquibus præcisè ex obiecto diſconueniente rationi, vt ſupra. Neq; enim dici poſset compleri per partem integralem, quæ fictitia hic eſset in actu malo, aut per auerſionem à Deo, qui ſi per impoſſibile non eſset, adhuc maneret inordinatio per conuerſionẽ ad creaturam.

Euaſio de malitia completa, & incompleta reijcitur.

Dices, compleri per prædicatum eſsentiale; ſed de hoc paulo poſt, interim peto, an in dato caſu homo eſset formaliter, & completè homo; ſi neges, iam eſt contra ſuppoſitionem impoſſibilem, ſi remaneret homo, vt de facto eſt; ſi affirmes, ergo defectus prędicati eſsentialis, ideſt dependentiæ à Deo non obſtat complemento. Deinde in illa hypotheſi deeſset prædicatũ eſsentiale homini, ideſt dependentia à Deo; & tamen ſupponitur, quod eſſet completè homo, ergo etiam actus difformis rationi eſset malus ſine illo reſpectu ad Deum. Si dicas eſse incõpletè peccatum, hoc eſt fundamentaliter, quia eſt tale, vt ſi daretur Deus, fieret formaliter peccatum, & auerſio ab illo. Contra videtur, quia eodem modo lupi interficientis matrem ſuã eſset peccatum fundamentaliter, & fieret formaliter peccatum, ſi per impoſſibile capax fieret præcepti, & hoc illi prohiberetur à ſuperiore; non eſset autẽ minùs impoſſibile poni Deum in noſtro caſu, quã lupum fieri capacem præcepti in caſu Victoriæ. Et conſequenter ſicut non poteſt dici, quod actus beluæ ſit fundamentaliter malus, quia talis fieret, ſi capax redderetur præcepti belua intrinſecè incapax, ita nec quod actus hominis eſset fundamentaliter peccatum, quia implicaret eſse peccatum, & eſset intrinſecè incapax prædicati huius, quod eſt eſse offenſam Dei.

Tertiò. Probatur concluſio, quia vbi completa eſt inordinatio à ratione, ibi complementum eſt peccatum eſsentialiter, ſed in noſtro caſu paricidium, mendacium, furtum ſimpliciter eſsent inordinata, & contra Ius naturale, & nihil deeſset inordinationi, ergo eſsent completè peccata moraliter, vel aſſignetur quid deeſſet, ad hoc vt dicerentur inordinata, illi-

Digitized by Google

illicita, contra bonos mores, &c. Non enim ſufficit dicere, quod deeſſet lex, ratione cuius prohibentis dicuntur mala moraliter completè, quia præciſa lege extrinſeca ſuperioris, per ſe notum eſt lumine naturali habere malitiam deteſtandam.

Confirmatur ad hominē concedentem hæc eſſe mala phyſicè, & naturæ diſconuenientia, ergo ſunt mala moraliter; nam quod diſconuenit naturæ rationali, vt rationalis eſt, ſeu iuri naturali, non ſolùm eſt malum phyſicū, ſed indecens moraliter, vt pote à volūtate liberè operante, alioqui tolleretur omnis moralitas in eo ſtatu tam in bonis, quam in malis, & perinde ſe haberent actiones humanæ, ac beſtiales, etiamſi cum deliberatione fierent.

Confirmatur ſecundò. Quia tunc darentur actiones laudabiles, & moraliter bonæ, quales eſſent honorare parentes, educare liberos ſecundùm virtutem, ſubuenire egenti, & vniuerſim facere alteri, quæ tibi velles fieri; ergo ijs contraria patrare vitium eſſet reprehenſibile, & peccatum mortale abſque alio complemento, quia iure naturæ talia prohibentur, & violatur, ſi patrentur, & fit tranſgreſſio regulæ directiuæ motuum.

L. Quartò. Principaliter de facto talia diſplicent Deo, non quia prohibet, ſed quia in ſeipſis ſunt obiecta diſplicentia, & ideo prohibentur; ergo ex prohibitione non prouenit malitia moralis, ſed illi ſupponitur; & quidem in ſua eſſentia completa, adeout peccans contra diuinum præceptum, poſſit quidem addere malitiam inobediētiæ Deo; ſed non actioni malæ ex ſua natura, & obiecto, quia hæc vt eſt independens ab extrinſeco, ita ab extrinſeco non poteſt compleri, neque mutari in ratione malitiæ moralis, & diſconuenientis rationi.

Dices, ſi Deus non exiſteret, deeſſent obiectis prædicata actuum malorum & bonorum, quia non haberent conformitatem, ac difformitatem cum ſummo bono; alioqui ſi valeret argumentum, probaret etiam tum fore actum caritatis meritoriū vitæ æternę.

Reſpondeo, dupliciter poſſe conſiderari conformitatem, ac difformitatē hanc, nimirum aptitudinaliter, & actualiter, primo modo omnis actus ex obiecto malus eſt difformis ſummo bono, ſi hoc daretur. Secundo modo non eſt difformis, non defectu alicuius intrinſeci, ſed extrinſeci; ſed ex primo capite in noſtro caſu non diceretur malus; implicaret enim omnis inordinatio à Deo, & ordinatio actus ad illum, & ſic non eſſet peccatum theologicum, nihilominus eſſet philoſophicum.

Multò minùs obſtat exemplum de caritate, quia hæc intrinſecè, & eſſentialiter habet pro obiecto Deum vt ſummè dilectum, & poſtulat eius auxilium ſupernaturale, vt ponatur actu; & ideo ablato Deo, aufertur eius eſſētia, & omne meritum etiam aptitudinaliter; non ſic de actu malo res procedit, qui non exiſtente Deo, adhuc haberet malitiam, quia repugnaret iuri naturali tanquam regulæ immediatæ humanorum actuum immutabili, cuius tranſgreſſio inordinationem habet, ac malitiam, etiamſi nō eſſet auerſio à Deo, qui de facto eſt prima, & mediata regula; ſed tunc non eſſet, manente tamen conuerſione ad bonū commutabile, & inordinatione, in qua eſſet malitia, vt D. Thom. loco cit. & S. Bonau. in 2. diſt. 43. a. 3.

Quintò. Quælibet natura libera, quæ non eſt prima regula rectitudinis, & eſſentialiter primum, ac ſummum ens, ac bonum, defectibilis eſt in ſuis actibus, & defectus eius à libertate manantes differunt à defectibus aliarum naturarum, quod ſunt reprehenſione digni, ſicut vice verſa actus illis contrarij ſunt laude digni, præciſè ex hoc, quòd verſantur circa obiecta laudabilia, vel turpia, & rationi rectè iudicanti contraria; ergo ſunt moraliter bona, vel mala. Prima pars antecedentis patet ex defectibus Angelorum, & hominum, & eſt certa. Secunda pars probatur, quia virtus moralis propria naturæ rationalis licèt imperfecta ſine caritate, laudabilis eſt; quis enim non laudet Patriam, aut parentes, aut amicos defendentem, aut non vituperet offendentem? non vituperaret autem Leonem, aut Tygrim dilacerantem ſuos parentes, aut catulos, quia dilaceratio iſta non eſt malum morale, ſed phyſicum.

Confirmatur primo, quia per conuerſionem ad creaturam attenditur ſpecificatio, & diſtinctio mali, non per auerſionem à Creatore, vt S. Bonau. in 2. diſt. 41. a. 1. q. 2. in fin. ergo per eamdem completur in ſua ſpecie.

Et S. Thom. 1. 2. quæſt. 73. art. 3. 2 habet, quòd ſecundùm diuerſitatem eorum, quæ pertinent ad conuerſionem ſequitur diuerſa grauitas malitiæ in peccato.

Confirmatur ſecundo, quia vt docet Suar. t. 3. de Grat. l. 3. c. 23. n. 21. Si per impoſſibile peccatum non eſſet auerſio à Deo, nec illi iniurioſum, nõ faceret illum dignum odio, ſed ſolùm vindicta, igitur malitiæ moralis conceptus ſtat ſine conceptu auerſionis.

Denique concedens illud fore malum moraliter incompletè, quod repugnat rationi, & lumini naturali, concedat etiam oportet, eſſe formaliter malum, quia formaliter repugnat: igitur daretur aliqua malitia formalis licèt incompleta, quæ compleretur quidem, ſi per impoſſibile fieret auerſio à Deo ex eo quod poneretur; ſed tamen haberet ſuam malitiam formalem per deordinationem à ratione.

Sexto Probatur ad hominem. Actus, qui nunc eſt, quando quis peccat, habet malitiam conſiſtentem in aliquo prædicato prioritate rationis ad omnem relationem dependentiæ à notitia diſplicentiæ diuinæ; ſicut prius ratione, eſt hominem eſſe animal rationale, quàm dependere à voluntate diuina, vt tute aſſeris; ergo conceptũ malitiæ moralis per te incomplete nõ ingreditur Deus, vel eius auerſio, aut prohibitio, vel diſplicentia; Patet ſequela; quia quod prius eſt, non pẽdet in ſuo conceptu à poſteriori; Si igitur malitia moralis cõſiſtit in prædicato priore illa notitia diſplicentiæ, aſſignanda eſt ratio malitiæ illius, & in illo priore non inuenietur alia, quã difformitas à ratione, ſeu repugnantia ad Ius naturale, quæ eſſet in illa hypotheſi.

Dices, prædicatum diſplicentiæ diuinæ cognitæ eſſe tale, vt eius exiſtentia eſſentialiter pendeat à tali notitia, quemadmodum eſſentia hominis, ſeu animal rationale prius eſt voluntate diuina, non tamen exiſtere poteſt independenter ab illa. Quo poſito, dũ quis ignorat diſplicentiam Dei de homicidio, exemp. grat. quod patrare vult, non eſt hæc voluntas eadem cum illa, quæ eſt peccatum; ſed entitatiuè diuerſa. Si ergo non eſſet Deus, & Petrus vellet occidere Patrem ſuũ, voluntas illa non eſſet actus moralis, quia non penderet à cognitione comparante malitiam, & bonitatem obiecti cum prima regula boni.

Reſpondeo primo per inſtantiam. Eſſentia hominis eſt independens à voluntate diuina, quia prior eſt illa, & ideo ſine relatione ad voluntatem Dei concipitur completa in ratione eſſentiæ; ergo ſi malitia conſiſtit in aliquo prædicato priore relatione dependentiæ notitiæ prædictæ ſaluatur eius conceptus ſine hac notitia; in illo igitur priori malitia attenditur penes aliud, quàm penes Deum, etiamſi in exiſtentia penderet à relatione illa: & quemadmodum prædicatum dependentiæ à voluntate diuina in exiſtentia hominis, non obſtat quo minus ſaluetur conceptus eſſentiæ ſine voluntate diuina, quæ eſt illi extrinſeca; ita neque in malitia, cuius eſſentia ſi prior eſt voluntate diuina, aliunde ſumitur, quàm à reſpectu ad diuinam voluntatem, licèt ſine illo nequeat exiſtere.

Secundo. Directè nego etiam actualem malitiam moralem pendere à notitia prædicati illius; ſufficit enim repugnantia ad rationem, ſeu ius naturale, vt actus dicatur malus. An autem idem remaneret poſita notitia Dei, qui erat ante illam, diſſenſio eſt inter Philoſophos, ac Theologos ipſos, affirmantibus alijs, negantibus alijs, quibus aduertentia ad circumſtantiam aliquam videtur eſſe cauſa mutandi phyſicè voluntatem priorẽ aduertentia, v. g. voluntas comedendi carnes, antequam ſciatur eſſe diem Veneris, mutari adueniente cognitione; quicquid enim de hoc ſit, ad præſentem quæſtionem ſatis eſt, quod aduertatur malitia obiecti rationi diſconuenientis, vt actus ſit malus ſine comparatione cum prima regula, quæ tunc non eſſet, ſiue deinde maneret eadem volitionis entitas phyſica, ſiue mutaretur.

Se-

Digitized by Google

Secunda Aſſertio.

LI. SI per impoſſibile non eſſet Deus, maneret quidem grauitas, & leuitas malitiæ moralis in actibus humanis; ſed non theologica, vt de facto accipiuntur hæc vocabula mortalis, & venialis ad eam explicandam.

Prima pars probatur conſequenter ad dicta, nam tunc occiſio patris, furtum, adulterium eſſent maiora mala moraliter, quàm mendacium iocoſũ, aut verbum otioſum exempli gratia, quod videtur per ſe notum.

Confirmatur; quia communiter Philoſophi, ac Theologi omnes contra Iouin. & contra Stoicos paritatem in peccatis agnoſcentes diſputant, & exceſſum vnius ſupra aliud defendũt, & de peccatis loquuntur in genere moris, ſecundùm naturas ipſorum, etiam præciſa conſideratione eorum, quæ ex principijs fidei tribuuntur illis. Et quanquam variant in aſſignanda ratione inæqualitatis; non tamen in concluſione ipſa, vt docet cum alijs Vazq. 1. 2. diſp. 99. c. 2. n. 7. doctus ipſe à S. Thoma 1. 2. q. 73. a. 2. aſſignante rationem diſparitatis à maiori, vel minori commenſuratione ad rationem, qua plus vel minùs priuat actus malus ab eius rectitudine recedens: quod ſtoici negabant, vt colligitur ex Tullio in paradoxis, conſiderantes peccatum ex parte priuationis tantùm, prout eſt receſſus à ratione, qui ſecundùm ipſos non recipit maius, & minus, ſicut qui lineam trãſgreditur vt terminum, æque tranſgredi dicitur qui multum, & qui parum tranſgreditur, quod probaſſe videtur Tull. paradoxo tertio, & in Orat. pro Murena, vbi exceſſum vnius peccati, ſupra alium ponit in multitudine, non in grauitate ac intenſione, vt Vazq. notat ibid. c. 1. & confutat; & priùs S. Thom. l. 3. cont. gent. c. 139. confutauerat Stoicos, & Ciceronem.

Vazq.

Fauere videtur ſtoicis Tullius.

Confirmatur ex doctrina ſupra tradita, quod ſpecies peccatorum attendantur penes obiecta, ad quæ inordinatè cõuertitur mens humana, quorum diſſormitas ad rationem diuerſa eſt, & proinde etiam diuerſa malitia, vt S. Thom. Suar. Vazq. locis ſupra citatis.

Secunda pars explicatur & probatur. Peccatum mortale theologice conſideratum præter diſſormitatem à ratione, & conuerſionem ad creaturam inuoluit contemptum Dei, eò quòd mandatum eius tranſgreditur, & ponit vltimum finem in creatura, ac proinde meretur pœnam æternã, qui eſt diſcurſus S. Bonau. in 2. diſt. 42. a. 2. q. 1. in reſolutione, & quia per hoc amittitur gratia, quæ eſt vita animę, & incurritur reatus æternæ pœnæ, quæ mors ſecunda dicitur, mortuum appellatur, cui ſolum tanquam morti primæ debetur mors ſecunda, vt idem S. Bonau. in 2. cit. a. 2. q. 2. & vtraque mors ſeparat à vita, quæ eſt Deus per ſuam gratiam. Anima quæ peccauerit, ipſa morietur Ezech. 18.

Quòd ſi obijcias, experientia conſtare, peccatorem, qui conuertitur ad creaturam, aliquando nihil cogitare de Deo, vel quia inuincibiliter ignorat, in ſententia admittente hãc ignorantiam inuincibilem; vel quia in negante ob malum habitum in peccato, nihil de Deo cogitat, dum peccat, nec aduertit ſe malè facere, quia ſolùm apprehendit delectationem obiecti, imò in quibuſdam putat honeſtum eſſe, & honoratum peccare, vt contingit in vindictæ vehementi appetitu, quomodo Ariſt lib. 2. mag. moral. c. 7. poſt med. diſtinguit intemperantem ab incontinente, quia intẽperans eiuſmodi, eſt inquit, vt quæ agit, eadem & optima, & commodiſſima ſibi eſſe arbitretur, nec vllam habet rationem; quæ eius videatur aduerſari voluptatibus: At incontinens habet rationem, quæ aduerſatur ei, quatenus cupiditate agitur &c. igitur intemperans non contemnit Deum, imò nec incontinens, qui directè poteſt habere voluntatem non contemnendi, neque ponendi finem vltimum in creatura, quam ſcit non poſſe eſſe talem, præſertim ſi vt ſæpe contingit, peccet ſpe veniæ à Deo conſequẽdæ; & inutili proteſtatione dicat ſe nolle offenſam Dei.

Reſpondeo ex S. Bonau. diſt. illa 42. a. 2. q. 1. cit. peccatorem ex hoc quod facit contra diuinum mandatũ, à Deo auerti, & quaſi tergum vertere, quod

quod non poteſt eſſe ſine contemptu; ad hoc autem ſufficit implicita, & interpretatiua voluntas, vt docet Suar. de Act. hum. tract. 5. diſp. 2. ſect. 1. n. 5. & hanc habent tam ignorans inuincibiliter Deum, quàm de illo non cogitans, qui liberè tendit in obiectū malum, & rationi difforme, ſi ignorantia inuincibili non excuſetur, quicquid in contrarium dicant recentiores aliqui in contrarium quę ignorātia nō datur in prīcipijs naturaliter notis.

Veniale autem Theologicè malum eſt, habito aliquo reſpectu ad Deum, & ad ſupernaturalia reuelata, qui variè à Theologis explicatur; alij namque diſtinguunt à mortali, quòd hoc ſit contra præcepta Dei; veniale verò contra conſilia. Alij quòd mortale tollat caritatem; veniale verò ſolùm minuat feruorem Caritatis, & de cætero ſtet cū caritas licet non eodē modo explicetur à Theol. hęc imminutio. Alij quòd illud ſit contra finem vltimum, hoc verò contra media. Alij aliter apud recentiores, præſertim Salas tom. 2. in 1. 2. tract. 13. d. 16. per multas ſectiones. Mihi placet doctrina S. Bonau. loc. cit. paſſim tota diſt. 42. per hoc diſtinguentis, quòd veniale non auertit à Deo, & proinde Deum non contemnit, nec ponit finem vltimum in creatura, neque illam Deo præfert, ſicuti mortale; & ideo veniale dicitur, quia veniam meretur, ſiue ex ſurreptione, & naturæ fragilitate veniat; ſiue ex deliberatione circa materiam leuem, ad quam peccator ſe conuertens non auertitur à Deo, neque deordinatur à fine vltimo; ſed ſolùm retardatur, quia feruor caritatis minuitur; ideoque non meretur æternam pœnam; ſed temporalem. Similia habet S. Thomas 1. 2. q. 88. a. 2.

Quid ſit veniale ex S. Bonau.

Dices, peccatum veniale eſt offenſa Dei, & contra voluntatem eius, ergo auertit à Deo, & eo peccans præfert creaturam voluntati Dei illud prohibentis.

Deinde mortale, & veniale ſunt eiuſdem ſpeciei v. g. furtum leue, & graue, quæ habent idem obiectum, & ſolùm differunt in quantitate materię, ergo cum priuent eadem rectitudine, & honeſtate iuſtitiæ, etiam conueniunt in contemptu, & auerſione à Deo, ſicut, & in conuerſione ad creaturam.

Ad primum S. Bonau. loc. cit. art. 2. fin. negat, veniale poſſe dici offenſam Dei, & incautè locutum aſſerunt Vega, & alij quidam apud Sal. loc. cit. ſect. 11. Sed immeritò S. Doctorem carpunt; nam offenſa duplex eſt ſimpliciter, & inuoluit contemptum Dei, & gratiæ priuationem; & ſecundùm quid, quia non contemnit Deū, nec priuat gratia, & amicitia. In primo ſenſu negat S. Bonau. veniale eſſe offenſam, & iniuriam, non in ſecundo, quia diſplicet Deo, & punitur ab ipſo; non tamen eo ſe ſimpliciter offenſum putat, neque pro inimico peccantem venialiter habet; quia cum hoc peccato manet gratia formaliter reddens amicum Deo, & ſolùm retardat actum dilectionis Dei. Vide Suar. de Act. hum. tract. 5. diſp. 2. ſect. 5. n. 15.

Ad alteram partem dato antecedēte, negatur ſequela; nam in eadem ſpecie ita variari poteſt obiectum, vel circumſtantia, vt inducat contemptū Dei, & auerſionem ab illo; ſic furtum vnius oboli ex. gr. veniale eſt, decem aureorum mortale; quia in primo eſt leuis iniuria proximi, & iniuſtitia, in ſecundo grauis & mortalis: Item motus, defectu plenæ deliberationis poteſt eſſe venialis, qui cum plena ſit mortalis. *Sic in veniali peccato, ait S. Bonau. in 2. d. 42. a. 2. q. 1. ad arg. licèt non ſit deſertio Dei, eſt tamen defectio alicuius bonæ circumſtantiæ circa actum, ex cuius defectu incidit in veniale peccatum: & in hoc communicant tam veniale, quàm mortale peccatum; quia vtrumque priuat aliquod bonum; ſed in hoc differunt, quòd mortale priuat aliquem actum, vel circumſtantiam neceſſariam ad ſalutem: Veniale verò non ſic.* Et conſequenter ad hanc doctrinam malitia philoſophicè grauis non ſtat cum bonitate ſimpliciter, & cum filiatione adoptiua Dei, quia priuat aliqua circumſtantia neceſſaria ad ſalutem; quæ priuatio non cohæret filiationi adoptiuæ, quæ ſufficit ad ſalutem.

Ex quibus probata manet ſecunda pars Aſſertionis, quia in dato caſu impoſ-

poſſibili nullum peccatũ eſset formaliter auerſio Dei, vel retardatio actus caritatis, ergo neque mortale, neque veniale eſset in dicto ſenſu. Antecedens patet, quia neque auerſio, neque contemptus eſt eius, quod non eſt. Conſequentia probatur, quia peccatũ Theologicè conſideratum ſi eſt contemptus Dei, & offenſa eius grauis, mortale eſt, & mors animæ, cuius vita eſt gratia, & meretur pœnam æternam: quæ omnia ſublato Deo tolluntur, & ſolum remanet peccatum, vt dicit deformitatem à ratione maiorẽ, aut minorem, iuxta rationem obiecti magis, aut minus difformis; at non conuenirent illi hæc epitheta mortalis, & venialis, quibus à Theologis affectum eſt, & diuiſum; quamuis enim venialia cuncta dici poſſent, quatenus immunia eſsent ab æterna pœna, & non priuarent gratia animam, quia ſublato Deo, neque Infernus eſset, neque gratia; vnde ceſsantibus conditionibus iſtis tolleretur diuiſio inuoluens reſpectum ad ſupernaturalia, ac proinde diuerſa; tunc eſset ſignificatio mortalis, & venialis à Theologis de facto impoſita, & ſolum ſignificaretur diſtinctio grauis, & leuis per maiorem oppoſitionem, aut minorem ad rationem.

Et iuxta hanc expoſitionem conciliari poſſunt, vel explicari Auctores negantes in ſuppoſitione illa vllum fore peccatum mortale, ſed omnia venialia, & aſserentes contrarium; nullus enim negare poteſt etiam tum maius malum fore parricidium, quàm leue mendacium, ac proinde magis peccare occiſorem patris, quàm leuiter mentientem, ſicut nec vllus affirmare, quod eſset tunc auerſio, iniuria, offenſa, contemptus Dei, & pœna æterna; igitur neque quod eſset mortale, vt à Theologis vſurpatur hæc vox

LIII. S.Thom. Ita S. Thomas 2. 2 q. 20. ar. 3. c. ſi poſſet eſſe conuerſio ad bonum commutabile ſine auerſione à Deo, quamuis eſſet inordinata, non eſſet peccatũ mortale; apertè enim loquitur de peccato mortali theologicè, vt dicit auerſionem à Deo, iuxta quam attendi affirmat grauitatem peccati, ſcilicèt theologici: nã etiamſi non eſſet Deus daretur maior, & minor inordinatio à ratione, & adhuc maneret grauitas peccati, quatenus attenditur ex obiecto, penes quod illam etiam metiendam docet S.Thomas locis citatis, & 2.2.q.148. a.3. cap. & alibi, neque per obiectum intelligit ſolum Deum, ſed etiam cetera, circa quæ inordinatè ſe habet voluntas libera.

Doctrinam S Thom. approbat Suarez l 7. de gratia c. 23. à n. 20. vbi de habituali peccato loquitur, ſed etiam actuale aſſerit fore inordinatum & malum, licèt non mortale, quia non auerteret à Deo; & l. 1. c. 13. n. 8. dixerat, neque fore mortale in ſtatu puræ naturæ, ſi non fuiſſet præceptum dilectionis Dei ſuper omnia. Suar.

Card. Bellarm. l. 4. de Rom Pontif. c. 20. cit. in caſu poſito peccatorum dicit in conſcientia leges iuſtas violãtem, ſed citra Dei offenſam, & reatum æternæ pœnæ; proinde peccatum illud non haberet denominationem mortalis, aut venialis in ſenſu Theologico.

P. Leonardus Leſſ. lib. de perfect. diuin. 13. de Iuſtitia Dei n. 183. diſtinguit Leſſius duplicem malitiam in peccato, vnam in ordine ad Deum, alteram in ordine ad naturam rationalem; reſpectu primæ eſſe mortale, quatenus inuoluit contemptum, & auerſionem à Deo, iuxta dicta ſuperiùs; reſpectu ſecundæ non eſſe mortale, ſed actum prauum in genere; ideo in noſtro caſu nullum fore peccatum mortale, quia omnia carerent illa malitia, quæ ſpectatur in ordine ad Deum, quæ non eſſet ſublato Deo, intellige mortale theologicè; nam purè moraliter conſiderata peccata adhuc eſſent imparia, grauiora, & leuiora iuxta maiorem, & minorem oppoſitionem ad rationem, vt ſupra dictum eſt.

Eodem ſenſu loquitur P. Henriquez l. 7. de Pœnitentiæ Sacram. c. 1. in margine litt. R. aſſerens peccata in proximum non haberent rationem culpæ mortalis, niſi eſſent contra legem Dei, alioqui etiam præciſa hac lege, & ſublato Deo, quis dubitet maius eſſe malum hominem necare, quàm obolum ipſi furari? non eſſet tamen mortale, quale nũc eſt, vt patet ex dictis, quod cum concedat Card. de Lugo loc. cit. Henriq.

n. 77.

Digitized by Google

n.77. contra Zumel, & Curiel negantes in eo caſu fore peccatum, aut malum morale, non diſcrepat à noſtra ſententia, niſi voce tenus, quia putat fore tantum veniale; atqui accipiendo veniale, vt accipitur de facto apud Theologos, quemadmodum tunc non eſſet mortale propriè, quia nec auerſionem, neque contemptum Dei inuolueret, nec vllam haberet infinitatem reſpectu pœnæ æternæ debitæ ob offenſam perſonæ infinitæ; ita nec propriè diceretur veniale, quale nunc eſt, quia nec eſſet contra media, vel conſilia, nec retardaret actum caritatis, nec diligeret creaturam infra Deũ, nec mereretur pœnam temporalem; ſed ſolùm diceretur veniale, quia immune eſſet ab omni pœna, ſicut nunc veniale dicitur ad differentiam mortalis, quia venia dignum eſt, & æternæ pœnæ per ſe non obnoxium.

Ex quibus patet ſolutio ad argumenta ducta ex auctoritate D. Thom. & aliorum requirentium ad rationem peccati aliquam Dei notitiam, ſaltem confuſam; loquuntur enim de peccato iuxta præſentem ſtatum theologicè conſideratum.

SOLVVNTVR

Argumenta contraria.

CAP. XII.

I. *Reſpondetur auctoritatibus Scripturæ, Patrum, &c.*

II. *Ceſſante lege Superioris non ceſſat lex naturalis, & quod ſit contra hanc malum eſt.*

III. *Quod ſit iuxta dictamen rectæ rationis honeſtum eſt, quod contra eſt inhoneſtum.*

IV. *Sine obligatione ad alterum ſtaret in præſenti caſu obligatio rectè operandi.*

V. *Honeſtas, ac malitia moralis attenditur penes regulam rationis.*

VI. *Et tunc datur, quando actio eſt conformis, vel difformis naturæ rationali, ſiue iuri rationis.*

PRIMVM eſt ex Rom. 4. vbi non eſt lex, nec prævaricatio, &c. vſque ad legem enim peccatum erat in mundo, ſed non imputabatur, cum lex non eſſet. LIV.

Confirmatur ex S. Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 11. c. 17. *Non itaque, inquit, eſſet vitium recedere à Deo, niſi natura, cuius id vitium eſt, potius competeret eſſe cum Deo*; ſed in noſtro caſu non competeret naturæ eſſe cum Deo, quia nullus ſupponeretur Deus, ergo neq; eſſet vllum naturæ vitium. Et lib. 12. c. 1. Naturæ vitium eſſe non adhęrere Deo, igitur eo ablato non eſſet vitium naturæ. Et l. 2. de pecc. mer. & remiſſ. c. 16. Neque peccatum erit, ſi quod erit, ſi non diuinitus iubeatur, vt non ſit.

Confirmatur, quia non eſt improbabilis ſententia Scoti in 3. diſt. 37. q. 1. Gabr. ibid. a. 2. & aliorum aſſerentium Deum diſpenſare poſſe in præceptis ſecundæ tabulæ: Aliqui etiam ſupra relati putant, quod abſolutè in omnibus, quia cenſent in tantum eſſe mala in quantum prohibita, & abrogari omnia poſſe, quo caſu non eſſent peccata, ergo multo minus eſſent peccata in caſu noſtro.

Reſpondeo. Nihil prorſus ea auctoritate iuuari contrariam ſententiã: ſenſus enim Apoſtoli eſt, non potuiſſe Abrahamo promiſſam ſalutem obtingere per legem Moyſis, quia lex non iuſtificat, ſed potius eſt occaſio prævaricationis, & iræ: potius enim concupiſcentiam accendit, quia nitimur in vetitum, niſi fide in Chriſtũ, & gratia adiuuetur, vt Cornelius ibi: Deinde ante legem à Moyſe latam multa peccata non imputabantur, quia erant ignota, lege autem lata innotuere, & imputari cœperunt, vt Vazq. 1. 2. diſp. 97. n. 12. accuratè inueſtigans ſenſum textus huius; quod cum verum ſit de præceptis naturalibus, quorum erat ignoratio ex parte; multò magis de moralibus, & cœremonialibus, & iudicialibus, quorum ſicut ante legem nulla erat obligatio, ita nec tranſgreſſio ante legem. Sed hinc non probatur intentum, ſcilicèt quod ante legẽ non obligaret ius naturale ad ſeruanda, quę recta ratio lumine naturali ducta dictabat

Cornel. Vazquez.

ctabat ſeruari debere, vel faciendo, quæ decent, vel omittendo quæ dedecent; & hoc dictamen fuiſſet in homine, quamdiu remanſiſset homo etiã in caſu impoſſibili non exiſtẽtiæ Dei.

Ad confirmationem reſpondeo cũ S. Bonauentura in 1. diſt. 47. a. vn. q. 4. præcepta primæ Tabulæ eſſe indiſpenſabilia, vt idola colere, nomen Dei in vanũ aſſumere, &c. quicquid Ochã. in 2. diſt. 19. Gerſon. Almain. & alij apud Vazq. 1. 2. diſp. 179. c. 1. aſſerant, quos cõfutat acriter, præſertim in eo, quod non verentur concedere eorum aliqui Deum diſpenſare poſſe, vt ſine peccato quis agat contra conſcientiã. In præceptis verò ſecundæ tabulæ cõcedit S. Bonauentura eſſe locum diſpẽſationi, dummodo non repugnent iuri naturali, & ſint intrinſecè malum aliquod illis contrarium; in ijs enim diſpenſari non poteſt, ſiue pro Epicheia accipiatur diſpenſatio, ſiue pro interpretatione, ſiue pro remiſſione obligationis, vt idem Vazq. 1. 2. diſp. 97. c. 3. quod intelligitur manente eadem materia, & circumſtantijs; quia ſi mutentur, ceſſare poteſt ius naturale, v. g. furtum, quod eſt ablatio rei alienæ inuito Domino, poteſt deſinere eſſe furtum voluntate ſupremi Domini, cuius ſunt omnia, ſi rem illam concedat alteri, vt S. Thom. 1. 2. q. 109. a. 8 afferens exempla filiorum Iſrael ſpolia Aegyptiorum auferentium iubente Deo: Abraham parati filium occidere mandato eius, qui eſt vitæ Dominus, Oſeæ accedentis ad fornicariam, & concludens, quod præcepta Decalogi quantum ad rationem iuſtitiæ, quam continent, immutabilia ſunt; ſed quantum ad aliquam determinationem per applicationem ad ſingulares actus, mutabilia ſunt. Porrò determinatio eſt, quando mutantur circumſtantiæ, & materia, vt Vazq. cit. quod contingit aliquando in præceptis ſecundæ, vt S. Bonauent. Sed hinc nõ ſequitur, quod manente indecentia obiecti, & diſconuenientia ad rationem, non eſſet malum morale, & turpe; quicquid deinde ſit de diſpenſatione mutante materiam, & circumſtantias in quibuſdam; nam in omnibus diſpenſari non poſſe tenendum eſt cum SS. Bonauentura, & Thoma.

S. Bonau. in 1. ſent. diſ. 47 a. 1. q. 4. in reſol. & ad arg.

Ad auctoritatem S. Auguſtini reſpõdeo loqui de facto, vt creata eſt natura cum ordine ad Deum, vt finem vltimum, ad quem debet tendere, & à quo recedere prohibetur: quod ſi non eſſet Deus, non haberet hanc obligationem, ſed illam tamen retineret non recedendi à regula rationis, à qua deflectere nõ poſſet ſine inordinatione, & conſequenter ſine malitia morali, & vituperatione, vt ſupra: Atque adeo fateor receſſum prędictum à Deo non fore vitium naturæ, quia non eſſet Deus, atque ita nec receſſus ab illo, tanquam à prima regula, quę de facto eſt humanorum actuum; eſſet tamen receſſus à regula immediata, quæ ſola tunc dirigeret actus.

Ex quo patet ad alia duo loca loquentia de peccato pro præſenti ſtatu, quo omnia peccata ſunt prohibita, ſaltem in principijs communibus. Vide Vazq. 1. 2. diſp. 97. n. 11.

Argumentum ſecundum eſt. Obligatio à lege oritur; at hæc non eſt, niſi à ſuperiore, vt S. Thom. 1. 2. q. 9. a. 2. ergo in eo caſu nulla eſſet obligatio legis, ac proinde neque malitia, quæ non ſtat ſine tranſgreſſione legis. LIV.

Reſpondeo, de facto nulla eſt lex, niſi à ſuperiore, ſi ſermo ſit de lege ſcripta, vel intimata, &c. ſed in caſu noſtro eſſet lex naturalis, cuius violatio præuaricatorem conſtituit, vt ſup.

Ideo negatur aduerſario, quod aſſumit, nullum eſſe peccatum, quin ſit cõtra primam regulam bonitatis, quæ eſt Deus, & eo ſublato Deo, ablatum iri peccatum.

Nam auferretur peccatum Theologicum, non Philoſophicum in ſenſu explicato.

Tertium Argumentum.

Honor, & diuitiæ, & aliquæ ſenſuum delectationes conueniunt naturæ rationali, vt rationalis eſt, & contraria diſconueniunt; & tamen non ſunt moraliter bona, vel mala, ergo aliunde petenda eſt bonitas, & malitia moralis, quam à conuenientia, & diſconuenientia iſta. Neque valet dicere, quod à conuenientia nõ qualibet, ſed à morali, quæ eſt decẽtia, à qua attenditur bonitas; & à diſconuenien-

tia, quæ eſt indecentia obiecti contra rationem, malitia moralis; ſic enim committitur circulus inutilis, & probatur idem per idem; ais enim, illud eſſe honeſtum homini, quod eſt bonũ morale; & vice verſa illud eſſe bonum morale, quod eſt honeſtum homini.

Deinde per naturam rationalem, vel intelligis indiuiduum operans, vel totam collectionem hominum viuentium, vel poſſibilium. Si primum, ergo quilibet homo deberet operari, quod ſibi expedit, & eſſet Epicureus. Si ſecundum non apparet, quomodo homines in ſyluis verſantes procul à cõmercio tenerentur conformare ſuas actiones ad bonum omnium, qui eſſet in mundo: multò minus ſi dicatur tertium, & aggerant argumẽta ad hoc idem infirmandum, quibus vnica reſponſione ſatisfieri poteſt.

Bonũ naturæ cõueniés in iucundũ, vtile, honeſtũ diuiditur

Reſpondeo igitur ad primam inſtãtiam, bona naturæ rationali conueniẽtia, vulgata diuiſione comprehendi iucundi, vtilis, honeſti, quibus opponũtur mala contraria. Honeſtum autem eſt in genere, quod eſt conforme rationi, ſeu iuri naturali, ſeu dictamini rationis rectæ; inhoneſtum autem, quod illi repugnat: & hoc moraliter bonum eſt, aut malum; neque cõmittitur circulus, aut probatur idem per idem formaliter, quia obiectum vt attingibile à recta ratione, ſeu vt cõforme rectæ rationi concipitur vt quid prius, & ſpecificatiuum extrinſecum operationis rectæ, ſiue honeſtæ, ac proinde obiectum potentiæ rationalis per operationem illud attingentis; quemadmodum viſibile vt ſic eſt quid prius potentia viſiua per viſionem in ipſum tendentis, & non committitur circulus, ſi dicatur viſibile formaliter eſt id, quod attingi poteſt à potentia viſiua per viſionem, & viſio eſt operatio, qua potentia viſiua tendit in ſuum obiectum, ſeu in viſibile formaliter; & quia obiecta potentiarum, & actionũ ſunt ſpecificatiua extrinſeca; ideo intelliguntur vt quid prius vel natura, vel ſubſiſtendi conſequentia ſpecificãtis, vbi autem arguitur à priori ad poſterius, vel vice verſa non admittitur circulus. Vnde in propoſito valet argumentum, honeſtum moraliter vt ſic eſt id, quod eſt attingibile à ratione rectè iudicante, & deliberatè operante; & operatio honeſta illa eſt, quæ fertur in obiectum, quod apprehenditur, & iudicatur conforme rationi, ſeu iuri naturali; quod idem eſt, ac eſſe conforme naturæ rationali in ijs, quæ pertinent ad mores: tales autem non ſunt diuitiæ, vel honor ſecundum ſe adiaphora, ideſt nec bona, nec mala moraliter, ſed indifferentia.

In forma igitur ad argumentum nõ dico illud eſſe honeſtum homini, quod eſt bonum morale; & rurſum illud eſſe bonum morale, quod eſt honeſtum homini; ſed potius illud eſſe bonum morale, ac honeſtum homini, quod eſt attingibile à ratione rectè iudicante, & deliberatè in illud tendente, & pro ratione intelligo intellectum, qui iudicat, & voluntatem, quæ deliberat iuxta dictamen, ſeu iudicium illud, & tendit per ſe, vel per potentiarum ſibi ſubditarum operationes in obiectũ ſibi propoſitum; quo modo dicitur honeſtè agere, ſeu male agere, ſi contra dictamen rationis tendat in obiectum vt diſconueniens ab illa propoſitum: quod dictamen in principijs vniuerſalibus eſt infallibile, vt iuſtè eſse viuendum, nulli eſse nocendum; ideo dixit S. Auguſt. lib. 2. de lib. arb. c. 12. eſſe quaſdam incommutabiles regulas ſapientiæ omnibus communes, à quibus deflectentes peccant, vel ipſos redarguente conſcientia, & ſynderesi menti inſita reclamante. In alijs autem non ita claris, conſulta ratione opus eſt, vt prudenter fiant, iuxta dicta ſuperius. S. Auguſt.

Ad alteram partem reſpondeo, quando dicitur, illud eſse bonum, vel malũ morale, quod eſt conforme, vel difforme naturæ rationali, ſeu iuri naturali, per naturam rationalem intelligi naturam ſecundum ſe cõſideratam præcisè ab indiuiduis, quicquid illa ſit, iuxta varias ſententias in Philoſophia tractari ſolitas in materia de vniuerſalibus, ſicut quando dicitur natura rationalis, ſiue humana ſimilis eſt angelicæ, concipitur natura ſecundum ſe, & propoſitio de illa concepta verificatur de quolibet indiuiduo, & de tota collectione tam exiſtentium, quàm poſſibilium: Ita in propoſito, quod dicitur conueniens, ſeu conforme naturæ rationali, conuenit omnibus indiui-

Digitized by Google

diuiduis diſiunctim, & collectiuè ſumptis, & debitum operandi honeſtè, & conformiter rectæ rationi, conuenit omnibus quocumque modo ſumantur, quia ſingula, & omnia prædita ratione ſunt.

Dices. Ratio indiget aliqua regula, ad quam reſpiciat, vt illi conformet ſuas operationes, ergo non quod conforme eſt rationi, ſed quod illi regulæ, cenſeri debet honeſtum, aut inhoneſtum, ſi ab illa declinet: hæc autem eſt lex æterna, igitur ea ſublata, nihil erit honeſtum, vel inhoneſtum moraliter, neque ratio iudicare poterit vllum ex ipſis, aut vnum potiùs quàm alterum.

Reſpondeo in dato caſu rationem ſibi fore regulam, quatenus per ſuum lumen naturale iudicaret, hoc ſibi eſſe faciendum, illud omittendum, v. gr. honorandos parentes, homicidiũ non committendum; quod lumen iuuari poſſet monitis, & conſilijs prudentiorum: & alioqui etiam de facto, qui honeſtè agunt, ſiue cognoſcant Deum, ſiue non cognoſcant, non proponunt illum ſibi vt regulam, ad quam conforment ſuas actiones, neque ſemper ad legem eius reſpiciunt, ſed immediatè iudicant hoc eſſe conforme, vel difforme rationi.

Quartum Argumentum.

LV. VEl conſideratur natura rationalis ſecundum appetitum innatum, vel ſecundùm elicitum: neutro modo poteſt eſſe regula honeſtatis, ergo, &c. Probatur minor quoad appetitum innatum antecedentem omnem volitionem, niſi enim hic concipiatur inſitus ab aliquo ſuperiore obligante nos, vt illum ſequamur, non apparet, cur per appetitum elicitũ nefas ſit ab ipſo recedere. Deinde quoad appetitum elicitum, quia hic etiam habet aliquam regulam ſuæ honeſtatis, & non poteſt ipſe ſibi eſſe regula, quæ conſulatur, alioqui verum eſſet licere quodcumque libet.

Reſpondeo neutro modo, naturam rationalem dici regulam honeſtatis, ſed regulam eſſe rationem, ſiue iudicium rectum, ideſt iuxta regulas prudentiæ, & lumen naturale iuuantes formatum, ita vt id dicatur honeſtè fieri, & moraliter eſſe bonum, quod fit iuxta dictamen rationis iudicantis eſſe faciendum, illud malum, quod fit contra hoc dictamen; ad hoc autem iudicium formandum in ijs, quæ non apparent de ſe bona, neque apertè mala, requiruntur regulæ prudentiæ, ne contingat error. Et per hanc reſponſionem ſatisfieri poteſt varijs interrogationibus petentium, quid intelligatur nomine naturæ rationalis, & arguentium ex varijs ſignificationibus ab ipſis excogitatis, & reiectis.

Quintum Argumentum.

NOn poteſt quis bene operari, niſi aduertat, an illa operatio ſit apta ad vltimum finem; ad bonam nãque operationem requiritur prudentia, quæ eſt virtus docens electionem mediorum in ordine ad finem vltimũ, vt tradit Ariſtoteles initio Ethic. vbi oſtendit dari vltimum finem, ad quem vniuerſa vita dirigatur, in ordine ad quem Philoſophia moralis docet bene operari, ſicut reliquæ artes docent in ordine ad fines particulares: quoties ergo quis operatur, debet recipere, an ſua operatio ſit conformis vltimo fini, qui ſiue naturalis ſit, ſiue ſupernaturalis, includit Deum, & aliquam coniunctionem cum ipſo, ſaltẽ cognitione confuſa cognito, & amore imperfecto, quia eſt hominis beatitudo, vt S. Thom. 1. p. q. 2. a. 1. ad 1. & naturaliter deſideratur, ac proinde cognoſcitur aliquo modo. LVI.

Reſpondeo, hoc argumentum quędam aſſumit, quæ variè explicantur ab interpretibus Ariſtotelis, & S. Thomę, quæ tamen ad præſentem difficultatẽ non faciunt, huic enim ſoluendæ ſatis eſt dicere, tranſeant quæ aſſumuntur ſecundum rerum ordinem, qui de facto eſt; etenim iuxta hypotheſim impoſſibilem neque eſſet Deus, ac proinde neque finis ſupernaturalis vllus, ad quem dirigi deberent operationes; & ideo neque appeteretur, neque cognoſceretur, ſed operatio nihilominus eſſet honeſta, quæ à ratione rectè, & prudẽter iudicante manaret, & inhoneſta, quæ ab ea declinaret, v. gr. cultus parentum eſſet honeſtus iniuria

Digitized by Google

eſſet inhoneſta. Et eodem modo reſpondetur argumẽto ex eo deſumpto, quod non poſſit iudicari, an aliquid ſit malum, aut bonum, quin concipiatur aliquod ſummum bonum; quamquam enim hoc negari poteſt; tamen tranſeat pro præſenti ſtatu, pro altero ex ſuppoſitione impoſſibili, falſum eſt; quomodo enim concipi oporteret, quod eſſet impoſſibile dari? Et nihilominus conciperetur bonum conforme rationi.

Sextum Argumentum.

LVII. NOn poteſt quis peccare, quin cognoſcat ſe operari contra obligationem, nec poteſt cognoſcere obligationem, quin cognoſcat aliquem cui obligatur; obligatio enim eſt relatio, quam nemo poteſt habere ad ſeipſum, ideo nemo poteſt habere ius in ſeipſum.

Confirmatur, quia omne peccatum dicit ordinem eſſentialem ad legem, vt S.Thom. 1.2.q 71. a.6. ex S. Auguſtin. lib.22. contra Fauſtum c.27. dicente, peccatum eſt aliquod factum, vel dictum, vel concupitum contra legem æternam Dei.

Obligatio duppliciter accipitur. Reſpondeo, diſtinguendo maiorem; obligatio enim dupliciter ſumitur, primò ſtrictè vt inuoluit relationem ad alterum, cui ius adeſt exigendi aliquid ab eo, qui obligatur, qualis eſt hominis ad Deum, quem tenetur amare, colere, ſeruire, &c; aut ad alterum hominem potiſſimùm in materia iuſtitiæ, & partium eius. Secundò latè, ſed tamen propriè, vt dicit debitũ aliquid faciendi, vel omittendi, & ita nõ includit relationem ad alterum; ſed poteſt quis teneri aliquid facere, aut omittere ex eo ſimpliciter, quod lumine naturali præditus videt decens eſſe, aut indecens ex natura obiecti, rationi conformis, aut difformis, quod contingeret in data hypotheſi impoſſibili; In qua præterea remaneret obligatio partis appetitiuæ, & reliquarũ potentiarum erga rationem rite iudicantem aliquid faciendum, vel omittendum. Quod autem aſſumitur debitum eſſe ad alterum, quia nemo debet ſibi, facilè negatur; ſignificatio enim verbi huius communis eſt ijs, quæ ad alterum, quomodo dicitur Titius debere centum Caio, & ijs, quæ ad ſe, v.g. quilibet debet eſſe ſobrius, caſtus, &c.

Ad confirmationem reſpondeo pariter legem dupliciter accipi primò propriè, ac ſtrictè pro ea, quæ à ſuperiore ſtatuitur. Secundò latè, & impropriè, vt dicit debitum proprium aliquid faciendi ſine relatione ad Superiorem, quod vocari poteſt notitia, aut iudicium conſcientiæ cenſentis aliquid eſſe malum, vt Vazq. 1.2. diſp.97. n.12. Primo modo accipitur à S. Th. & Auguſt. & tranſgreſſio eius conſtituit culpam theologicam, de qua illi loquuntur, quia ſemper repugnat aliquo modo legi Dei, vel latę, vel inſitæ, quæ eſt participatio æternæ ſummæ rectitudinis; ſed hic ſecũdo modo accipitur, quo dicitur & Deus lex eſſe ſibi, quia cum ſit ſumma bonitas, & infinita perfectio, non poteſt à ſumma rectitudine, hoc eſt à ſeipſo deficere; ſiue debitum id naturæ dicas, ſiue legem æternam ab omni imperfectione remotam: & in hoc ſenſu operans contra rationẽ peccaret ſublato Deo, & legem, hoc eſt debitum bene operandi violaret; ſed peccatum theologicum non committeret, quia hoc ſine reſpectu aliquo ad Deum non eſt, licèt malum eſſet morale, quia deliberatè tenderet in obiectum difforme rationi, & ab illa prohibitum, id eſt iudicatum vt malum, & propoſitũ voluntati vt indecens, & omittendum; non tamen vt prohibitum ab extrinſeco Legislatore aliquid vetante, vel volente, quia nullus eſſet talis.

Lex dupliciter accipitur

S.Thom.

dicitur Deus eſſe ſibi lex.

Inſtabis, in eo caſu ratio humana non cognoſceret legem æternam, quia non exiſteret, ergo non eſſet peccatũ, vt definitur à S.Thoma, & Auguſtino: neque valet dicere, quod eſſet adhuc contra ius naturale, quia neque hoc remaneret ſecundùm illud eſſe, quod ei aſſignat S.Thomas 1.2.q. illa 71. a.6. 4. quia hoc continetur primò in lege æterna; ſecundariò verò in iudicatario rationis humanæ, ergo ſublata lege æterna, non remaneret illud eſſe ſecundarium aſſignatum à S.Thoma, ſicut lux, quæ continetur in Sole primario, & ſecundario in oculo intuente, ſi ceſsaret eſse in Sole, ceſsaret etiã ſecun-

ſecundùm illud eſſe ſecūdarium, quod habet in oculo, quippe qui non cerneret illam in ſole, & alioqui ſi Ius illud naturale ſufficeret ad rationem peccati, non bene ſaluaret S. Thomas definitionem peccati traditam à S. Auguſtino, in qua inuoluitur lex eterna.

Neque dicas, quòd tunc obligaret lex humana, nam idem S. Thomas 1. 2. q. 95. a. 7. c. ait, omnis lex humanitus poſita in tantum habet de ratione legis, in quantum à lege naturæ deriuatur; & q. 96. a. 4. c. leges poſitæ humanitus ſi iuſtæ ſint, habent vim obligandi in foro Conſcientiæ à lege æterna, à qua deriuantur. Et idem eſt de qualibet lege, quæ, preciſa æterna, nulla eſſet. Idem S. Thomas 2. 2. q. 109. artic. 2. 3., ait, Dicitur vera vita, ſicut & quælibet alia res ex hoc quod attingit ſuam regulam, & menſuram, ſcilicet diuinam legem, per cuius conformitatem rectitudinē habet, & talis veritas, ſiue rectitudo communis eſt ad quamlibet virtutem, ergo ſublata lege aufertur regula, & rectitudinis menſura, ac proinde malitia, quæ priuatio eſt rectitudinis ex D. Thoma.

Reſpondeo ad inſtantiam, Peccatum definiri à S. Auguſt. & S. Thoma, vt de facto contingit, ac theologicè, non autem in ſtatu conditionis impoſſibilis, quomodo eſſet quidem malum moraliter, vt probatum eſt, non autem theologicè.

Ad replicam, primum quidem mutatur ſtatus quæſtionis, qua ſupponitur manſurum hominem eiuſdem rationis, cuius nunc eſt, & proinde etiā idem Ius naturale, & dictamen rationis, quale de facto eſt. Deinde verba S. Thomæ potius fauent nobis, ait enim, omne peccatum eſt malum, quia prohibitum: ex hoc enim ipſo, quod eſt inordinatum Iuri naturali repugnat: ſupponit ergo repugnantiam ad Ius naturale eſſe rationem mali, & quidem moralis, quale peccatum eſt, de quo loquitur. Demum vt diximus, quæ de peccatis diſſerit S. Thomas, & Patres, ſunt intelligenda de illis, vt de facto contingunt; quòd ſi accommodes etiam caſui impoſſibili, ſupponunt, non remanſurum eundem hominem, qui nunc eſt: Controuerſia verò præſens ſupponit contrarium impoſſibile, ſi ſublato Deo, homo eſſet qualis de facto eſt quoad intrinſeca.

Neque exemplum de luce probat intentum; ſed deſtruit ſuppoſitionem, quòd remaneret idem homo qui nunc eſt, & cum eodem iudicatorio rationis, & eodem dictamine, ac iure naturali; ſi enim non remaneret idem neque cum eodem dictamine, quod hoc ſit malum, & vitandum exempli cauſa parricidium, fruſtra inſtituitur quæſtio in terminis propoſitis, qui ſunt de homine vtente ratione, & libero. Exemplum ergo lucis eſſet ſimile, ſi quæreretur, an deſtructo ſole, lux ab illo pendens, quæ per impoſſibile ſupponitur manere, eſſet illuminatiua aeris, & habitura alias proprietates, quas habet de facto: quis enim credat lucem intrinſecè immutatam, ſi remaneret deſtructo ſole nō illuminaturam corpus diaphanum ſibi propinquum? Ita deſtructo per impoſſibile Deo, ſi remaneret homo intrinſecè immutatus, intelligeret, vellet, liber eſſet ad bonum, & malum. Et hinc patet, ad alias auctoritates S. Thomæ, loquitur enim de lege, veritate, rectitudine &c. ſecundùm præſentem rerum ſtatum, & Dei exiſtentiæ, à quo cuncta eſſentialiter pendēt; nos fingimus caſum impoſſibilem ad cognoſcendam per locum intrinſecū malitiam, & bonitatem moralem, ad quam ſufficere arbitramur conformitatem actus cum ratione rite iudicante, & libere operante iuxta dicta, quia licèt non eſſet regula, & alia menſura mediata, quæ nunc eſt, tamen remaneret immediata ius naturale, cuius violatio habet inordinationem, & priuationem rectitudinis, ac proinde malitiam, vt patet ex dictis.

Septimum Argumentum.

NVlla actio eſt illicita homini, cuius habet poteſtatem phyſicam niſi illa ſit in poteſtate morali alterius, qui ſuperior ſit; ſed in dato caſu nullus eſſet ſuperior homine, qui prohiberet actionem illam, & independēter ab hac nulla datur inhoneſtas in actionibus humanis, idque ſiue conſiderentur actiones ante pactum, & LVIII.

con-

conuentionem hominum, ſiue poſt; in vtriſque enim debet aliqua eſſe obligatio faciendi, vel omittendi aliquid: hęc autem quicquid demum ſit, & quodcumque habeat obiectum iuxta varios explicandi modos apud Card. de Lugo de Incarn. diſp.3. ſect.5.ſemper inuoluit aliquē ordinem ad Deū, non ſolùm ſi conſiderentur actus verſantes circa ipſum;ſed etiam circa proximum, & ſeipſum; adeo vt neque erga Rempublicam ſit obligatio, quia omnis poteſtas à Deo eſt, vt communiter Theologi cum Apoſtolo, & ea præciſa,natura rationalis libera eſt, & malis ſubiecta, ex Auguſtinus lib. 19. Ciu. c. 15. aſſerente, Rationalem factum ad imaginem ſuam, noluit, niſi irrationabilibus dominari, non hominem homini; ſed hominem pecori &c. concluditque ſeruitutem duxiſſe originem à peccato; & S. Thomas 2.2. q. 164. a. 2. ad 4. ſubiectionem mulieris ad virum indictam eſſe in pęnam peccati. Igitur ſubiectio inter homines non eſt quid eſſentiale; ſed conſtitutum à Deo; Imò neque patria poteſtas in filium eſt ſine determinatione Iuris poſitiui, quod nullum eſſet ablato eo, à quo eſt omnis poteſtas; vnde & primi humani generis parentes ex Dei conceſſione ius habebant in filios; immediatè enim illos gubernabant, & ſtatuerat initio mundi, vt ius haberent in filios.

Confirmatur primo, quia tunc non poſſet deſumi honeſtas, vel inhoneſtas per conformitatem cum voluntate Reipublicæ, vel parentum, quia hæc non eſſet honeſta defectu conformitatis cum diuina voluntate, quæ eſt menſura honeſtatis.

Deinde Reſpublica, ac parentes in tantum obligant in quantum volunt nos obligare,id eſt in quantum volunt nobis reddere inhoneſtam actionem oppoſitam; ergo non poteſt actio inhoneſtari per difformitatem voluntatis illorum, quin detur aliud fundamētum inhoneſtatis antecedentis; quam inhoneſtatem talis voluntas velit;ergo priùs ſupponitur inhoneſtas, quàm difformitas ad volūtatem Reipublicę, vel parentum.

LIX. Reſpondeo ad argumentum, negando aſſumptum, ſufficit enim ad bonitatem, vel malitiam moralem conformitas, vel difformitas actionis ad naturam rationalem, ſeu ad ius naturale in ſenſu explicato, & hæc eſſet in quocumque caſu ponatur homo ratione prædıtus; & ſiue conſideretur ante,vel poſt conuentionem cum alijs hominibus ſemper obligatur operari conformiter rectæ rationi, neque ad hoc in caſu Metaphyſico, qualem ponimus, requireretur ordo ad aliam regulam, quàm ad rationem rite iudicantem, & deliberatè operantem; hæc enim tunc eſſet vnica menſura actionum, quæ inordinatæ eſſent, & malæ moraliter, ſi ab ea deflecterent.

Ad exempla Reipublicæ, & patriæ poteſtatis reſpondeo primo in dato caſu ceſſuros homines ſuæ libertati,ſi vellent, & ſponte ſubiecturos ſe Reipublicæ aut Regi, ſi eligere voluiſſent; cui proinde parere fuiſſent obligati, licèt poteſtas illa non fuiſſet à Deo, qui nullus fingitur, Reipublicæ enim imperium eſt in ſubditos, ſicut & Regis ex natura rei poſita electione, vt Ariſt. lib. 4. Politic. paſſim, qui & de patria poteſtate in filios lib. 8. Moral. Nicomachiorum c. 10. ait, Patris etiā ſocietas erga filios figuram Regni, habet; quippe cum patri cura filiorum ſit, vnde etiam Homerus Iouem patrem appellat, eo quod regnum paternum imperium eſſe debet, idque ex natura rei inclinante ad hoc regimen & curam, ſicut & ad amorem, qui feris etiam communis eſt. Deinde reſpondeo, quicquid ſit de poteſtate Reipublicæ, & patris, ſufficit ad probationem concluſionis, quòd in quouis ſtatu homo ratione præditus poni fingatur, poſſit illius ductum ſequi, vel ab ea deflectere, vt dicatur bene vel malè operari; nec vrgent contra auctoritates SS. Auguſtini, & Thomæ aſſerentium ſeruitutem eſſe à peccato;loquuntur enim de facto, nec negarent aliud genus ſubiectionis diuerſæ, vel naturalis; vel ſimilis in ſtatu naturæ integræ poſſibili, neq; vſum rationis bonum, vel malum in caſu impoſſibili non exiſtentię Dei.Ex quo patet.

Patris ſocietas ad Filiū figuram habet regni.

Ad primam confirmationem: Aſſumit enim gratis quod negatur; poſſet enim eſſe conformitas ad volunta-

tem Reipublicæ in caſu impoſſibili, quod non eſſet participatio diuinæ.

Ad alteram. Omiſſis ſententijs varijs de obiecto voluntatis obligandi, quæ ad rem non faciunt; in primis dico in vniuerſũ obligare voluntatẽ non eſſe intendere directè reddere inhoneſtam actionem oppoſitam; ſed honeſtatem operis, ex cuius omiſſione ſequitur inhoneſtas, & malitia, quæ non ſupponitur voluntati præcipientis bonum, ſed ſequitur per accidens, & non intenditur: quod ſi præceptum ſit negatiuum, vel præcipitur omiſſio rei de ſua natura malæ, & malitia attenditur penes difformitatem ad rationem, iuxta dicta; vel rei indifferentis; & tunc eſt mala, quia prohibetur iure ſcilicet poſitiuo; & tunc malitia attẽditur penes difformitatem ad voluntatem præcipientis, quæ cauſa eſt malitiæ, ſi violetur, & non ſupponit illam.

Deinde hic eſt caſus particularis, ex quo non infertur, quod non ſit furtum malum morale, ſi fingatur eſſe homo, & non Deus.

Addam pro coronide quæſtionis confirmationem ſecundę ſententiæ ab auctoritate minimè contemnenda petitam. Ante annos tres circiter P. Vincentius Carrafa Præpoſitus generalis Societatis noſtræ ſyllabum Præceſſorũ ſuorum beatorum, olim, vti ſpes eſt, aucturus, opinionem magiſtri celebris Victoriæ adhærentis, examinandam tradidit P P. Reuiſoribus generalibus Collegij Romani, qui ex cathedris Theologicis quinq; Aſſiſtentiarũ Romam aduocantur. Non fuit ijs diu laborandum, vt deliberarent quid reſpondendum Patri Generali foret: collata namque ipſorum regula vetante ne opiniones minimè communes ſuo calculo confirment, cũ torrente Scriptorum, præſertim Societatis, qui ſecundam ſententiam defendunt, & quidem nonnulli ad excandeſcentiam vſque, in primam. Ipſi PP. Reuiſores neque nigro, neque albo theta Victoriæ inuentum fixere; ſed ſolum pronunciauere modeſtè, & candidè cum communi doctrina Theologorum non conuenire, & habere aduerſantes noſtros omnes, qui ſapientia, vel purpura, vel vtraque Societatem, & Orbem illuminauere: In arbitrio ſuæ Paternitatis poſitum tam interpretari, quàm diſpenſare in regula Reuiſorum, quibus cordi eſt rectitudo, & caritas in cenſendo; litigare cum vllo alienum à religioſa grauitate, quàm ad Tribunal nutu Clementis VIII. inſtitutum è ſuis Prouincijs afferunt.

MEDINAE RESPONSIO

Expedita ad difficultatem ſoluendam, ſi benè explicetur.

CAP. XIII.

- *I.* *Illa eſt, quod in data hipotheſi ſequeretur vtraque pars contradictionis.*
- *II.* *Explicatur vis ſequelæ huius.*
- *III.* *Reſpõdetur inſtantiæ in contrariũ.*
- *IV.* *Si Deus non præciperet aliquid, adhuc peccari poſſet contra rationem.*

HAEC paulò fuſiùs retuliſſe licuit in quæſtione plane metaphyſica, & non adeo vtili, quia ingenia recentiorum in ea diſcutienda deſudant; nam veteres quaſi per tranſennam eam attigere, fortè quia ad Victoriæ vſque tempora ſupponebant, vt certum non eſſe poſſe conceptum creaturæ intellectualis ſine facultate laudabiliter, & vituperabiliter operandi; quod eſt moraliter benè, & malè operari poſſe. Cęterum faciliter, & compendioſè quis ſe expediret reſpondendo cum Medina c.2.q.19.a.1.& q.19.24. & q.100.a.8. quem ſequitur noſter Granadus ibidem tract.13. diſp.5.n.4.in 1.2. data hypotheſi illa impoſſibili, loquẽdo de ijs, quæ intrinſecè mala ſunt, veram fore vtramque partem contradictionis, quod variè explicatur ab illis; breuiter ſic explico, Et primam quidem partem probant rationes pro prima aſſertione allatæ, quia quod eſſentialiter malum eſt, non poteſt per vllã potentiam non eſſe malum. Alterã verò ſic oſtendo, quia ſublato Deo, auferri neceſſe eſt quicquid eſſentialiter ab ipſo dependet, ac proinde omnem creaturam, tàm malum facere potentem LX.

Medinam ſequitur Granadus.

tem, quàm non potentem. Idq; per locum intrinſecum; quia cum intrinſecè, & eſſentialiter conueniat creaturæ prædicatum dependentiæ à Deo in eſſe, & operari, eo ſublato aufertur creatura, & operatio eius, proinde quærere quid in illa hypotheſi faceret inuoluit implicantiã in terminis, quia illa inuoluit intrinſecè impoſſibilitatẽ eſſendi, ac operandi, non minus quàm ſi quæreretur an homo diſcurreret, aut intelligeret ſi non eſſet rationalis; prædicatum enim, ſiue conditio non rationalis deſtruit ſubiectum, quia ſine illo non eſt homo: Ita in propoſito prædicatum independentiæ à Deo deſtruit hominem, de cuius ratione eſt pendere à Deo; atque adeo eſset homo per ſuppoſitionem impoſſibilẽ, & ſimul non eſset homo per defectum prædicati eſsentialis hominis. Impugnant hanc reſponſionem Vazq. Suar. Salaſ. & alij recentiores, & in primis

Suar. Obijcit Suar. l. 2. de leg. c. 6. num. 14. quia ſecũdùm ordinem rationis prius eſt talis actus malus, quàm prohibitus per propriam legem, ergo licet hypotheſis illa ſupponatur, nempe opus nõ prohiberi à Deo, non ſequeretur illud non eſse malum, quia ex ſe id habet ſine prohibitione; ergo non ſequitur contradictio quod eſset malum, & nõ malum, ſed ſolùm quod eſset malum, quia repugnans rationi.

Pro reſponſione recole, quod ſupra innuimus quæſtionem fieri poſse ex ſuppoſitione impoſſibili, quod Deus non eſset, & ex ſuppoſitione vel poſſibili, vel impoſſibili, quod exiſtens non prohiberet mala, quæ permittit; & quantum quidem ad malitiam moralẽ, quæ attenditur penès diſconuenientiã obiecti cum ratione, in vtraq; ſuppoſitione illa ſequeretur; ſed quantum ad ſuppoſitionem ſecundam, diſcrimen eſt, quia prima impoſſibilis continet cõtradictionem in terminis, & proinde etiam in conſequente: nam ſi non eſset Deus per locum intrinſecum, nõ eſset homo, qui intrinſecè eſt participatio eius, & eſsentialiter pendet ab illo; conſequenter eo ablato auferretur & homo, qui neceſsariam habet connexionem cum illo; itaut poſitio hominis, ac ablatio Dei ſit chimæra, ex qua vel nihil ſequitur, vel vtrumq; quando autem propoſitio implicat in terminis concluſio per locum intrinſecum inuoluit contradictorem, v. gr. ſi daretur homo non rationalis, ſequitur quod eſset homo ex ſuppoſitione, & non homo ex neceſsaria conſequẽtia, quia homo eſsentialiter eſt rationalis. Ita in propoſito ſi nõ eſset Deus, homo exiſteret ex ſuppoſitione, & nõ exiſteret; quia deeſset illi prædicatum eſsentialis dependentiæ à Deo, & participationis primi entis; atque adeo peccaret ex ſuppoſitione, quod tenderet in obiectum indecens, & diſconueniens rationi; & non peccaret, quia non exiſteret. Non ita in ſecunda ſuppoſitione, quod Deus non prohiberet intrinſecè malũ, quod fieri poſſe affirmant Nominales, & alij ſupra citati, negat cum alijs Suar. l. 2. de leg. cap. 6. ex D. Thoma 1. 2. q. 72. a. 6. & q. 100. a. 8. quia hoc pertinet ad perfectionẽ diuinæ prouidentiæ coniunctæ cum ſumma ſapientia, & bonitate, vt ſuis ſubditis prohibeat mala, & præcipiat bona; ſed quicquid ſit de hoc, quantum attinet ad præſentem quæſtionẽ, ſuppoſitio quod Deus nõ præciperet, non inuoluit repugnantiam in terminis, & tunc homo peccaret, quia illa facta adhuc homo eſset homo, & liber in operando; quod ſi tenderet in obiectum diſconueniens rationi, licet non prohibitum à Deo; tamen peccaret; & non ſequitur quod non peccaret; ſicut in prima ſuppoſitione. Vtrique autem ſuppoſitioni cõmune eſt, quod declinaret à regula rationis, & conſequenter peccaret, quod facit ad confirmationem dictorum ſupra pro ſecunda ſententia agnoſcente peccatum philoſophicum in vtraq; ſuppoſitione.

Si non eſſet Deus exiſteret homo ex ſuppoſitione & non exiſteret per locum intrinſecum.

OBIECTIO

Contra allatam reſponſionem.

CAP. XIV.

I. *A paritate alterius hypotheſis, ſi Spiritus Sanctus non procederet a Filio, oſtenditur vtiliter quæri, an per impoſſibile ablato Deo, homo peccare poſſet.*

II. *Oſtenditur diſparitas vtriuſque hypotheſis.*

III.

Digitized by Google

III. Duplex contradictio in terminis, explicita, & implicita.

IV. Concipiuntur in Deo prædicata primaria, & ſecundaria.

LXI. THEOLOGI in 1. ſent. & 1. p. S. Thomæ q. 36. quærunt, an ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, diſtingueretur à Filio, quæ quæſtio viſa eſt inutilis Gotfredo quodlib. 7. q. 4. quia poſitio, inquit, includit incompoſſibilia, & repugnantia, ex quibus non poteſt deduci magis vnum, quàm alterum oppoſitum; nam ponere Spiritum Sanctum non procedere à Filio eſt tollere Spiritum Sanctum, quia cum eſſentialiter procedat à Filio, poſitio quod non procedat tollit prædicatum eſſentiale, & proinde Spiritum Sanctum, qui non conſiſtit ſine illo prædicato eſſentiali; & ex alia parte exiſteret ex eo, quod ponitur procedens, atque ita propoſitio ſeipſam deſtruit.

Impugnat Scotus reſponſionem hanc. Nihilominus impugnat hanc reſpõſionem Scotus in 1. diſt. 11. q. 2. & interpretes S. Thomæ 1. p. q. 36. a. 2. mouetur enim quæſtio ad inquirendum quodnam ſit principium diſtinctiuum reale Filij à Spiritu Sancto, vtrum videlicet ſit filiatio, an ſola ſpiratio actiua: Si enim ſit filiatio, adhuc remanebit ratio diſtinctiua etiamſi tollatur ſpiratio actiua. Igitur etiamſi procedere à Filio ſit prædicatum eſſentiale contradictoriè oppoſitum cum non procedere; tamen includit alia prædicata eſſentialia, quę non opponuntur contradictoriè cum non procedere à Filio, quale eſt procedere à patre; & tunc vtiliter quæritur, an ratione iſtorum diſtingueretur à Filio, etiam facta præciſione proceſsionis à Filio: Si enim maneret diſtinctio inter Filium, & Spiritum Sanctum, ſequitur, quod ſpiratio actiua non eſt ratio diſtinguẽdi, ſed filiatio ipſa; ſecus ſi non remaneret, ſublata ſpiratione actiua; ſignũ enim tunc eſſet ab ea petendam diſtinctionem.

Idẽ igitur dici poſſet contra reſponſionem ex Medina petitam, quod licèt ex hypotheſi impoſſibili non exiſtentiæ Dei tolleretur prædicatum eſſentiale hominis, quæ eſt dependentia à Deo, à quo omnis creatura eſſentialiter pendet in fieri, operari, & conſeruari; tamen remanent alia prædicata eſſentialia puta animalitatis, rationalitatis, & de illis quæri poteſt, an homo illis conſtans ſublato Deo peccare poſſet moraliter; & nulla eſſet in terminis contradictio, neque ſequeretur vtrumque oppoſitum, quod poſſet, ex eo quod eſſet liber, & operari poſſet circa obiectum malum; & rurſus quod non poſſet, quia non eſſet homo. Standum igitur eſt in prima reſponſione hac alia reiecta.

Reſpondeo primò, bonam eſſe primam reſponſionem, ſed ſecundam expeditiorem: ad inſtantiam à paritate hypotheſis impoſſibilis de proceſſione Spiritus Sancti, dico diſparitatem eſſe, quia in illa includitur principium, a quo intelligeretur produci Spiritus Sanctus, nimirum Pater; in ſuppoſitione vero, quod non eſſet Deus, tolleretur id, ſine quo implicaret eſſe omnis creatura, quæ ſine illo nec eſſe, nec intelligi poteſt, niſi chimericè, proinde eſſet ex hypotheſi; nec eſſet, quia ſine cauſa ſua eſſe non poteſt, quod nonniſi per deductionem, & diſcurſum apparet in hypotheſi, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio. Nulla creatura poteſt eſſe vel intelligi perfectè ſine dependentia à Deo.

Tertiò, reſpondeo cum communi vtilem eſſe quæſtionem, & ad Theologum maximè ſpectare eam diſcutere ob controuerſiam inter Latinos, & Græcos negantes Spiritum Sanctum procedere à Filio, contra quos faciunt Scripturæ teſtimonia, & rationes allatæ à S. Bonauentura in 1. diſt. 11. art. 1. q. 1. & ab alijs paſſim, & ideo non expediendam reſponſione Gotfredi relata, quam Scotus fugam vocat; tamen attento rigore ſcholaſtico aſſero præcidi per illam aduerſario anſam argumentandi, & ſolui difficultatem; argumenti imaginarij. Suppono autem in ea ſuppoſitione nõ remanſuras eaſdem perſonas Filij, & Spiritus Sancti, vt benè Suar. lib. 10. de Trinit. cap. 2. & alij contra Vazq. 1. p. diſp. 147. c. 1. & 7. idque per locum intrinſecum, quia auferretur relatio proceſſionis, qua conſtituitur perſona Spiritus Sancti: variato enim eius adæquato termino, qui eſt Pater, ac Filius & ipſa mutaretur:

tur: In Filio etiam non eſset vis ſpiratiua, & actualis ſpiratio Spiritus Sancti productiua, ac proinde non eſſet idem Filius, qui nunc eſt. Conſequenter iſti termini, ſi Spiritus Sanctus non procederet, ſunt incompoſſibiles, & contradictorij in re ipſa, licèt non in vocabulis, non ſecus ac iſti duo, ſi homo non eſset rationalis: non enim minus negatio proceſſionis opponitur Spiritui Sancto; quàm negatio rationalitatis homini. Sicut etiam iſti duo Filius, & improductus à Patre, quod eſt exemplum Gregorij Ariminenſis in 1. diſt. 11. q. 1. a. 2. probantis in data hypotheſi ſequi contradictoria, hoc eſt, quod Spiritus Sanctus diſtingueretur à Filio, & non diſtingueretur, quia vterque eſset, & vterque ab altero ſeipſo diſtingueretur, quia vnus non eſt alter: non diſtingueretur, quia Spiritus Sanctus non eſset; ſed tantũ Filius productus per intellectum, & per voluntatem, quia tàm voluntas, quàm intellectus Patris fecunda eſset, & productiua termini, qui vnus, & idem eſset deficiente oppoſitione perſonarum, quæ ſupponit originẽ vnius ab alia quæque ex ſuppoſitione, quod non procederet Spiritus Sanctus à Filio, nulla eſset.

Greg. Arim.

Adde, quod hypotheſis iſta deſtruit myſterium Trinitatis, non modo conſequenter, ſed directè in terminis: nam ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, Filius non eſset fœcundus, nec haberet vim ſpiratiuam, ergo deſtrueretur ſecunda perſona, de cuius intrinſeca ratione eſt eſse ſpiratiuam, proinde non eſset Deus, qui nunc eſt, & eſse alium Deũ diuerſum implicat: deſtrueretur etiam perſona Patris, & vis eius generatiua, quæ eſsentialiter eſt productiua termini ſpiratiui; ideo ſi produceret non ſpiratiuum, non eſſet eadem, quæ nunc eſt, neque Pater eſset idem, quia non eſset eiuſdem virtutis generatiuæ, quæ realiter ipſi identificatur. Item eſset productiuus eiuſdem perſonæ per intellectum, ac voluntatem, quæ repugnant principio productiuo diuerſis productionibus, diuerſorum terminorum. Deniq; tolleretur Spiritus Sanctus, quia remaneret ſolus Filius, à quo ipſe non diſtingueretur. Præterea inuerteretur ordo, & numerus notionum perſonalium, relationum, proprietatum, & poneretur alius Deus diuerſus ab eo, qui de facto eſt: quæ omnia contradictionem inuoluunt in hac hypotheſi incluſam ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, quæ propterea dicitur eſſe de ſubiecto non ſupponente, & ſui deſtructiua, quia Spiritus Sanctus aſſumitur pro ſubiecto, non procedere pro prædicato negatiuo, quod eſt deſtructiuum ſubiecti. Itaque ex vna parte ſequitur, quod diſtingueretur, quia ſupponitur Spiritus Sanctus quando quæritur an diſtingueretur: Ex alia parte, quod non diſtingueretur, quia nulla eſſet origo à Filio, neque relatio, neque oppoſitio, quod voluit Arimin. & Gotfredus locis cit. & alij.

Data hypotheſis deſtruit myſterium Trinit.

Obijcies primò. Spiritus Sanctus non ſolum procedit à Filio, ſed etiam à Patre, ergo licebit per intellectum fingere hypotheſim impoſſibilem eius, quod de facto Græci verum putant; ad cognoſcendam per locum intrinſecum rationem diſtinctiuam perſonarum, cui cognitioni inſeruit hypotheſis iſta. LXII.

Secundò, quia termini hypotheſis non ſunt formaliter contradictorij, ſicut eſſent procedere, & non procedere à Filio; igitur poteſt affirmari vnus, & negari alius: quemadmodum impoſſibile eſt Deum non eſſe immenſũ, & tamen quæritur vtiliter, an ex ſuppoſitione, quod eſſet tantum in Cœlo, poſſet immediatè agere in terra cum ſit omnipotens. & Riccard. Victor. l. 3. de Trin. c. 26. affirmat, quod ſi vna perſona ſola in diuinitate eſſet, nihilominus plenitudinem ſapientiæ habere potuiſſet.

Tertiò. Senſus quæſtionis eſt, an poſſimus concipere per intellectus fictionem à Patre per intellectum produci aliud Verbum, & per voluntatẽ produci alium amorem, quæ ſint duæ perſonæ realiter diſtinctæ, & diuerſæ rationis ab ijs, quæ de facto ſunt; in qua termini non ſunt contradictorij.

Quartò. Nõ obſtat exemplum Ariminenſis ſupra. An ſi Filius eſſet improductus diſtingueretur à Patre; nã eſſe Filium, & eſſe improductum ſunt termini contradictorij; ideo ſi eſſet Filius

Digitized by Google

Filius diſtingueretur à Patre, ſi eſſet improductus nō diſtingueretur, quia diuina perſona improducta non poteſt eſſe, niſi Pater.

Quintò. Huc etiam cadit celebre dictum Scoti, idem eſſe principium conſtitutiuum, & diſtinctiuum; in data hypotheſi remaneret idem principium conſtitutiuum, ergo & diſtinctiuum, quippe remaneret filiatio in Filio, & ſpiratio paſſiua in Spiritu Sācto à voluntate Patris procedente: proinde termini non ſunt cotradictorij.

Reſpondeo ad primum. Sicut licet fingere quæſtionem ex hypotheſi impoſſibili; ita licet oſtendere in ea terminos eſſe contradictorios, & ex illis ſequi vtramque partem contradictionis deduci vt veram, quod tamen eſt impoſſibile, ſed ex impoſſibili ſequitur impoſſibile.

Contradictio eſt duplex.

Ad ſecundum: contradictionem duplicem eſſe, vnam explicitam ſignificatam per terminos affirmatiuos, & negatiuos eſt, & non eſt; alteram implicitam huic æquiualentem, in qua termini ſunt poſitiui quidē, ſed adiuncti voci negatiuæ, ſeu copulæ nectenti prædicatum ſubiecto, inuoluunt eandem contradictionem, vt cum dicitur ſi homo non eſſet rationalis; eſſe enim hominem, & non eſſe rationalem implicat contradictionem, quia de eſſentia hominis eſt rationalitas: ideo propoſitio deſtruit ſeipſam: talis eſt dicta hypotheſis, ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, prædicatum in ea deſtruit ſubiectum, & implicantia eſt in terminis, ſicut ſi diceretur procederet, & non procederet; propterea ſequitur vtraque pars contradictionis, ex eo enim, quod ponitur pro ſubiecto Spiritus Sanctus, neceſſario etiam inuoluitur proceſſio à Filio, tanquam ipſi eſſentialis; ex altera parte, cum dicitur ſi non procederet, tollitur cōceptus ſubiecti, cuius eſſentiæ repugnat talis negatio proceſſionis. Ideo ſequitur, quod ratione primi diſtingueretur; ratione ſecundi non diſtingueretur.

Prædicata primaria & ſecundaria in Deo.

Ad exemplum de immenſitate Dei reſpondeo in Deo concipi à nobis prędicata primaria quaſi conſtitutiua eſſentiæ ſine vllo ordine ad creaturas, qualia ſunt quod ſit trinus in perſonis; quod ſit intellectiuus; actus purus, ſimpliciſsimus, & ſimilia. Alia ſunt ſecūdaria, quæ cōcipi nequeunt ſine reſpectu ad creaturas, licet ſecundum id, quod directè ſignificant non diſtinguantur à principijs, quia neque ab eſſentia diuina ob omnimodam ſimplicitatem, ſicut neque realiter inter ſe ſunt diſtincta. De primis eadem ratio eſt, ac de hypotheſis noſtra, quod videlicet propoſitio inuoluat contradictoria, ſi prędicatum deſtruat ſubiectū v.g. ſi dicatur, ſi Deus non eſſet Trinus, an eſſet perfectus; licet enim de facto concipiatur vt vnus in perſona ab infidelibus; tamen vere eſt trinus, & iccirco ſequitur in dicta quæſtione, quod ſit perfectus, quia ſupponitur in ſubiecto, quod ſit Deus; & rurſus quod non ſit perfectus, quia perfectioni diuinæ eſſentialis eſt trinitas perſonarū: Non ita in prædicatis ſecundi generis ſumptis formaliter cum reſpectu ad creaturas, quia in noſtra ſententia Deus abſoluit à creaturis; & ſi omnes eſſent impoſsibiles, adhuc Deus remaneret idem intrinſecè, qui de facto eſt; talis eſt immenſitas, quæ formaliter concipitur cum ordine ad loca, quibus eſt præſens, & ideo ſi de Deo negetur, nihil negatur intrinſecum cōſtitutiuū Dei, ſed ſolum poſsibilitas locorum, niſi aliquid addatur propoſitioni, quo ſignificatur aliquod prædicatum primarium Dei: Atque ita quærenti; ſi Deus non eſſet immenſus, an eſſet trinus; reſpondetur fore trinum, quia eſſe immenſum vt ſic connotat loca, quæ ſi eſſent impoſsibilia, nihilominus remaneret idem. Multo magis fieri poſſunt aliæ quæſtiones non inuoluētes implicantiam in terminis, qualis eſt, an ſi præſens non eſſet terræ, de cœlo agere poſſet immediatè, quia neque præſentia, neque actio ſunt de intrinſeco Dei conceptu. Ad auctoritatem Victorini, vel loquitur de ſapientia reſpectu creaturarum, & illi quadrat data reſponſio; vel de ſapiētia eſſentiali, & propoſito inuoluit implicantia, ſicut aliæ ſupra, & habet eandem reſponſionem.

Ad tertium, negatur aſſumptum, quamuis enim connexa ſint quæſita, tamen in ſe diuerſa ſunt; aliud enim

eſt formare prædictam hypotheſim; aliud ſine hypotheſi abſolute quærere an Pater poſſit per intellectum producere Verbum, & per voluntatem amorem diuerſæ rationis, licet ex ſuppoſitione quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio inferretur affirmatiua, quod poſſit; quia tunc ſecunda perſona producta per intellectum, & voluntatem eſſet diuerſæ rationis, quod cum ſit impoſſibile, ſequerentur per diſcurſum contradictoria; ſed non talia complecteretur immediatè propoſitio, ſicut complecti oſtenſum eſt ab hypotheſi data.

Ad quartum plures aſſeruntur reſponſiones ad argumentum Scoti; ſed quod attinet ad difficultatem noſtrã, vel in communi ſententia non remaneret idem conſtitutiuum, quia origo, & proceſſio, & relatio ac proinde filiatio eſſet diuerſa: Vel in noſtra diſputandi gratia inita, non remaneret idem, quia eſſet nullus: Vel ſimul maneret, & non maneret, quæ ſunt contradictoria.

AN VISIO BEATA

Poſſit eſſe ſine dilectione Dei.

CAP. XV.

I. *Variæ ſententiæ ad tres principales reductæ.*

II. *De lege ordinaria ſunt neceſſario connexa viſio, & dilectio.*

III. *De abſoluta potentia non repugnat viſionem ſeparari à dilectione.*

IV. *Implicat odium Dei cum viſione beata.*

LXXIII. QVAESTIO ſit tã de potẽtia ordinaria, quam de abſoluta, quia circa vtrãque ſunt variæ ſẽtẽtiæ, & modi diuerſi illas explicandi, quos refert Vazq. 1. 2. diſp. 16. a. c. 1. Suar. in 1. 2. diſp. 9. ſect. 1. & cum quęri poſſit an ita ſit ſeparabilis viſio à dilectione, vt etiam hæc ab illa, quæ ſunt quæſita diſtincta; hic ſolum de primo agimus: de ſecundo patebit infra quid ſit dicendum. Prima igitur ſententia negat de facto ex natura rei, & neceſſitate intrinſeca ſequi dilectionem, vel fruitionem quoad exercitium, ſed illã eſſe liberã, & contingentem eſt Scoti in 1. diſt. 1. q. 4. §. Negatiua iſtius articuli. Et Scotiſtarum ibi Fabri in primis diſp. 13. per multa capita. Sequuntur etiã Nominales Ocham. in 4. q. vlt. ar. 3. Gabr. in 1. diſt. 1. q. vlt. a. 2. & in ſupplem. in 4. diſt. 49. quæſt. 2. artic. 3. Sed explicat Scotum ex eiuſdem doctrina in 4. diſt. 49. q. 6. §. De tertio dubio, quod licet conſiderato principio intrinſeco contingenter procedat fruitio, ac dilectio; tamen ex peculiari prouidentia Dei, & adſiſtentia diuinæ gratiæ neceſſario ex viſione dimanet; idque loquendo de fruitione, quæ eſt actus elicitus à voluntate, & diſtinguitur ab alia, quæ à ſolo Deo fit in voluntate paſſiuè tantum ſe habente iuxta eius principia, à nobis nõ probata, tum quia fruſtra ponitur fruitio à ſolo Deo; tum quia fruitio nõ eſt actus diſtinctus; ſed complectitur viſionem dilectionem, comprehenſionem, vt expreſſe S. Bonau. in 4. diſt. 49. p. 1. a. 1. q. 2. in reſol. Scot. Fabr. Ocham. Gabr.

Secunda ſententia extremè oppoſita eſt etiam per diuinam potentiam eſſe inſeparabilem à viſione dilectionẽ Dei. eſt Aegid. quodl. 5. q. 6. Henric. quodl. 12. q. 5. probantium alijs exẽplis, quantitatis à qua figura eſt inſeparabilis; relationis, & actionis connexarum neceſſario cum terminis. Aegid. Henric.

Tertia ſententia eſt de lege ordinaria ſequi neceſſario dilectionem ad viſionem beatam, de abſoluta potentia poſſe ſeparari. Prima pars eſt communis apud Thomiſtas; altera non itẽ, aliqui enim à viſione ſpeculatiua ſeparari poſſe dilectionem affirmant; nõ item à practica, vt Palud. in 4. diſt. 49. q. 3. a. 2. ſpeculatiuam appellans quæ in ſimplici cognitione, & intuitu eſſentiæ conſiſtit: practicam quę in iudicio practico dictãte Deum eſſe amãdam; quam diſtinctionem voluntariã eſſe docet, & minimè neceſſariam oſtendit Vazq. 1. 2. diſp. 10. c. 2. & diſp. 12. c. 1. & nobis parum obſtat qui fatemur Deum videri poſſe nulla viſa creatura, ac proinde ſine vllo iudicio practico quod ſit amandus. Palud. Vazquez.

Alij explicant auctoritates S. Thomæ de neceſſitate quoad ſpecificationem,

Digitized by Google

nem, non quoad exercitium, & Suar. ipſe loc. cit. num. 9. ait ſe tenere hanc ſententiam, tanquam probabiliorem, non quia inuenerit rationem demonſtratiuam pro illa: neque alienam putat à mente S. Thomæ explicationem de neceſſitate quoad ſpecificationem non quoad exercitium, præſertim quia 1. 2. q. 10. ar. 2. & de verit. q. 22. a. 6. vniuerſaliter pronunciat voluntatem quoad exercitium neceſſitari non poſſe.

Non obſtat S. Thom. ſed eſt pro communi.

Sed verba S. Thom. 1. 2. ſunt, *ſi proponatur aliquod obiectum voluntati, quod ſit vniuerſaliter bonum, & ſecundum omnem conſiderationem ex neceſſitate voluntas in illud tendit &c.* Et ſermo eſt de neceſſitate quoad exercitium. Ideo hæc tertia ſententia defenditur à Thomiſtis, vt infra.

Prima Aſſertio.

LXXIV. De lege ordinaria dilectio in patria ſequitur neceſſario viſionẽ non ſolum quoad ſpecificationem, quia non compatitur actum contrarium in voluntate; ſed etiam quoad exercitium, quia intellectu clare Deũ vidente non poteſt voluntas ipſum non amare actualiter. probata ſecunda parte, manet probata prima de qua minor eſt difficultas.

S. Bonau.

Probatur autem. primo auctoritate S. Bonau. in 4. diſt. 49. a. 1. q. 5. ad ſecundum, vbi probat viſionem, dilectionem, tentionem ſiue compræhenſionem, quæ nomine fruitionis vult compræhendi, eſſe actus omnino coniunctos, & connexos idem habet in 1. diſt. 1. a. 2. q. vn. ad penult. argumentum.

Deinde ex dictis ſupra de incompoſſibilitate peccati actualis cum viſione, probatur eadem pars, quia viſio abſorbet totam virtutem voluntatis, quam rectificat, & deiformem reddit ex eodem S. Bonau. conſequenter non poteſt ceſſare ab amore Dei quem vidit, & proponit intellectus ſub omni ratione boni.

S. Thomas, & Thomiſtę

Eadem eſt ſententia S. Thomæ 1. p. q. 82. a. 1. & 1. 2. q. 5. a. 5. & q. 10. a. 2. & 3. cont. Gent. c. 62. & alibi. ſequuntur Thomiſtæ in hæc loca, Caiet. Ban. Ferrar. & Capr. in 1. diſt. 1. q. 3. a. 1. & cum Suar. Vazq. locis cit. communiter noſtri præſertim Sal. 1. 2. tract. 2. citat., & diſputat. 7. numerans multos alios præſertim Thomiſtas. quibus magis fauent textus S. Doctoris, quam limitantibus illos ad neceſſitatem ſpecificationis in via, cũ valide probent de neceſſitate, etiam exercitij in patria.

Rationes ad hoc ſunt primo, quia ex parte potentiæ ideſt voluntatis eſt habitus gratiæ, & caritatis maxime inclinans voluntatem de ſe propensã in ſuum bonum, & finem vltimum; neque adſunt impedimenta vlla remorantia à continuatione actus, vt ſunt in via. Ex parte intellectus nullus eſt error, vel inconſiderantia, vbi prima veritas clare ſe oſtendit, & notam facit amabilitatem ſuum. Ex parte obiecti, cognoſcitur ſub omni ratione boni, & deſiderabilis: vnde ſi alia obiecta quanto magis repræſentantur bona, tanto magis trahunt ad ſui amorem appetitum, multo magis increatum bonum cognitum ſub omni ratione boni vim habet perfectiſſimo modo trahendi ad ſe voluntatem? Ideo neceſſitas hæc, vt ſupra notauimus, oritur ex parte non ſolum potentiæ, vt contendit Caiet. c. 2. q. 10. a. 2. de illa interpretans S. Thomam; ſed etiã ex parte obiecti ita applicati, & viſi vt rapiat ad ſe voluntatem.

Deus clarè viſus trahit neceſſario voluntatem ad amandũ.

Confirmatur quia caritas in patria libera ab impedimentis viæ participatio quædam eſt caritatis diuinæ magis expreſſe quam in via; ſicut igitur in Deo eſt neceſſarius, & continuus actus dilectionis ſuæ ipſius vt ſummi boni, cur non ſit etiam neceſſarius in beatis participantibus viſionem?

Secundo probatur aſſertio, quia in hac immenſa delectatione, & fœlicitate potentiarum animæ beatæ, non poteſt apprehendi vlla ratio boni in ejus priuatione, & intermiſſione dilectionis, imo non poteſt repræſentari niſi vt diſconueniens; ſicut non poteſt repræſentari, niſi vt conuenientiſſima continuatio diuini amoris, cuius vel minima interruptio eſt contra debitũ quo Deus infinitè, & continuate amãdus eſt, ergo non poteſt voluntas ceſſare ab eius amore, cum ſit ordinatiſſimo, & in malum tendere nequeat, & tæ-

Digitized by Google

& tædiũ in exercitio amandi nequeat quod eſt iucundiſſimum, & ſine ſatietate delectat.

Dices, poteſt apprehendi vt bonũ exercitium libertatis in ceſſando à dilectione; Contra quia illud quod eſt impoſſibile non poteſt apprehendi vt bonum à beato.

Confirmatur, quia vt S. Thom. 3. cont gent. c.62. & Vazq. diſp. cit. 16. Nemo poteſt velle ſe non eſſe fœlicẽ, quod ſupra ex S. Auguſt. pluribus explicauimus. Plures etiam rationes ad hoc probandum affert ibi S. Thomas; quæ expreſſe probant neceſſariam coniunctionem dilectionis cum viſione.

Secunda Aſſertio.

LXXV. De abſoluta potentia non repugnat ſeparari dilectionem à viſione, ita vt clare videns Deum, actualiter ipſum non amet. Tenet expreſſe Suar. cit. diſp. 9. ſect. 1. n. 21. Sal. loc. cit. Didacus Ruiz de ſcientia Dei diſp. 34. ſect. 3. n. 11. & alij præſertim auctores primę ſententiæ, qui de lege ordinaria liberam dilectionem eſſe dicunt in patria, ſicut & in via; & qui negant poſſibilem eſſe ſeparationem hanc non facile aſſignant implicantiã niſi petendo principium.

Suar. Sal. Ruiz.

Probatur autem aſſertio quia intellectus, & voluntas ſunt potentiæ diuerſę, & actus earum diuerſi, igitur poteſt Deus concurrere cum intellectu ad viſionem, abſque eo quod concurrat cum voluntate ad amorem. Antecedens eſt manifeſtum, non enim aſſumit quod controuerſum eſt de diſtinctione potentiarum ab anima; ſed quod cõceſſum ab omnibus, quod anima, vt eſt principium intelligendi, non eſt principium volendi, quęcumque deinde ſit hæc diſtinctio: & proinde quod actus iſti ſint diuerſi, & tendant in obiecta formaliter diuerſa: cõſequentia patet, quia cuncurſus Dei eſt liber, & proinde poteſt conferri actui videndi, & ſubtrahi actui diligendi.

Confirmatur quia viſio eſt prior dilectione, & independens ab ipſa, licet ſit connexa cum ipſa, & hæc naturali ſequela conſequatur ad ipſam, igitur quantum eſt de ſe non habet repugnantiam ad exiſtendum ſine illa: Et ex parte Dei non repugnat eius bonitati conſeruare viſionem non conſeruata dilectione; ſed potius in hoc exercet potentiam ſuam, ſicut in alijs quæ præter, vel contra exigentiam naturalem operatur: ergo ex nullo capite repugnat.

Confirmatur ſecundo, quia non eſt maior connexio inter viſionem, & dilectionem, quàm ſit inter accidens, & & ſubſtantiam in qua ſubiectatur, & à qua dependet in fieri, & conſeruari; ſed illud poteſt exiſtere ſine hac, vt patet in venerabili Sacramento, ergo & viſio multo magis poſſet exiſtere volente Deo ſine dilectione. Et huc cadit dictum S. Bonau. in 4. diſt. 12. a. 1. q. 2. ad penult. *Dicendum, inquit, quod competit naturæ vniuſcuiuſque rei, obedire breatori, & illud eſt conueniens ſuæ naturæ, quod creator iuſſerit, quod ſi prius non ſit conueniens, poſtea ſit conueniens.* S. Bonau.

Dices ergo ceſſante dilectione per diuini concurſus ſubtractionem, poſſet voluntas beati pro ſua libertate elicere actum contrarium, etiam odij Dei ſubtrahentis concurſum ad tantũ bonum, quanta eſt dilectio, & fruitio eius, præſertim ſi ſingatur talis ſubtractio fore æterna.

Reſpõdeo negando ſequelam, quia vt ſupra diximus cum viſione non ſtat error, neque malitia, cum per ipſam reddatur anima deiformis, & voluntas transfundatur in diuinam voluntatem, & fiat vnus ſpiritus longe perfectius, quam in via per adhęſionem, iuxta illud Apoſtoli. Qui adhæret Domino vnus Spiritus eſt 1. Cor. 6. *Namque in via in tantum poteſt anima proficere, vt non poſſit velle niſi quod Deus vult; velle autem quod Deus vult, ait S. Bernard. ſiue Auctor de vita ſolit. verſus finem, hoc iam ſimile eſſe Deo, eſt: non poſſe velle niſi quod Deus vult, hoc eſt iam eſſe quod Deus eſt, cui iam velle, & eſſe idipſum eſt &c.* Igitur ſi hoc habet perfectus homo per gratiã tam copioſam, vt ipſum tranſformet in Dei imaginem, quid erit in gloria in qua excellentius erit Deo ſimilis?

Conſequenter etiam ſi ſubtractio ad amandum futura eſſet ęterna, &

hoc

Digitized by Google

hoc ſciret beatus ; nihilominus non poſſet odiſſe Deum, quia in hoc non poteſt apprehendere vllam rationem boni, imo non poteſt non apprehendere maximam rationem mali; ergo neque poteſt illud amplecti, quia ad proſecutionem, vel fugam ſi voluntas non ſequitur maiorem apprehenſionem, vt cenſet Vazq.; tamen, vt omnes communiter, ſequitur apprehenſionem alicuius boni, vel mali; in odio autem Dei ſubtrahentis concurſum ad amorem nulla apparet ratio boni, & magna apparet ratio mali, & aliunde videns Deum clare intelligit omnia ab ipſo bene fieri, & laudãdum eſſe in omnibus, neque eſt vitiũ in voluntate vt ſequatur deteriora, probans meliora; Imo manet perpetua inclinatio in actu primo ad amandum manente viſione à qua ordinatur, ac dirigitur.

Confirmatur quia viſionem ſequitur neceſſario amor, ſi ergo ipſa manente voluntas eliceret actum odij, non poſſet hoc præſtare, niſi à Deo adiuta additis viribus, quibus caret ſtante iſta determinatione, cum qua ex natura rei nõ ſtat libertas ad oppoſitum; at vero Deus non ſuppeditat miraculosè vires ad peccandum licet permittat peccata in via, vbi voluntas manet libera ad bonum, & malum eligendum. argumenta vero Holcoth, Gabr. & aliorum ſoluimus loc. cit. ſupra.

Sed quid, inquies, ſi quis per Dei potentiam ſimul torqueatur pœnis Inferni; ſimul Deum torquentem videat? Nonne ex apprehenſione ſeueritatis iudicis, & experientia doloris ac pœnæ ſenſus moueri poſſet ad eius odium?

Reſpondi ſupra negatiue, admiſſo caſu metaphyſico cum ſententia probabili, quam tenet etiam Pater Arriaga, tom. 2. theol. diſp. 52. ſec. 2. data enim hac poſſibilitate ſiue ratione dominij, id ſit poſſibile præciſo demerito, quod plerique negant, tamquã indecens bonitati, & iuſtitiæ Dei; ſiue ratione iuſtitiæ infligentis pœnas; & potentiæ coniungentis cum illis viſionem, Deus clare viſus eſt obiectum potentius ad continendam in officio voluntatem, vt pote infinite bonus, & vt talis cognitus, ac æſtimatus dignus infinito amore; quàm ſint pœnæ, & cruciatus ad deordinandum; cum ſint obiecta limitata, & minus efficacia: iudicium enim illud de amabilitate infinita, quod eſt ſpeculatiuum, pœna non corrumpit; imo cum ipſa ſtat iudicium practicum quod Deus ſit etiam in ijs pœnis ſummè diligendus, & odium ipſius ſummè deteſtandum. Quod ſi in hac vita ſubdita peccatis pœnæ, ac dolores quibuſdam eximiè Sanctis incitamenta ſunt ad amandum Deum, à quibuſdam etiam martyribus cruciatus pro delicijs habebantur, mirum videri nõ deberet in ficto caſu mirabili, coniunctionis viſionis beatæ cũ pœnis illis, excluſum iri odium à voluntate videntis, & ne per miraculum quidem compati ſe poſſe inuicem, vt ſupra de peccato actuali in vniuerſum dicebamus, aſſignantes diſcrimen ab habituali, c. 2. huius tertiæ partis. Potentius mouet Deus clare viſus ad amorem quàm pœna ad odiũ.

Confirmatur, quia ſuſpenſo influxu in dilectionem durante viſione non poteſt impediri delectatio vt eſt paſſio quædã ipſam concomitans ex eo quod viſio eſt actus ita proportionatus potentiæ, & ſubiecto, in quo eſt; vt non ſit ſeparabilis delectatio ceu paſsio cõſurgens ex illa proportione vt quid eſſentialiter connexum; ſicut neque figura à quantitate; cum igitur illa in beato ſit ſumma, non admittit ſecum odium; quod fert receſſum, & auerſionem, contrariam delectationi per quam maximè mens adhæret, & vnitur Deo. Dixi autem vt eſt paſſio quædam, quia ſi accipiatur pro actu elicito ſequente viſionem, & amorem, ſeparabilis eſt per diuinam potentiam ab illis ob rationes allatas de ſeparabilitate amoris à viſione, de quo recentiores citati. Sal. in primis 1.2. cit. diſput. 7. ſect. 3. tract. v.

N O T A N D A

Ad confirmationem dictorum, & ſolutionem Argumentorum.

C A P. X V I.

1. *Voluntas eſt determinata ad volendum finem vltimum.*

Quo-

II. Quomodo contingens, ac liberum diſtinguatur à neceſſario.

III. Neceſſarium quoad ſubſtantiam poteſt eſſe liberum quoad circumſtantias.

IV. Beatus poteſt amare Deum ob diuerſa motiua conuenientia in bonitate infinita.

V. In Beatis manent habitus virtutũ infuſarum, & acquiſitarum.

LXXVI. PRIMO. Voluntatẽ naturaliter eſſe determinatam ad volendum beatitudinem, ſeu finem vltimum, vt S. Thomas 1. p. q.82.a.1.& alijs locis in prima aſſertione citatis; S.Bonau.in 4.diſt.49. p.1.a. 1.q.2. & ideo eſſe quidem liberam circa media, vt idem docet 1.2.q.5.a.5. ſed non circa finem, neq; quoad ſpecificationem; ſed tantum quoad exercitium, ſi non proponatur ſub omni ratione boni; idque cum verum ſit de determinatione circa beatitudinem in communi; multo magis locum habet de beatitudine patriæ in particulari, quæ eſt finis vltimus, in quo adepto neceſſario quieſcit, ſine ceſſatione amoris, & fruitionis. Vbi aduerte dictum S.Thomæ, quod voluntas fertur neceſſario in beatitudinem, non intelligitur de beatitudine vniuerſali, quaſi hæc ſit obiectam appetibile diſtinctũ à particulari, quod appetendum ipſa feratur; ſed ſenſus eſt quod feratur in hoc, vel illud, vt habens rationem boni, quæ communis eſt omni appetibili; ſicut dici ſolet, quod materia appetit formã in communi, non quia ſit forma communis diſtincta à particularibus; ſed quia appetit vt ſui perfectiuam, & actuatiuam, quæcumque illa ſit; qua diſtinctione ſoluuntur obiectiones Scoti contra hoc effatum Sancti Thomæ, quod Auguſtini eſt: qui quando libro retract. c.9. & 22. ait, quod nihil tam eſt in poteſtate volũtatis, quam ipſa voluntas, intelligendus eſt de voluntate, vt potentia eſt deliberatiua; & quoad exercitium circa obiecta creata, non circa increatum clarè viſũ, quod neceſſario amat, neceſſitate videlicet quam fœlicem nominat, quia ad meliora compellit epiſt.45.t.2. ſicut quoad ſpecificationẽ determinata eſt ad beatitudinem in communi in ſenſu explicato.

Voluntas naturaliter determinata ad finem vltimum.

Secundò notandum quod cum neceſſarium diſtinguatur à contingente, ac libero per hoc quod illud non poteſt non eſſe, quale ante omnia eſt primum ens ſummè neceſſarium, reſpectu cuius nulla creatura neceſſariò eſt, quia liberè ab ipſo fit, & conſeruatur; & ideo ſolus dicitur immortalis: Nihilominus in propoſito, neceſſarium dicitur, quod attenta natura rerum determinatum eſt ad vnum, & comparatum ad voluntatem creatam non eſt in eius poteſtate ponere, & nõ ponere vel omittendo, vel oppoſitum eligendo; quomodo dicitur neceſſarium mori, & in operationibus dicitur neceſſariò intellectus aſſentiri primis principijs per ſe notis: Contingens verò, ac liberum eſt, quod poteſt a voluntate fieri, vel omitti; quæ videntur primæ notiones vocum iſtarum, iuxta quas dicimus amorem patriæ nõ eſſe liberum, non quia non ſit à volũtate libera; ſed quia libertas hæc in actu ſecundo impeditur à viſione clara Dei, qua poſita impetu rapitur voluntas ad ipſum amandum, quia obiectum repręſentatũ habet vim trahendi illam; & hæc aptitudinem, & inclinationem ad amandum. Et propterea communiter reijcitur modus loquendi Scoti aſſerentis Spiritum Sanctum liberè procedere à Patre, & Filio, quia à voluntate procedit; nam retenta ſignificatione liberi ab alijs Theologis cum S. Thoma probata, ſequeretur Spiritum Sanctum poſſe non produci, ac proinde non eſſe ſummè neceſſariũ, neque Deum, quod eſt hæreticum. Quamquam Suar.in 1.2.diſp.9.ſect.1. n.13. interpretatur Scotum, & Durandum locutos eſſe de libertate, quę opponitur coactioni, non immutabilitati, de qua ſupra locuti ſumus c.2.& 3. & eodem modo intelligendi cũ dicunt à Beatis liberè Deum diligi; ideſt non cogi ad amandum; licèt non poſſint non amare, ex quo reliqui communiter dicunt non eſſe liberos ad amandum; pro cuius adhuc maiori explicatione.

Explicatur dictum Scoti à Suar.

Notandum tertio, quod in probabili ſententia, quam tenet Vazq. de Incarn. diſp.74.c.5. docens liberũ fuiſſe

Chri-

Chriſtum Dominum in obſeruando præcepto impoſito à Deo de moriendo, vt ipſe defendit impoſitum fuiſſe, quod licet quoad ſubſtantiam nõ poſſet non implere, cum eſſet impeccabilis; tamen liber fuit, quia ex hoc,& illo affectu,puta caritatis, patientiæ, miſericordiæ, &c. poterat implere, quia de hoc nõ habuerat præceptum; ſicut neque de maiore, vel minori intenſione actus; & hæc libertas fuit ſufficiens ad rationem meriti. Quamuis autem impugnet hanc ſententiam Suar.de Incarn.diſp.37.ſect.3. coniungens libertatem cum præcepto, & impeccabilitate, ex eo quod præceptum eſt aliquid extrinſecum, & non afficiens, neque determinans intrinſecè voluntatem ad vnam partem; ſicut neque Dei præſcientia, & præfinitio; tamen ingenuè fatetur non poſſe ſatis impugnari illam ſententiam, nec validius ipſe impugnat, niſi deducendo, quod ſi præceptum fuiſſet cum omnibus circumſtantijs affectus, intentionis, loci, tẽporis voluntas Chriſti non fuiſſet libera in eius obſeruatione, cõtra quam ſequelã conceſſam à Vazq. ſolùm quærit, vnde conſtet non fuiſſe impoſitum præceptum Chriſto, hoc modo, & cum hac determinatione. Sed facilè aduerſantes reſponſionẽ in prõptu habent,vt ſalua maneret libertas; tandẽ fatetur nõ eſſe improbabilẽ rationem hanc ſaluandi libertatem; quicquid garriant cõtra illam moderni quidam, conuitijs eam lacerare conantes, quam conuellere rationibus nequeunt. Igitur hac probabili ſentẽtia admiſſa ſi quis aliam viam inire vellit defendendi libertatem dilectionis in patria confugere poſſet ad motiua diuerſa, quæ beatus ſibi proponeret in amando; non quidem intenſiùs, vel minùs intenſè, quia ſtante eodem lumine, & eadem viſione neceſſariò ſequitur dilectio ipſis proportionata; ſed ob hanc vel illam rationem obiectiuã ex multis, quas clarè videt in ſimpliciſſima entitate diuinitatis; pro quo.

Libertas Chriſti in ſeruãdo præcepto.

Suar.

LXXVII.

Diſtinctio virtualis in rebus attributis Dei.

Notandum quartò, in probabili ſententia de diſtinctione virtuali inter attributa diuina, & eſſentiam, ratione cuius de eadem reali, & ſimplici entitate diuerſimode conſiderata verificantur contradictoria, v.g. quod eſſẽtia ſit communicabilis, paternitas non ſit communicabilis; ſecunda perſona terminet immediatè naturam humanam, & det illi ſubſiſtere; non item eſſẽtia, ſequitur dari præciſiones obiectiuas in Deo, & Beatos cognoſcere vnum prædicatum non eſſe idẽ, quod ſuum contradictorium, de quo fusè P.Arriaga tom.2.diſp.9.à ſect. 3. agens de præciſionibus iſtis; & idem diceret, qui inter attributa abſoluta ſaltẽ propriè dicta ponunt diſtinctionem pluſquam rationis, & cognoſcibilitatem vnius diſtinctam à cognoſcibilitate alterius: in quo ſunt variæ ſententiæ apud Suar.de Deo tract.1.lib.2.ſect.22 & Sal.tom.1. in 1.2.quæſt.3.tractat.2. diſp.4. ſect.2. longum catalogum Auctorum texentem: Quod facit ad rem præſentem,eſt beatum videntem in ſimpliciſſima entitate varias rationes obiectiuas identificatas realiter cum eſſentia, & proinde infinitæ amabilitatis,liberum eſſe ad amandum Deum propter hanc, vel illam, v.g. quia omnipotens, quia iuſtus, quia miſericors, &c. ſicut proportionaliter ad ea, quæ contingunt in via arguere poſſumus ad actus patriæ. Hic enim peregrinantes à Domino,amare poſſumus, & laudare Deum quia bonus, quia miſericors, quia iuſtus, vt paſſim à ſacris litteris edocemur, licet ſciamus hæc attributa ex parte principalis ſignificati eſſe eadem realiter,vt diuerſa tamen obiecta apprehendimus cum fundamẽto in re amoris, laudationis, &c. Cur nõ igitur in patria vbi clarior eſt huius fundamenti cognitio, nõ liceat propter eaſdem rationes laudare,& amare, licet non amare ſimpliciter nõ ſit poſſibile? *Videbimus,inquit, S. Auguſt. lib. vlt.de Ciuit.c.29. explicatus à S. Bonau. in 4. diſt. 49. p.1. a.1. q.5.) amabimus, laudabimus, &c.* quia nimirum in pſal. 83 dicitur Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Sicut non ceſſant Angeli vna voce clamare dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth, qui eſt magnus, & laudabilis nimis, non ſolum quia quodlibet eius attributum eſt infinita laude dignum quoad intenſionem; ſed etiam quia extenſiuè tot ſunt in eſſentia, & perſonis tam multa motiua laudis, quot com-

amari poteſt Deus etiam in patria ob varia motiua.

Digitized by Google

comprehendi nequeunt ab intellectu creato. Quemadmodum igitur liberè poteſt beatus quilibet, modo laudare ſapientiam Dei, modo potentiam, modo bonitatem; ita & amare; cum qua tamen libertate electionis motiuorum ſtat neceſsitas amandi quoad ſubſtantiam, & quoad intenſionem, quæ ſequitur ad lumen, & viſionem, quæ non eſt in alijs actibus virtutum, quæ manent in Beatis: neque tamen hæc eſt libertas, vt accipitur à Scoto, vt patet ex dictis. Sed pro maiori adhuc explicatione.

LXXVIII. Notandum quintò, quod licet ſit controuerſia inter Theologos an omnes habitus virtutum maneant in beatis, tamen communis ſententia eſt remanere omnes, & aliquãdo exerceri aliquos actus earum contra Durand. in 3 diſt. 33. q. 4 negantem remanere illas, quę perficiunt appetitum ſenſitiuum, qualis eſt fortitudo circa difficilia, quę ibi non ſunt; & temperantia, quę circa delectationes ſenſus moderãdas verſatur, quæ in anima ſeparata non ſunt, & vnita corpori poſt reſurrectionem, non egebit hoc moderamine: quod ſolum probat non poſſe exerceri omnes actus virtutum defectu ſubiecti in ſtatu beatitudinis; non autem quod non aliqui, v.g. gaudij de ornatu illarum, & de actibus earum in via diſtincti à gaudio per caritatem. Ideo communem ſequuntur auctores citati, ſignanter Suar. in 1.2. diſp. 11. ſect. 2. referentis alios plures, S. Thomam. 1. 2. q. 67. a. 1. ex S. Auguſt. de Ciu. lib. 14. c. 9. & in 4. diſt. 14. q. 1. a. 3. reg. 3. Alenſ. S. Bonau. Gabr. & alios, quorum opinio eſt probabilis, quia iſti habitus nullam dicunt imperfectionem repugnantem ſtatui beatitudinis; ſed potius perfectionẽ illi conuenientem, quippe qui complectitur omniũ bonorum aggregationẽ, ac proinde tales habitus, qui ſunt animæ ornamenta, & diſponunt volũtatem, & afficiunt circa honeſtum vniuſcuiuſq; proprium, cum viſio, & dilectio diſponant vniuerſaliter circa omne appetibile. Sed S. Bon. loquitur de omnibus ſtatui beato cõuenientibus, vt infra.

Habitus virtutu manẽt in beatis.

Quod cũ verum exiſtimem, mihi ſufficit pro intento probandæ libertatis in electione obiectorum, & actus illarum, quod remaneant in beatis virtutum habitus, ſiue omnium, ſiue plurium, in quo ſenſu idem S. Bonauent. in 4. diſt. 49. p. 1 a. 2. q. 5. ad arg. *Ad illud, inquit, quod obijcitur quod actus gloriæ ſint plures, quia ſecundum omnes virtutes, patet reſponſio, quia etſi ſecundum omnes virtutes ſint, non tamen ſecundum omnes actus dotes accipiuntur, ſed ſecundum eos, qui tendunt immediatè in Deum, &c.* Dixerat autem in reſolutione tales actus appellari dotes, quia ſunt veluti diuitiæ animæ deſponſatæ; & de virtutibus Cardinalibus in particulari quomodo maneãt in patria docet in 3. diſt 33. a. 1. q. 6. In quarto autem citato loquitur vniuerſaliter de virtutibus, ideo refertur à Suar. de Incarn. diſp. 19. ſect. 2. pro ſententia, quam ipſe ſequitur, quod in Chriſto Domino, & in beatis ſint virtutes infuſæ, & acquiſitæ. Iam verò non eſt neceſſariũ, neque forte poſſibile, quod harum omnium virtutum remanentium in ipſa, exerceat ſimul omnes actus; neque apparet cur non poſſit pro ſua libertate diſtinctè illos exercere; ergo pariter poterit ob diuerſa motiua Deum amare, licet amore beatifico nunquam interrupto; cũ alij actus virtutum plurium non continuentur, niſi forte religionis, & laudationis per voces mentales illis reſpondentes, quibus in via laudatur à nobis ſubinde clamãtibus, Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum. Apoc. 7. Ex dictis facilis erit ſolutio argumentorum, ſi quæ ſoluenda manent præter allata ſupra c. 2. & 3.

S O L V T I O
Argumentorum.

C A P X V I I.

I. Non poteſt imponi præceptum de non amando Deo in patria.

II. Rationalis potentia eſt ad oppoſita, ſed non omnia.

III. Si Deus ſubtraheret concurſum ad dilectionem in patria, voluntas cum ordinario concurſu amaret actu naturali.

IV. Ratio, ſub qua ſpecificatiua actuum

actuũ voluntatis, & intellectus.
V. Confirmatio ex doctrina S. Auguſt.
VI. Non poteſt apprehendi dilectio Dei in patria ſub ratione mali.

Primum eſt.

LXXIX. QVIA ſi amor ſequitur neceſſariò viſionem beatam, non poſſet imponi præceptum beato à Deo de ceſſãdo ab amore, quod videtur inconueniens, ac repugnans dominio diuino in creaturas, præſertim in voluntatẽ. Probatur ſequela, quia præcepta non dantur à Deo de re impoſsibili; eſt autem impoſſibile voluntati ceſſare ab actu neceſſario, ad quem determinatur ab obiecto, ergo non poteſt dari præceptum de ceſſatione.

Confirmatur, quia, vt refert S. Bonau. in 2. diſt. 7. p. 1. a. 2. q. 1. in rationibus dubitandi ex Ariſt. 9. Metaph. t. 10. rationales potentiæ ſunt ad oppoſita; ergo ſi deſinant eſſe ad oppoſita, deſinunt eſſe rationales, quod eſt impoſſibile, non enim manens eadem potentia rationalis migrare poteſt in irrationalem. Quod argumentum coincidit cum alio probante, quod vertibilitas ineſt libero arbitrio per naturã. (S. Bonau.)

Nec valet dicere, quod determinatio ad vnum eſt per gratiam, quia gratia perficit naturam, & non deſtruit, ac proinde neque de vertibili, & libera reddit inuertibilem. Quo pertinent argumenta Scoti probantis dilectionem eſſe liberam ſupra ſoluta.

Reſpondeo ad argumentum negando cum Vazq. 1. 2. diſp. 16. c. 3. num. 18. contra Ferrar. poſſe à Deo imponi hoc præceptum, quia vt oſtendit 1. p. diſp. 97. c. 6. principium principale viſionis eſt lumen gloriæ ſuapte eſſentia (inquit) ſupernaturalis ordinis; cuius efficacitas non ſubditur imperio voluntatis, vt operetur, aut non operetur; vel intenſius, aut remiſſius operetur; ſed determinat intellectum ad viſionem in tali gradu: Ideo durante lumine, ſicut non eſt in poteſtate intellectus non videre Deum; ita neque in voluntate ipſum non amare, ob rationes allatas, ſicut neque in poteſtate voluntatis eſſet viſo obiecto delectabili ab oculo, cohibere omnino delectationem naturaliter conſequentem; ſed ſolum moderari exceſſum, & honeſtam reddere ex fine aliquo bono. Idque per ſe loquendo, & ſublatis impedimentis delectationis, quæ vel nulla, vel exigua eſſe poſſet in ſumma triſtitia, qualis non cadit in patria. (Vazq. — Non poteſt imponi præceptum de non diligẽdo Deum.)

Suar. etiam 1. 2. diſp. 9. cit. ſect. 1. nu. 18. negat imponi poſſe præceptum de ceſſatione dilectionis, quia neceſsitas huius actus eſt naturalis, & phyſica, & extra facultatem voluntatis. Neque hoc eſt contra dominium Dei, quod non extenditur ad impoſſibilia, vt nõ ſemel ex S. Bonau. & S. Thoma doctis ab Auguſt. diximus, quia hæc poſſe eſſet impotentiæ. (Suar.)

Ad confirm. reſp. ex S. Bonau. ibidẽ quod rationalis potentia eſt ad oppoſita; ſed non ad omnia oppoſita, & ideo non ſolum beati voluntas non poteſt peccare; ſed neque confirmati in gratia, & tamen eſt libera; de qua libertate ſupra egimus.

Neque determinatio hæc deſtruit naturam, ſed perficit; quia poſſe peccare non eſt perfectio libertatis, ſed defectus, vt S. Bonau. ibidem ex Anſ. de lib. arb. c. 1. & vniuerſaliter docet S. Aug. pluribus locis præſertim 5. Ciu. c. 10. quædam non poſſe perfectionem dicere, vt cum de Deo dicitur quod falli non poteſt. *Rectè quippe, inquit, omnipotens dicitur, qui tamen mori, & falli non poteſt. & mox. Vnde propterea quædam non poteſt, quia omnipotens eſt. ſicut etiam cum dicimus, neceſſe eſt eſſe, vt cum volumus libero velimus arbitrio &c.* Et non ideo ipſũ liberum arbitrium neceſſitati ſubijcimus, quæ adimit libertatem &c. quæ, & ſimilia quomodo ſint intelligenda ſupra explicauimus c. 2. 3. ex SS. Bonau. Thoma, Bellarm. & alijs: interim quod attinet ad præſens argumentum, non dicitur tolli libertas à viſione, ſed perfici, ac roborari, licet non poſſit non amare; ſicut non tollitur ex eo quod non poteſt peccare, quia ſicut in Deo hæc eſt perfectio increata; ita in beato eſt perfectio communicata, & alioqui cum neceſſitate amãdi ſtat facultas rationalis ad alia oppoſita, vt S. Bonau. ſupra ex Philoſophi; quæ aduertere rurſus oportet, ne confundatur voluntarium cum libero, & (S. Anſelm. — S. Auguſt. — Quædã Deus non poteſt, quia eſt omnipotens.)

dicatur ſaluari libertas vbicumque eſt voluntarium, etiam cum determinatione ad vnum, quæ eſt abuſio vocis, liberi propriè ſumpti.

Secundum Argumentum.

QVia ſi manente viſione Deus ſub traheret ſuum concurſum voluntati ad amorem beatificum, & non ſubtraheret concurſum vniuerſalem debitum creaturę ad operandum, quod facere liberè poteſt; ſequeretur quod voluntas cum auxilio naturali eliceret actum ſupernaturalem; quia ſicut quando determinatur à principio naturali elicit actum naturalem; ita quando determinatiuũ eſt ſupernaturale, actus eſt ſupernaturalis; In dato autem caſu determinatiuum eſt ſupernaturale, nempe Deus clare viſus; & viſio ipſa, quocũque demũ modo concurrat ad actũ voluntatis; ſiue efficienter influendo in ipſum; ſiue in genere cauſæ formalis extrinſecæ, eſt determinatiuum ſupernaturale; ergo & amor inde ſequens eſt ſupernaturalis. Ex alia parte ad actus ſupernaturalitatem cauſandam requiritur concurſus Dei ſupernaturalis, qui hic ſuſpendi dicitur.

Neque dicas ſubtrahente Deo ſuũ ſpecialem concurſum ſupernaturalẽ ad diligendum, voluntatem non amaturam; ſed ceſſaturam ab omni exercitio amoris; nam poſita applicatione obiecti cogniti ſub omni ratione boni, naturali impetu fertur in illud; & inclinatio hæc naturalis non minuitur à viſione, ſed potius augetur; ergo erũpet in actum amoris, vel neceſſariò, vt probabilius eſt, vel libere, quod parui refert ad punctum difficultatis, quòd amor ille videtur ex vna parte ſupernaturalis, ex alia naturalis.

Suar. Reſpondet Pater Suar. ſect. illa prima n. 22. contra aſſerentes voluntatẽ in eo caſu nullum actum dilectionis habituram, non denegatum iri à Deo concurſum naturæ debitum, vt volũtas oper tur, quantum naturaliter poteſt, & illo poſito operaturam aliquid circa obiectum ſupernaturale; quia cum cognitio requiratur tantum vt obiectum fiat præſens voluntati, per viſionem fit præſens; & licet ſit ſupernaturale, tamen in eo clare viſo apparet aliqua ratio naturaliter diligibilis, ob quam obiectum ſupernaturale conuenit cum obiecto naturaliter diligibili. Cum ipſo, & cum P. Ripalt. to. 1. de ente ſupern. diſp. 48. ſect. 1. plures alios referente n. 3.

Reſpondeo; ego concedendo non ceſſaturam voluntatem ab amore aliquo; negando tamen neceſſarium eſſe vt in obiecto applicato ſibi per viſionem cognoſcatur ab intellectu ratio aliqua diligibilis naturaliter: quia in ipſum obiectũ ſupernaturale materialiter ſumptum ferri poteſt volũtas, dum proponitur ſibi, vt bonum, ac amabile abſque diſtinctione facta ab intellectu de amabili naturaliter, vel ſupernaturaliter, vt patet in amore quo amatur Deus, vt auctor naturæ, & amari poteſt etiam vt auctor gratiæ, propoſitis duobus ijs motiuis voluntati vt excitetur ad amorem illius per vires naturales, ſi Deus nollet pręberc ſpecialem concurſum ſupernaturalem; ſed ſolum naturalem debitum cauſis ſecundis ad operandum. Simile eſt ſi ſpecioſus forma præ filijs hominum exhiberet ſe viatori videndum in decore ſuo; raperetur enim voluntas ad eum amandum, & colendum actibus naturalibus, ſi nollet Deus exhibere concurſum ad actus ſupernaturales; ſed ſolum concurrere iuxta exigentiam voluntatis, cuius natura eſt ad immenſam pulchritudinem excitari ad eius amorem, longe vehementius, quàm ad aſpectum aliarum rerũ pulcherrimarum, quæ amantur quia pulchræ ſunt; adeo vt Philoſophorum quiſpiam ſtultam reputauerit interrogationem quærentis, cur amentur pulchra; nimirum, quia huius non eſt alia ratio, quam amabilitas eorum proportionata, & conueniens appetitiuæ facultati.

Non eſt neceſſe in dato caſu diſtingui rationem naturalis, & ſupernaturalis.

Neque hunc amorem retardat ſupernaturalitas obiecti, ſed cum augeat rationem amabilis, trahit etiam potentius potentiam ad amandum; vt contingeret in corpore glorioſo, ſi cerneretur oculis cum dotibus gloriæ ſupernaturalibus; non enim minus amaretur quàm ſi ſolum cum naturalibus obijceretur.

Ra-

Rarò à priori eſt quia ratio boni in obiecto habet vim mouendi voluntatem magis, aut minus, prout illa maior eſt, vel minor; magiſue, vel minus cognita; & ſupernaturalitas poteſt ſe habere materialiter, non mouendo quatenus ſupernaturalitas, ſed quatenus bona, & conueniens potentiæ, etiam præciſis alijs formalitatibus; quia eminenter continet quæ propria ſunt obiecti naturalis.

Inſtabis ergo etiam poſita reuelatione ſupernaturali poterit Deus ſubtrahere concurſum fidei ſupernaturalis, & voluntas poterit per imperium naturale quod habet in omnes alias potentias ſibi ſubditas, mouere ad naturalem aſſenſum fidei viribus naturę eliciendum, & tunc crederet quis propter auctoritatem Dei reuelantis aſſenſu naturali, quod videtur contra ſcripturam, & patres aſſerentes fidem eſſe donum Dei. Sequela patet, quia poſita euidentia credibilitatis, aut reuelatione alio modo facta diuinitus, poteſt Deus nolle concurrere ad actũ ſupernaturalem fidei, relicta poteſtate voluntati determinandi intellectũ ad aſſenſum, qui ſi poſſet tribui dicto ſapientis hominis, aut Angeli; multo magis præberi poteſt Deo reuelanti; aſſenſus autem ob reuelationem eſt ſupernaturalis: quomodo igitur naturæ viribus eliciatur?

Poteſt elici actus fidei naturalis.

Reſpondeo, & concedo paritatem, & nego in eo caſu aſſenſum fore ſupernaturalem, quia vt docui dum ſecundam ſecundæ S. Thomæ explicarem, prima veritas reuelans eſt obiectum materiale; vel ſi formale appellare mauis, dicam eſſe rationem quæ, adhuc limitabilem à ratione ſub qua vltimo ſpecificatiua actus, vt ſpecificabilis ab obiecto. Hanc autem rationẽ ſub qua dicebam tunc, & rurſus in primo tomo explicaui, eſſe attingibilitatem obiecti à potentia tali modo verſare potente circa illud, v. g. in fide eſſe primam veritatem vt attingibilem ab intellectu eleuato per auxilium ſupernaturale, quomodo diſtinguitur à ſeipſa, vt attingibili per virtutem naturalem intellectus; atque ita actum fidei ſupernaturalis ex parte obiecti diſtingui per formalem hãc artionem; ex parte potentiæ per concurſum ſupernaturalem Dei ipſam eleuantis; quorum vtrumque requiritur ad actus ſupernaturalitatem, & defectu vnius deficit ſupernaturalitas, quia malum ex ſingulis defectibus; bonum ex integra cauſa; atque adeo tam aſſenſus fidei alicui myſterio eſſet naturalis, ſine auxilio ſupernaturali; quàm dilectio patriæ in dato caſu ſubtractionis concurſus ſupernaturalis, eſſet naturalis, ſed excellentior quolibet naturali vitæ huius; obiectiones contra hunc modum philoſophandi ſolui primo tomo, & iterum recurret mentio infra capite vltimo huius tertiæ partis. Interim ſatis ſit per hanc diſtinctionem facilè intelligi opinionẽ communiter receptam à Theologis circa myſteria fidei poſſe dari aliquem aſſenſum fidei acquiſitæ ſolis naturæ viribus, pro qua Suar. lib. 2. de gratia c. 10. citat auctores plurimos cum Sãcto Thoma 2. 2. q. 5. a. 3. ille enim fidei aſſenſus diſtinguitur ab aſſenſu ſupernaturali, tam ratione obiecti formalis, quàm potentiæ eleuatæ per auxilium ſupernaturale.

Confirmatur reſponſio ex doctrina S. Auguſtini.

Hic S. Pater lib. de Patientia c. 26. tom. 4. tractat quæſtionem difficilem, cuius reſolutio præbuit occaſionem Theologis varias explicationes excogitandi; quas neglexere negantes opus illud eſſe Auguſtini; quod tamen totum olet Auguſtinum, ſeu phraſim, ſeu doctrinam ſpectes, de gratia, de merito, de libero arbitrio, & ſimilibus, quæ aliàs paſſim in Auguſtini libris repetuntur: & iccirco magni ponderis ſint, quæ in eo opuſculo habet; & præciſa etiam auctoritate hac vexet ingenia, ratio cui innititur, ſuppoſita doctrina catholica de pœnis, atque adeo de martyrio, quod Chriſti cauſa ſuſtinetur verè a catholicis; per prætenſionem, & deceptionẽ ab à catholicis morientibus interdum pro ſuis ſectis. LXXXI.

Verba eius pro ratione dubitandi profero, tum ex eius reſponſione difficultatem vrgeo. *Si quis, inquit, non habens caritatem, quæ pertinet ad vnitatem ſpiritus, & vinculum pacis, quo* E c-

Eccleſia catholica cõgregata connectitur. in aliquo ſchiſmate conſtitutus, ne Chriſtum neget, patitur tribulationes, anguſtias, famem, nuditatem, perſecutionẽ, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel beſtias, vel ipſam crucem timore gehennarum, & ignis æterni: nullo modo culpãda ſunt; imo verò & hæc laudanda patienda eſt. Non enim dicere poterimus melius ei fuiſſet, vt Chriſtum negando nihil horũ pateretur, quæ paſſus eſt confitendo, ſed exiſtimandum fortaſſe tolerabilius ei futurum iudicium, quàm ſi Chriſtum negando, cuncta illa vitaret; vt illud quod ait Apoſtolus: Si tradidero corpus meum vt ardeam, caritatem autem non habeã, nihil mihi prodeſt, nihil prodeſſe intelligat ad Regnum Cœlorum obtinendum, non ad extremi iudicij tolerabilius ſupplicium ſubeundum. En argumentum cum ſolutione, tolerabilius ei fore in die iudicij, qui mori maluit, quàm Chriſtum negare.

Sed quæritur vlterius in quo diſcrepet confeſſio Chriſti in catholico, a confeſſione ſchiſmatici; ſiquidẽ vterque potius mori eligit, quam Chriſtũ negare: & augetur dubium, quia ſi ſchiſmaticus moriatur, vt defendat ſchiſma, aut articulum ſchiſmatis falſum, exiſtimans ſe peccaturum, ſi illũ neget; & ideo ne offendat ſua opinione Deum, vult potius mori, quam errorem habitum pro veritate, deteſtari: opus enim hoc patientiæ videtur donum Dei, ſine quo non poteſt eius amore velle vitam profundere. Ideo ſubdit S.Auguſtinus; *Sed merito quæri poteſt vtrum iſta patientia donum Dei ſit, an viribus tribuenda ſit voluntatis humanæ, qua quiſque ab Eccleſia ſeparatus, non pro errore, qui eum ſeparauit; ſed pro veritate Sacramenti, ſeu Verbi, quæ apud eum remanſit, timore pœnarum æternarum, pœnas patitur tẽporales. Cauendum eſt enim ne forte ſi Dei donum iſtam patientiam dixerimus, in quibus ineſt, etiam ad regnum Dei pertinere credantur. Si autem donum Dei eſſe negauerimus, cogamur fateri ſine adiutorio, & munere Dei in voluntate hominis eſſe poſſe aliquid boni. Neque enim hoc non eſt bonum, vt credat homo æterno ſupplicio ſe eſſe puniendum, ſi negauerit Chriſtum, vt pro iſta fide qualecumque ſupplicium perferat, & contemnat humanum. Proinde ſicut negandum non eſt, hoc etiam eſſe donum Dei; ita intelligendum eſt alia eſſe Dei dona filiorum illius Hieruſalem, quæ ſurſum libera eſt mater noſtra.*

Ex qua auctoritate, & multis alijs Suar lib. 1. de grat. c. 7. probat ex mente Auguſtini, etiam in infideli poſſe eſſe bonum aliquod morale ſaltem ex dono, & conciliat loca eiuſdem Sancti inter ſe ſpecie tenus aduerſa, è quorũ magna parte Auguſtinum contrariæ fuiſſe ſententiæ graues Theologi exiſtimant, quæ eſt quæſtio à propoſito præſenti aliena: ſicut & illa, quæ gratia requiratur ad bona opera moralia infidelium, & in particulari ad tam difficile, quale eſt martyrium toleratũ ne offendatur Deus: quod etiam prętendere poteſt hæreticus fide carens: vel ne incurratur ex tali offenſa reatus æternæ pœnæ; quo motiuo impelli poſſe ſchiſmaticum ad patiẽdam mortem docet ibidem S. Auguſt. quæ motiua diuerſimodè ſunt obiecta fidei, qua creduntur; fidelis enim credit pœnas inferni vero actu fidei, qui fertur in illas vt ſunt attingibiles ab intellectu eleuato auxilio ſupernaturali, ſuppoſita veræ Eccleſiæ propoſitione; infidelis vt ſunt attingibiles per aſſenſum naturalem, qui fides nõ eſt, neque formata, neque informis; ſed propria opinio, vt S. Thom. 2. 2. q. 5. a. 3. Item voluntas in vtroque verſari poteſt circa pœnas, & martyrium; ſed infideli ſunt obiectum volitum à potentia eleuata per auxilium ſupernaturale. In infideli verò ſunt obiectum, vt volitum viribus naturæ; & licet hæc voluntas, & paſſio ſit donũ Dei, non tamen eſt donum gratiæ iuſtificantis, aut propriæ filiorum Dei, & cohæredum Chriſti; ſed alterius rationis longe diuerſæ; ideo à S. Aug. ibidem c. 28. comparatur muneribus quæ dedit Abraham filijs concubinæ: gratia verò, & iuſtificatio hæreditati, quam ſeruauit Iſaac, qui fuit figura electorum ad Dei regnũ pertinentiũ.

Paſſio infidelis pro virtute æſtimata, an ſit donũ Dei.

Dices ergo, donũ Dei dictũ erit error, & falſitas, pro qua moritur ſchiſmaticus, aut hæreticus.

Reſpondeo, nego ſequelam, quia in infideli patiente mortem conſiderantur

rantur

rantur primo error in intellectu, & hic non dicitur donum Dei, ſed vitiũ, aut infelicitas aliunde proueniens, cõcurrẽte Deo ſolum vt cauſa vniuerſali permittente cauſas ſecundas agere ſuos curſus. Secundò, voluntas patiendi ob timorem offenſæ Dei, vel pœnæ æternæ, quam credit imminere ſibi, ni patiatur tormenta. Et hęc eſt donum Dei non filijs liberæ concedi ſolitum; ſed concubinarum. Tertiò eſt fortitudo, ſeu patientia in tormentis, at hæc non faciunt martyrẽ; ſed cauſa, ob quam tolerantur, à qua non poteſt abeſſe caritas, qua caret infidelis: ideo extra Eccleſiam non eſſe verum martyrium docet S. Aug. l.4. de bapt. contra Donatiſtas c. 17. t.7. & qui in ea ſecta, vel alia quapiam moriuntur pſeudomartyres ſunt; & vix ad pęnas vnquam afferunt animũ ab inordinatione liberum, aut inanis gloriæ, ac ſuperbiæ, aut iracundiæ, ac liuoris, aut alterius prauæ affectionis: cum veri martyres toti ſint in amore caritatis, & præter communia beneficia, quæ Sol iuſtitiæ effundit ſuper bonos, & malos, alijs peculiaribus gratię muneribus cumulentur, quibus parata merces eſt, ac hæreditas in cœlis, ſicut filijs liberæ.

Extra Eccleſiam non eſt martyrum.

Tertium Argumentum.

LXXXII. QVia ſi manent habitus virtutũ moralium tam infuſarum, quã acquiſitarum in patria; manet etiam inclinatio ad illarum actus exercẽdos, ſaltem vbi exerceri poſſunt ratione ſubiectorum, ergo cũ neceſſitas amoris conſequentis viſionem totum affectum trahat, non relinquit locum exercitio ipſarum; atque adeo poterit dilectio ſub hac ratione vt impeditiua boni, & libertatis ad plures alios actus exercendos apprehendi vt diſconueniens, ac proinde licèt in obiecto non appareat ratio vlla mali; tamen apprehendi poterit in actu circa ipſum, & vel odio haberi, vel intermitti.

Confirmatur, quia viſio ipſa, in qua conſiſtit beatitudo, vel eſſentialiter, vel virtualiter, non neceſſariò amatur amore concupiſcentiæ, cum ſatis ſit amor caritatis, & amicitiæ, ex cuius motiuis poteſt beatus præſtare quicquid præſtat amor concupiſcentiæ. Deinde quia viſio ipſa non eſt ſũmum bonum, quod neceſſariò trahat voluntatem, ſicut trahit obiectũ eius clarè viſum: quæ ratio valet etiã contra dilectionem.

Reſpondeo, ad argumentum manere in patria omnes virtutes, quæ conueniunt illi ſtatui, cæteras non conuenientes euacuari, vt ſunt fides ex S. Bonau. in 3. diſt. 31. a. 2. q. 1. & ſpes ex eodem in 3. diſt. 36. a. 1. q. 1. & idem eſſet de temperantia contra alios ſupra relatos, quos numerat, & ſequitur Suar. 1. 2. cit. cuius ſententia eſt probabilis; Sed Sanctus Bonauentura intelligendus eſt de omnibus virtutibus ſtatui beatifico conuenientibus; cui plures ſaltem conuenire certum eſt, vt ſupra notaui, & de illis valet argumentum, ad quod.

In patria manẽt virtutes illi ſtatui cõuenientes.

Reſpondeo, non poſſe concipi vt odibilem dilectionem, quaſi impeditiuam exercitij ipſarum. Primò, quia voluntas non eſt ita limitata, vt cum amore nequeat coniungere actus aliquos aliarum virtutum, ſicut neque intellectus vt nequeat elicere cum viſione actus ſcientiæ infuſæ, ac naturalis; quod ſi non poſſit voluntas omnes ſimul actus exercere virtutũ, quas habet, poteſt ſucceſſiuè, & licèt non poſſet; tamen repræsẽtari vt mala dilectione nequit, quæ ſola præſtat alijs virtutibus, & ita ſatiat appetitũ, vt nullũ locum relinquat tædio; apprehenditur autẽ vt honeſtũ tã magnũ, vt odio haberi nulla ratione poſſit: tam delectabilis, & iucunda eſt, vt torrente voluptatis eius potata mens, riuos aliarum delectationum non anhelet; ſed ſuauiter pro libito deguſtet; negandũ eſt igitur aſſumptum, quod odio haberi poſſit dilectio vt impeditiua boni.

Ad confirmationem communis reſponſio eſt, neceſſariò etiam hũc amorem conſequi ad viſionem, citat pro ea multos Sal. 1. 2. cit. diſput. 7. ſect. 2. Capr. Duran. Medinam, Valẽt. & alios, quibus adde Suar. 1. 2. cit. diſp. 9. ſect. 2. idque per ſe loquendo præciſo quolibet extrinſeco impedimento; & non ſolum quoad ſpecificationem, ſed etiã quoad exercitium.

Probatur, quia hic amor nullã habet imper-

imperfectionem licèt comparatus cũ amore amicitiæ minus ſit excellens; neque eſt ſtatui beatorum diſconueniens, in qua manet anima cum ſuis inclinationibus ordinatis; qualis eſt ad ſuam formalem beatitudinem vltimam, quæ quidem tanta eſt, vt impetu non ſubiecto libertati in eam feratur. Et hoc ad perfectionem beatitudinis pertinet vt imitetur quantum poteſt beatitudinem increatam Dei, qui ſuam beatitudinem non poteſt non amare, & vult, vt à beatis ſua ipſorum ametur in patria, ad quam amandam, & appetendam adiuuit in via; & vt gaudium ſit ibi plenum concurrit ad hunc amorem ſupernaturali auxilio; neque hunc concurſum reliquit poteſtati voluntatis; ſed adnexuit ſtatui beatifico, vt ipſi debitum; ſicut & concurſum cum cauſis ſecundis ad operationes conuenientes naturis illarum.

Amor viſionis neceſſario connexus eſt illis

Ad alteram partem confirmationis reſpondeo, viſionem vt finem vltimũ adeo eſſe delectabilem illam habenti, vt non poſſit non amari, licèt ſit bonũ creatum, quia eſt cum increato complens rationem beatitudinis, & ferens ſecum excellentia alia bona tam multa, & iucunda, vt non amari non poſſint; hoc enim eſt minuere felicitatẽ nolle amorem ſui boni.

Quartum Argumentum.

LXXXIII. NOn repugnat de abſoluta potẽtia dari creaturam intellectiuam, quæ non ſit appetitiua, ergo neque dari viſionem, quæ nullã habeat connexionem cum dilectione, & alijs actibus voluntatis.

Reſpondeo in primis hactenus nos eſſe locutos de viſione, & ſtatu beatorum, qui de facto ſunt, ſpiritus videlicet intellectiui, ac volitiui. Deinde ſi poſſibilis eſſent intellectiui, & non volitiui, viſionem illorum fore diuerſam ab ea, quæ de facto eſt: An verò ſint poſſibiles; quæſtio digna eſt, quæ diſcutiatur, & ideo videndum.

AN SIT POSSIBILE

Principium intellectiuum, quod non ſit volitiuum.

CAP. XVIII.

I. Duplex ſententia refertur.
II. Non implicat principium intellectiuum non volitiuum.
III. Probatur varijs rationibus.
IV. Reſpondetur argumẽtis cõtrarijs.
V. In ijs diſſeritur de connexione intellectiui cum appetitiuo.

TRACTANT accuratè quæſtionem hanc P. Erice in 1.p.tract.2.diſp.11. cap.3 P. Iulius Cæſar Recup.p.2. de Deo vno lib. 2.q.1. cap.3. ſequentes partem negatiuam: & P. Arriaga diſp.2. de Anima num.127. tenens affirmatiuam, & ſoluens argumenta contraria; non pendet quæſtio præſens ab illa vulgata, an potentiæ diſtinguantur à ſubſtantia animæ, tanquam accidentia ab ipſa manantia; vel ſolum ratione, itaut ipſa anima quatenus principium intelligendi vocetur intellectus, vt principium volendi appelletur voluntas; in vtraque enim ſententia quæri poteſt an principiũ aliquod intellectiuũ creari poſſit, quod non ſit appetitiuũ, quodcumque illud ſit, & ratio dubitandi eſt ſumma connexio, quam habent de facto iſtæ duæ potentiæ in homine, & in Angelo, propter quam videntur inſeparabiles etiã diuinitus. LXXXIV.

Prima ſent. negat.

Secunda affirmat.

Vnica Aſſertio.

NOn implicat contradictionem dari principium intellectiuũ, quod non ſit volitiuum: variæ excogitari poſſunt coniecturæ ad hoc probandum, ſed potiſſima eſt, quia nulla oſtenditur repugnantia, & ferè ſemper admittitur æquiuocatio in arguendo à connaturalitate coniunctionis potentiæ intellectiuæ cum volitiua, ad eſſentialem nexum vtriuſque, cuius probatio maximè eſſet neceſſaria, & tamen deſideratur hactenus, nec affertur ab aduerſarijs. Sed præterea LXXXV.

Digitized by Google

terea non deſunt argumenta, quæ probabilem reddunt noſtram ſententiam, & ſuadere illam poſsunt penetrantibus naturam hinc terminorum propoſitionis; inde vim diuinæ potẽtiæ ad plura ſe extendentem, quàm capere intellectus humanus ſua perſpicacitate queat.

Dantur gradus vitæ ſeparabiles.

Ex Ariſt. 1. Metaph. c. 1.

Vlterius ergo probatur, quia in ſerie viuentium datur de facto gradus vegetatiuus, qui non eſt ſenſitiuus, & in ſenſitiuis quædam audiunt, & vident, alia nequaquam; alia ſenſibus prædita ſunt, & ratione carent, & in ipſis ſenſibus viſio, & auditus, &c. cognoſcitiui ſunt, & non appetitiui, quippe appetitus ab interno ſenſu manat, & ab anima: igitur poſſibile etiam eſt intellectiuum principium, quod non ſit appetitiuum: cur enim de facto detur cognitio ſenſus, qui minimè appetitiuus eſt, & de poſſibili dari nequeat intellectus, ſiue creatura intellectiua, quæ ſiſtat in cognitione, & nihil appetat appetitu elicito? & hinc.

Secũdò probatur eadem pars, quia gradus appetitiuus eſt prædicatum nõ connexum eſſentialiter cum intellectiuo; ergo eſt ſeparabilis ab illo. Antecedens patet ex dictis ſenſibus, qui cognoſcunt, & non appetunt; ſequela probatur tum ad hominem negãtem ſeparabilitatem ob eſſentialem connexionem illorum; tũ abſolutè, quia quæ eſſentialiter non ſunt connexa, non ingrediuntur conceptum eſſentiæ ad inuicem, neque ſunt conſtitutiua eſſentiæ: igitur ſtat eſſentia ſine illis, & ſeparabilia proinde ſunt per diuinam potentiam in re, ſicut ſunt ſeparabilia per intellectum eorum naturam penetrantem.

Confirmatur, quia vel hæc prædicata inter ſe comparata ſe habent vt ſuperiùs, ac inferiùs in eadem linea prædicamentali; vel ſe habent vt duo diſparata. Si primum, cùm intellectiuum ſit prius, ad quod ſequitur appetitiuum, latiùs vagabitur, quàm appetitiuum, ſicut animal latiùs vagatur, quàm homo, & reperitur ſine homine in equo. Si ſecundum igitur non ſunt connexa eſſentialiter, ſed ſe habent ſicut albedo, & dulcedo, exempli gratia, in lacte, quæ manant quidem ab eadem ſubſtantia, & naturaliter connexa ſunt, ſed non eſſentialiter. Vnde etiam conſtat non eſſe differentias eſſentiales, quia ſe haberent, vt ſuperiùs, & inferiùs, & rediret argumentum. Quod ſi dicas eſſe proprietates eſſentiæ, ſicut ſunt riſiuum, & admiratiuum, ſeu riſibile, & flebile in homine ex æquo ipſi conuenientes, non probas impoſſibilem eſſe eſſentiam, cui vna tantum conueniat, nimirum eſſe intellectiuum, ſicut inuenitur intellectiuum, cui conuenit eſſe admiratiuum, puta angelica; & non riſiuum, quod inuoluit motum organorum corporis, quo carent Angeli. Atque hinc.

Datur intellectus non diſcurſiuus.

Confirmatur ſecundò aſſertio, quia magis intrinſecum prædicatum eſt, vel ſaltem non minus intrinſecum intellectui eſſe diſcurſiuum, quàm eſſe volitiuum, ſeu principium neceſſariũ ad volitionem; ſed in ſententia probabili S. Thomæ poteſt dari, imo de facto datur intellectus angelicus non diſcurſiuus; formaliter ergo etiã dari poteſt non volitiuus. Maior probatur loquendo de humano intellectu, quia diſcurrere eſt propria eius operatio, & in ipſo recepta; volitio verò eſt actus voluntatis, ad quam concurrit extrinſecè repræſentans obiectum. Minor eſt per ſe nota, in qua diſcrepant Thomiſtæ à Scotiſtis. Conſequentia eſt à paritate non inde petita, quod diſcurſiuum eſſe ſit prædicatum intellectus quà intellectus; ſed quà talis, ideſt humanus: Ex quo ſequitur, quod ſicut datur intellectus angelicus non diſcurſiuus, ita dari poteſt intellectus non volitiuus, ideſt quod non ſit principium neceſſarium ad volitionem: idq; probabiliter in ſententia probabili negante diſcurſum Angelis.

Tertiò, probatur principaliter, quia obiecta formalia intellectus, & appetitus ſunt ſeparabilia, ergo & potentiæ ad ipſa ordinatæ. Antecedens probatur, quia verum, in quod tendit intellectus, ſeparatur à bono, in quod fertur appetitus; ſenſus enim habet bonum, ideſt iucundum pro obiecto, & non verum, quod eſt intellectus, & hic non tendit in bonum, vt ſic formaliter; conſequentia patet, quia obiecta concurrunt ad ſpecificationẽ poten-

imperfectionem licèt comparatus cũ amore amicitiæ minus ſit excellens; neque eſt ſtatui beatorum diſconueniens, in qua manet anima cum ſuis inclinationibus ordinatis; qualis eſt ad ſuam formalem beatitudinem vltimam, quæ quidem tanta eſt, vt impetu non ſubiecto libertati in eam feratur. Et hoc ad perfectionem beatitudinis pertinet vt imitetur quantum poteſt beatitudinem increatam Dei, qui ſuam beatitudinem non poteſt non amare, & vult, vt à beatis ſua ipſorum ametur in patria, ad quam amandam, & appetendam adiuuit in via; & vt gaudium ſit ibi plenum concurrit ad hunc amorem ſupernaturali auxilio; neque hunc concurſum reliquit poteſtati volũtatis; ſed adnexuit ſtatui beatifico, vt ipſi debitum; ſicut & concurſum cum cauſis ſecundis ad operationes conuenientes naturis illarum.

Amor viſionis neceſſariò connexus eſt illis

Ad alteram partem confirmationis reſpondeo, viſionem vt finem vltimũ adeo eſſe delectabilem illam habenti, vt non poſſit non amari, licèt ſit bonũ creatum, quia eſt cum increato complens rationem beatitudinis, & ferens ſecum excellentia alia bona tam multa, & iucunda, vt non amari non poſſint; hoc enim eſt minuere felicitatẽ nolle amorem ſui boni.

Quartum Argumentum.

LXXXIII. NOn repugnat de abſoluta potẽtia dari creaturam intellectiuam, quæ non ſit appetitiua, ergo neque dari viſionem, quæ nullã habeat connexionem cum dilectione, & alijs actibus voluntatis.

Reſpondeo in primis hactenus nos eſſe locutos de viſione, & ſtatu beatorum, qui de facto ſunt, ſpiritus videlicet intellectiui, ac volitiui. Deinde ſi poſſibilis eſſent intellectiui, & non volitiui, viſionem illorum fore diuerſam ab ea, quæ de facto eſt: An verò ſint poſſibiles; quæſtio digna eſt, quæ diſcutiatur, & ideo videndum.

AN SIT POSSIBILE

Principium intellectiuum, quod non ſit volitiuum.

CAP. XVIII.

I. *Duplex ſententia refertur.*
II. *Non implicat principium intellectiuum non volitiuum.*
III. *Probatur varijs rationibus.*
IV. *Reſpondetur argumẽtis cõtrarijs.*
V. *In ijs diſſeritur de connexione intellectiui cum appetitiuo.*

TRACTANT accuratè quæſtionem hanc P. Erice in 1.p.tract.2.diſp.11. cap.3 P. Iulius Cęſar Recup.p.2. de Deo vno lib. 2.q.1. cap.3. ſequentes partem negatiuam: & P. Arriaga diſp.2 de Anima num.127.tenens affirmatiuam, & ſoluens argumenta contraria; non pendet quæſtio præſens ab illa vulgata, an potentiæ diſtinguantur à ſubſtantia animæ, tanquam accidentia ab ipſa manantia; vel ſolum ratione, itaut ipſa anima quatenus principium intelligendi vocetur intellectus, vt principium volendi appelletur voluntas; in vtraque enim ſententia quæri poteſt an principiũ aliquod intellectiuũ creari poſſit, quod non ſit appetitiuũ, quodcumque illud ſit, & ratio dubitandi eſt ſumma connexio, quam habent de facto iſtæ duæ potentiæ in homine, & in Angelo, propter quam videntur inſeparabiles etiã diuinitus.

LXXXIV. Prima ſent. negat.

Secunda affirmat.

Vnica Aſſertio.

NOn implicat contradictionem dari principium intellectiuũ, quod non ſit volitiuum: variæ excogitari poſſunt coniecturæ ad hoc probandum, ſed potiſſima eſt, quia nulla oſtenditur repugnantia, & ferè ſemper admittitur æquiuocatio in arguendo à connaturalitate coniunctionis potentiæ intellectiuæ cum volitiua, ad eſſentialem nexum vtriuſque, cuius probatio maximè eſſet neceſſaria, & tamen deſideratur hactenus, nec affertur ab aduerſarijs. Sed præterea LXXXV.

Digitized by Google

terea non deſunt argumenta, quæ probabilem reddunt noſtram ſententiam, & ſuadere illam poſſunt penetrantibus naturam hinc terminorum propoſitionis; inde vim diuinæ potẽtiæ ad plura ſe extendentem, quàm capere intellectus humanus ſua perſpicacitate queat.

Dantur gradus vitæ ſeparabiles.

Vlterius ergo probatur, quia in ſerie viuentium datur de facto gradus vegetatiuus, qui non eſt ſenſitiuus, & in ſenſitiuis quædam audiunt, & vident, alia nequaquam; alia ſenſibus prædita ſunt, & ratione carent, & in ipſis ſenſibus viſio, & auditus, &c. cognoſcitiui ſunt, & non appetitiui, quippe appetitus ab interno ſenſu manat, & ab anima: igitur poſſibile etiam eſt intellectiuum principium, quod non ſit appetitiuum: cur enim de facto detur cognitio ſenſus, qui minimè appetitiuus eſt, & de poſſibili dari nequeat intellectus, ſiue creatura intellectiua, quæ ſiſtat in cognitione, & nihil appetat appetitu elicito? & hinc.

Ex Ariſt. 1. Metaph. c. 1.

Secũdò probatur eadem pars, quia gradus appetitiuus eſt prædicatum nõ connexum eſſentialiter cum intellectiuo; ergo eſt ſeparabilis ab illo. Antecedens patet ex dictis ſenſibus, qui cognoſcunt, & non appetunt; ſequela probatur tum ad hominem negãtem ſeparabilitatem ob eſſentialem connexionem illorum; tũ abſolutè, quia quæ eſſentialiter non ſunt connexa, non ingrediuntur conceptum eſſentiæ ad inuicem, neque ſunt conſtitutiua eſſentiæ: igitur ſtat eſſentia ſine illis, & ſeparabilia proinde ſunt per diuinam potentiam in re, ſicut ſunt ſeparabilia per intellectum eorum naturam penetrantem.

Confirmatur, quia vel hæc prædicata inter ſe comparata ſe habent vt ſuperiùs, ac inferiùs in eadem linea prædicamentali; vel ſe habent vt duo diſparata. Si primum, cùm intellectiuum ſit prius, ad quod ſequitur appetitiuum, latiùs vagabitur, quàm appetitiuum, ſicut animal latiùs vagatur, quàm homo, & reperitur ſine homine in equo. Si ſecundum igitur non ſunt connexa eſſentialiter, ſed ſe habent ſicut albedo, & dulcedo, exempli gratia, in lacte, quæ manant quidem ab eadem ſubſtantia, & naturaliter connexa ſunt, ſed non eſſentialiter. Vnde etiam conſtat non eſſe differentias eſſentiales, quia ſe haberent, vt ſuperiùs, & inferiùs, & rediret argumentum. Quod ſi dicas eſſe proprietates eſſentiæ, ſicut ſunt riſiuum, & admiratiuum, ſeu riſibile, & flebile in homine ex ęquo ipſi conuenientes, non probas impoſſibilem eſſe eſſentiam, cui vna tantum conueniat, nimirum eſſe intellectiuum, ſicut inuenitur intellectiuum, cui conuenit eſſe admiratiuum, puta angelica; & non riſiuum, quod inuoluit motum organorum corporis, quo carent Angeli. Atque hinc.

Confirmatur ſecundò aſſertio, quia magis intrinſecum prædicatum eſt, vel ſaltem non minus intrinſecum intellectui eſſe diſcurſiuum, quàm eſſe volitiuum, ſeu principium neceſſariũ ad volitionem; ſed in ſententia probabili S. Thomæ poteſt dari, imo de facto datur intellectus angelicus non diſcurſiuus, formaliter ergo etiã dari poteſt non volitiuus. Maior probatur loquendo de humano intellectu, quia diſcurrere eſt propria eius operatio, & in ipſo recepta; volitio verò eſt actus voluntatis, ad quam concurrit extrinſecè repræſentans obiectum. Minor eſt per ſe nota, in qua diſcrepant Thomiſtæ à Scotiſtis. Conſequentia eſt à paritate non inde petita, quod diſcurſiuum eſſe ſit prædicatum intellectus quà intellectus; ſed quà talis, ideſt humanus: Ex quo ſequitur, quod ſicut datur intellectus angelicus non diſcurſiuus, ita dari poteſt intellectus non volitiuus; ideſt quod non ſit principium neceſſarium ad volitionem: idq; probabiliter in ſententia probabili negante diſcurſum Angelis.

Datur intellectus non diſcurſiuus.

Tertiò, probatur principaliter, quia obiecta formalia intellectus, & appetitus ſunt ſeparabilia, ergo & potentię ad ipſa ordinatæ. Antecedens probatur, quia verum, in quod tendit intellectus, ſeparatur à bono, in quod fertur appetitus; ſenſus enim habet bonum, ideſt iucundum pro obiecto, & non verum, quod eſt intellectus, & hic non tendit in bonum, vt ſic formaliter; conſequentia patet, quia obiecta concurrunt ad ſpecificationẽ

potentiarum medijs actibus; ergo ſi ſpecificatiua non ſunt eſſentialiter connexa, & ſunt ſeparabilia, etiam potentiæ ſunt ſeparabiles per diuinã potentiam, licèt de facto non ſeparẽtur: hoc eſt dicere, quod eſt poſſibilis intellectus diuerſæ rationis ab eo, qui nunc eſt in Angelis,& hominibus carens conſortio voluntatis.

Confirmatur,quia eſſe intellectiuũ, & non eſſe volitiuum non ſunt termini contradictoriè oppoſiti; ſiquidem hæc oppoſitio eſt inter intellectiuũ, & non intellectiuum, ergo poſſunt eſſe ſimul; itaut de creatura aliqua dici poſſit, quod ſit intellectiua, & nõ volitiua. patet ſequela,quia ſicut eſſe calidum, & non eſſe illuminatiuum poſſunt eſſe ſimul, licèt in luce Solis coniungantur, ita eſſe intellectiuum, & non volitiuũ, licèt naturaliter ſint connexa intellectiuum, & volitiuum. Ideo etiam à ſimili poſſumus arguere, quia lux Solis eſt calefactiua,vndecũque demum hoc proueniat, & hoc prædicatum conuenit illi ſaltem in ſecundo modo dicendi per ſe, ac neceſſariò; cum quo tamen ſtat, vt poſſit dari lucidum diuerſæ rationis à Sole, quod non ſit calefactiuum, vt patet in gemmis, ac lapidibus ſplendentiſſimis, quæ illuminant ſpatium, & non calefaciunt; ita dari poteſt intellectus, cui non conuenit coniungi cum appetitu.

Ratio potiſſima eſt diuina omnipotentia.

Sed ſumma omnium rationum eſt diuina omnipotentia, cui nihil negandum eſt, quod inuoluere contradictionem, vel immediatè, vel mediatè non oſtenditur; & alioqui plura poſſit Deus facere, quàm nos intelligere; Hæc autem duo intellectus ſine ordine ad volitionem, & voluntas ſine dependentia ab intellectu in terminis vniuerſalibus nullam inuoluant repugnantiam, vt infra patebit ex ſolutione argumentorum; & interim conferenti varietatem ſpecificam viuentiũ, & ſenſitiuorum cum intellectiuis,quæ condita ſunt facilè erit exiſtimare, quod diuina potentia ſe extendat ad plura diuerſæ ſpeciei ab ijs, quæ creata ſunt.

Atque hanc aſſertionem eſſe conformem doctrinę S.Bonau. conſtat ex dictis tom.1.diſp.1.c.3. regul.2. ad cognoſcendum, quæ inuoluunt contradictionem, & ſunt impoſſibilia ſecundum illuſtrationem veritatis æternæ, & ordinem diuinæ ſapientiæ, vt quod duo oppoſita inſint eidem ſecundum idẽ in cit. diſt.42 a.1.q.3. quod ibi explicatum eſt,& hic non habere locum manifeſtum eſt, quia intellectus, & voluntas ſunt diuerſa, & vnum eſſe ſine alio non habet apertam in terminis repugnantiam.

Reſponſio ad Argumenta contraria.

Primum eſt, volitiuum radicatur in intellectiuo vt ſic, & non in tali intellectiuo, ergo debet tranſcẽdere per omnia intellectiua,ſicut quia verum, bonum, vnum, &c. radicantur in ente, vt ſic, tranſcendunt per omnia, per quæ tranſcendit ens. Antecedens probatur,quia ſi non radicatur in intellectiuo vt ſic,ergo in intellectiuo creato, ergo non inueniretur in ente increato, vel in intellectiuo creato, v.g.humano, & ſic non participarent illud Angeli. Conſequentia patet, quia hoc dato eſſentiale prædicatũ eſt intellectiui coniũgi volitioni, & vice verſa,ſicut eſſentialis connexio eſt entis cum vero, & huius cum illo. Coloris cum viſibili, boni cum appetibili, &c. LXXXVI

Confirmatur, quia de facto omnia intellectiua ſunt volitiua, & è contrario, vt patet in homine, Angelo, & Deo, ergo ſignum eſt hoc conuenire naturæ, ac eſſentiæ intellectiui, vt ſit volitiuus, quod indicauit Ariſtoteles lib.6.moral. Nicomad.c.2. vocans appetitiuum intellectum,& intellectiuũ appetitum.

Reſpondeo ad argum.vel radicari, quod ponitur in antecedente ſignificat ſubiectari, & falſum eſt volitiuum radicari in intellectiuo; neque enim intellectus ſubiectum eſt voluntatis, neque intellectiuum volitiui. Vel radicari ſignificat dependere, & verum eſt de lege ordinaria voluntatẽ pendere in operari ab intellectu, & inſeparabilem eſſe ab illo; ſed quæſtio eſt de potentia abſoluta, an ſit poſſibilis voluntas non dependens, & intellectus non exigens voluntatis comitatũ; quo caſu per me poſſibili volitiuum non

non radicaretur in intellectiuo, quod argumentum non conuincit impoſſibile; nam quod aſſumitur, vel radicatur in intellectiuo vt ſic, vel in tali intellectiuo, eodem modo ſoluitur dicendo, quod ſi per radicari ſignificatur dependentia, vel coniunctio neceſſaria, conceditur de lege ordinaria, negatur de extraordinaria, & conſequenter dicitur, quod intellectiuo ſecundùm ſe, & abſtractè ſumpto non conuenit prædicatum appetitiui poſitiui, ſed abſtrahit; ſicut animal à rationali, & irrationali, & competit ratione talis intellectus, de cuius eſſentia eſt eſſe intellectiuum tale, quod ſimul ſit appetitiuum; ſed quod præterea repugnet alia natura, quæ non ſit appetitiua; non probat argumentum, neque vrget, quod aſſumitur, de intellectu creato, & increato: certum eſt enim, intellectum talem poſſibilẽ de quo eſt ſermo, eſſe creaturã à Deo producibilem; ſed neque hominem, neque Angelum, ſed quid medium ſimile in intelligendo, diſſimile in nõ appetendo; atque ita non valet, quod ſi tale reduplicat humanum non conueniret Angelo, & vice verſa; quia eſſe intellectiuum creatum abſtrahit ab vtroque, & prædicabile eſt de quolibet intellectiuo tam facto, quàm poſſibili, quale aſſero, & creari poſſe nõ appetitiuum contendo. Conſequenter non valet paritas de ente, & eius paſſionibus vno, vero, bono, quia iſtę non diſtinguuntur realiter ab ente; & ideo non ſolùm eſt connexio eſſentialis earum cum illo; ſed identitas; quo fit vt inſeparabiles ſint, quia idem ſeparari non poteſt à ſeipſo; ſecus in appetitiuo, & intellectiuo, quæ ſunt potentiæ, vel ſaltem actus ipſarũ diſtincti ſpecie, qui non ſemper ſunt ſimul, vt patet in cognitione obiectorum, circa quæ voluntas nullum affectum elicit. Et idem eſt de colore, qui non differt à viſibili, niſi ratione, ſicut neque appetibile differt à bono; & ideo conuertenter, ac neceſſariò prædicatur vnum de altero: non item intellectiuum, & volitiuum.

Ad confirmationem, ſi valet argumentum ſequeretur, quod Deus non poſſet producere nec vnum quidem Angelum differentem ſpecie ab ijs, qui facto ſunt producti, qui iuxta D. Thomam omnes differunt ſpecie, & non eſt exhauſta Dei potentia, itaut alios producere nequeat; ſecundùm alios ponentes multitudinem numericam in eadem ſpecie, Deus poteſt ſi velit, & numerum, & ſpecies multiplicare. Negatur igitur ſequela, quia non licet arguere à factis ad poſſibilia. Ariſtoteli nihil cum potentia obedientiali, & potẽtia abſoluta Dei.

Argumentum ſecundum.

LXXXVII Secundum argumentum eſt, quia talis natura intellectiua vel penderet in intelligendo à phantaſmate, & non differret ab humana; vel non dependeret, & eſſet Angelica; vtraq; autem eſt appetitiua: Tum vel eſſet inferior Angelo, aut æqualis, aut maior, & præterquam quod non poteſt explicari, in quo conſiſtat inæqualitas, aut æqualitas iſta, ſemper remanet difficultas quomodo nõ ſit ratio volitiui illi adiuncta: ſicut enim non poteſt dari bonum apprehẽſum, quod non fundet rationem appetibilis; ita ex parte potentiæ non poteſt dari apprehenſiuum, quin fundet appetitiuum.

Confirmatur, quia valet hæc cauſalis, ideo de facto appetimus hoc, vel illud, quia apprehendimus vt bonum, ergo valet hæc alia; ideo poſſumus appetere, quia poſſumus apprehendere, ſicut valet; ideo homo admiratur, quia poteſt diſcurrere; quare ſicut concluditur omne diſcurſiuum eſſe admiratiuum, ita & quod omne apprehenſiuum ſit appetitiuum. Idcirco rectè dictum à S. Anaſtaſio Sinaita in libro, qui inſcribitur viæ dux. *Perſpicuum eſt omne illud quod intellectu præditum eſt, etiam volendi potentia præditum eſſe. Nam voluntas omni rationali naturæ ineſt eſſentialiter, &c.* ad argum. S. Anaſtaſius Sinaita.

Reſpondeo, quod talis natura ſi nõ penderet à phantaſmate, non eſſet humana; ſi penderet, non eſſet angelica; quia non eſſet appetitiua, & vtroque modo eſt poſſibilis: poſſet autem perfectior eſſe ſecundùm quid Angelo etiam ſupremo, quia Deus poteſt illam creare magis intel-

lectiuam quàm illa ſit de facto; ſimpliciter autē diceretur imperfectior, quia careret nobiliſſima potentia, ex qua manant actus præſtantiſſimi dilectionis Dei, gaudij, fruitionis vbicūque eſſet, etiam in patria; & idem dici poteſt de ipſa comparata cum homine; & patet vnde petenda ſit ratio inæqualitatis, ab exceſſu videlicet virtutis intelligendi, qua vna præſtaret alteri, & defectu facultatis volendi, qua deſtitueretur hæc, quam poſſibilem defendimus. Quod autem additur non poſſe dari apprehenſiuum, quod non fundet rationem appetitiui, ſicut non poteſt dari bonum apprehenſum, quod non fundet rationē appetibilis, verſatur in quæſtione, & aſſumitur gratis; in noſtro enim caſu bonum apprehenſum non eſſet appetibile à tali intellectu, quia appetibile dicitur per comparationem ad appetitum, qui tunc non eſſet ex ſuppoſitione, quod daretur natura non appetitiua, ſicut de facto bonum honeſtū eſt appetibile, ſed non à brutis.

Ad confirmationem, illæ cauſales ſunt veræ, vel quia formantur ex cognitione rerum, vt conſiderantur ſecundum exigentiam, & curſum ordinarium naturæ; vel quia oppoſitæ inuoluunt contradictionem, vt quod diſcurſiuum non ſit intellectiuum, cùm diſcurrere ſit opus intellectus: At quod aliquod intellectiuum non ſit appetitiuum eſt ſupra curſum ordinarium diuinæ prouidentiæ; & nullam in terminis inuoluit cōtradictionem. S. Anaſtaſius ſi non loquitur de lege ordinaria, ſit in contraria ſententia, cum alijs exiſtimantibus repugnare, quod poſſibile nos putamus relicta ſua probabilitate contrariæ.

Tertium Argumentum.

LXXXVIII Tertium argumentum eſt, quia omnis intellectus indeterminatus ad exercitium intellectionis debet ab aliquo determinari; non eſt autem alia cauſa determinatiua, niſi volūtas. quod probant inducendo per ſpecies, obiecta, cauſam extrinſecam, quæ hic determinatiua non ſunt. quæ probatio prolixior nobis non obſtat; nam primò eadem difficultas eſt de prima cognitione, quæ non poteſt eſſe à voluntate, quia hæc non fertur in incognitū, ſed ſemper præſupponitur cognitio: quæro igitur à quo determinetur intellectus ad illam, & reſponſū applicabo reſponſioni. Deinde reſpōdeo directè determinationem poſſe eſſe vel à prima cauſa immediatè concurrente cum illa creatura, vt in ſimili ſupra explicauimus cum Suario 1.2 tract.2.diſp.2.ſect.3. n.16. vel miniſterio Angeli repræſentantis obiectum particulare per locutionem. Vel concreationi ſpeciei aptæ ad repræſentādum; vel alijs modis, quibus abundat diuina Sapientia, quæ ſicut non ſeruaret ordinem inſtitutum de facto in creatione, & conſeruatione vniuerſi, ita inſolitum modum excitandi nouā creaturam ad intelligendum vnum obiectum determinatè ex omnibus, quæ poteſt intelligere, adhiberet. Vnde ad intelligendum determinaretur.

Quartum Argumentum.

Qvartum argumentum eſt. Omnis natura intellectiua eſt capax fœlicitatis, ſeu beatitudinis, at hæc non eſt ſine gaudio, & fruitione vnde à S. Auguſt. l. 10. confeſſ. c. 23. dicitur gaudium de veritate, & à S. Thoma 1.2.q.3.a.4.c. ipſum gaudium vocatur conſummatio beatitudinis. LXXXIX.

Reſpondeo. Beatitudinis eſſe poſſibiles plures ſpecies reſpondentes varijs ſpeciebus intellectiuarum creaturarum poſſibilium, proinde non volitiuæ reſponderet fœlicitas, quæ contemplatio dicitur ab Ariſtotele 10. Eth. c. 8. & iuxta D. Thom. eſt beatitudo formalis; cum qua de facto eſt gaudium, & fruitio, quæ non eſſent in creatura purè intellectuali, & ideo eius beatitudo comparata ad volitiuā capacem graudij, & fruitionis eſſet incompleta; ſed ſimpliciter vt conueniens purè intellectuali diceretur cōpleta, quia vlterius compleri non poſſet per actus ſibi non proportionatos. Fœlicitas talis creaturæ eſſet in intellectione.

Quintum Argumentum.

Qvintū argum. Omnis ſubſtantia creata eſt mobilis localiter, ergo nulla eſt poſſibilis intellectiua nō volitiua. Antecedēs probatur, quia omnis

omnis ſubſtantia ſpiritualis, qualis eſt omnis intellectiua, mouere poteſt corpora, ergo & ſeipſam, alioqui poſſet denegari Angelis vis motiua cœlorum, & aliorum corporum contra Philoſophos, & Theologos. Conſequentia probatur, quia Ariſtoteles 12. Metaph. t. 38. colligit Dei immutabilitatē ex locali immobilitate, eo quod motio localis ſit prima inter mutationes, ideoque quod expers eſt mutationis localis, expers eſt omnis mutationis. Ipſum, inquit, ens immobile
Ariſtot. nullo modo contingit aliter ſe habere, latio namque prima mutationum eſt. Igitur omne mutabile eſt etiam mobile localiter. Ex quo ſequitur, quod ſit volitiua; nam ſi ſe mouet ab vno loco in alium apprehendit aliquod bonum in eo motu, & loco, ad quem pergit; ſignum ergo eſt, quod illud vult, non enim moueret ſeipſam ad eum acquirendum, ſi non appeteret ibi eſſe; in ſtatu enim neutro non volendi, neque nolendi, non ſequitur motus, & quicquid mouetur ab intrinſeco motum vult, vel appetit, quod notum eſt ex terminis, ſi non valeret inductio omnium ſe mouentium, eo quod ea in caſu extraordinario, per te non concluderet, in quo motus contingeret viuentis abſque eius appetitu, quod vix eſt intelligibile.

Confirmatur, quia omnis natura inclinatur ad ſuum bonum, non cognoſcitiua per appetitum innatum, ergo cognoſcitiua per elicitum, qui ipſi eſt proportionatus, & per quem differt à non cognoſcitiuis.

Ad argumenta.

XC. Reſpondeo. Tranſeat antecedēs, quod à pluribus negatur; vel quia Angelus de facto eſt in loco ſolùm per operationem, non per præſentiam localem, vt cōmuniter Thomiſtæ, non conuenientes in explicādo qualis ſit hæc operatio; vel quia non repugnat fieri creaturam ſpiritualem immobilem, cùm aliqui concedant etiam de corporali: quicquid tamen de hoc ſit, nego conſequentiā.

Ad probationem reſpondeo ex hypotheſi naturæ non volitiuæ mouere-tur ad locum aliquem appetitu innato non elicito à voluntate, qua caret. Sicut enim grauia, & leuia mouentur naturali inclinatione ad loca ſurſum, & deorſum poſita aliqua conditione, v.g. oleum immotum manens in lecitho ſi infundatur aqua, naturaliter aſcendit, & huic infuſum balſamum, ſupernatat, quod aliàs ſubſideret. Ita poſita aliqua cogitatione vel à Deo, vel aliunde immiſſa talis loci, in qua apprehenderet aliquid congeneum naturæ ſuæ, eo ferretur naturali impetu ſine deliberatione. Itaque probatio ex Ariſtotele non obſtat, quia admittitur motus non ſolùm diſcretus, ſed etiam continuus in tali natura, ac proinde mutabilitas nō cadens in primum ens immobile: Quamquā ibi Philoſophus habet expreſsè poſſe contingere motum ſecundum locum in ſubſtantia immobili, ideſt non aliter ſe habente.

Ex quo patet ad confirmationem; talis enim motus conueniret illi naturæ, qui non eſt à volente illum, aut appetente appetitu elicito.

Vltimum Argumentum.

Eſt. Quia ſi poteſt dari intellectiuum, quod non ſit volitiuū, poterit etiam dari volitiuum, quod non ſit intellectiuum; conſequens eſt abſurdum, quia illud eſſet volitiuū ex ſuppoſitione, & non volitiuum, quia de ratione voluntatis eſt libertas, quę non ſtat ſine propoſitione obiecti indifferentis. Sequela probatur à paritate vtriuſque principij, non enim maior eſt ratio de vno, quàm de altero. XCI.

Cum pluribus recentioribus nego ſequelam, quia de ratione voluntatis eſt ferri in bonum apprehenſum; ſicut enim non poteſt appetitus naturalis ferri in rem non habentem in ſe bonitatem; ita nec elicitus, ſeu volitio ferri poterit in obiectum non cognitum; nam quod in phyſicis eſt exiſtentia phyſica ad cauſandum, in obiecto voluntatis eſt exiſtentia per cognitionem vt appetatur; de hoc accuratiùs infra.

Quæres, an admiſſa poſsibilitate naturæ intellectiuæ, non appetitiuæ; XCII.

& vi-

& vice verſa, ſi illa natura aſſumeretur à Verbo, cognitio verbi poſſetne ſupplere cognitionẽ creatã, itaut ea dirigeretur voluntas nõ cognoſcitiuæ ſubſtãtiæ; non ſecus ac dirigeretur à propria cognitione ſi ea conſtaret? & vtrũ intellectio illa nõ appetitiuę ſubſtaret imperio voluntatis Verbi, non quidẽ vt Domini, cui omnis creatura ſubdita eſt, ſed vt ſuppoſiti dirigentis naturam illam; & ſupponimus cum communi Theologorum in 3. ſent. & 3.p. S.Thomæ poſſe aſſumi naturam etiam irrationalem ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia Verbi. Et ratio quęrendi hoc eſt, quia in eo caſu ſunt intimè vnitæ in vno ſuppoſito diuina, & creata, ac proinde operationes sũt theandricæ, ideſt Dei hominis in natura humana, & in alia ſimili appellatione gauderent.

Reſpondeo negatiuè quoad vtramque partem, quia ſicut naturæ manẽt inconfuſæ in humanitate aſſumpta, & operationes hominis diſtinctæ à diuinis, & omnes pendent à ſuis principijs ſubſtantialiter non mutatis, ac proinde iuxta ſuæ naturæ exigentiam operantibus, non poteſt dici quod diuina cognitio inſeruiat pro cognitione creata ad proponendum voluntati obiectum formaliter, neque quod diuina volitio inſeruiat pro creata ad imperandum intellectui. Operationes tamen dicerentur theandricę, quia ſunt ſuppoſiti diuini, licèt vnaquæq; à ſuo principio ſecundùm modum operandi naturæ humanæ, excepto malo. Sicut de facto contingit in natura humana Chriſti habente ſuas operationes diſtinctas à diuinis. Idem proportionaliter eſſet aſſerendum de naturis prædictis in caſu aſſumptionis earum. Et tunc inſurgit dubitatio, an operatio talis naturæ aſſumptę à Verbo eſſet meritoria & ratio dubitandi eſt, quia ad meritũ requiritur libertas, & ad hanc propoſitio obiecti indifferentis, quæ non eſſet in principio volitiuo non intellectiuo; ſi eſſet poſſibile; deeſt enim radix, in qua fundatur libertas, ideſt intellectus proponens obiectum cum indifferentia, & proinde non eſſet actus voluntatis deliberatiuę requiſitus ad meritũ ex S.Bonau. in 3. diſt. 18. a. 1. q. 1. & ſeq.

Ad merendũ requiritur libertas.

Reſpondeo, quod ſicut caſus eſt planè metaphyſicus, & extraordinarius; ita ſecundùm leges ordinarias meriti non eſt de eo diſſerendũ, inter quas potiſſima eſt libertas operantis, quæ in creatura non intellectiua nõ reperiretur. Quod ſi aſſumeretur natura irrationalis, v.g. Leonis, nec ſanctificaretur, neque mereretur beatitudinem, quia eius nõ eſſet capax, vt Suar. diſp. 4. de Incarn. ſect. 4. §. Ad tertium reſpondetur, fuſiùs explicat, & diſp. 14. ſect. 2. diſtinguit de ſanctificatione, prout dicit rectitudinem, & perfectionem actuum ſtudioſorum; & hæc non eſſet in natura irrationali; nec eſt de ratione vnionis illã cõferre, niſi in ſubiecto apto; vel vt dicit deificationẽ naturæ aſsũptæ, & ſic omnis natura aſſũpta ratione vnionis ſanctificata eſt, & digna adoratione, ſicut caro Chriſti in triduo. quæ quidem, & ſimilia abſona viſa ſunt Henrico, Carthuſ. Pico Mirand. & alijs negantibus irrationalem naturam aſſumptibilem eſſe à Deo; ſed reclamant S.Thom. Scotus cum vniuerſa Schola Theologorum, vt Suar. eadem diſp. 14. ſect. 2. & hęc ex ſuppoſitione principij volitiui, non intellectiui, pro quo quæritur.

Sanctificatio dupliciter accipitur.

AN POSSIBILE

Sit principium volitiuum non intellectiuum.

CAP. XIX.

I. *Senſus quæſtionis.*
II. *Non poteſt ferri voluntas in obiectum incognitum.*
III. *Examinatur ſententia S.Bonau.*
IV. *Notabilia ad eius intelligentiam.*
V. *Probatur auctoritate Patrum, & Scholaſticorum ſententia S.Bonauenturæ.*
VI. *Adduntur rationes ad eam confirmandam.*

XCIII.

NON eſt eadem hæc quæſtio formaliter, cum illa, an voluntas ferri poſſit in incognitum, quia de hac ſecunda diſputatur de facto an homo, qui eſt intellectiuus, & volitiuus poſſit per actum voluntatis tendere in obiectum aliquod, puta in Deum ſine vlla prorſus cognitione repræſentãte

Senſus quæſtionis.

ipſum

Digitized by Google

ipſum voluntati. Sunt tamen queſtiones adeo affines, vt ex vna poſſit argui ad probationem alterius, hoc eſt inferri poſſibilitas principij volitiui non intellectiui, ſi de facto probetur, quod voluntas fertur in incognitum, circa quam ſit.

Vnica Aſſertio.

XCIV. EST impoſſibile voluntatem ferri in obiectum omnino incognitũ, ſeu nullo modo apprehenſum, ac repræſentatum ab intellectu. Eſt communis Scholaſticorum in 2. ſentent. diſt.25.& in 1.2. D. Thomæ q. 9. a. 1. quam cum Thomiſtis ſequuntur Suar. in 1.2.tract.2.diſp 6.ſect.4.& in Meta. diſp.23.a ſect.7.& tom.2.de relig. l. 2. c.13.Vazq.1.2.diſp.35.Sal.1.2. tract.1. diſp.5 ſect.1.P Roder.de Arriaga diſp. 7.de Anima ſect.4.ſubſect.1:

S.Thom. Suar. Vazq. Sal. Arriag.

Quorum aliqui citant pro contraria Durand.in primo diſt.3. 2.p. q.4 à n.14. Palud.in 4.diſt.49.q. 1.a.2. Sed immeritò,quia apertè docent contrarium, ſicut & Ferrar.3.cont.gent.c.89 §.ad euidentiam; *Voluntas, ait, non fertur in bonum, niſi ſit cognitum, & apprehenſum per intellectum, ideo neceſſe eſt eſſe aliquem actum intellectus, qui omnẽ actũ voluntatis precedat, &c.*

De mente S.Bonauent magis dubitari poteſt, quia communiter refertur pro contraria; ſed quia multa habet, quæ fauent communi; ſi benè examinentur, animus mihi eſt in præſentia hoc præſtare, & quomodo intelligenda,quę habet de volũtate tendente in Deũ ſine vlla cognitione,perpendere.

Igitur S. Bonauentura in tract. de myſtica theologia qui habetur tom.7 alias 2.opuſculorum Romanæ impreſſionis, videtur de lege etiam ordinaria, probare quòd voluntas aliquando feratur in Deum ceſſante omni operatione intellectus. Idque in perfectè contemplatiuis contingere teſtimonio S. Dionyſij confirmat, & fusè declarat, ſolutis quæ in contrarium obijciuntur argumentis. Et licet dubitauerint aliqui an illud opuſculum ſit S. Bonau., an Henrici de Palma Carthuſiani; tamen ſimilitudo eius cum cæteris opuſculis, ſuadet germanum eſſe eius partum, & pro tali reputatur à Bellarmino l. de ſcript. Eccleſiaſticis in Verbo Bonau; certè in Itinerario tom. 7. diſertè fatetur totum affectum transformari in Deum, & relinqui omnem intellectualem operationem; quæ & ſimiles phraſes repetuntur in Itinerario, de quo nemo dubitat eſſe opus à S. Bonau. compoſitum; vt iccirco P. Vazq. ſupra diſertè hanc ſententiam illi tribuat, quem Faber mox citandus ignorantiæ (ſi ſuperis placet) in percipiendo Seraphici ſenſu, arguere non veretur: ſed arguat etiam alios eodem modo interpretantes, inter quos Io: Gerſon. Cancel.Pariſienſ. in Alphab. 66. lit, T. tractatu de myſt. Theol. & Suar. infra.

S.Bonau. Bellarm. Vazq. Io. Gerſon.

Sed quia hæc doctrina videtur difficilis, communiter reijcitur, à Theologis; & à paucis negatur eſſe S.Bonauent. Ex quibus Faber Scoti commẽtator in 4. ſent. diſt. 14 diſp. 9. n.371. negat, à S. Bonau. doceri quod voluntas feratur in Deum incognitum; hoc eſt ſine cognitione vlla; ſed ſolùm ſine cognitione, quę acquiratur per diſcurſum, & ſpeculationem à rebus creatis, qualem habent Philoſophi; non autem ſine cognitione, quam habent viri perfecti, & contemplatiui, quorum mens interdum inflammatur amore mirifico à Deo, & rapitur ad ipſum, in eoque mergitur omnium aliarum rerum oblita; at non Dei ipſius, cuius cognitio potius amore illo augetur, ac mirè perficitur; Idque confirmat, quia talis cognitio Chriſtianorum propria eſt;& proinde ſupponit fidem quę eſt virtus intellectiua, vt locis citatis habet S. Bonauentura.

Faber.

Verùm expreſſè in illis excludit Sãctus omnem prorſus cognitionem actualem entis, cuiuslibet, & non entis: cui non obſtat, quod ardor ille, quo mens inflammatur, ſit ſolùm in habentibus fidem; quia ſufficit habitualis, quam in eo raptu non exire, in actum diceret aduerſarius. Ideo ad plenam explicationem ſenſus D. Bonauent. aliquid addendum eſt.

Pater Vazq. loc. cit. reſpondet ad S. Dionyſij auctoritates, quibus nititur S. Bonau. doctrina, non excludi in illis omnem cognitionem neceſſa-

Vazq.

rium

Digitized by Google

riam ad vnionem cum Deo per amorem illum perfectum; ſed earum tantùm rerum, quas aliunde ſcimus, & vidimus, cui opponitur indocta ſapientia; ideſt negatio earum omniũ; qualis eſt quod Deus non ſit Angelus, non ſit homo, non ſit ſol &c. imò nec quicquam eorum, quæ de ipſo affirmamus, vt quod ſit ſapientia, potentia &c., quia non conueniunt Deo vt à nobis cognoſcuntur; & hanc ait vocari doctam ignorationem, quia ignoratur quid ſit ipſe Deus, & ſolùm ſcitur quod ſit.

Sed hæc expoſitio non excludit omnem operationem intellectus, vt excluditur à textu S. Bonauenturæ loc. cit. Itiner. cuius hæc ſunt verba. *Tu autem, ò amice, circa myſticas viſionis corroborato itinere, & ſenſus deſere, & intellectuales operatione, & ſenſibilia, & inuiſibilia, & omne non ens, & ens &c.* Nihil ergo vult intelligi, ſed relinqui omnem operationem intellectus; quod accepit à S. Dionyſio, cuius auctoritates recitat, quibus apicem affectionis principali dignatione vniri ſine vlla operatione intellectus Diuino Spiritui contendit. Vnde infert S. Bonauentura; *non requiritur in myſtica affectione aliqua cogitatio, vel cognitio intellectus*, quæ illatio, vt ſonant verba, paulo durior eſt; & ideo conſentanea doctrinæ Seraphicæ explicatione mollienda eſt, vt cõmuni Theologorum ſententiæ fiat ſatis, quibus videtur in intelligibile quod voluntas tendat in obiectum ſibi non repræſentatum ab intellectu.

Notanda pro intelligentia dicti S. Bonau. quòd voluntas aliquando fertur in Deum ceſſante omni operatione intellectus.

XCV. Illud primò certum eſt in omni ſententia Theologorum amoris raptum, quo voluntas perfectæ virtutis, & contemplationis viatorum paucorum, tendit in Deum, eſſe inferioris ordinis ab illo, quo beati in patria feruntur in ipſum clarè viſum; quia in illo ſtatu beatitudinis omnes operationes intellectus, ac voluntatis longè ſunt perfectiores, quàm operationes viæ, & illis conuenit Apoſtoli dictum de fide. *Cum autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt* 1. *Corin.* 13. Cuius rationem aſſert S. Bonau. in 3. diſt. 14. a. 1. q. 3. ad arg. quia Deus condeſcendit in animam per gratiam, & eleuat illam, vt fiat deiformis; & intellectus eius Deo reddatur ſimilis, & intelligens. Et ibidem manifeſtè ſubdit, quod in ipſa viſione anima iudicat de ſe ipſa, & de lumine, quod intuetur; nec impeditur ab actu amoris, qui vehementiſſimus eſt, ab iſtis operationibus intellectus; ſed potius iuuatur. Conſequenter igitur ad hæc, concedendum in doctrina S. Bonauenturæ raptus illos contemplatiuorum ad amorem Dei, qui ſimilitudinem quandam habet cum amore patriæ, non ſeparari à cognitione Dei cuius, amore inflammantur; neque hanc ſeparationem pertinere ad illorum perfectionem.

Operationes in patria longe perfectiores quã in via.

1. Cor. 13.

Secundò notandum quod ſicut in patria non ſunt volubiles cogitationes beatorum, vt S. Auguſt. 15. Trin. c. 16. Relatus à S. Bonauen. in 3. diſt. 14. a. 2. q. 2. init. hoc eſt, vt ibi explicat ad argum: per inquiſitionem, ſeu ratiocinationem, & diſcurſum; ſed per ſimplicem intuitum videbitur Deus, & creaturæ; ita in raptu contemplationis, quo perfecti aliqui homines euehuntur ad apicem affectionis, ſiſtit mens in Deo ſumma cum quiete, & ceſſat à diſcurſu, & inquiſitione rerum omnium, tam viſibilium, quàm inuiſibilium; non tamen à ſimplici cognitione Dei, cuius amore inflammatur; & hoc ſentire S. Bonauenturam argumento eſt primò, quia S. Dionyſius, cuius doctrinam ſequi ſe apertè profitetur c. 7. de diuinis nomin. cum illa mentis abſtractione à creaturis, ac intima vnione cum Deo per amorem, coniungit ſapientiæ illuſtrationem, quæ ſine dubio intellectus eſt, & non voluntatis amantis. *Eſt etiam (inquit) rurſus diuina Dei ſcientia, & notitia, quæ ignoratione hauritur per coniunctionem, quæ mentem omnem ſuperat, quando mens ipſa à rebus omnibus abducta primum, deinde etiam ſe ipſam deſerens, cum ſplendidiſſimis radijs coniungitur, atque illinc, & ibi inueſtigabili ſapientiæ profundo illu-*

S. Auguſt.

S. Dionyſ.

luſtratur &c. Quis non videat à S. Dionyſio adſtrui altiſſimam cognitionis ſpeciem, quam profundum ſapiẽtiæ nominat, eoque demergi per eximiam illuſtrationem contemplatiui animam, dum amore illo inflammari aſſeuerat? Secundò Vterque Doctor Dionyſius, & Bonauentura diſtinguit cognitionem, quæ habetur per diſcurſum, vt à creaturis tendit in Deum, ac Philoſophantium propria eſt, ab illa, quam ſortiuntur contemplatiui, qui tali inflammatione accenduntur in Deum; & hanc longè excellentiorem quidem aſſerunt, & liberam ab inquiſitione, & diſcurſu prædicant; ſed ab amore, & raptu non diuidunt, eo ſolùm ſolliciti, quòd mens amore feruens tranſcendit cognitionem omnem rerum aliarum, contenta ſimplici intellectione Dei, quo ſumma cum tranquillitate fruitur amando; & ideo dicitur hauriri notitia, & ſcientia per ignorationem, non tamen Dei amati, cum quo ſplendidiſſimis radijs coniũgi fatetur S. Dionyſi, & profundo ſapientiæ illuſtrari. Tertio hoc indicant etiam voces, & modus loquendi Doctorum iſtorum, nam Seraphicus in myſtica Theologia q. vnica c. 3. partic. 3. ex S. Dionyſio, *conſurge, ait, ad eius vnionem, quæ eſt ſuper omnem ſubſtantiam, & cognitionem &c.* Intellige ſuper omnem ſubſtantiam, quæ à nobis cognoſcitur, & modo, quo cognoſcitur; Sic enim etiam negatur, quod Deus ſit ſubſtantia, quia videlicet non talis eſt ſubſtantia, qualis à nobis intelligitur; ſed infinitè perfectior, quàm à creatura naturaliter poſſit intelligi: quemadmodum igitur in hoc ſenſu iubet Dionyſius amicum conſurgere ſupra omnem ſubſtantiã; ita & ſupra omnem cognitionem: proinde ſicut conſcenſus in Deum ſimpliciter eſt ad ſubſtantiam; ſed infinities excellentiorem qualibet creata, vel creabili; ita eſt ad cognitionem; ſed longè perfectiorem omni alia, qua non perfectè contemplatiui ſe exercent, & euehere ſe conantur ad inuiſibilia proprio labore, ac induſtria.

Neque vana eſt coniectura ex verbis S. Bonau. ad caput illud ſeptimum de diu. nom. quod Deus cognoſcitur per tactum amoris, indicans coniunctionem cognitionis cum amore; & ipſius S. Dionyſ. in fine capitis. *Atque hoc ipſo quod nihil cognoſcit, mentem etiam cognoſcendo vincit, ac ſuperat &c.* Igitur in eo conſcenſu mentis ſupra ſe non deeſt cognitio, qua mens ſuperatur.

Confirmatur, quia ambo vtuntur voce (cogitationis) quam abeſſe ab illo raptu teſtantur; quia cogitatio propriè cum aliquo diſcurſu, & conatu eſt; qui verò prædicto modo inflammantur à Deo, & ipſi vniuntur, neque ratiocinantur, vt ſupra S. Bonau. ex S. Auguſt.; neque vllum conatum, aut loborem adhibent; cum potius diuina patiantur; ſicut & qui vident clarè Deum per influentiam luminis. *Anima, inquit S. Bonau. in 3. cit. diſt. 14. a. 1. q. 3. ad arg. in cognoſcendo Deum plus eſt in ſuſcipiendo, quã in agendo.*

Porrò conatum aliquem ſignificari per verbum cogito, docet S. Aug. l. 10. Confeſ. c. 11. dicique à cogendo autumat; quaſi animus colligat, velut ex quadam diſperſione quæ nouerat, & diſcurrendo colligare in ſeipſo dici poſſet: quam coactionem non contingere dum anima ardentis amoris flamma fertur in Deum; non ſolùm, qui apicem affectionis contingunt; ſed etiam ordinarij contemplatiui experiuntur.

S. Auguſt.

Cogitatio à cõgendo ſeu colligendo.

Tertio Recolenda doctrina S. Bonau. pluribus locis, ſed præſertim in 2. ſent. diſt. 25. p. 1. art. vn. q. 6. ad argum. & in 3. diſt. 34. a. 1. q. 2. ad arg. vltimum, quòd voluntas ſequitur rationem, & iudicium: quæ eſt communis ſententia Philoſophorum ex 3. de Anima ac Theologorum in 2 diſt. 25. & 1. 2. q. 9. cum S. Thom. requirentiũ iudicium rationis ad volitionẽ Igitur vbi non præcedit ratio, vt quid neceſſario requiſitum ad actum voluntatis, non ſequetur volitio.

Voluntas ſequitur iudicium.

S. Thom.

XCVI. Neque valet, hoc dici de lege ordinaria, non de potentia abſoluta, aut de caſu extraordinario; quia Philoſophi, ac Theologi illud pronunciant attenta natura, & eſſentia voluntatis, quæ cum de ſe ſit potentia cæca, non poteſt eſſe operatiua, niſi dependenter à ratione; ſicut ſi diceretur de eſſentia hominis eſt, vt ſit intellectiuus,

Volũtas potentia cæca.

non valeret diſtinctio de lege ordinaria, vel de potentia abſoluta; quia Dei potentia non mutat eſſentias rerum, neque facit contradictoria; quale eſſet quod homo non ſit intellectiuus; quia eſſet homo, & non eſſet homo, quod implicat; Ita neque quod ſit voluntas, & operetur independẽter ab intellectu, quia eſſet, & non eſſet voluntas: Idque ſecundùm naturalem exigentiam, quia dato quod Deus poſſet conſeruare volitionem, nõ autem intellectionem, adhuc tamen volitio exigeret dependentiam ab intelectu, ſicut accidentia quæ ſuſtentantur à Deo ſine ſubſtantia, ex ſua natura poſtulant inhærere ſubſtantię, & ab illa pendere; idque valet ad intelligendam dependentiam volitionis ab intellectione, nam de cætero eſt diſparitas, quia hæc dependentia actualis eſt de eſſentia volitionis, vt infra patebit.

S. Bonauen. Confirmatur ex eodem S. Bonau. in 2. diſt. 25. a. 2. q. 3. ad arg. vbi de ratione voluntarij ait eſſe non ſolùm, quod ſit à principio intrinſeco; ſed etiam vt ſit à cognitione ſingularium, & circumſtantiarum; quod docet etiã S. Thomas 1. 2. q. 6. ar. 8. & omnes Theologi cum Ariſtotele: quòd ſi admittatur principium volitiuum non intellectiuum, peruertitur tota doctrina communis inter ſapientes de definitionibus voluntatis, & voluntarij.

Definitiones autem propriæ rerũ, qualis eſt allata voluntarij, ſunt immutabiles; ideo ſicut non poteſt dari homo quin actu ſit rationalis, & non ſolùm aptitudine; ita neque voluntarium, quod non ſit à principio intrinſeco cognoſcente &c.

Sit ergo concluſio in via S. Bonau. Voluntatem non poſſe ferri in incognitum, neque velle in caſibus commemoratis ex S. Dionyſio, ingentis ardoris, quo mens perfectè contemplatiuorum inflammatur, & per apicem affectionis vnitur Deo, nullam prorſus remanere cognitionem, aut cogitationem de Deo amato; ſed ſolùm ceſſare diſcurſum, & cognitionẽ, qualis extra caſus illos tam ſublimis contemplationis, communiter habetur, non ſolùm naturali ſtudio; ſed etiam ſupernaturali auxilio ab hominibus contemplationi deditis: & hanc eſſe mentem S. Bonauenturæ, & non illi affingi, cum ſuperius dicta comprobant; tum verò textum legẽti de myſtica theologia ita manifeſtum fieri poteſt, vt vel anſam omnem ambigendi præcidat, vel ſaltem ſuſpendat aſſenſum ad aſſerendum, quòd S. Bonauentura ſentiat voluntatem ferri poſſe in omnino incognitum, nam & c. 3. part. 4. de myſt. theol. hęc habet *Vnde, cum ſit triplex cognitio, vna videlicet quæ per ſpeculum creaturarum ſenſibilium reſpicit, quæ docetur à Richardo de S. Victore in arca myſtica, vbi per quadraginta duas conſiderationes olim in populo Iſraelitico ab Aegypto ad terram promiſſionis veniente expreſſiſſimè figuratas docet peruenire, & per ſex gradus aſcendere ad omnium creatorem. Alia eſt quæ intelligentiæ exercitio per immiſſionem ſpiritualium radiorum docet primam cauſam per effectum cognoſcere, & in omne exemplatũ per conſiderationem exemplaris ad veritatem immutabilem peruenire &c.* Alia ex iſtis multò excellentior per amorem ardentiſſimum vnitiuum, quæ actualiter ſine omni medio animam diſponente, ardentiſſimè facit ad dilectum ſuis extenſionibus ſurſum actiuis conſurgere: quæ myſtica theologia tradita in apice affectiuæ conſurgit; quæ conſurrectio ignorata, vel per ignorantiam dicitur, vt remoto omnis imaginationis, rationis, intellectus, vel intelligentiæ exercitio per vnitionem ardentiſſimi amoris id ſentiat in præſenti; quod intelligentia capere non ſufficit; imò quod potius eſt, omnis ſpeculatiua cognitio, totaliter ignorat, & mox. *In quantum potentia motiua potentia cognitiua excellentior; In tantum cognitio per amorem vnitiuum, quantum ad diuinorum ſecretiſſima penetranda omni cognitiua apprehenſione nobilior eſt. Vnde & hæc à beato Dionyſio incomparabiliter omnes alias excedens definitur ſic. Sapientia eſt Dei diuiniſſima cognitio per ignorantiam cognita, & non tantum præclarior, imò etiam eſt vniuerſalior; & vtilior alijs ſcientijs, cognitionibus, & apprehenſionibus dicitur.* Quæ non tantùm affectum ſupra ſe erigit, & amore

Digitized by Google

re eſtatico perfectè vnit ſponſo altiſsimo creaturam; ſed inſuper in tantum eleuat intellectum, vt multò plus omni prudentia, & cognitione diuinis fulgoribus illuſtretur, quam aliquo exercitio ingenij valeat obtineri, &c. Ex quibus conſtat cum illo perfecto amore, quo anima inflammari dicitur, coniunctã eſſe cognitionem; ſed adeo excellentem, vt nulla alia ſit illi comparabilis in via: nam primò hoc conſtat ex titulo ipſo, qui eſt de triplici cognitione, & cum diuiſionis huius membrum vnum ſit per amorem ardentiſſimum vnitiuum, quis neget per illud numerari veram cognitionem? Sicut ſi dicatur animal aliud eſt rationale, aliud irrationale, ſine dubio per irrationale ſignificatur animal: & quemadmodũ eſſet abſurda diuiſio, ſi diceretur animal aliud eſt rationale; aliud eſt elementum; ita abſurda eſſet diuiſio, ſi diceretur cognitio alia eſt per ſpeculũ creaturarum ſenſibilium, &c. alia eſt affectio voluntatis; vtpotè manifeſtè repugnans regulis bonæ diuiſionis apud dialecticos. Deinde hoc probant voces illæ, cognitio per amorem vnitiuum. Sapientia eſt diuiniſsima; cognitio eleuat intellectum; plus omni cognitione illuſtratur diuinis fulgoribus; in ipſa ſunt omnes theſauri ſapiẽtiæ, & ſcientiæ abſconditi. Vbi per ſapientiam, & cognitionem completa vtriuſque potentiæ perfectio denotatur, affectione ſcilicet, & intellectione; & ſimilia, quæ clariſſimè amorẽ prædictum iunctum intelligentiæ demõſtrant. Tertiò quia, vt ſupra notatum eſt S.Dionyſius duplicem proceſſum in contemplatione ponit: Vnum ſecundùm viam ſcholaſticam, vti appellat, quo mens per creaturas conſcendit, & paulatim in eius amore accenditur, iuxta illud pſalmi 38. In meditatione mea exardeſcet ignis. Alterũ vocat myſticum, in quo præcedit affectus cognitionem, de quo dicitur pſalm.33. Accedite ad eum, & illuminamini: in vtroque proceſſu intercedere fatetur cognitionem; ſed in primo per viam inquiſitionis; in ſecundo ſine vlla inquiſitione, & diſcurſu; quia Deus, qui inflammat voluntatem ardore Seraphico, ſimul illuſtrat intellectum radiorum fulgore Cherubico; & ſimul quidem duratione ſunt affectio, & cognitio; ſed natura præcedere dicitur affectio in hoc caſu extraordinario, quæ de lege ordinaria conſequitur ad intellectionem, quia ex Dei intentione voluntas humana rapitur, vt vniatur per amorem principaliter, & non vt intelligat, licèt ſimul tempore ſit excellens illa cognitio, & ardor amoris. Quartò ita concludit S.Bonauentura ex mente Dionyſij; *Vnde ſecundum iſtam virtutem motam ab Spiritu Sancto eſt multò maior de Deo cognitio, quàm per omnem intellectum per rationem inueſtigantem, &c.* Neque dicas ſermonem eſſe de cognitione conſequente affectum, niſi in ſenſu explicato; nam obſtant verba S.Bonauenturæ; quod ſẽtit affectus, verè intelligit intellectus; nimirum concomitanter.

S.Dionyſ. — Duplex proceſſus in cõtemplatione — S.Bonau.

Confirmatur Sententia S. Bonauenturæ ſic explicata Patrum, ac Theologorum auctoritate.

PRima eſt S. Auguſt.8.de Trin.c.4. & lib.10.c.1.& 2. vbi reſpondens argumento, quod voluntas aliquãdo deſiderat ſcire incognita; ac ſi diceretur, amat incognita: *Vt autem, ait, amet incognita non poteſt: Non enim fruſtra ibi eſt poſitum ſcire, quoniam qui ſcire amat incognita, non ipſa incognita, ſed ipſum ſcire amat, &c.* idem habet l.15.c.26.& de li.arb.25. ex qua auctoritate mouetur Vazq.loc. cit.ad aſſerendam huius rei implicantiam. CVII.

S.Auguſt.

Refert etiam S Bonau. de myſterio Theol.q. vnica, & vltima dictum Auguſt. *Inuiſa poſſumus diligere, incognita autem nequaquam:* & reſpondet hoc verum eſſe, quia ſapientia myſtica ſupponit cognitionem Dei, vnde & appellatur ſapientia Chriſtianorũ, &c. niſi agnoſceret Sanctus cognitionem cum tali amore, aliter explicaſſet Sanctum Auguſtinum, & hoc confirmat altera explicatio ibidẽ adducta, quod iuxta S.Dionyſium in proceſſu ſcholaſtico ſupra memorato, cognitio præcedit affectionem: in myſtico vice verſa affectio præcedit cognitionem, natura ſcilicèt, vt dictum eſt paulo ante. In vtraque reſponſione coniungitur cum affectione intellectio.

S. Bonau.

Digitized by Google

Verba autem ipſa Auguſtini indicant impoſſibilitatē ſimpliciter amandi incognita, & magis ſenſus, ac diſcurſus eius non admittens diſtinctionem de lege ordinaria, & de abſoluta Dei potentia, quaſi de illa tantùm loquatur, & non de iſta, vt textum legenti, & diſcurſum eius perpendenti patere poteſt.

Accedit ſecundò auctoritas S. Anſelmi in Monil. c.48. *Palam certè eſt, inquit, rationem habenti eum (videlicet Deum) non iccirco ſui memorem eſſe, aut ſe intelligere, quia ſe amat; ſed ideo ſe amare, quia ſui meminit, & ſe intelligit; nec ſe poſset amare, ſi non ſit memor, aut ſe non intelligit. Nulla enim res amatur, ſine eius memoria, & intelligentia, &c.* Ad inferendum igitur conſequens ſummè neceſſarium, cuius oppoſitum implicat contradictionem, aſſumit Anſelmus antecedens vniuerſale omninò neceſſarium. Nihil amari poteſt, niſi cognoſcatur; vnde nec Deus amaret ſeipſum, niſi ſe intelligeret. Ergo ſecundum Anſelmū implicat voluntatem ferri in incognitum.

S. Greg. S. Gregorius lib. 5. Moral. cap. 23. *Nec tam ardenter diligeret, niſi aliquatenus videret, &c. mens ſcilicet fixa ſuauitate intimæ contemplationis.*

S. Bern. S. Bernardus lib. de Gratia, & lib. arb. init. identidem repetit voluntatis propriam eſſe libertatem, & ad hanc neceſſarium eſſe iudicium, & rationē: *Is ergo, inquit, talis conſenſus ob voluntatis inamiſſibilem libertatem, & rationis, quod ſemper ſecum portat, & vbique indeclinabile iudicium, non incongruè dicitur, vt arbitror, liberum arbitrium, &c.* & hoc opuſculum eſſe à ſe compoſitum teſtatur S. Bernardus epiſt. 52.

S. Thom. S. Thomas 1.2.q.9.a.1.& q.3. art.4. 4. & q.51.a.2.& 1.p.q.82.a.3. aſſentit dicto Ariſtotelis 3. de Anima cap. 10. quod appetibile non mouet, niſi mente, aut imaginatione perceptum: Vnde & format propoſitionem vniuerſalem, quod actus appetitiuæ virtutis procedunt à vi apprehenſiuæ repræſentantis obiectum. Siue deinde hæc motio ſit metaphorica tanquam à fine, vt cenſet Suar. cum maiori parte interpretum, & tribuitur amabili ab Ariſtotele 2. Phyſ. ſiue propria efficiētia, de qua Fonſeca tom.3. Metaph. c.2. q.6. ob auctoritatem Ariſtotelis 3. de Anima t.55. aſſerentis primum mouēs immobile, eſſe ipſum amabile; mouens autem motum eſſe appetitum, nimirum motione propria. Et ſiue ipſa repræſentatio, ſeu applicatio obiecti ſit conditio, ſiue cauſa ſine qua non, ſiue pertineat ad rationem formalem ſpecificatiuam, de quo eſt controuerſia etiam inter Diui Thomæ Interpretes, vt infra dicetur.

Ipſe Ioannes Gerſon ſupra cit. conſid. 11. expreſsè habet hæc verba; *Stare nequit vt theologia myſtica ſit in hominis mente ſine qualicumque Dei cognitione.* Gerſ. Ne igitur ſit ſibi contrarius dum S. Bonauenturæ contrariam tribuit, & ſequitur, adhibenda eſt declaratio ſupra allata, quod neuter excludit omnem penitus cognitionem ab amore ecſtatico; ſed ſolùm diſcurſum, & volubilem cogitationem, ſeu cognitionem, qualis habetur communiter à contemplatiuis, cum illa, de qua iſti Doctores agunt, ſit ſeraphica, & ſolū beata inferior.

Confirmatur, quia Sanctus Dionyſius cap. primo de myſtica theologia, *Tu, inquit, Timothee cariſsime, intentiſſima contuendis ſpectaculis myſticis exercitatione, ſenſus linque, &c.* igitur quod iubet linqui ſenſus, & intellectuales operationes non excludit illā Dei intuitionem, quæ amorem ardentem comitatur; ſed illam operationem intellectus, de qua diximus ſupra, ſcilicet negotioſam, diſcurſiuā, &c. Imò & omnem cognitionem, quæ communiter habetur à ſapientibus in hac vita: Ad quod diſcrimen indicandum tribuere videtur illi contradictoria, quod ſciat, & ignoret, vt quod ſit irrationabilis, ſtulta, amens, &c. & altiſſima ſapientia occulta omnibus ſapiētibus ſæculi huius, quod ipſum non videre, & non ſcire ſit veraciter videre, ac ſcire; quibus verbis notatur excellentia, & diſcrimen inter hanc ſcientiam, & eam, quam homines proprio ſtudio aſſequuntur, vel etiam diuino auxilio de lege ordinaria inſigniter dignantur. Affert & expedit plures auctoritates S. Dionyſij Suar. cit. tom.2. l.2. de religione c.13.

Ratio.

Rationes ad idem probandum.

PArùm iſtæ abſunt à demonſtratione, ſi benè perpendantur, quę multiplicantur ab auctoribus ſententiæ cõmunis præſertim à Suar. Vazq. Sal. Arriaga; ex quibus formari poteſt argumentum, quo probetur primò neceſſaria connexio actuum voluntatis cum actibus intellectus. Deinde quod hæc connexio pertineat ad rationem formalem ſpecificatiuã actuũ voluntatis; vel ſi ad conditionem, aut cauſam ſine qua non, reducas, probãdum eſt eam eſſe talem, quæ per nullam potentiam ſuppleri poſſit, ad differentiam illarum conditionum, quæ ſuppleri poſſunt, vt eſt propinquitas agentis ad paſſum, licèt hanc ſuppleri poſſe neget Vazq. loc. cit. in 1. 2.

Primum probatur, quia voluntas (vt experientia conſtat) non operatur, niſi determinata ab obiecto; hoc autem non determinat, neque mouet præcisè ex hoc, quod exiſtat, quia tam poteſt exiſtere, & non mouere, quàm non exiſtere, & tamen mouere, ſi proponatur, aut applicetur ipſi voluntati, quæ fertur etiam in non exiſtentia, ſi apprehendantur vt conuenientia, quod experientia manifeſtum eſt: igitur neceſſaria eſt cognitio, per quam fit applicatio, ſine qua neque ex ſola naturali forma ſequitur volitio vlla; neque ab obiecto ſecundùm ſuũ eſſe, ſi non apprehendatur: & hoc eſt quod dicitur, voluntas non poteſt appetere, niſi excitata à bono, & quod hoc bonum eſt veluti cauſa finalis, quę eſſentialiter requirit cognitionem, vt moueat; & hoc ſi abſit voluntas nullã vitalem actionem poteſt exercere.

Deinde in multitudine obiectorũ, quæ proſequi poteſt voluntas, debet dari aliquod determinatiuum, ratione cuius eligat potius vnum, quàm alterum, & à quo alliciatur apprehẽſa aliqua ratione boni; vel retrahatur apprehenſa aliqua ratione mali; quomodo enim nulla poſita repræſentatione bonitatis, aut malitiæ voluntas proſequatur, aut refugiat ab obiecto? Item niſi obiectum appareat cum aliqua indifferentia, & cum ea repræſentetur, quomodo voluntas dicetur libera? de cuius tamen ratione eſt libertas intrinſecè, ac formaliter, & extrinſecè radicaliter ab intellectu repræſentante obiectum indifferens, & non ſub omni ratione boni; & ſermo eſt de appetitu elicito, ad differentiã innati, quo per modum ponderis fertur neceſſario voluntas in beatitudinem, ſiue in bonum ſuum ſine cognitione circumſtantiarum ſingulariũ.

Cõfirmatur, quia de ratione volũtatis creatæ eſt vt ſit libera potentia circa obiecta particularia quoad exercitium, poſſit mereri per bonam operationem, & demereri per malam, ſaltem in ſententia communi, quod ſit impoſſibilis creatura impeccabilis, & in contraria debet ſaluari libertas circa bona, à quibus non declinaret; ſed liberè tamen circa illa ferretur; at ſi appetere poſſet incognita, aut illa reſpuere, neceſſariò operaretur, nec ceſſare ab operatione poſſet, quia vel haberet motiuum ceſſandi ab operatione, & hoc non eſt intelligibile quomodo moueat voluntatem, niſi applicatum per cognitionem: Vel careret motiuo, & tunc non apparet ratio ceſſandi potius ab operatione, quàm perſiſtendi in illa, aut tranſeundi ab vna operatione in aliam; quomodo enim fiat hic tranſitus, aut mutatio in potentia cœca, & non directa ab intellectu proponente rationes, quibus illa determinet ſe ad volendum, vel nolendum, & vnum potius, quàm alterum?

De ratione volũtatis eſt libertas.

Igitur propoſitio iſta quod ſit neceſſaria cognitio aliqua proponens obiectum voluntati, vt operetur, eſt veluti principium lumine naturæ notum, & cõfirmatum auctoritate Philoſophorum, ac Theologorum, quibus videtur impoſſibile oppoſitum, nimirum ferri voluntatem in obiectũ omnino incognitum.

Dices, cognitionem eſſe ex ijs conditionibus, quæ ſuppleri à Deo poſſunt, & obiecti cogniti cauſalitatem eſſe metaphoricam motionem, aut efficientiam, quæ ſuppleri item non repugnat; aut oſtendatur repugnantia.

Reſpondeo, & probo ſecundam partem, quod hęc connexio pertineat ad rationem formalem ſpecificatiuam

tiuam operationis voluntariæ, vt probat Conrad. 1. 2. q. 9. a. 1. & 3. quia cognitio eſt ratio ſub qua voluntas efficit volitionem, ratio autem, ſub qua eſt ſpecificatiua actus; ſed quia negat aduerſarius cognitionem eſſe rationem ſub qua ſpecificatiuam; Ne fiat controuerſia de voce ſub qua, vel quæ, aut de quæſtione philoſophica, pœnes quam ex ijs duabus attendatur ſpecificatio, ſatis eſt in præſentia, quod cognitio ſit aliquid ingrediens rationem ſpecificatiuam actuum voluntatis, & de conceptu eſſentiæ ipſorum; atque adeo quòd illa præciſa non ſaluetur eſſentia voluntarij, neq; ſuppleri poſſit per vllam potentiam; licèt multæ aliæ conditiones ſuppleri queant, quia vt diximus, & aduertit Vazq. loc. cit. & alij huius ſententiæ patroni, res quæ amatur non mouet ſecundùm eſſe reale, quod habeat à parte rei, cum ſæpe ſit fictum; ſed ſecundùm eſſe apprehenſum, atque adeo ipſa apprehenſio concurrit ad conſtituendum obiectum, & pertinet ad ſpecificationem actus, ſicut, & ipſum obiectum; quod nō habent puræ conditiones, v.g. proprinquitas ignis ad comburendum lignum, quia hæc non conſtituit agens, neque dat vim agendi; ſed illam ſupponit; apprehenſio autem conſtituit, ſeu concurrit ad conſtituendum obiectum volūtatis; & propterea dici deberet potius pertinere ad differentiam, quam ad conditionem, quia licèt intrinſecè non conſtituat eſſentiam actus phyſicè; eſt tamen metaphyſicè ratio pœnes quā attenditur ſpecificatio actus, ſicut & obiectum dans ſpecificationē eidem actui. Ex quo deinde ſequitur quod ſicut omnis potentia requirit eſſentialiter obiectum in quod tendat, & ſine illo non poteſt operari; ita voluntas vt operetur requirit bonum apprehenſum, & illo remoto iam nō eſt potentia, quia operari non poteſt, vt pote carens obiecto in quod feratur; ſicut neque appetitus ſenſitiuus in bonum non exiſtens, vel non apprehenſum vt exiſtens, cum rationalis ferri poſſit in bonum non exiſtens, & cognitum vt non exiſtens, ſed non omnino incognitum.

Ex quibus ſic formari poteſt argumentum, ſi voluntas aliqua poſſibilis eſſet, quæ tenderet in obiectum non cognitum, eſſet voluntas, & non voluntas, quod contradictionem inuoluit, ergo nulla dari poteſt voluntas talis. probatur antecedens, quia voluntas talis eſt potentia vitalis, & libera; ergo debet habere ſuum obiectum, ſicut aliæ potentiæ vitales, quæ neque operari, imò nec eſſe poſſunt ſine ſuis obiectis, vt patet inductione; quomodo enim potentia viſiua e.g. exeat in actum videndi, ſi non adſit obiectū viſibile aliquo modo, aut intelligatur, cōſtitui in eſſe potentiæ viſiuæ, niſi per ordinem ad obiectum viſibile? idque per ſe notum eſt etiam in alijs potentijs vitalibus. Ex eo autem quod eſt libera, neceſſe eſt, vt in poteſtate habeat electionem vnius partis potius quam alterius; & omittendi vtramque ſi aliunde non neceſſitetur; hoc autem quomodo præſtetur ab ipſa, niſi pars vtraque proponatur, non eſt intelligibile; proponitur autem per intellectum oſtendentem rationem boni, & mali, & præponentē vnum alteri; ideo dicitur voluntas tendere in obiectum quatenus cognitum, & propoſitum ab intellectu; ita vt particula, vt, ſeu, quatenus, indicet eſſentialem connexionem volitionis cum propoſitione per intellectum; & hoc conſtat experientia, & inductione per omnes voluntates, Dei, Angelorum, & hominum: conſtat etiam ratione inde deducta ex natura voluntatis, quæ eſt potentia rationalis, indigens lumine intellectus: Conſequenter non eſſet volūtas etiam diuerſæ ſpeciei, quia non conueniret illi ratio generica voluntatis, quæ reperitur in omni voluntate, quæ de facto datur; ſicut non eſſet animal, ſeu ſpecies contenta ſub animali ſubſtantia, cui non conueniret ratio ſentiendi, ſine qua non conſiſtit conceptus animalis; ſicut neque conceptus voluntatis ſaluatur ſine cognitione neceſſaria tam ad conſtitutionem obiecti voluntatis; quàm ad operationem, quæ poſtulat libertatem, ac determinationem, non ſolùm quæ intrinſecè manat à potentia; ſed etiam quæ extrinſecè ab obiecto non concurrente, niſi applicetur per repræ-

repræſentationem intellectus, atque ita probatum manet, ac explicatum antecedens.

S. Thom. Hæc eſt doctrina S. Thomæ 1. p. q. 80. a. 2. 1. vbi cum in corpore articuli dixiſſet appetitum eſſe potẽtiam motam; moueri autem ab appetibili apprehenſo, & ab illo diſtingui, ad primum *ait*, *Appetibili non accidit eſſe apprehenſum per ſenſum, vel intellectum; ſed per ſe ei conuenit. Nam appetibile non mouet appetitum, niſi in quantum eſt apprehenſum, vnde differentiæ apprehenſi ſunt per ſe differentiæ appetibilis, ſicut ſecundum propria obiecta*. Idem habet 1. 2. q. 30. a. 3. 2. vbi Caiet. expreſsè habet, quod apprehenſio ſe habet vt ratio obiectiua.

Suar. Explicat Suar. in Metaph. diſp. illa 23. ſect. 8. n. 12. aſſerens diuerſitatem apprehenſionis pertinere ad diuerſitatem obiecti non formaliter, ſed applicatiuè, ſeu quod idem eſt diuerſitatem apprehenſionis, non quæ ſe tenet ex parte ſubiecti; ſed quæ ſe tenet ex parte obiecti variare appetitum, & obiectum eius. Quærenti verò an vox illa, applicatiuè, denotet conditionẽ, an principium formale per ſe ſpecificatiuum, reſponderet conſequenter ad dicta ſect. 8. de fine, quod cognitio eius ſit conditio, ſeu approximatio neceſſaria ad cauſandum. Quod ita intelligendum eſt, vt non ſit pura conditio, quæ ſuppleri poſſit, vt poteſt approximatio agentis ad paſſum; ſed ita intima, & vitalis, vt ſine illa intelligi non poſſit quomodo obiectũ moueat potentiam affectiuam, vt loquitur idem Suar. tom. 2 de relig. l. 2. c. 13. cit. n. 8. Hoc autem eſt pertinere ad rationem obiectiuam, & ſpecificatiuam volitionis.

CX. Pro cuius maiori explicatione notanda eſt diſtinctio, quæ inſeruire poteſt ad conciliandas diuerſas ſententias hinc affirmantes apprehẽſionem, ſeu applicationem obiecti eſſe conditionem, inde inter rationes ſpecificatiuas reponentes. Nam cognitio vel comparatur ad potentiam cognoſcitiuam connexam cum appetitiua, cui illa inſeruit repræſentando obiecta varia; vel cum ipſo obiecto cognito, ac repræſentato: primo modo denominat intrinſecè potentiam, à qua manat intelligentem, & extrinſecè obiectum cognitum, ſeu intellectum, quæ eſt denominatio extrinſeca non afficiens obiectum ipſum, neque immutans illud; ſicut neque applicatio agentis mutat paſſum: & hæc eſt conſideratio phyſica, hoc eſt rerum phyſicarum, quæ hic interueniunt; inter quas cognitio eſt mera applicatio obiecti ad voluntatem. Secundò conſiderari poteſt metaphyſicè in ordine ad ipſum obiectum, quod repræſentat, non ſimpliciter, ſed vt attingibile eſt à potentia appetitiua; & ita non eſt pura conditio, ſed pertinet ad rationem ſpecificatiuam eiuſdem potentiæ; vt intelligibile, ad rationem ſpecificatiuam intellectus: quæ attingibilitas eſt quædam formalitas realiter identificata cum obiecto materiali; & addit ſolùm reſpectum rationis, cuius illud eſt fundamentum; & explicatur per conceptibilitatem intellectus, quia eſt talis naturæ, vt non ſolùm ſit apta terminare actus diuerſarum potentiarũ; ſed etiam illos ſpecificare in communi ſententia, quod obiectum concurrat ad ſpecificationem actus, quod de formali obiecto accipiendum eſt. Hæc autem non prouenit ab ipſa rei entitate materialiter conſiderata, quia vt ſic, apta eſt attingi à potentijs ſpecie diuerſis, v. g. idem color ab oculo, ab intellectu, ab appetitu; igitur aliquid addendum eſt, vt dicatur pertinere ad ſpecificationem diuerſorum actuum: hoc autem non eſt quid phyſicum additum colori, vt de ſe manifeſtum eſt; igitur eſt aliqua ratio, ſeu formalitas metaphyſica, quam explicamus per ordinem, ſeu reſpectum rationis obiecti ad potentiam, cũ fundamento in ipſo, & potentia, quæ ob proportionem, quam habent inter ſe, hæc attingere poteſt; illud attingi; qualis proportio nõ eſt inter obiecta diſparata, v. g. inter potentiam materialem, & obiectum ſpirituale, vt ſunt gratia, ſpiritus, & oculus cum ipſis comparatus; hæc igitur attingibilitas dicitur ratio ſpecificatiua actus, & pertinet ad tertium genus relationum menſuræ, & menſurabilis, de quibus Ariſtoteles 5. Metaph. c. 15. Simile quid eſt in obiecto ſpecificatiuo fidei, vbi reuelatio phyſicè conſiderata pro

Proportio inter obiectum, & potentiam.

Ariſtot.

actu Dei reuelantis, eſt conditio, ſine qua non eſt actus fidei tenens ſe ex parte cauſæ efficientis, ſeu Dei reuelantis: at metaphyſicè ſumpta tenet ſe ex parte obiecti reuelati, aut reuelabilis, & pertinet ad rationem formalem ſpecificatiuam actus, & habitus fidei, qui dicitur verſari circa obiecta reuelata, ſeu reuelabilia; itaut eadem res materialis, vt ſtat ſub iſta ratione reuelabilitatis ſit obiectũ formale fidei, quæ ſub alia ratione attingibilis ab intellectu, ſeu voluntate, eſt obiectum formale aliorum actuum, ac habituum ſpecie diſtinctorum: & quia potentia, ſeu principium actuum, & obiectum quod attingunt proportionari debent; ideo prima veritas, vt reuelatiua dicitur obiectum formale fidei in hac ſententia. Ita in propoſito obiectum repræſentatum à cognitione voluntati non eſt ſolùm materiale, ſeu res abſolutè conſiderata; ſed cum ſua formalitate, ideſt cum attingibilitate à potentia appetitiua, & actu eius, quæ ſupra materiale addit reſpectum rationis cum fundamento in re, quod eſt proportio illius cum potentia. Atque ita applicatio, ſiue cognitio obiecti, vt dicit actionem phyſicam, eſt conditio neceſſaria ad appetitionẽ, vt tenet ſe ex parte potẽtiæ, cuius eſt actus; vt verò reſpicit obiectum, quod repræſentat appetitui, pertinet ad rationem formalem ſpecificatiuam actus, quia reſpicit obiectum nõ ſimpliciter, ſed vt attingibile ab appetitu.

Iuxta quam explicationem facilè intelligitur diſtinctio S. Thomæ 1. p. q. 80. a. 1. & 2. appetitus in naturalem, qui ſequitur naturalem formam ſine apprehenſione: ſenſitiuum, qui ſequitur formam apprehẽſam per ſenſum: & rationalem, qui ſequitur formam apprehenſam per intellectum: Cum enim idem obiectum materiale attingi poſſit à ſenſu, & ab intellectu, recurrendum eſt ad formale, tanquam ad diſtinctiuum actuum, & potentiarum; hoc autem formale eſt attingibilitas, & appetibilitas diuerſa iuxta variam proportionem cum diuerſis potentijs, quæ eſt fundamentum diuerſorum conceptuum, & reſpectuũ rationis.

S. Thom.

Triplex appetitus.

Deinde intelligitur veritas communis axiomatis bonum nõ mouet, quale eſt, ſed quale apprehenditur; quia videlicet in ſe materialiter acceptum non eſt potius motiuum ad vnum actum, quàm ad alium ſpecie diuerſũ; ac proinde nec vnam potentiam potius quam aliam reſpicit, cum ſit indifferens ad plures, quæ in ipſum tendere poſſunt; debet ergo determinari per apprehenſionem: & ideo vt determinabile per illam, ſiue vt attingibile per actum potentiæ ſibi proportionatæ, qualis eſt appetitiua, quæ & ipſa indifferens eſt ad plures actus, & indiget determinatione obiecti, ac proinde applicatione eius per cognitionem. Obiectum igitur vt apprehẽſum mouet, ac determinat appetitũ, & ita quatenus determinatiuum, & attingibile per appetitum ſpecificat actum; & quia non eſt attingibile, niſi applicatum per apprehenſionem; ideo apprehenſio ingreditur rationem formalem ſpecificatiuam, vt ſe tenet ex parte obiecti, quod formaliter non ſpecificat, niſi apprehenſum, vel apprehenſibile.

Bonum mouet quale apprehẽditur.

Tertiò intelligitur in moralibus, quomodo idem bonum materiale poſſit eſſe obiectum virtutis, ac vitij, hoc eſt actuum ſpecie diuerſorum, ratione diuerſarum exiſtimationum, v.g. idem cibus, & voluntas illum ſumendi poteſt eſſe mala, & bona; ſi enim opinatur quis eſum carnium eſſe hic, & nunc licitum, & veſcatur illis ob finem bonum, erit actus temperantiæ, ex. gr. ſi exiſtimet eſſe vetitum ex errore, erit intemperantia: igitur exiſtimatio non concurrit vt pura conditio, ſed ingreditur rationem formalẽ dantem ſpeciem virtuti, vel vitio, quia eſus carnium exiſtimatus bonus eſt honeſtus, & exiſtimatus illicitus, eſt vitioſus.

Dices doctrinam hactenus traditã ſupponere, quod eſt in quæſtione, nimirum neceſſariam eſſe abſolutè apprehenſionem obiecti voliti, quod negant aduerſarij, & petunt probari ſibi cur implicet actus voluntatis ſine cognitione, & non oſtenſa implicantia, gratis ſumitur, quod cognitio, vt ſe tenet ex parte obiecti ingrediatur rationem formalem obiectiuam ſpecificantem CXL

cantem

Digitized by Google

cantem actuum, & potentiarum, quia ſine ipſa contendunt conſiſtere eſſentiam illorum actuum voluntatis, quos ferri dicunt in incognitum.

Deinde admiſſa neceſſitate cognitionis, dicent ex ea non inferri, quod pertineat ad rationem formalem, quia obiectum applicatum præſtat totum id, quod requiritur ad ſpecificationem actus, ſine vllo concurſu cognitionis, ſicut applicato igne, nulla eſt cauſalitas applicationis, requiſitæ ſolum, vt ignis calefaciat.

Reſpondeo ad primam inſtantiam, & dico, in illa peti duo; primum eſt non probari neceſſitatem cognitionis obiecti voliti; alterum eſt, quod non oſtenditur tantam eſſe neceſſitatem, vt implicet eam ſuppleri per diuinam potentiam: ad vtrumque reſpondeo, oſtenſam eſſe neceſſitatem, tam auctoritate Theologorum, quàm Philoſophorum, & ex communi ſenſu hominum, qui fermè reputant primũ principium per ſe notum naturæ lumine, quod velle ſit actus voluntatis tendens in obiectum repræſentatum ab intellectu, & quod actus voluntarius ſit à principio intrinſeco cognoſcente ſingula; quod non ſit liber, vel meritorius, niſi verſetur circa obiectum repræſentatum ab intellectu cum indifferentia, & ſimilia ſupra numerata, è quibus conficitur definitio voluntarij, & colligitur, quod illis ablatis aufertur definitio; ac proinde, quod ſi voluntas aliqua ferretur in incognitum, non poſſet vocari volũtas; cum tamen ex ſuppoſitione ponatur eſſe voluntas, quàm non eſſe voluntatem rationes probant, quia non participat rationem communem omni voluntati diuinæ, angelicæ, ac humanæ, quæ de facto ſunt; neque poſſibili, quia nulla eſt poſſibilis, cuius actuũ ſpecificatio non ſit ab obiecto cognito. Ex quo patet,

Ad ſecundam inſtantiam, quia cognitio obiecti cenſetur ſimilis vnioni inter materiam, & formam eſſentialiter requiſitæ ad compoſitum, ideo ingreditur rationem formalem ſpecificatiuam obiecti, qualis non poteſt ſuppleri per vllam potentiam, quia non omnes conditiones ſuppleri poſſunt, vt patet ex dictis. Quæ ſimilitudo cum vnione aptior eſt ad explicandam hanc neceſſitatem cognitionis, quàm quæ affertur à Durando in primo cit. diſt. 3. q. 4. n. 17. requirente cognitionem tanquam formam, qua diſponitur voluntas ad volendum, ſicuti grauia corpora diſponuntur per grauitatem ad motum deorſum: nam in noſtra ſententia, quam putamus S. Bonauenturæ, & eſt manifeſta D. Thomæ diſtinguentis potentias inter ſeipſas, & ab anima, non valet ratio iſta, quia cognitio eſt extrinſeca voluntati, & actibus eius: vnde nec eſt diſpoſitio formalis, vt eſt grauitas lapidi, nec apparet in hac ſententia cur ſuppleri nequeat, ſicut apparet, ſi dicatur pertinere ad rationem formalem voliti; ſiue deinde ſit conditio intima, & vitalis; non ſecus ac vnio pertinet ad rationem compoſiti; itaut non poſſit eſſe, neque concipi compoſitum, niſi partes vniantur, cum realiter idem ſit, quod partes vnitæ in communi ſententia.

Cognitio repræſentans obiectũ voluntati ſimilis eſt vnioni inter materiã & formã.

RESPONSIO

Ad argumenta contraria.

CAP. XX.

I. *Occurritur obiectioni ex auctoritate S. Bonauent.*

II. *Soluuntur alia argumenta ex ratione petita.*

III. *In particulari reſpondetur argumento principali.*

IV. *Diſſeritur de prioritate à quo, & in quo.*

V. *Item an cognitio neceſſaria ad volitionem debeat eſſe iudicatiua.*

PRIMO ſoluenda ſunt, quæ adducuntur ex Sancto Bonauent. tum quæ abſolutè obſtant cõmuni ſententiæ.

Ex S. Bonauẽtura primò arguitur, quia animæ aſcenſus in Deum ſit gradatim; igitur cum in Deo ſint tres perſonę, primò intelligitur Pater generans; ſecundò Filius genitus, tertiò Spiritus Sanctus ab vtroque procedens; vltimus ergo, & nobis propinquior eſt Spiritus Sãctus; ac proinde CXII.

de anima gradatim proficiens primò incipit ab amore, qui tribuitur Spiritui Sancto, tum procedit ad intelligentiam, quæ tribuitur Filio.

Secundò, anima ad inſtar Eccleſiæ triumphantis perficitur; ſed in illa Seraphinorum ordo, qui ardens interpretatur, vberiùs, & perfectiùs perficitur, quàm ordo Cherubim, qui interpretatur plenitudo ſcientiæ, ergo affectus per ardorem amoris, qui reſpondet Seraphim, prius mouetur in Deum, quàm intellectus, qui reſpondet Cherubim.

Tertiò, Spiritus rationalis primò, & principaliter recipit à Deo influentiam, in quantum ipſi eſt affinior, ſeu propinquior; ſed eſt propinquior per amorem, quàm per cognitionem intellectus, ergo prius mouetur.

Quartò, cum Deus diſtet infinitis gradibus à creatura, ad hoc, vt aliquo modo cognoſcatur, debet anima ipſi propinquare; hoc autem fit per amorem, qui quò maior eſt, eo etiã maior eſt illuminatio.

Ad hæc omnia P. Suar. cap. 13. l. 2. de relig. tom. 2. citato, reſpondet fermè quicquid in illis aſſumitur negando, quia putat S. Bonauenturam eius fuiſſe ſententiæ, quę affirmat voluntatem ferri poſſe in incognitum: Ego inhærendo dictis reſpondeo ex eiuſdem doctrina, primò ipſum loqui de perfectis contemplatiuis, de quibus etiam loquitur S. Dionyſius, quem ſequi ſe fatetur S. Bonauent. horum autem propter habitum amandi inteſiſſimè Deum plerumq; ſine vlla præuia præparatione, aut deliberatione intellectus, amore inflammatur, & fertur in Deum; ſed non incognitũ, tũ quia prius cognouit, & fidei actus exercuit; tum quia comitanter cum amore Deum ipſum attingit ſine diſcurſu, & mentis negotiatione vlla, ſed ſumma quiete per ſimplicem intuitũ.

Patet hoc ex verbis textus in myſtica theologia ſupra relatis; & ex his quæ ſubdit in fine opuſculi illius.

Si quæritur, inquit, quid igitur cogitabo, cum de Deo cogitare non debeam, nec de Angelis. *Dicendũ quod ſolùm aſpirat*. Et declarans quomodo id fiat, ſubdit; *Si neſciret alia dicere, niſi hoc modo cõſurgere dicens ſit. O Domine quando te diligam? quando te conſtringam, &c.* Profectò iſti actus amoris, & allocutionis inuoluunt cognitionem eius, ad quem diriguntur; neque enim allocutio animæ tendit in incertum, aut in incognitum; ſicut neque allocutio oris fieri poteſt, niſi ad perſonam, quam aliquo modo noueris.

Actus amoris ardentis inuoluit cognitionem.

Secundò ibidem in fine ait; *Vnde primò tangitur igne Spiritus Sancti quã aliqua cogitatio veniat, &c.* tactus autem ille Spiritus rapientis animam in Deum non eſt in Deum incognitum; ſed antea notum per fidem tempore præcedente, & ſimplici intuitu concomitanter ad amorem.

Tertiò, S. Bonauentura profitetur ſe tradere doctrinam à S. Dionyſio hauſtam; ille autẽ non excludit omnẽ penitus cognitionem ab amore ardẽti, quo contemplatiui inflammantur; ſed vt dictum eſt, cognitionem ſollicitam per diſquiſitionem creaturarũ, vel etiam Dei ipſius, vt cognoſcitur à non perfectè contemplatiuis: quarum cognitionum comparatione docet hoc ipſum non videre, & nõ ſcire eſſe veraciter videre, ac ſcire c. 2. myſt. Theol. *Et eum, qui ſubſtantia ſuperior eſt, ſuperſubſtantialiter, ex omnium, quæ ſunt ablatione celebrare, &c.* quibus verbis indicatur nobilitas cognitionis adiunctę amori Seraphico, quę longè ſuperat omnem aliam cognitionem; adeout neque nomen commune habeat, & ideo dicatur non videre, neque ſcire, eſſe veraciter ſcire, & videre.

Sublimitas cognitionis iunctæ amori perfectè contemplatiuorum.

Quartò hoc confirmat ſimilitudo Seraphim à S. Bonau. adducta, non enim amor eorum licèt ardẽtiſſimus, ac puriſſimus ſine cognitione eſt; ſed quia eſt ſuperexcellens, nomen dedit ordini ipſorum, non excludendo cognitionem, ſed includendo; vt intelligatur eandem includi in amore perfectè contemplatiuorum.

Propterea ad argumenta S. Bonauenturæ reſponderi poteſt illis contineri congruentiam, quę in eo poſita eſt, vt qui à Deo ſublimi contemplationis dono eleuantur ad gradum Seraphicum amoris per raptum vniuntur ipſi non incognito, ſed excellentiſſima notitia, quæ ſuperat CXIII.

omnem

Digitized by Google

omnem humanam ſcientiam, ſeu ſimplici intuitu viſo; & ideo paſſim à S. Dionyſio illuminationis, & ſapientiæ nomine appellatur; quæ conſiſtit in ſimplici intuitu: & dicitur amor eſſe prior, non quia præcedat duratione omnem penitus cognitionem; ſed quia præcedit natura hanc ſuperexcellentem ipſi debitam, & ipſum comitantem.

Sed pręterea obijcies, quia cognitio vel eſt ſimpliciter neceſſaria, non ſolum, vt præſentet obiectum intellectui, ſed etiam quia obiectum mouet in genere cauſæ formalis extrinſecę, vt interpretatur S. Thom. Caiet. 1. 2. q. 9. a. 1. S. Ad hoc dicitur. Vel eſt cauſa ſine qua non, vt vocatur à Scoto in 2. diſt. 25. q. vnica poſt medium, ſeu vt conditio, vt vocat Henric. quodl. 9. q. 5. & quodl. 12. q. 26. ſed tam præſentatio, quàm cauſa efficiens, & conditio ſuppleri poſſunt à Deo, ergo & cognitio intellectus reſpectu voluntatis.

Confirmatur obiectio, & ſimul probatur minor, quia ſententia plurium Theologorum eſt Ochami, Gabrielis, & aliorum, quos refert Vazq. & reijcit 1. 2. diſp. 9. c. 2. & nos retulimus 1. tom. diſp. 3., de facto in patria actus amoris à ſolo Deo produci, & in via poſſe produci alij exiſtimant; igitur & poteſt concurrere cum voluntate ad illos producendos, abſque eo quod concurrat cum intellectu ad cognitionem.

Et patet abſolutè ſequela, quia intellectus, & voluntas ſunt duæ potentiæ diſtinctæ, ergo poteſt Deus concurrere ad actum vnius, ſuſpenſo concurſu ad actum alterius, vt arguit Argentina in 1. diſt. 1. q. 1. a. 4.

Nec valet quod obiectum debeat applicari potentię intentionaliter; ac proinde requiri cognitionem, quæ eſt applicatio; quia Deus eſt intimè præſens potentiæ, & creaturę cuilibet, & ideo non eget hac applicatione.

Reſpondeo ad argum. cognitionẽ requiri vt conditionem intimam ſeu vt vnionem concurrentem ad ſpecificationem actus; quia tenet ſe ex parte obiecti formalis, vt explicatum eſt, & ideo non poſſe ſuppleri: quæ eſt doctrina S. Thomæ, & Caiet. loc. cit. in argumento aduertentis quod obiectum mouet vt principium formale extrinſecum, non vt ſeparatum, ſicut idea, ſed coniunctum. quæ coniunctio fit per applicationem, ſeu repræſentationem obiecti factam ab intellectu.

Ad confirmationem reſpondeo falſum eſſe, quod actus vitales, vt dicũt actionem, ac dependentiam immediatam à ſuo principio vitali ſint producibiles à Deo ſolo, quia illa dependentia eſt ipſis eſſentialis, vt oſtendi primo tomo loc. cit. Deinde hoc dato adhuc non ſequitur intentum, quia ſi poſſet produci actus amoris à Deo ſolo, produceretur cum omnibus eſſentialiter requiſitis, inter quæ eſt cognitio, quia amor eſt tendentia in obiectum cognitum, vt fusè probatum eſt.

Ad probationem ſequelæ reſpondetur, quod licèt intellectus, & voluntas ſint potentiæ diſtinctę, tamen actus voluntatis dependet eſſentialiter ab actu intellectus, vt patet ex dictis; propterea eſt inſeparabilis ab illo.

Ad Inſtantiam reſpondeo, quod Deus eſt intimè præſens omni creaturæ per eſſentiam, & potentiam; ſed vt ſit præſens tanquam obiectum amabile, debet proponi voluntati ab intellectu, quia illa non fertur in obiectum niſi apprehenſum: ſimile eſt de præſentia Dei cum intellectu, quæ non ſufficit ad eius cognitionem, niſi ſit per modum obiecti intelligibilis vt S. Bonauent. in 1. diſt. 3. cum communi.

Petes quare nequeat eſſe actus voluntatis ſine cognitione rei volitæ, ſi poteſt eſſe actus intellectus ſine volitione conſequente; Nam viſio beata per diuinam potentiam poteſt ſeparari à dilectione, ſi Deus velit ſuſpendere ſuum concurſum ad iſtam, & conſeruare illam, vt infrà dicemus: & ratio dubitandi eſt, quia ſicut voluntas pendet eſſentialiter in operando à cognitione; ita intellectus eſſentialiter ordinatur ad volitionem; quod argumentum potiſſimum vrget in ſententia ponentium beatitudinem in amore, ac fruitione, tanquam in nobiliori operatione, ad quam viſio ordi-

Digitized by Google

dinaretur in via Scoti.

Reſpondeo diſparitatem eſſe, quia intellectus, & cognitio ſunt quid prius natura, voluntate, & volitione, & in illo priori conſtitui intelliguntur in ſuo eſſe independenter ab eo, quod ab ipſis procedit, & eſt poſterius natura: E contra volitio non poteſt intelligi conſtituta in ſuo eſſe niſi depēdenter ab obiecto ſpecificatiuo ad quod conſtituendum requiritur apprehenſio, ſiue cognitio eius, quòd eſt volitum, quod ſupra probatum eſt. Atque ita patet ad rationem dubitandi, quia intellectio non ordinatur eſſentialiter ad volitionem, vt patet in cognitione ſpeculatiua, quæ eſt ſui gratia, vt ſupra ex Ariſtotele diximus; voluntas non fertur in obiectum ſecundum ſe, & materialiter ſūptum; ſed vt apprehenſum. Negatur autem quod eſſentialiter intellectus ordinetur ad voluntatem, quia naturalis connexio inter potentias ſtat ſine iſta eſſentiali ordinatione, ſicut etiam in ordine partium vniuerſi, eſt ſubordinatio inferioris ad ſuperiorem, & naturalis connexio inter illas, ſed non eſſentialis dependentia, ita vt implicet vnam eſſe ſine altera: & ſi quæ paritas in hoc eſt, confert explicationi ſententiæ noſtræ, quia naturaliter inferiora corpora pendent à ſuperioribus, non vice verſa: Ita appetitiua pendet ab apprehenſiua, ſed non vice verſa.

Inſtabis, quia hinc inferri poſſet, quod intellectio pendet à phantaſia, quia intelligentem oportet ſpeculari phantaſmata; *Quapropter, inquit, Ariſtoteles, nunquam ſine phantaſmate intelligit anima.* Igitur ſicut volitio dependet eſſentialiter à cognitione; ita & cognitio à phantaſia. fa ſitas conſequentis patet, quia potentia, & actus ſpiritualis non pendet eſſentialiter à potentia, & actu materiali.

Ariſt 3. à An. t. 30.

Reſpondeo nego ſequelam ob allatam diſparitatem inter potentiam materialem, & ſpiritualem, qua ſignificatur quidem connexio naturalis, & neceſſaria in hac vita quoad operari cum dependentia à ſenſibus; at non eſſentialis ita vt implicet ſeparari, quia etiam in hac vita dari poteſt cognitio ſine actu phantaſiæ, vt diximus de perfectè contemplatiuis iuxta SS. Dionyſ. & Bonau. & multò magis in alia vita.

Reſponſio ad argumentum principale.

Reliquum eſt argumentum principale, in quo vis magna ponitur ab aduerſarijs, quia ſi volibile eſt obiectum voluntatis non materialiter ſumptum, ſed vt applicatum per apprehenſionem, ſeu cognitionem, ita vt cognitio ingrediatur rationem ſpecificatiuam volitionis, ſequitur quod idem ſit prius, & poſterius reſpectu eiuſdem, & quod committatur circulus vitioſus. Patet ſequela, quia obiectum formale ſpecificatiuum potentiæ, & actuum eius, prius eſt illis, vt pote conſtitutiuum in genere cauſæ obiectiuæ, ac proinde prioris conſtituto, tanquam effectu. Ex alia parte eſt poſterius, quia ſupponit voluntatem, & intellectum applicantem per apprehenſionem, non enim intelligi poteſt obiectum volibile vt applicatum per apprehenſionem, pertinentem ad rationem ſpecificatiuā; niſi intelligatur prius re ſpecificata, quia ratio ſpecificans eſt in genere cauſæ conſtituentis eſſentiam. Atque ita cognitio, & volitio erit prior, & & poſterior; & ipſum obiectum formale erit prius, & poſterius, hoc eſt idem ſe ipſo prius, & non prius, quæ manifeſta eſt implicantia, ſimilia habet Arriag. diſp. 1. log. à n. 13. CXIV.

Reſpondetur ſecundùm diuerſas conſiderationes idem poſſe eſſe prius, & poſterius manifeſtum eſſe apud Philoſophos, & Theologos: ſanitas ex. gr. vt eſt finis, prior eſt, & cauſa mediorum; vt eſt effectus per eadem obtentus, eſt poſterior; atque ita prior, & poſterior ſeipſa ſecundum diuerſas conſiderationes. Ita in propoſito volibile vt motiuum voluntatis, eſt prius; ſecundùm alias rationes eſt poſterius. Pro cuius maiori explicatione recole vulgatam diſtinctionem prioritatis à quo, & in quo. Illa eſt cauſa à qua pendet effectus, & poteſt includere dependentiam huius à ſe, & non includere: Ita actio prior eſt termino prioritate à quo, & inuoluit illum in ſuo conceptu, quia actio eſt via ad ter-

Digitized by Google

terminum: ſol item prior eſt à quo lumine quod producit, ſed non inuoluit in ſuo conceptu lumen.

Prioritas in quo altera eſt realis, altera intentionalis; illa eſt ſecundùm durationem, quando vnum præcedit aliud duratione vel inſtantanea, vel temporanea; v. g. in ſententia S. Th. ſupponitur Angelus in inſtāti creationis non poſſe peccare: ſed ſolùm immediatè poſt: anima verò indita corpori, non niſi poſt tempus, quo ratio fungitur officio libertatis, peccatum admittere poteſt; atque ita tam anima, quàm Angelus ſunt priores prioritate in quo, peccatis in quæ labuntur. Prioritas verò intentionalis in quo eſt, quæ concipitur ab intellectu inter illa, quæ ſimul ſunt duratione, ſed fundamentum dant intellectui, vt concipiat vnum ſine altero, v.g. lumē ſimul duratione eſt cū Sole, quia in eodem inſtanti, quo producitur ſol, producit lumen; ſed quia Sol cauſat lumen, dicitur ratione, imò & natura prior ipſo lumine: & cum hac prioritate ſtat ſimultas durationis, quia in inſtanti, quo primum eſt ſol, ſimul eſt lumen ab ipſo productum, Ex quo patet, quod ex prioritate à quo non ſemper infertur prioritas in quo; idque in diuinis manifeſtum eſt, quia Pater dicitur prior Filio, vt principium eius, ſed hæc eſt prioritas à quo, omni producenti conueniens, ex qua non arguitur prioritas in quo, nam Pater duratione, hoc eſt æternitate, & ratione ſimul eſt cum Filio, nec ſine illo concipi poteſt; licèt origine dumtaxat dicatur prior. Patet etiam, in creatione, quæ prior eſt termino prioritate à quo, ſed ſimul eſt duratione, & intellectione cum illo. In propoſito igitur obiectum vt eſt motiuum voluntatis, & ſpecificatiuum eius, actuumque ab ipſa manātium, eſt prius illis prioritate à quo, tanquam cauſa obiectiua, ſeu formalis extrinſeca ſpecificans; ſed non prioritate in quo, quia neque duratione, neque intellectione præcedit volutatem, aut actus eius; non enim eſſe, vel intelligi poteſt obiectum vt volibile formaliter, & proinde applicatum voluntati per apprehenſionē, quin intelligatur intellectus applicās, & voluntas cui applicatur, ſeu repræſentatur; ſed quia obiectum eſt id ad quod ordinantur voluntas, & intellectus; non vice verſa; propterea obiectum eſt prius prioritate à quo, ſimul autem ſimultate durationis, & rationis; ſicut diximus de actione, quæ prior eſt termino ſpecificatiuo, prioritate à quo, non autem in quo, proinde voluntas, ac volitio ſunt poſteriores obiecto.

Inſtabis quia apprehenſio, & volitio ingrediuntur rationem formalem ſub qua ſpecificatiuam ipſarum, eò quod obiectum non materialiter, ac entitatiuè ſumptum ſpecificet; ſed vt volitum, ſeu vt volibile, ac proinde vt apprehenſum, ſiquidem præciſa apprehenſione non eſt formaliter volitum, quia nec applicatum voluntati; igitur apprehenſio eſt prior prioritate à quo, tanquam conſtitutiua obiecti formalis & eſſentialiter ad ipſum requiſita, quocumque deinde modo requiratur: Non ergo obiectū eſt prius prioritate à quo, neque ſpecificatiuum voluntatis, & actuum eius.

Reſpondeo, quod ſicut in phyſicis datur mutua cauſalitas in aliquibus ſaltem cauſis ſecundùm opinionem probabilem; ita & in metaphyſicis rationibus datur prioritas, & ſimultas prædicatorum inter quæ concipitur connexio, & cauſalitas, ſeu dependentia vnius ab alio tam mutua, quàm ex parte vnius ſolum; concedo igitur mutuam dependentiam inter obiectū formale, ſeu vt dicit rationem ſub qua ſpecificatiuam, & volitionem ac apprehenſionem eiuſdem entitatiuè ſūpti, quia non induit formalitatem prædictam, niſi vt applicatum per apprehenſionem iuxta dicta ſuperius: & rurſus dependentiam apprehenſionis ab obiecto concedo cum communi ſentētia admittente ſpecificationē, & dependentiam actuum ab obiectis; ſed nego hinc ſequi circulum inutilē, ſicut non ſequitur in cauſis phyſicis mutuò ſe cauſantibus, neque idem bis dicitur: Non enim dicitur apprehenſio, ſiue cognitio eſt eius cuius cognitio eſt, ſed obiecti, in quod tendit ſicut *nec viſus, ait*, Ariſt. 5. Met. c. 15 cit. *cuiuſdam eſt viſus, non cuius eſt viſus*

ſus (etſi verum eſt hoc dicere) ſed ad colorem, aut aliquid aliud tale &c. In hac tamen ſimultate, & mutua prioritate principaliter dicitur prius obiectum, quia ad illud ordinantur potentiæ, & actus, & dicunt relationẽ; non autem obiectum ad illa, ſed appellatur tamen nomine relatiuo, quia cognitio, & volitio dicitur ad illud, vt Ariſt. ibidem loquitur de ſcibili, & intelligibili, quæ nomine relatiuo afficiuntur, eo quod ſcientia, & intellectus referuntur ad ipſa.

Poteſt nihilominus eſſe prioritas, & poſterioritas inter obiectum volibile, & apprehenſionem requiſitam ad formalitatem requiſitã ad rationem ſub qua, nam obiectum apprehenſum eſt forma denominans extrinſecè; & hoc modo denominatum ſe habet vt effectus, & eſt poſterius forma denominante; non ſecus, ac denominatũ à forma intrinſeca, v.g. album eſt poſterius albedine vt cauſa formali; Et vice verſa volitum, ſeu apprehenſum ſe habet vt ſubiectum denominationis, & eſt prius illa tanquam cauſa ſubiectiua; ſed difficultas eſt de alia prioritate, & obiecto formali ſpecificatiuo.

De ratione autem ſub qua formali, & quæ materiali, ſeu entitiua fusè tractat Caiet. 1. p. q. 1. a. 3. §. Ad euidẽtiam Conimb. in 1. Poſt. c. 23. & nos tom. 1. diſp. 2. q. 2. Caiet.

Quæritur hic etiam à Doctoribus locis citatis, an cognitio requiſita ad hoc vt voluntas moueatur ad operandum debeat eſſe iudicatiua, vel ſufficiat apprehenſiua; tractat quæſtionẽ in Met. diſp. illa 23. ſect. 7. à n.8. Suar. Suar.

Pro reſponſione breui recolenda doctrina communis ex S. Bonau. in 2. diſt. 7. p. 2. a. 1. q. 1. in reſol. & diſtinct. 23. a. 2. q. 2. ad argum. iudicium eſſe duplex, alterum ſpeculatiuũ, quod appellat cognoſcendorum; & eſt veri ſub ratione veri: alterum practicum, quod eſt agendorum, & boni ſub ratione boni: primum non inuoluit liberum arbitrium; ſecundum inuoluit, quia voluntas liberè ſequitur iudicium, quod hic, & nunc conueniens ſit hoc fieri, vel omitti; & non neceſſitatur; ſed poteſt intellectus proponere bonum, & illa ſequi malum ſub aliqua ratione boni. Ariſtoteles 3. de Anima. c. 9. t. 42. Vocat intellectum contemplatiuum, qui nihil dictat de aliquo faciendo, vel omittendo; motum autem dicit eſſe fugientis, aut proſequentis, quia videlicet intellectus practicus iudicat hic, & nunc conueniens facere aliquid, aut omittere &c. S. Bonau. Ariſt.

Poteſt autem hoc iudicium eſſe vel formale per compoſitionem intellectus affirmantis, aut negantis aliquid hic, & nunc eſſe conueniens; & proſequendum; aut diſconueniens, & eſſe fugiendum; vel virtuale, quia apprehenſio illius, boni, & conuenientiæ, æquiualeat iudicio formali, quoad mouendam voluntatem ad proſecutionem, vel fugam; & vtrumlibet ſufficere, & non eſſe neceſſarium primum patet primò, quia vt S. Thom. 1. p. q. 59. a. 3. Ouis fugit lupum, ex naturali apprehenſione, quod ſibi noceat; neque eſt ibi iudicium formale, ſed ſimplex apprehenſio imaginationis. S.Thom.

Deinde in Angelis non eſt formale iudicium conſiſtens in compoſitione. & diuiſione formali in ſentẽtia S. Th. 1. p q. 58. a. 4. ſed eſt ſola apprehenſio nobilior humano iudicio, & ſufficiẽs ad appetendum.

Tertiò experientia patet in primis motibus volũtatis nullum præcedere iudiciũ compoſitiuũ, vel diuiſiuũ, ſed oſtenſo obiecto, vel repræſentato ſimpliciter, ſtatim voluntatẽ quodã naturali impetu in illud ferri, vel refugere. Mater amat filiũ ex. g. abſque eo quod iudicet formaliter hic, & nunc eſſe amandũ; & idẽ eſt de cæteris obiectis, quæ naturaliter amantur, aut odio habentur.

Quod verò aliquod iudiciũ ſaltẽ virtuale ſit neceſſariũ, & vt res apprehendatur vt hic, & nunc conueniens, manifeſtũ eſt, quia ſi intellectus ſiſtat in ſimplici contẽplatione veri, & nullum ſit iudiciũ de conuenientia, indifferẽs eſt ad proſecutionẽ voluntas; ergo vt determinet ſe præcedere debet aliquid in intellectu, quod non eſt aliud, niſi iudiciũ ſaltẽ virtuale practicũ, & in hoc ſenſu dicebamus ſupra cũ S. Bonau. verum eſſe effatum, quod voluntas ſequitur iudicium rationis.

DIS.

DISPVTATIO SECVNDA
DE OBIECTO PRIMARIO
Et ſecundario Viſionis beatæ.

AN DE POTENTIA ABSOLVTA,

Videri poſſit eſſentia diuina, non viſis perſonis.

CAP. I.

I. *Sententiæ diuerſæ.*
II. *Non videtur eſſentia ſine perſonis de facto.*
III. *De potentia abſoluta non implicat videri eſſentiam ſine perſonis diſtinctè cognitis.*
IV. *Probatur noua ratione ex doctrina S. Auguſtini deducta.*
V. *Confirmatur auctoritate S. Bonauenturæ.*

1. QVAESTIO fit de viſione intuitiua eſſentiæ, non de abſtractiua, qualis eſt in via, de qua minor eſt difficultas, & in ea etiam de potentia abſoluta.

Prima ſent. negat. Prima ſententia negat. S. Thomę 1. p. q. 12. a. 7. & 3. p. q. 3. a. 3. & 2. 2. q. 2. a. 8. 3. Interpretum ipſius ibid. & in 4. diſt. 49. vbi Capr. q. 6. a. 3. ad argum. Aureoli contra primam concl. Caiet. & alij, quos ſequuntur noſtri. Suar. 1. p. tract. 1. lib. 2. c. 22. & 23. Vazq. 1. p. diſp. 48. c. 2. & plures alij citati à Faſol. 1. p. quæſt. 12. a. 8. num. 3. & à Sal. infra.

Secunda Sententia affirmat Scoti cum ſuis in 1. ſent. diſt. 1. q. 2. & alijs infra citandis. *De potentia, inquit, abſoluta Dei non video contradictionem, quin poſſibile ſit ex parte intellectus, & voluntatis, quod vtriuſque actus terminet eſſentia, non perſona, vel vna perſona, & non alia, &c.* Nobis media via incedendum eſt, & concedendum diuinæ potentiæ quantum poſſumus, juxta doctrinam S. Bonauent. Secunda affirmat.

Prima Aſſertio.

DE potentia ordinaria non videtur eſſentia ſine perſonis, nec vna perſona ſine altera, aut ſine eſſentia. Ita cum prima ſententia Sancti Bonauenturæ in 3. diſtinc. 14. ar. 1. quęſt. 2. in reſolut. *Si verè, ait, ponimus Deum ſimplicem; imò quia neceſſarium eſt, ſic credere, & ponere, ſi cognoſcitur tam non ſecundum partem & partem, ſed totus cognoſcitur, &c.* Ad ſummam igitur ſimplicitatem tandem reſoluitur ratio Aſſertionis, ad quam pertinet totum eſſe Dei, vt probat in 1. ſent. diſt. 8. p. 2. a. 1. & cum qua realiter identificantur relationes, & proprietates omnes, quas Theologia diſtinguit in Deo: hinc enim ſequitur, De facto nō videtur eſſē tia ſine perſonis.

quod

Digitized by Google

quod videns Deum intuitiuè videat omnia, quæ ſunt Deus ſūmè ſimplex.

Hinc ſumitur altera ratio potiſſima, qua probatur, & explicatur magis hæc ſententia, quia ſcientia intuitiua fertur in obiectum præſens cum omnibus conditionibus, quas habet, vt exiſtit à parte rei, ſed eſſentia diuina à parte rei eſt in tribus Perſonis, & cum ipſis realiter identificatur, ergo non poteſt videri, niſi videantur Perſonæ, neque vice verſa perſonæ ſine eſſentia, cum qua ſunt vnum.

II. Et ad has tandem rationes reuocātur aliæ afferri ſolitæ ad hanc Aſſertionem probandam, in qua conueniunt Theologi vtriuſque partis.

Fauet Scriptura Ioan. 14. vbi Chriſtus arrepta occaſione ex rudi petitione Philippi de viſione corporea ſolliciti, tradit altiſſimam doctrinam de vnitate diuinæ naturæ in tribus perſonis, dum ſui, ac patris mentionem facit. *Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt*. Quæ explicans Auguſtinus l. de fide ad Petrum c. 1. *Nullus, inquit, horum extra quemlibet ipſorum eſt, propter diuinæ naturæ vnitatem*: Et Hilar. 3. de Trin. *Patrem ergo in Filio, & Filium in Patre eſſe plenitudo in vtroque diuinitatis perfecta eſt, quia plenitudo diuinitatis eſt in Filio*. Ambroſ. in 2. Corinth. c. 5. *Per hoc intelligitur Pater eſſe in Filio, & Filius in Patre, quia vna eſt eorum ſubſtantia, &c.* Quam Patrum explicationem ad Spiritus Sancti in illis loquentis illuminationem refert Magiſt. in 1. ſent. diſt. 19. vbi S. Bonauent. dub. 6. ob allatam paulo ante rationem, id eſt propter ſimplicitatem ſummam repetit quicquid eſt in Deo, Deum eſſe; non tamen quicquid eſt in Filio eſſe Filiū, quia particula, In, dicit diſtinctionem perſonalem in hac ſecunda propoſitione; in prima verò tantùm ſecundū modum intelligendi.

Omne quod eſt in Deo, Deūs eſt, propter ſūmam ſuam ſimplicitatem.

Confirmatur primò ex ijs, quæ docet S. Bonauentura de circuminceſſione perſonarum in 1. diſt 19. p. 1. a. 1. q. 4 per eam quippe dicitur vna Perſona eſſe in alia, & è conuerſo, quod proprium ſolius Dei eſt, in quo eſt perſonarum diſtinctio, & vnitas eſſentiæ: propterea Filius eſt in Patre, quia cōuenit cum illo in eſſentia, & differt in perſona, quod idem conuenit Patri reſpectu Filij: non poteſt igitur de potentia ordinaria videri vna Perſona, quin videatur alia in diuinis, quia alia eſt vna & eadem res cum eſſentia, quæ videtur, & hæc identificat ſibi alias perſonas inter ſe diſtinctas.

Secundò. Confirmatur ex ijs, quæ habet de proprietatibus perſonalibus in 1. ſent. diſt. 26. quas vnum eſſe cum eſſentia oſtendit. Item quæ habet de Ideis diſt. 35. paſſim, quas in Deo eſſe probat; ſed non diſtinctas ab ipſo, niſi per rationem, & connotatum; de quo infra.

Tertiò. Ex vniuerſali doctrina eius inter Theologos communi, quod in diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obſtat relationum oppoſitio; ex ea enim ſequitur, videntem intuitiuè Deū totum videri, licèt non totaliter, quia neque reſpectu modi cognoſcendi, neque reſpectu obiecti cogniti videtur quantum viſibilis eſt, vt infra patebit.

Confirmatur, quia diuina eſſentia in ſe eſt ſimpliciſſima, ergo non poteſt in ea aliquid clarè videri, niſi videatur totū, igitur nec videri poteſt eſſentia, quin videantur, quæ illi identificātur.

Nec valet dicere, quod ſufficiat diſtinctio virtualis; quia clarè videns eſſentiam hanc eandem diſtinctionem videt, quæcumque illa ſit, cum non obſtet omnimodæ ſimplicitati, & idētitati Perſonarum cum eſſentia; ac proinde etiam videt terminos diſtinctos.

Secunda Aſſertio.

III. Loquendo de potentia extraordinaria, non implicat contradictionem cognitione intuitiua minus perfecta videri eſſentiam nō viſis perſonis diſtinctè, & explicitè. Præter Scotum, & Scotiſtas, tenet hanc Paludanus in 4. diſt. 49. q. 5. a. 3. concluſ. 1. cuius verba ſunt: *De potentia abſoluta diuinam eſſentiam poſſe clarè videri ſine hoc, quod in ea videatur ratio perſonæ cuiuſcumque, &c.* Et probat primò, quia intellectus non comprehēdens rem poteſt in ea apprehendere vnam rationem ſine alia. Secundò, quia poteſt apprehendere vnum attribu-

tributum ſine alio, genere, & eſsentiã ſine perſonis, quia non eſt maior diſtinctio inter attributa, quam ſit inter eſſentiam, & perſonas. Tertiò, quia poteſt videri eſſentia non viſis ideis, ergo & non viſis perſonis. Quartò, quia prior eſt cognitio rei abſolutæ in ſe, quam in comparatione ad aliud; quæ rationes iuuant intelligentiam rationis, qua idem probamus paulò poſt afferendum. Sequitur S. Antonin. 3. p. tit. 30. c. 4. §. 2. Palat. in 1. diſt. 1. diſp. 3. & 4. ſentent. d. 49. diſp. 2. concluſ. 5. & ex Interpretibus S. Bonauẽturæ Franc. Longus à Coriolano in ſum q. 30. a. 1. in fin. comment.

Ex noſtris tenet illam P. Salaſ. 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 4. ſect. 3. concl. 3. citãs alios multos, præſertim Card. Sarnanum, a quibus non longè abſunt aſſerentes notitia iudicatiua poſſe eſſentiam cognoſci ſine Perſonis, & vnam Perſonam ſine alia, vt Sot. in 4. diſt. 49 a. 3. concl. 2. videtur enim conſequenter idem dici debere de apprehẽſiua, licè de hac neget Sot. ne deſerat apertè Thomiſtas. Fundamentum aſſertionis non pono cum Scoto in diſtinctione ex natura rei inter eſſentiam, & perſonas, tum quia hæc communiter reprobatur à Theologis, vt minus conſona ſummæ ſimplicitati Dei; tum quia etiam illa admiſſa, reſtat difficultas, quomodo poſita identitate realiter inter eſſentiam, & perſonas, quam tuentur omnes, viſio intuitiua feratur in vnam eſſentiam, & non in perſonas realiter illi identificatas, ſi fertur in obiectum, vt exiſtit à parte rei, & eſſentia exiſtit in tribus perſonis, & illis identificatur. Sot.

Neque vtor rationibus Scoti reiectis ab alijs, & a ſuis defenſis, ſed ineo alium probandi modum, pro cuius explicatione aſſumo, quod latè probaui ex SS. Patribus, præſertim S. Auguſtino, & S. Thoma in 1. tom. diſput. 1. q. 1. c. 4. dari veritates æternas pendentes quidem à Deo, qui eſt prima veritas; vnde omnes aliæ deriuantur, vt S. Bonauentura in 1. diſt. 8. a. 1. q. 1. ſed non efficienter, ac proinde neque vt liberè operante, quia non producuntur actione phyſica; ſed ſolùm intelliguntur manare neceſſario conſequẽtia quadam metaphyſica, ex eo quod Deus eſt; itaut impoſſibile ſit, eas non eſſe, ſicut impoſſibile eſt, Deum non eſſe: exempla dat Auguſtinus in numeris, v. g. verum eſt neceſſariò, quod duo & tria faciunt quinque, & duo quinaria denarium, nec per vllam potẽtiam poſſibile eſt oppoſitum: quę doctrina locum etiam habet in diuinis; quia licèt in Deo ſit vna ſimpliciſſima entitas; tamen illa multipliciũ veritatum fons eſt, & radix; quod de attributis tam abſolutis, quàm relatiuis eſſentiæ conuenientibus in comperto eſt; de ideis autem probat S. Bouent. in 1. diſt. 35. a. 1. q. 4. auctoritate S. Auguſt. epiſt. 4 ad Nebridium, eſſe illas in Deo non ſolùm vniuerſalium; ſed etiam ſingularium: *Dico, inquit, Auguſt. quantum ad hominem faciendũ pertinet, hominis tantum eſſe rationem, quantum verò ad ordinem temporis varias hominum rationes in illa ſinceritate viuere, &c.* Rationes æternæ ab Auguſt.

IV. Neque obſtat, quod in 2. diſt. 23. in fin. ponat inter propoſitiones damnatas ab Academia Pariſienſi iſtã, quod multæ ſunt veritates ab æterno, quæ non ſunt Deus; damnantur enim ſolùm exiſtentiæ rerum ab æterno, non rationes cognitæ à Deo, quæ extra Deum non exiſtunt propriè, cum nihil ab æterno ſit productum. Quid verò iſtæ rationes ſint, explicare ibidem conati ſumus; nunc quod attinet ad præſentem quæſtionem ſatis eſt, quod non ſunt pura vocabula, neque mera entia rationis, neque nihil, neq; entitates à Deo productæ actione phyſica, neq; eſſentia diuina, & creaturæ abſolutè conſideratæ, ac ſeorſim vna ab alijs; ſed cum aliquo reſpectu, ſine quo intelligi nequit idea, ſeu ſimilitudo cogniti, quæ dicitur a S. Bonau. ratio expreſſiua cognoſcendi; ab alijs aliter vocatur, iuxta diuerſas de Ideis ſententias; ſiue autem iſte reſpectus ſit rationis, ſiue tranſcendentalis in Deo; ſufficit, quod eſſentia eadem in ſe manens, & inuariata ſit fundamentum diuerſarum rationum, quæ in ipſa concipiuntur non ſolùm in ordine ad intrinſeca Dei, ſed etiam pęnes extrinſeca connotata creaturarũ; quas rationes vocabamus cum Auguſtino, veritates æternas conceptibiles, & enunciabiles quà dependenter, quà

independenter vna ab alia in cognitione, quamuis in re nulla ſit dependentia, vtpote entis primi, & prorſus independentis.

V. S.Thom. Simile eſt, quod S.Thom. 1.p. q.32. a.2. 2. ait, quod Notiones ponuntur in diuinis, non vt res, ſed vt rationes, quibus cognoſcuntur perſonæ.

Eſt autem adeo ſublimis continentia hæc veritatum omnium in prima illa veritate, à qua manant, vt cum mala, & peccata nõ habeant rationes in eſſentia diuina, ſicut nec impoſſibilia, veritates tamen eorum habeant, v.g. verum eſt, quod peccatum ſit cõtra Deum, quod impoſſibilium non eſt potentia, & ſimilium veritates ſunt in prima veritate contentæ, & ab ea pendentes: quo ſenſu intelligendum aliquorum Theologorum effatum alioqui durum, quo duo contradictoria verificantur de eodem ſecundum idem, quia hæc veritas, quòd non verificentur, cadens ſuper illa, continetur in prima veritate, & falſitas etiam vnius partis, quatenus verum eſt eam eſſe falſam in eadem continetur, ijs poſitis, vel potius ſuppoſitis ex propria de illis diſputatione addendũ hic eſt rationes, quæ concipiuntur in Deo, vt Dei ſunt, in hoc etiam differre à creatis, quod illæ non concipiũtur per abſtractionem à ſingularibus; vel à compoſitis, vt docet S.Bonauẽt. in 1.d.27. p.1.a.1. q. 3. ſed præciſiuè opere intellectus partientis. Probatur Aſſertio ſic: Ratio eſſentiæ quocumq; modo intelligatur diſtincta à perſonis, & quocumque modo prior, vel prioritate à quo, vel ſecundum ſubſiſtendi conſequentiam, diſtinguitur formaliter à ratione perſonarum, ergo poteſt clarè intelligi, ſeu cognitione intuitiua ſaltem minus perfecta videri, non viſis rationibus perſonarum. Antecedens probatur, quia hæc ratio, ſeu veritas, eſſentia eſt communicabilis, diſtinguitur ab iſta alia perſona non eſt communicabilis; ergo etiam eſt intelligibilis clarè, non intellecta clarè incommunicabilitate perſonæ, ſicut eſt intelligibilis ratio animalis abſque eo, quod intelligatur ratio, vel rationalis, vel indiuidui Socratis Platonis, &c. in quo eſt paritas, licet in aliis ſit diſparitas, quia eſſentia non eſt genus ad perſonas, vt eſt animal ad ſpecies, & indiuidua. Conſequentia probatur, quia licèt cognitio intuitiua perfecta Dei feratur in totum illud, quod à parte rei eſt Deus realiter; tamen minùs perfecta poteſt ferri in aliquam rationem ex ijs, quæ ſunt in Deo, ſiue quia datur lumen, aut ſpecies proportionata ad vnam rationem intelligendam, & non aliam; ſiue quia Deus præbeat concurſum ad intelligendam clarè vnam, & non aliam, v.g. rationem primi entis independentis per ſe ſubſiſtentis, abſque eo quod concurrat ad cognoſcendam proceſſionem Filij, & Spiritus Sancti, quæ ſunt veritates diſtinctæ; & illa cognitio eſſet quidem minus perfecta, quã quæ videtur totum illud clarè, quod eſt realiter primum ens; ſed tamen erit cognitio clara illius rationis præciſè non cognitis alijs; quemadmodũ cognitio, quam dat viſio oculi intuitiua coloris albi, quod ſit accidens Cigno inhærens, eſt clara, licèt non cognoſcantur omnes rationes, v.g. quod educatur de materia, quod dependeat à Deo, &c. quod eſt prædicatum eſſentiale, quod aſſumi poſſit à Deo ad effectus ſupernaturales, quæ eſt potentia obedientialis; & ſimilia. Et ne fortè fiat contentio de voce, Intuitiua, quaſi non ſit talis, niſi attingat omnes rationes, quod falſum eſſe, oſtendo argumento, quo

Cõfirmatur Aſſertio, quia quò quis beatior in cęlo eſt, eò plures rationes videt in diuina eſſentia, & tamen omnis beatus videt intuitiuè eſſentiam, ergo per cognitionem intuitiuam videri poteſt vna ratio ſine alia, viſo illo, cum quo realiter omnes identificantur. Et idem argumentum probat de Perſonis inuicem comparatis, ac de Attributis abſolutis; poteſt enim cognoſci per diuinam potentiam ratio filiationis vt ſic, abſque eo quod cognoſcatur ratio ſpirationis explicitè, licèt non ſine paternitate tanquam termino, quia Filius vt ſic eſt Patris Filius; at non eſt neceſſe cognitionem intuitiuam Filij eſſe etiam intuitiuam Patris, ſed ſufficit, quod ſit abſtractiua, & vice verſa. In patria beatior videt in diuina eſſentia plures rationes.

Confirmatur, quia Angelus cognitione intuitiua videre poterat humanita-

Digitized by Google

nitatem Chriſti abſque cognitione ſubſiſtentiæ diuinæ, & de facto illam nouerat intuitiuè Dæmon, & nõ hãc, ergo cognitio intuitiua poteſt eſſe ſine cognitione modorum omnium rei cognitæ.

VI. Secundò probatur principaliter aſſertio, quia ratio aſſumptiui diuerſa eſt à ratione non aſſumptiui, ergo vna non inuoluit alteram in ſuo cõceptu, ſicut & ratio communicabilis, & non communicabilis, cum includat contradictionem, excludit identitatem conceptus; quis enim dicat, eumdem eſſe conceptum duorum contradictoriorum? Aſt eſſentia non eſt aſſumptiua, itaut terminet primo & per ſe naturam aſſumptam; dando illi eſſe perſonæ, ſicut terminat perſonalitas, ſiue ſubſiſtentia Filij, & terminare poſſet perſonalitas Patris, ac Spiritus Sancti, ſi incarnarentur, igitur ratio non aſſumptiui, quæ conuenit eſſentiæ diuinæ, nõ inuoluit rationem aſſumptiui, & terminare potentis naturam aſſumptam, quæ conuenit perſonæ.

Poſſet diuinitus vna perſona cognoſci ſine alia clare.

Poſſet igitur per diuinam potentiã cognoſci vna ſine alia, adeout clare vna intelligeretur, & non alia, puta eſſentiam non poſſe terminare naturã vllam creatam, abſque eo quod cognoſceretur perſonas aſſumere poſſe, ac terminare. Et idem eſt de ſubſiſtẽtia abſoluta in ſententia illam admittente, quia poſſet aſſumere naturam humanam ſola ſine perſonalitatibus aſſumentibus; quod ego non admitto.

Quod argumentum non eſt idem cum argumento Scoti arguentis à cõmunicatione eſſentiæ diuinæ, & non relationis, diſtinctionem ex natura rei & poſſibilitatem viſionis eſſentiæ, non viſis perſonis; ſed ſuppoſita omnimoda ſimplicitate à parte rei cum ſentẽtia communi, ex eo quod communicatur eſſentia, & non communicatur relatio, inferimus diuerſas eſſe rationes, ſeu veritates, quia verum eſt dicere, eſſentia communicatur Filio, Paternitas vt ſic non communicatur, igitur aliqua diſtinctio eſt inter ipſas; ſed quæcumq; demũ illa ſit, negari nõ poteſt, diuerſas eſſe veritates, eſſentia cõmunicatur, paternitas verò non cõmunicatur. Ex quo deducitur, primã intelligi poſſe clarè abſque eo quod intelligatur ſecunda, quia negatio cõmunicabilitatis non ingreditur conceptum cõmunicabilitatis, etiamſi realiter Paternitas incommunicabilis nõ diſtinguatur ab eſſentia communicabili, quia eadem ſimpliciſſima entitas propter infinitatẽ perfectionis eſt cõceptibilis ſecũdũ varias rationes, ſeu veritates formaliter diſtinctas, radicaliter identificatas vni primæ, à qua cæteræ manant increatæ, & creatæ, ſeu creaturarum. Ita S. Bonauentura in 1. diſt. 9. a. 1. q. 2. ad arg. *Quamuis eſſentia & perſona ſint idem, non tamen ſunt ad idem, quia perſona eſt ad aliam, ideo generatur & refertur, eſſentia verò non; ideo eſſentia communicatur, perſona diſtinguitur. Sicut ergo, quamuis idem ſit in Patre eſſentia, & Perſona, tamen perſona generat, eſſentia non: Sic è conuerſo eſſentia communicatur, & perſona non, &c.* quis non intelligat communicari, & non communicari, generare, & non generare eſſe contradictoria, & non conuenire vni, & eidem ſecundum eamdem rationem? Eſt igitur diuerſitas rationum, & quęlibet ſuam habet veritatem diſtinctã in Deo in vnitate eſſentiæ, & identitate perſonarum cum eſſentia: vnaquæque autem ratio habet ſuam veritatem, ac proinde cognoſcibilitatem ab alia diſtinctam, nec apparet cur vna non poſſit cognoſci clarè, quin cognoſcantur omnes cognitione minus perfecta, quàm ſit viſio beata de facto, quæ & ipſa non attingit omnes rationes, ſicut nec omnes ideas, quę ſunt infinitæ, vt S. Bonauentura ſupra; idque vniuerſim loquendo; nam in particulari vtrum veritates relationũ intelligi poſſint non intellecta aſſentia pendet à quæſtione, an relationes, vt dicunt Ad, inuoluant perfectionem conſtitutam ab eſſentia, itaut ſine illa concipi nequeant; ſi enim ſequamur negatiuam aſſerentem nõ conſtituere relationes, neque ingredi formalẽ eorum conceptum, conſequenter aſſerendum intelligi poſſe, non intellecta eſſentia; videretur enim poſitiua perfectio realiter quidem identificata eſſentiæ, ſed formaliter vt dicit rationem Ad, diſtinctam, quia eſſentia vt ſic eſt abſoluta: Si verò affirmatiuæ hæreamus, quod relationes formaliter

etiam conſideratæ conſtituantur ab eſſentia, manifeſtum eſt, non poſſe cognoſci ſine eſſentia, ſicut non poteſt cognoſci homo, quin cognoſcatur animal; neque datur ratio vlla, vel veritas de iſtis, quæ præſcindat ab eſſentia: multò magis ſi ratio Ad, vt ſic non inuoluit perfectionem; quid enim concipiatur Deo dignum, & naturæ diuinæ conueniens, quod præſcindat ab omni perfectione? aut cuius veritatis ſit fundamentum à prima veritate manantis, & in Deum cadentis, quæ nullam perfectionem in ſuo conceptu includat? Quod ſi includat, vel eſt eſſentiæ formaliter, & ſic non poteſt ſine eſſentia cognoſci: vel eſt proprietas, & tunc reditur ad quæſtionem, an illa perfectio conſtituatur ab eſſentia?

VII. Attributa autem abſoluta ſi comparentur adinuicem, non repugnat, intelligi clarè vnum non cognito clarè altero in via S. Bonauenturæ; nam in 3. diſt. 14. a. 2. q. 1. ad penult concedit, quòd licet in Deo idem ſit ſapientia, & bonitas; tamen aliud & aliud eſt lumen, per quod intellectus vtriq; conformatur, ergo poteſt Deus dare lumen ad videndam vnam, & non alteram; quod intelligendum de iiſdem in ſenſu formali ſumptis, vt dicunt proprias rationes quamuis identificatas eſſentiæ. Quod ſi comparentur cum eſſentia ex eo quod ſunt rationes diuinæ, & non poſſunt ab illa abſtrahi ex mente S. Bonauent. neceſſariò inuoluunt illam in ſuo conceptu.

Ibidem q. 2. docet, Deum ab anima Chriſti videri totum, quia ſimpliciſſimus eſt, non tamen comprehendi, quia infinitus & immẽſus eſt etiam ad intra, & ideò à finito comprehendi nequit; quod verum eſt de quocumq; intellectu creabili, qui tamen cum in Verbo plura & plura cognoſcere queat, non ſolum extrinſeca, ſed etiã intrinſeca, ſi Deus manifeſtare illa velit, cõſequens eſt dari rationes plures & plures, ſicut dantur ideæ, & has docet, cognoſci poſſe vt diſtinctas inter ſe, itaut videatur vna non viſa alia, & omnes ſimul eſſe infinitas ab eſſentia non diſtinctas, & addere tantum cõnotatum extrinſecum. Et in 1. d. 35. a. 1. paſſim, & q. 4. expreſsè vocat rationes, quas diuina ſapientia cognoſcit omnes, reliqui Beati non item. Sic ille ibidem. *Rationes autem æternæ, inquit, per comprehenſionem à ſolo Deo ſciuntur, &c.* quibus verbis indicat, eſſe obiecta cognoſcibilia formaliter diſtincta ab eſſentia, licèt realiter indiſtincta; & vt diſtincta inter obiecta ſecundaria computari, quia ſupponunt Deum vt eſſentialiter ſubſiſtens, vt primum, & ſummum bonũ, ac verum, à quo cætera bona, & vera dependent.

Anima Chriſti totũ Deũ videt, non tamen comprehendit.

Ad confirmandam aſſertionẽ pertinent argumenta Scoti, & Sectatorũ, qualia ſunt, quod eſſentia comparata attributis tam abſolutis, quàm relatiuis, eſt primarium obiectum per ſe beatificum prius illis, proinde intelligibile ſine illis; quod fundamentum diuerſarum enunciationum, v.g. quod Pater generat, eſſentia non generat, quod perſona aſſumit naturam humanam, eſſentia non aſſumit, neque terminat, quod communicatur eſſentia Filio, non relatio paternitatis, quod coli poteſt, & amari vna Perſona, & non alia, & ſimilia, quibus ſaltem oſtenditur, quod ſint veritates multæ, quas ſeparatim cognoſci poſſibile eſt.

SOLVTIO ARGVMENTORVM,

Præſertim contra ſecundam Aſſertionem.

CAP. II.

I. *Deus intuitiuè viſus non comprehenditur à creatura.*
II. *Eſſentia diuina virtualiter diſtinguitur à relationibus.*
III. *Modi plures ſunt poſſibiles videndi eſſentiam ſine perſonis.*
IV. *Explicatur S. Auguſtinus, & alij Patres.*

PRIMVM eſt, quia etiam de potentia abſoluta impoſſibile eſt, viſionem intuitiuã non ferri in obiectum viſũ cum omnibus conditionibus, quas habet à parte rei, vt in probatione primæ aſſertionis dicebamus, ergo fieri non poteſt, vt videatur eſſentia diuina intuitiuè, quin videantur perſonæ, VIII.

& cæ-

Digitized by Google

& cætera, à quibus realiter non diſtinguitur, ac proinde non habeat diuerſam exiſtentiam, quæ terminet viſionem: Intuitiuè, inquam, nam abſtractiuè dari poſſe notitiam eſſentiæ ſine relationibus cum Thomiſtis pluribus arbitrantur alij, quos citat Sal. nu. 29. loc. cit.

Confirmatur, quia eſſentia diuina ex intrinſeca ſua ratione poſtulat cõmunicari tribus Perſonis, ergo non poteſt videri, quin videantur Perſonę. Vel ſic, Deus magis eſſentialiter eſt trinus, quam homo animal rationale, ergo non poteſt intelligi ſine Trinitate Perſonarum, ſicut nec homo ſine rationalitate.

Deus totaliter à beatis nõ videtur. Reſpondeo ad argumentum primò per inſtantiam; probaret enim totaliter à Beatis cognoſci Deũ, & non ſolũmodo totum, quod eſt cõtra communem ſententiam Theologorum, S. Bonauenturæ in primis in 3. diſt. 14. a 1. q. 2. negantis Chriſti animam videre Deum totaliter, quia comprehenderetur incomprehenſibilis: poteſt igitur videri intuitiuè Deus cum proprietatibus, quæ ſunt idem realiter cum illo, ſed non cum omnibus rationibus, ſeu veritatibus, quarum fons eſt; & ideo non comprehenditur à creatura, quæ neq; ratione modi cognoſcendi adæquatur illi ob limitatã potentiam cognoſcitiuam; neque ratione cognoſcibilium, ſeu veritatum infinitarum in prima illa veritate cõtentarum: quæ cognoſcibilitas non ſolum complectitur creaturas poſſibiles ab ipſo produci, vt explicat Suar. (Suar.) l. 2. de attribut. negat. c. 28. à num. 13. ſed etiam prædicata eſſentialia, & intrinſeca perfectionum, in quas partibilis eſt eſſentia ab intellectu ipſam clarè cognoſcente, quomodo appellatur Deus immenſus à S. Bonauent. ſupra cit. non ſolùm quoad extrinſeca; ſed etiam quoad intrinſeca; & licèt omnes illæ perfectiones ſint vnũ, & idem cum eſſentia, tamen formaliter conſideratæ dicuntur veritates diuerſæ à prima veritate, ſeu ab eſſentia, vt prima veritas eſt, conſequentes. Et quia iſtarum cognitio eſt ex vi eſſentiæ viſæ, & viſio hæc finita eſt, vtpote à lumine finito, vt cum S. Bonau. docet S. Thom. 1. p. q. 12. a. 7. 8. (S. Thom.) ideo illarum cognitio infinita eſſe nequit, & proinde neque comprehenſiua, quicquid præterea ad comprehẽſionem requiratur creaturæ non poſſibile, ſed ſoli Deo ſeipſum comprehẽdenti.

Secundò. Reſpondeo directè ad argumentum, concedendo, quod viſio intuitiua perfecta fertur in obiectum vt exiſtit à parte rei cum omnibus conditionibus realibus; ſed poteſt dari minùs perfecta, quæ feratur in idem obiectum reale cognitum ſub vna ratione, & non ſub alia, puta ſub ratione primi entis independẽtis actus puri, omnipotentis abſque eo quod clarè cognoſcãtur proceſſiones, & relationes ab eſſentia indiſtinctæ, ſicut de facto viſio beata intuitiua, quę fertur in eſſentiam, & perſonas, non fertur in omnes ideas diuinæ mentis; ſeu veritates idearum inter ſe diſtinctarum, quicquid tandem illæ ſint in Deo, vt ſupra innuimus. IX.

Ad confirmationem poteſt abſolutè cognoſci eſſentia vt communicabilis tribus perſonis, abſque eo quod cognoſcantur intuitiuè tres Perſonæ, ſicut poteſt cognoſci clarè omnipotẽtia, abſque eo quod cognoſcantur intuitiuè creaturæ in ſententia aſſerente intuitiuam viſionem ferri in Deum vt cauſam creaturarum; tam enim prædicatum neceſſarium eſt Dei potentia creatiua, quàm generatiua, & ſpiratiua, licèt terminus iſtius ſit intrinſecus; illius verò extrinſecus, & realiter diſtinctus, cum in diuinis omnia ſint vnum vbi non obſtat oppoſitio; ſicut enim in hac identitate communicatur ita perſona naturæ humanæ, vt per eam ſubſiſtat, & non per eſſentiam à perſona realiter indiſtinctam; ita communicari poteſt cognitio eſſentiæ, quod ſit primum ens independens, actus purus, &c. abſque eo quod communicetur diſtincta cognitio Perſonarum, quarum veritas non eſt veritas eſſentiæ formaliter.

Inſtabis, quod illa cognitio eſſentiæ non eſſet intuitiua, neque viſio beata.

Reſpondeo, fore intuitiuam minùs perfectam, quàm quæ fertur de facto in eſſentiam, & perſonas, quia ad intuitiuam non requiritur vt feratur

ſimpli-

ſimpliciter in obiectum ſecundùm totam ſuam cognoſcibilitatem, alioqui viſio beatifica non eſſet intuitiua; ſed ſufficit, quod clarè, & indiſtinctè attingat obiectum ſecundum aliquam rationem eius, & habeat euidentiam, ac infallibilitatem: quamuis enim viſio intuitiua vt diſtincta ab abſtractiua communiter dicatur eſſe obiecti præſentis, ac exiſtentis, cum omnibus proprietatibus exiſtentiæ; tamen datur alia illa inferior, quę eſt intellectus euidenter intuentis obiectum, & veritatem eius, ſiue exiſtat, ſiue non; vt eſt primorum principiorum, & eorũ quæ lumine naturæ ſunt nota, non minùs quàm quæ oculus corporeus intuetur; imò magis, cum in ijs error contingat aliquando, non autem in illis: talis eſſet nobiliſſima viſio, quam Deus cauſaret eſſentiæ ſuæ, & nõ perſonarũ, ad quarum veritates cognoſcendas diſtinctè nollet concurrere. An autem dici beata illa poſſit viſio, Scotus affirmaret, cuius eſt illud argumentum, quod eſſentia eſt obiectum primarium, quo viſo in primo ſigno Pater eſt perfectè beatus, & non perficitur à viſione Perſonarũ: Vazq. etiam & Molina, & alij quidam putãt expreſſam, & formalem cognitionem myſterij Trinitatis non eſſe de eſſentia beatitudinis contra Caiet. & alios; ſed in pręſentia omiſſa hac quęſtione, & grauibus difficultatibus aduersùs Scotum, in mea ſententia expedite reſponderi poteſt. Voluntas beati ex illa ſublimi viſione perfunderetur immenſo gaudio; ſed non eſſet perfecta beatitudo, quia habita cognitione Perſonarum abſtracta ob communicabilitatem eſſentiæ, non ſatiaretur appetitus eius, niſi eas quoque intuitiuè videret, quia ſciret, non videri à ſe completè eſſentiam, cum qua identificantur Perſonæ realiter: ijs autem viſis, ſatiatur perfectè appetitus, etiamſi alia multa ignorentur; Beati namque de facto ſciunt, ſe non ſcire omnia, quæ ſcit Deus, & nihilominus abundantia voluptatis ſatiati conquieſcunt placidiſſime in viſione Dei. Viſionem illam non fore beatificam, cenſent aliqui recentiores apud Salas loc. cit. n. 26.

Datur alia viſio inferior viſione intuitiua.

Vazq. Molin.

X. Rurſus inſtabis. Ratio eſſentiæ eſt eadem realiter cum Perſonis in ſententia negante diſtinctionem ex natura rei, ergo non poteſt intelligi, quid realiter ſit eſſentia, quin ſimul intelligatur, quid ſint perſonæ indiſtinctæ ab eſſentia.

Reſpondeo, negando ſequelam, quia ſimpliciſſima entitas eſt abyſſus perfectionum diſtinguibilium ab intellectu, & vnaquæque habet ſuam rationem, ac veritatem diſtinctam ab alia, & omnes ab ea manant tanquam à prima veritate, & in eandem refunduntur per ſummam identitatẽ, quod non habent veritates creatæ, quę cũ illa prima increata identificari nequeunt, licèt ab illa dimanent.

Veritates creatæ cum prima veritate identificari nõ poſſunt.

Ad exemplum de homine, quod non poteſt intelligi, quin intelligatur rationalis, vt initio in argumento dicebatur, reſpondeo diſparitatem eſſe, quia eſſentia diuina virtualiter diſtinguitur à relationibus, & perſonis vt ſic; ideo habet diſtinctam veritatem, & cognoſcibilitatem: Rationalitas autem non diſtinguitur ab homine, quem conſtituit cum animalitate, nec habet diſtinctam cognoſcibilitatem, quia conceptus eius eſt vt ſic conſtitutiua hominis.

Obijcies ſecundò. Vel illa viſio, qua videretur eſſentia non viſis perſonis, eſſet à lumine eiuſdem rationis; ſed magis remiſſo, quàm quo videntur ſimul Perſonæ, itaut etiam viſio ſit remiſſior; vel eſſet diuerſæ rationis: neutrum dici poteſt: non primùm, quia remiſſio, vel intenſio luminis non obſtat, quin viſio ſit intuitiua eſſentiæ, ac perſonarum, vt patet de facto in Beatis, qui differũt in gloria, & viſione magis & minus intẽſa; & nihilominus intuitiuè vident eſſentiã, ac Perſonas. Neque ſecundum dici poteſt, quia lumen eſt eiuſdem ſpeciei in omnibus Beatis: diuerſitas autem indiuidualis, vel eterogenea non poteſt facere tantam diuerſitatem viſionum, vt vna repræſentet ſolam eſſentiam ſine perſonis, alia cum perſonis.

Reſpondeo inſufficientem eſſe hanc enumerationem ad probandam implicantiam viſionis eſſentiæ ſine perſonis; quid enim ſi dicam de abſoluta potentia Deum abſque lumine poſſe concurrere ad videndam eſſentiam, &

non perſonas? Quid item ſi dicam eſſentiam fungi vice ſpeciei ad ſe repræſentandam, & non perſonas? Quid ſi vel diuerſitatem ſpecificam, vel eterogeneam tantum admittam in lumine, vt aptum ſit concurrere ad videndam eſſentiam ſine perſonis? dato quod per eandem viſionem non poſſit videri ſucceſſiuè modò eſſentia cum perſonis, modò abſque perſonis? Reſponſio igitur eſt, non deeſſe modos diuinæ omnipotentiæ, quibus diuerſas viſiones efficiat repræſentãtes ad eius libitum. Et de facto poſſent in opinione probabili eadẽ numero viſione, qui vident plures creaturas in Deo, incipere videre pauciores, ſi Deus vellet, ac proinde etiã videri modo eſſentiam cũ relationibus, mox ſine illis inuariata intrinſecè viſione exiſtimat Sal. loc. cit. n. 28. concedens viſionẽ intrinſecè indiuiſibilẽ extendi, vel contrahi extrinſecè ad plura, vel pauciora; ſed de hoc erit propria quęſt. infra.

Viſio intrinſeca indiuiſibilis extẽdi poteſt ad plura.

XI. Obijcies tertiò, quia S. Auguſtinus in pſal. 85. ait; *Vbi non vnius ſeparatur natura, & ſubſtantia, viſio ſeparari nõ poteſt, &c.* Et non valet dicere, loqui illum de potentia ordinaria, quia ratio eius petita ab vnitate naturæ, & inſeparabilitate perſonarum locum habet in omni caſu poſſibili. Sicut & quam præmiſerat pſal. 84. *Cum vnus Deus noſter Trinitas videtur, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus videtur.*

Et lib. 1. Trin. c. 8. *Siue ergo audiamus, oſtende nobis Filiũ, ſiue audiamus, oſtende nobis Patrem, tantumdem valet, quia neuter ſine altero poteſt oſtendi, vnum quippe ſunt, ſicut & ipſe ait; Ego & Pater vnum ſumus.* Et ibidem docet, viſionem cuiuslibet perſonæ ſufficere ad beatitudinem noſtram, quia ſeparari non poſſunt, cum ſint vnum in eſſentia.

Reſpondeo S. Auguſtinum, & alios Patres aſſerẽtes idem cum ipſo, abſtinuiſſe à ſubtili quæſtione inter Scholaſticos agitata, & loquutos eſſe de facto, non de poſſibili ſecundùm ordinem inſtitutum à diuina ſapientia accommodãte ſe ad rerum naturam, quæ poſtulat, vt viſa eſſentia, vel vna perſona, videantur reliquæ; ſed hoc non obſtat quo minus de potentia abſoluta, & per miraculum poſſit Deus facere, vt ſeiunctim videantur, alioqui propoſitio Patrum iuxta modum loquendi Scripturæ Sacræ eſſet de fide, & ſententia Scoti, quam graues Auctores multi Scotiſtæ, & alij vt probabilem tuentur, ſuſtineri nõ poſſet, quod nefas eſt aſſerere.

Conſequenter reſpondeo ſecundò, Patres loqui de viſione intuitiua perfecta, quæ de facto beatificat, vt certũ eſt, non de intuitiua gradus inferioris, quæ an beatificaret, in controuerſia eſt, affirmantibus alijs beatum fore intellectum, qui clarè videret eſſentiã ſine perſonis, alijs negantibus, quia adhuc illa viſio non quietaret appetitum, non cognitis clarè perſonis, quas ſaltem terminatiuè cognoſci in eſſentiæ viſione diximus, ac proinde hanc viſionem ferre ſecum deſiderium videndi illas inter ſe diſtinctas, & planè beatificantes, licèt non ſit eadem ratio de alijs perfectionibus realiter inter ſe, & ab eſſentia indiſtinctis.

Viſio intuitiua perfecta de facto beatificat.

EXPLICATVR

Magis doctrina ſuperius tradita per varias dubitationes ex varijs locis S. Bonauenturæ.

CAP. III.

I. Diuina eſſentia eſt pelagus infinitarum perfectionum in ſumma ſimplicitate.

II. Quæ ſynonima de Deo dicantur.

III. Differentia rationum in humanis, & diuinis.

IV. Fundamentum diſtinguendi rationes in Deo.

V. Multipliciter Deus nobis innoteſcit.

PRIMA eſt; quia ſi omnia, quæ ſunt in Deo propter ſummam ipſius ſimplicitatem identificãtur, nomina illa omnia, quæ ad illa ſignificanda vſurpantur, erunt ſynonima, quia ſignificant eandem rem ſimplicem: nec ſatisfacit, quòd diuerſæ in illa sũt rationes, quia iſtæ nihil reale dicunt à ſimpliciſſima entitate diſtinctum. XII.

Reſpon.

Reſpondeo, negando ſequelam, quia vt S.Bonauent.in 1.d.45.a.2.q.1 fusè docet: *Quamuis diuina eſſentia (verba illius ſunt) ſit vnum quid ſimpliciſſimum, tamen eſt pelagus ſubſtantiæ infinitum, & ideo omnia, quæ in nobis reperiuntur per diuerſitatem, in Deo nobiliùs per omnimodam repe-*

V. S.Thom.

riuntur identitatem, nihilominus tamen ſecundùm omnimodam perfectionem, & veritatem; vnde ſicut in nobis ſapientia, & potentia, & voluntas verè eſt ens, & cauſa rerum, quæ à nobis sũt, ſic & in Deo *ſunt, ſed tamen vnũ ſunt; & quia intellectus noſter non poteſt infinitatem ſubſtantiæ illius comprehendere, nec per vnum verbum exprimere; ideo multis modis intelligimus* Deum, *& diuerſis nominibus exprimimus, & ſecundum quod per illos modos intelligimus* Deum, *plura enunciamus, ita quod* Deo *aliquid attribuimus ſecundùm vnũ modum, quod non ſecundùm alium; & verè quidem, quia omnia in Deo habent veram exiſtentiam; & idem cum alio modo intelligimus* Deum, *cum dicimus* Deum *bonum, alio cùm dicimus* Deum *æternum, concedimus ſe diffundere, quia bonus eſt, non quia æternus; hæc enim eſt proprietas bonitatis, non durationis. Sic ille.*

Sed tunc eſt ſecũda dubitatio, quia, vt Auguſt.l.6. Trin.c.7. *Multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, ſapiens, beatus, verus, & quicquid aliud non indignè dici videtur, ſed eadem magnitudo eius eſt quæ ſapientia, & eadem bonitas qua ſapientia, & magnitudo &c.* Et l.5.Trin. c.11. *Sicut Trinitas vnus* Deus *dicitur, magnus, bonus, æternus, omnipotens, idemque ipſe, ſic ſua dici poteſt* Deitas, *ipſe ſua magnitudo, ipſe ſua bonitas, ipſe ſua æternitas, ipſe ſua omnipotentia, &c.* Omnia igitur ſunt ſynonima idem ſignificantia; hoc eſt vnum, de quo Dionyſ.de diu.no.c.13. *Vnum* Deus *eſt, quia omnia vnicè eſt, & ſecundùm vnicam eminentiam vnitatis &c.* Quibus verbis excludit omnem pluralitatem, etiam rationum, quæ non ſtat cum eminentia vnitatis.

Reſpondeo, negando ſequelam, ſynonima enim ſunt, quæ ſignificant prorſus idem, & neque formaliter, neque materialiter habent diuerſitatem in ſignificato, ex S.Bonauentura diſt.22.a.1.q.1. ad arg. in primo ſent. ſecùs quam eueniat in prædicatis diuinis, quorum rationes ſignificatę per nomina diuerſitatem habent in vnitate ſumma eſſentiæ, quod facit ad eminentiam vnitatis; etenim vnitas, quæ identificat ſibi pluralitatem, eminentiam, & admirabilitatem habet ſupra illam, quæ non identificat, vt idem S.Bonau.in 1.diſt.8.a.1.q.1.ad 1. p.2. v.g. ſi vnitas, quæ eſt principium numeri, ſimul eſſet binarius, quinarius, denarius, &c. eminentiam haberet ſupra illam, quæ non poteſt eſſe, niſi vna limitatè; ſicut ſi daretur vna ſimplex qualitas, quæ ſanatiua eſſet omnium morborum, quorum ſingulis ſanandis ſingulæ ſunt idoneæ, illa in ſua ſimplicitate eminentior eſſet, quàm ſingulæ etiam collectiuè ſumptæ; vt de facto anima rationalis in ſua ſimplici entitate continens perfectiones vegetatiuæ, & ſenſitiuæ à ſe indiſtinctas, eminentior illis eſt; ſic tota perfectio Angelorum, hominum, & creaturarum omnium in ipſis diſperſa in ſumma vnitate colligitur; & infinities eminentior in Deo eſt. Cũ igitur, ait Anſel.in Monol.c.16. *Illa natura nullo modo compoſita ſit, & tamen omni modo tot illa bona ſit, neceſse eſt, vt illa omnia non plura, ſed vnum ſint; & quia illa plura in vnitate ſimplici vno verbo exprimere nõ valemus, ideo multis nominibus exprimimus*: Sicut & diuerſis modis apprehendimus, vt S.Bonau.paulo ante citatus aſſerit, & alij Patres docent, qui diuerſas quidem rationes nominibus illis ſignificari cõtendunt, ſed in ſumma vnitate cõuenientes, & omnem compoſitionem excludentes. Sed tunc

Eſt tertium dubium, quia vbi nomina ſignificant diuerſas rationes, XIII. ſupponunt in obiectis apprehenſis differentiam aliquam vnius ab alia; at in re ſimpliciſſima non apparet hæc differentia; erit igitur ſolùm per rationem, quod eſt contra Damaſcenum ponentem diſcrimen inter creata, & diuina, quod illa cõueniunt per rationem, & re differunt; hæc verò è contrario.

Reſpondet S. Bonau. in 1. diſt. 26. a.1.q.1. ad argumentum Damaſceni: *Differre, inquit, ratione eſt tripliciter,*

vno

vno modo à parte apprehenſionis, ſicut differunt in Deo bonitas, & magnitudo. Alio modo differre in Deo eſt ſecundum differentiam attributionis; quia aliquis modus ponitur circa vnum, vel attribuitur vni, quod non attribuitur alteri: & ſic differunt ratione eſſentia, perſona, & notiones. Tertio modo differre ratione eſt differre ſecundum pluralitatem diſtinctionis, quæ non inducit diuerſitatẽ in eſſentia, vel natura: tamen tantam inducit diuerſitatem in eſſentia, vel natura; tamen tantùm inducit differentiã quod vnum non dicitur de altero, & ſic differt ratione perſona à perſona, & proprietas à proprietate: & prima quidem differentia ſecundùm rationem eſt minima, quia nihil ei reſpondet à parte rei, ſed vltimæ reſpondet, &c. Igitur S. Damaſc. ſolùm intendit, quod Perſonæ in diuinis non conueniunt in vno communi ſecundùm rationem, vt Petrus, & Paulus exempli gratia in natura humana; ſed in natura, ac eſſentia, quæ eadem eſt realiter in tribus perſonis, cum in creatis realiter ſit multiplex, & diſperſa in indiuiduis, à quibus intellectus abſtrahit vnam rationem, in qua conuenire concipit cum fundamento in re.

Diſtinctio triplex rationis ex S. Bo

Interim aduerte in primo modo differendi à S. Bonauentura allato indicari diſtinctionem rationis ratiocinantis, qualis eſt inter definitionem, ac definitum. In ſecundo modo diſtinctionem virtualem, quam plures, & grauiores Theologi admittunt in diuinis ad ſoluenda contradictoria, v.g. Pater generat, eſſentia non generat, & ſimilia, quæ ſupponunt fundamentum aliquod in re, & commodiſſimè aſſignatur diſtinctio virtualis, quæ cauſa eſt, vt de eadem ſimpliciſſima entitate affirmentur, vel negentur diuerſa, non ſecùs quam ſi eſſent in ea plura, quorum propoſitiones illæ verificantur.

In tertio autem modo innuit diſtinctionem tum realem, qualis eſt inter perſonam, ac perſonam; tum virtualem, qualis eſt inter perſonas, & eſſentiam. Reſpectu primæ dicitur, quod Pater non eſt Filius, ſed realiter diſtinguitur à Filio; reſpectu ſecundæ dicitur, quod Pater vt ſic, & formaliter ſumptus non eſt eſſentia, quia reduplicat relationem, ſeu reſpectum ad Filium, & eſt incommunicabilis, cùm eſſentia ſit communicabilis; cum quo tamen ſtat, vt realiter dicatur eſſe idem cum eſſentia propter ſummã ſimplicitatem, cui non obſtat perſonarum pluralitas, ſed potiùs perficit, vt oſtendit S. Bonauentura in 1 diſtin. 8. citat.

Eſſentia eſt communicabilis.

Quarta dubitatio eſt, Cum intellectus creatus debeat habere fundamẽtum diſtinguendi in ente ſuo nè ſimplici prędictas rationes interæ diſtinctas, & eas varijs nominibus explicãdi, quodnam ſit fundamentum hoc, & quomodo innoteſcat?

Reſpondeo, eſſe infinitam Dei perfectionem, quæ partim vi luminis naturalis intelligitur, partim reuelatione innoteſcit; ea enim poſita, v. grat. quod in diuinis dentur tres perſonæ, & vna eſſentia, intellectus diſtinguit varias rationes notionum, ac proprietatum perſonalium; ſicut quod eſt vnus, æternus, infinitus; de Attributis abſolutis multa inueſtigat, & tandem concludit, omnia identificari realiter eſſentiæ licèt formales eorum conceptus diſtinguantur. Et quidem fundamentum diſtinctionis aliqui poſuerunt in creaturis, quaſi illis cognitis intellectus agnoſcat perfectionem illarum contineri in eſſentia diuina tanquam in fonte, à quo deriuantur. Verum cognitio iſta ſupponit perfectionem infinitam participabilem à creaturis, & quamuis per creaturas intelligatur iuxta illud Rom. 1. Inuiſibilia ipſius per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, tamen creaturæ nõ ſunt fundamentum diſtinguendi rationes in Deo, ſed ſupponunt illud: quare S. Thomas in 1. diſt. 2. q. 1. art. 3. refellit aſſerentes attributa ex primario conceptu, & ſignificato dicere habitudinem ad extra, aut diuerſis Dei nominibus reſpondere effectus ad extra, & ita cum dicitur, Deus eſt bonus, ſenſum eſſe, quod cauſet bonitatem; cum potius verum ſit, Deum cauſare bonitatem, quia bonus eſt; nam quia Deus (inquit S. Auguſtinus l. 1. de doctrina Chriſtiana c. 32.) bonus eſt ſumus, & in quantum ſumus, boni ſumus. Et de Sapientia, ait S. Bonauent. in 1. diſt. 10. a. 2. q. 1. ad arg. quod non dicit reſpectum ad alium, & ideo de ſe ſemper dicitur ad ſe, & eſt eſſentia-

S. Thom.

lis, niſi approprietur: quod idem aſ- S.Auguſt. firmat S.Auguſtinus lib.7. Trin.cap.1. non ergo vniuerſaliter verum eſt, per habitudinem ad creaturas attẽdi pluralitatem rationum, quas in eſſentia diſtinguit intellectus, ſed ea etiam præciſa, fundamentum diſtinguendi præbet eius infinita perfectio, quæ quo clariùs videtur à Beatis, eò plures videt rationes ſine comparatione ad creaturas, idque ex vi eſſentiæ viſæ, quæ quoniam totaliter videri nequit, vt S.Bonauent.ſupra, iccirco neque omnes rationes videri poſſunt à creato intellectu; quia ſi ex penetratione eſſentiæ viderentur, cum ſit infinitè cognoſcibilis, viſio eſſet infinita, & infinitum lumen, ac proinde comprehenſio incomprehenſibilis à creatura.

XIV. Quinta dubitatio, quia rationes illæ in Deo viſæ, viſio ipſa, ac nomina illis ſignificandis impoſita ſibi inuicẽ reſpondent; nomina autẽ imponũtur Deo accepta ſignificatione à creaturis, quæ prius cognoſcuntur, & non à Deo ipſo, quem neque intelligere, S.Dion. neque dicere poſſibile eſt, ait Dionyſ. de diuin.nom.c.1. igitur rationes ſignificatæ per nomina dicuntur per habitudinem ad creaturas, à quibus transferimus nomina in Deum.

Reſpondeo, quod cognitio Dei, & attributorum eius, alia eſt perfecta Beatorum videntium facie ad faciem in Patria: Alia eſt imperfecta viatorũ videntium in ænigmate. Prima non indiget auxilio creaturarum ad vidẽdas rationes tam abſolutas, quàm notionales, & relatiuas in Deo, ſed videndo illum ſimul intelligit ens infinitum continens infinitas perfectiones in ſumma ſimplicitate, & vnitate, quarum plures, vel pauciores apprehẽdit, iuxta proportionem luminis, quo perfunditur. Secunda per diſcurſum colligit perfectiones, quas videt in creaturis eſſe participationes illius ſũmæ, & primæ bonitatis, in qua tanquam in fonte continetur, & ad eas ſignificandas imponit nomina à creaturis deſumpta, ac proinde per comparationem ad creaturas ſignificantur, quia nonniſi ratione ipſarum innoteſcant, etiamſi in ſe ſint abſolutæ.

Porrò Deus innoteſcit nobis tripliciter ait S.Bonauentura in 1.diſt.22.a.1.q.2. per cauſalitatem, per ablationem, S. Bonau. Deus tripliciter innoteſcit nobis. per excellentiam: Primo modo tribuuntur illi varia nomina, iuxta varios effectus, v.g. Creatoris, Sanctificatoris, Glorificatoris. Item ſecundo modo auferuntur ab ipſo quæcũq; imperfectionem habent, aut minorẽ perfectionem, quam deceat ipſum; ſic dicitur incorporeus, immortalis, &c. Tertio modo conſideratur virtus, & excellentia eius infinita, & tribuũtur ipſi nomina, quæ ſignificant nobilitatem ſupra omnes creaturas, v. grat. quod ſit primum ens independens, à quo pendent omnia, immenſus æternus, &c. Ex quibus in forma ad dubitationem reſpondeo, reſpectu imperfecti noſtri modi intelligẽdi rationes, quas concipimus in Deo, inuoluunt habitudinem ad creaturas, ſed non ſecundum ſe, neque vt vnum ſunt cum eſſentia diuina; quæ in ſententia Sancti Bonauenturæ nõ refertur ad creaturas, neque tranſcendentaliter, vt aliàs docui, etiamſi ſecundum aliqua attributa non poſſit à nobis intelligi ſine illis. Ideo S.Bonauent. mox citãdus ait, quod Deus diſtinctè producit creaturas, quia diſtinctè cognoſcit nõ è conuerſo.

AN VIDERI POSSINT

In Deo omnes creaturæ à Beatis.

CAP. IV.

I. *Explicatur ratio difficultatis, & ſtatus quæſtionis.*
II. *Refertur triplex ſententia.*
III. *Non ſunt cognoſcibiles creaturæ poſſibiles infinitæ ab intellectu creato.*
IV. *Varij modi probandi aſſertionem.*
V. *Ex ijs reiectis alijs, vnus eligitur.*
VI. *Neque poſſibilis eſt viſio finita terminata ad infinita indiuidua.*

NON eſt quæſtio de modo, quo videntur creaturæ in verbo, vtrum videlicet in ipſo vt obiecto viſo formaliter; ſeu ex vi obiecti, quod viſum ducat conſequenter in cognitionem crea- XV.

creaturarum: neque vtrum tanquam in ſpeculo, vel vt in cauſa; neq; vtrum per particulares reuelationes debitas viſioni Verbi: hæc enim non pertinent ad punctum principale poſſibilitatis cognitionis huiuſmodi; tum quia habet ſuas difficultates in omni ſententia, & omni modo cognoſcendi; tum quia creaturæ, vel ſunt poſſibiles, & cadunt ſub ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; vel exiſtentes, aut futuræ, & ſunt obiectum ſcientiæ viſionis; & quæri poteſt de omnibus, tam ſecundùm rationes ſpecificas, quàm ſecundum induiduales, ſit ne poſſibilis intellectus tanti luminis gloriæ capax, vt per illud confortetur ad infinitas creaturas cognoſcendas ſecundum eſſe, quod habent in ſeipſis, & non ſolum in verbo; quocumque demum actu, vel vno, vel multiplici; & quomodocumque infinitæ intelligantur, ſiue ſecundum numerum, ſiue ſecundum ſpeciem, & indiuiduales rationes, quia quoad hoc eſt eadem difficultas eſt de omni infinitate in ſententia S. Bonau. vt infra patebit.

Prima ſent. affirmans reijcitur à Sãcto Bonau. Magiſt. Albert. Aleuſ.

Interim prima ſententia, quam refert, & confutat S. Bonauentura in 3. diſt. 14. a.2. q. 3. affirmat de facto a Chriſto Domino, & à Beatis videri actu infinitas creaturas, eſt Magiſtri, eadem diſtinctione Aleuſis, Alberti Magni, & aliorum apud Faſol. 1. p. q. 12 a.8. nu. 117. aſſerentium de facto à Chriſto Domino videri omnia, quæ Deus ſcit, licèt minus clarè: quàm ſententiam tutantur à notis aliquorũ Suar. 1 p. tract. 1. lib. 2. c. 26. n. 12. Bannes 1. p. q. 12. a. 8. con 1. & alij. De poſſibili etiam infinitas creaturas videri poſſe exiſtimat Vazq. 1. p. diſp. 50. n. 35. vbi pro ſe citat Gregorium in prolog. q. 4. a. 2. in probatione ſecundę concluſionis. in hac claſſe reponẽdus P. Arriaga t. 2. diſp. 13. ſect. 5. tenens videri poſſe creaturas poſſibiles infinitas viſione finita ſine comprehẽſione Dei, cum P. Herice diſp. 51. n. 12.

Secunda Sententia.

Negat infinitam multitudinem creaturarum ſimul ab intellectu creato cognoſci poſſe: de poſſibilibus eſt communis S. Thomæ, Scoti, Nominalium, & aliorum apud eoſdem recentiores Suar. loc. cit. & tom. 1 de Incarnat. diſp. 26. ſect. 2. Vazq. Faſol. loc. cit. De ijs verò, quæ videt Deus ſcientia viſionis plures tenent videri omnia ab anima Chriſti, vt expreſſe Suar. diſp. eadem 26. ſect. 3. cum Thomiſtis in 1. p. q. 12.

Tertia Sententia.

Abſolutè putat impoſſibilem cognitionem infinitorum obiectorum, quæ Deus videt non ſolum ſciẽtia ſimplicis intelligentiæ, ſed etiam ſcientia viſionis. Eſt S. Bonau. mox citandi, Scoti, Gabr. in 3. diſt. 14. q. vnica a. 3. vbi cum dixiſſet animam Chriſti in verbo cognoſcere omnia poſſe præſentia, præterita, futura, & etiam poſſibilia, ſubdit nõ poſſe hęc omnia ſimul, ſed habitualiter: multò magis de alijs Beatis pauciora videntibus hoc aſſerendum.

Prima Aſſertio.

Omnes creaturæ poſſibiles ſecũdum rationes proprias, ſiue vniuerſales, ſiue particulares nõ ſunt ſimul collectiuè cognoſcibiles ab intellectu creato, quocumque modo cognoſci dicantur in Verbo. XVI. Fauet Scriptura 1. Cor. 2. Quæ ſunt Dei nemo nouit, niſi Spiritus Dei: tam enim poſſibilia, quàm futura, quę pendent à decreto ſunt Dei. Caſſiodorus etiam illud Pſalmi 138. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam, applicat Chriſto fatenti ſe vt hominem inferiorem eſſe Deo in ſcientia creaturarum.

Probat S. Bonau. in 3. diſt. 14. a. 2. q. 3. vbi hanc ſcientiam negat animæ Chriſti, cui tamen quantumcumque ſapientiæ, & gloriæ debemus tribuere. In eo enim ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi ad Coloſſ. 2. & affert rationem in reſolutione. *Si ergo, inquit, loquamur de cognitione quantum ad actum conſiderationis, ſic dicendum eſt, quod anima Chriſti nunquam tot cognoſcit, quot cognoſcit ipſum verbum: per nullam enim gloriam poteſt adeo ſubleuari creatura, vt ſimul & in actu iudicet de infinitis,*

Anima Chriſti actu non cognoſcit infinita.

cum hoc ſit infinita virtutis,&c.& paulò ſuperiùs affert eandem rationem, virtus cognoſcitiua Chriſti eſt finita, & ideo non ſe extendit ad infinita ſimul cognoſcenda: & loquitur de potentia abſoluta, ſupponens quod creaturæ repugnet infinitas,& diſertè negans hanc cognitionem animæ Chriſti, quia ſemper eſt intra terminos creaturæ, etiam cum vnione: profitetur autem, quod ait de Chriſto, de omni anima dicere quoad hoc.

Argumentum igitur in forma eſt. Ad videndum infinita requiritur virtus infinita; ergo implicat videri omnes creaturas in verbo ab intellectu creato, quia cognoſcibilitas earum eſt infinita, & non attingibilis, niſi à potentia proportionata; atque adeo infinita. Conſequentia patet, quia omnes creaturæ poſſibiles ſunt infinitæ, intellige ſyncategorematicè. Sed antecedens habet multas inſtantias; imò & conſequentia non eſt neceſſaria, quia non conſtat, quod non poſſit dari virtus infinitè cognoſcitiua, v.g. infinitum lumen, infinita gratia, cum multis de facto aſſerant gratiã Chriſti eſſe infinitam. Et quidem in præſentia ſupponendum eſt implicare infinitum in creatura tanquam probãdum infra, ne quæſtiones miſceantur: & cura adhibenda eſt, vt probetur antecedens, quod negatur à pluribus Auctoribus primæ ſententiæ; præſertim quia licet non implicaret ſimpliciter infinitum, tamen in propoſito eſt peculiaris ratio implicantiæ: & quia quæſtio hæc celeberrima eſt, & habet varios explicandi modos, æquũ eſt ad eius diſcuſſionem præcipuos attingere, vt demum qui conformior ſit doctrinæ Seraphici, vel ſeligatur ex alieno, vel ſtatuatur ex proprio.

Idem S. Th. 3. p. q. 10. a. 3

Primus modus explicandi.

XVII. ET probandi antecedens aſſũptũ eſt ex calculatione multiplicitatis creaturarum, & augmenti cognitionis ipſarum ſic, ad cognoſcendum centum creaturas requiritur viſio perfecta vt vnum, exempli gratia; ad cognoſcendum ducentas, perfecta vt duo, & ſic deinceps, ergo ad cognoſcendas infinitas requiritur viſio infinita, & virtus infinita. Neque valet dicere, quod hæc ſit perfectio tantum extenſiua; nam extenſio ad plura ſaltem in notabili quantitate ſupponit intenſiuam, intrinſecam, vel ſpecificam, vel indiuidualem: proinde in collectione omnium poſſibiliũ infinitam, cum illa ſint infinities infinitè plura, & plura.

Argumentũ calculatoriũ

Atque ita ad videndum infinita in verbo requiri viſionem infinitam efficaciter ex dicta calculatione concludi tenent Richar. in 3. d. 14. a. 2. quæſt. 3. 1 tom. 2. Gabr. q. vn. a. 1. concluſ. 2. Maior. q. 3. Sylu. 1. p. conflati q. 12. a. 8. ad 14. Mol. 1. p q. 12. a. 8. diſp. 5. memb. 2. §. quod attinet Sal. 1. 2. t. 2. diſput. 4. ſect. 7 n. 115. contra Vazq. d. 49. in 1. p. n. 4. Suar. tom. 1. in 3. p. diſp. 26. 1. 3. negantes requiri viſionem infinitam ad viſionem omnium poſſibilium in Verbo, ſed ſufficere perfectionem indiuidualem viſionis huius ſuperantis omnes alias obiectorum finitorum.

Gabr. Maio. Sylu Molin. Sal. Suar. Vazq.

Sanè aliundè infinitas probanda eſt, quam ex calculatione prædicta. Primò, quia vt Caietan. 3. p. q. 10. a. 3. poſt reſponſionem ad ſecundum, ſolùm deduceretur viſio altioris ordinis, ſed finita: ſic talis deducitur ex calculatione obiecti perfectioris proportionaliter: tamen poſito augmento infinito non ſequitur infinitas viſionis, vt patet de facto in viſione beata Dei.

Caiet.

Neque obſtat, quod fiat comparatio non cum viſionibus diuerſi ordinis, ſed eiuſdem ordinis, generis, & ſpeciei, quarum vna eſt perfectior, altera; & proinde ſi detur vna, quæ in perfectione repreſentãdi ſuperet omnes alias in infinitum, debet eſſe infinita, ſicut infinita eſſet linea, quæ lõgior eſſet qualibet aſſignabili finita: Hoc, inquam, non obſtat, quia eadẽ ſequela teneret in viſione futurorum infinitorum, quæ quo plura ſunt, præſertim ſecundum magnum exceſſum eo perfectior eſt eorũ viſio, & proinde infinita infinitorum in eodem ordine, genere, ſpecie: quam tamen ſequelam non admittit contraria ſententia concedens animæ beatæ Chriſti viſionem omnium futurorum in verbo cum S. Thoma, & negans infinitatem eius.

Dein-

Deinde maior eſt exceſſus Dei ſupra virtutem cognoſcitiuam creatam, quam ſit omnium creaturarum. Si ergo ad videndum ipſum clarè ſufficit lumen, & viſio finita diuerſi ordinis, & altioris qualibet cognitione obiectorum creatorum in infinitum perfectiorum, cur non ſufficiet in eodem ordine viſio finita diuerſæ perfectionis indiuidualis: ſicut in ordine ſupernaturali caritas eſt perfectior quolibet actu ſupernaturali voluntatis; maior autem horum eſt caritas; neq; tamen infinita eſt? Dices & eſt.

Secundus modus explicandi.

XVII. Dices, inquam, non poſſe cognoſci in Deo omnia poſſibilia, quia comprehẽderetur Deus, & hinc ſequeretur, quod eſſet infinita viſio, quia infinitum non poteſt cõprehendi finito; ſic enim S.Th. 1.p.q.12.ar.7. & 3.p.q.10. a.2. probat Deum non poſſe comprehendi à creatura, quia nec ab ea infinitè videri; & ita Thomiſtæ arguunt ibi. Ferrar. 3. cont.g. c.56 §. ſed quia imo S Th. ipſe ibid. ratione 3. & Capr. in 4. d. 49. q.3. quos ſequuntur Suar. & alij citati à Faſol. q.12.a.7 n.15 Sic enim probaretur antecedens poſitum ſupra, viſio omnium creaturarum in Deo eſt comprehẽſio, ſed hæc eſt infinita, & ab infinito lumine ergo.

Ferrar. Capr.

Quæ ratio benè explicata efficax eſt, vt infra patebit. Interim obſtare videtur; Primò, quia hoc eſt probare certum per incertum: nam de fide eſt Deum eſſe incomprehenſibilem, non autem quod nõ poſſint cognoſci omnia in ipſo, quod controuertitur inter Theologos, & opinio affirmans habet graues auctores, & rationes probabiles. Deinde ſi viderentur creaturæ omnes poſſibiles in Deo, adhuc nõ comprehenderetur ratio proceſſionũ perſonarum diuinarum, neque ipſius omnipotentiæ ſecundum omnem cognoſcibilitatem, quam habet, vt identificatur eſſentiæ; ſed ſolum vt dicit rationem cauſæ creaturarum, quæ eſt diuerſa ab alijs rationibus abſolutis intrinſecis eſſentiæ, & relatiuis perſonarum, quæ non ſunt cauſa rerum, vt ſunt perſonę, ergo ex cognitione creaturarum omnium non ſequitur comprehendi Deum, & proinde quãtum eſt ex hoc capite probari non poteſt infinitas viſionis, ſicut viceverſa neque probaretur comprehenſio ex infinitate ſi daretur, quia poſito quod cognoſcibiles eſſet omnes creaturæ in Deo, & conſequenter viſio eſſet infinita, adhuc reſtarent rationes cognoſcendæ in eo, & ſic non comprehenderetur; licet ex comprehenſione ſequatur infinitas, quia comprehenſio non poteſt eſſe finita, & alioqui videns potentiam, videat & eſſentiam, quæ idem realiter eſt, vt S.Bonau. in 1.d. 3.a.1.q.1.ad arg. Sed vt comprehendi dicatur, requiritur perfecta cognitio obiecti, quantùm cognoſcibile eſt, vt S. Th. a. illo 7.q.12. atque adeo reddenda adhuc ratio, cur non poſſint videri omnes creaturæ, abſque eo, quod comprehendatur Deus; aut cur illæ non ſint cognoſcibiles omnes ſimul in Verbo, etiamſi Verbum non ſit comprehenſibile a creatura.

Tertiò, quia hic probandum eſt antecedens, quod ad videndas omnes creaturas cum ſint infinitæ requiratur infinita virtus, & viſio, nec probatur per hoc, quod illa eſſet cõprehenſio, ad quam requirit infinitum lumen S.Th. & ideo ait eſſe impoſſibilẽ; nam peteretur principium: Antecedens enim eſt, quod ad videndum infinita requiritur infinita virtus, & probatur per hoc, quod ad comprehenſionem, qualis ea eſſet viſio, requiritur infinitũ lumen, ſeu infinita virtus, quod eſt probandum, & non reddendum pro ratione.

Quartò, comprehenſio eſt nobilior, quàm viſio, non ergo licet inferre neceſſitatem infinitæ virtutis ab illa in hac.

Præſertim admiſſa doctrina S. Th. q.12.a.7.ad comprehenſionem requiri, vt notitia ſit tantæ perfectionis, quantum eſt obiectum cognitum, vt illi adæquetur; proinde etiamſi per impoſſibile viderẽtur omnia in verbo à Beato, adhuc non cõprehenderetur Deus, quia viſio illa eſſet in infinitum imperfectior: aliter ergo explicandus S.Th. cum arguit impoſſibilitatem viſionis omnium ex eo, quod cõprehenderetur Verbum.

Ter-

Tertius modus explicandi.

XIX. QVod requiritur infinita virtus, & viſio ad videndum omnes creaturas in Deo eſt eorum, qui dicunt viſionem hanc fore omniũ perfectiſſimam in genere viſionis, ac repræſentationis vitalis, quippe ipſa continere in ſua eſſentia totam perfectionem pertinentem ad genus, & latitudinem omnis perfectionis gradus intellectiui ſimpliciter,& abſolutè,quam continet increata Dei intellectio, quia habet idem obiectum diuinæ viſionis, ſcilicèt, eſſentiam, & creaturas omnes, & breuiter omne intelligibile, idque perfectiſſimo modo, ideſt clarè, & intuitiuè per viſionem beatam; ergo eſſet non ſolùm infinita, ſed prorſus illimitata in tota latitudine generica perfectionis intelligendi. Ita Faſ.1.p.q.12.a.8.num.118. inferens eſſe incommunicabilẽ creaturæ, ſicut eſt omnipotentia, & aliæ perfectiones ſimpliciter ſimplices, quæ in ſua natura abſtracta intelliguntur illimitatæ, atque adeo incommunicabiles naturæ limitatæ. Faſol.

Sed quicquid ſit de Corollario non cohærente doctrinæ ipſius admittentis poſſibilitatem infiniti in quæſt. 7. proinde non valentis arguere impoſſibilitatem viſionis omnium creaturarum ex impoſſibilitate infinitæ perfectionis virtutis videndi, & viſionis qualiſcumq; ſed illimitate in tota latitudine perfectionis intelligendi.

Contra eſt. Primò, quia ex ſuppoſitione, quod daretur talis viſio, adhuc daretur diuina infinitè perfectior, quam ipſa eſſet: illa enim ſubſtantia Dei eſt indepẽdens, increata, & actus purus, & proinde hæc non haberet omnem perfectionem in genere cognitionis, neque quoad eſſe, neque quoad modum claritudinis illimitatæ, quia eſſet creatura; nec inferri poteſt, quod eſſet ita perfecta vt eſt diuina, quia illatio ſeipſam deſtruit, cum intrinſecè inuoluat eſſe creatum, atq; adeo etiamſi diceret omnẽ perfectionem in genere cognitionis, intelligeretur cognitionis creatæ.

Sed neque ſecundo eam inuolueret, quia poſita qualibet virtute, & viſione quantumuis perfectiſſima, poteſt Deus creare aliam maiorem: ſicut enim gratiam, ita & lumen gloriæ perfectius in infinitum condere poteſt; & ita clariorem viſionem eiuſdẽ obiecti cognitio cum minori lumine: & hinc probatur non valere rationem illam, quia

Tertiò. Si Deus per impoſſibile, vel poſsibile creaſſet ab æterno Angelum, æquaret durationem diuinam, quia ex ſuppoſitione non plus duraſſet Deus, quàm Angelus; neque tamen diceretur Angelus habere totam perfectionem in genere durationis, ergo neque diceretur intellectus habere totam perfectionem in genere intellectionis; etiamſi quoad obiectum æquaretur viſio diuinæ ſecundùm extenſionem: Et multò minùs, quia maiorem durationem æterna Deus non poteſt facere, vt poteſt viſionem ſemper perfectiorem: ſi ergo illa communicata creaturæ non haberet totã perfectionem durationis, neque viſio omnium intelligibilium haberet totã perfectionem in tota latitudine intellectionis.

Quarto. Data cognitione omnium poſsibilium creaturarum in verbo, adhuc ſecundum extenſionem, & nõ ſolùm intenſiuè eſſet poſsibilis cognitio perfectior, ergo illa non contineret totam perfectionem in latitudine cognitionis: Conſequentia patet, antecedens probatur, quia adhuc communicari poſſet notitia omnium, vel plurium impoſsibilium, quam non inuoluit viſio poſsibilium, & exiſtentium.

Quintò. Tota collectio numerorum includit omnem perfectionem in latitudine numerali, & proinde illimitatam in ſuo genere; & idem eſt de collectione totali aliarum rerum poſsibilium: hæc igitur vel eſt infinita, vel finita; ſi primùm, & tamen cõpetit creaturæ, cur non etiam competet viſio illimitata in ſuo genere? Si ſecundum multò magis. Idque valet ad hominem in primis admittentem infinitum in magnitudine, numero, qualitate, &c. quare ex illimitatione prædicta non validè probatur impoſſibilitas viſionis creaturarum omniũ; idque accipiendo etiam illimitationẽ

in

Digitized by Google

in mente Dei obiectiuè exiſtentem, vt cognitum diſtinctum ab eſſentia, dato quod à parte rei non poſſet poni ſecundùm alios.

Sexto. Si daretur amor, ſeu complacentia de omnibus creaturis, non haberet ille perfectionem totam ſecũdum latitudinem amoris, etiamſi cum creaturis Deus ipſe amaretur; ergo neque etiam viſio omnium creaturarum haberet perfectionem in tota latitudine cognitionis. Antecedens probatur, quia dato quolibet amore Dei creato, etiam, infinito, adhuc Deus magis eſt amabilis, & à ſe tantum adęquatè amari poteſt. Sequela patet à paritate, quia non minus augeri poteſt viſio, quàm amor.

Deus adæquatè amabilis tantum à ſe.

Septimò. Vel eſſet illimitata talis viſio, quia illimitatum eſt obiectum, puta aggregatum ex Deo, & creaturis omnibus, & actus proportionari debet obiecto; vel quia haberet illimitatum lumen, neutrum dici poteſt; ergo ex hoc capite non probatur eius impoſsibilitas: probatur maior, quia illimitatio actus proueniret à ſuis cauſis, quæ eſſent lumen, & obiectũ, & non aliunde. Minor probatur; nam actus non habet totam perfectionem obiecti, circa quod verſatur, & à quo ſpecificatur, vt patet in cognitione ſubſtantiæ, quæ eſt quid accidentale, & in viſione Dei infiniti, quæ eſt finita, vt in deſiderio dãdi eleemoſynam infinitis hominibus, vel conuertendi infinitas animas ad Deum, quod eſt finitæ perfectionis, & meriti: ergo nõ oporteret illimitationem creaturarũ, & Dei refundi in viſionem. Sed neq; à lumine proueniret illimitatio; quia hoc ſemper augeri poteſt, adeout nũquam perueniat ad diuinum, quod ſolùm eſt illimitatum, etiã dato quod infinitum eſſet, quo caſu ſemper eſſet accidens, ſicut & viſio, & proinde nõ numerandum inter perfectiones diuinas incommunicabiles creaturæ. Et ratio à priori eſt quia viſio aſsimilatur obiecto, quod repræſentat ſolùm in eſſe intentionali, & ideo minus illo perfecta eſſe poteſt, etiam quæ perfectior in nobiliſsimis entibus eſſe non poteſt, & vniuerſaliter perfectio tota obiecti non refunditur in actum circa illud verſantẽ cuiuſcumque potentiæ actus ſit, vt diximus ſupra; ſicut neq; imperfectio tota, ſic poteſt obiectum infinitum attingi ab actibus finitis intellectus, & voluntatis, & accidens materiale ab actibus ſpiritualibus, quin participent materialitatem, & ea vileſcant.

Octauò. Perfectio illimitata, ſeu continens totam perfectionem ſecundum latitudinem alicuius generis dicitur illa, in qua quælibet alia perfectio eiuſdem generis continetur, vel formaliter, vel eminenter; alioqui nõ dicitur continens totam perfectionẽ; ſed ſi daretur viſio omnium creaturarum in Deo non contineret alterutro modo perfectiones aliarum viſionum quas Deus poſset communicare pluribus Beatis ad libitum, ergo illa non eſset illimitata in genere intellectionis. Probatur minor, quia nullum indiuiduum continet perfectionem alterius indiuidui eiuſdem ſpeciei, & multò minus omnium indiuiduorum; ergo neque illa viſio, v. g. Michaelis contineret perfectionem viſionis, quã haberet Raphael, vel reliqui Angeli, quibus communicaretur.

Nonò. Vnio, qua humanitas vnitur verbo, eſt ita perfecta, vt ſuperet omnes alias vniones poſsibiles ad creaturas infinitas; & tamen non eſt intrinſecè infinita, neque illimitata, ergo neque viſio omnium creaturarũ ex hoc præciſè, quod nulla maior eſſe poteſt ex enſiuè dicenda eſset illimitatę perfectionis.

Quartus Modus.

Qvuartus modus probãdi aſſertionem ipſam eſt recentiorũ, quibus nõ ſunt viſæ efficaces rationes petitæ ab infinitate, & ideo alium medium terminum excogitarunt, qui fuſiùs explicatur ab Arub. 1. p. diſp. 27 c. 2. breuiter nititur huic fundamento, quod tota collectio rerum poſſibilium eſt obiectum vagum, & indeterminatum, cum in eo non detur perfectio vlla, qua maior dari non poſſit, & proinde eius non detur cognitio creata, quę certum, ac determinatum gradum habere debet; conſequenter in ordine ad obiectum certum, quandoquidem cognitio quælibet ſumit XX

ſuam

ſuam perfectionem tam ſpecificam, quàm indiuidualē in ordine ad obiectum determinatum.

Sed in primis hæc ratio vrget contra quodlibet obiectum infinitum, cū in eo nulla ſit perfectio, qua maior dari non poſſit, ſaltèm extenſiuè; atq; adeo neque per diuinam potentiam Chriſtus cognoſcere poſſet omnia futura ſimul, quod ipſe non eſt admiſſurus, etiamſi alij plerique admittant.

Deinde ad hoc vt cognitio ſit determinata, ſufficit, vt ſit circa obiectū formale determinatum, quoad formalitatem, etiamſi alioqui vagum, & indeterminatum, non ſecus ac potentia, à qua manat, ſic viſio circa viſibile in communi, & intellectio circa intelligibile, vt ſic verſatur, & in particulari eſt determinata à ſuo principio, à quo determinatè procedit, & à tali obiecto ſub ratione illa formali conſiderato, in qua conuenire poſsūt omnia poſſibilia, tam collectiuè, quā diſtributiuè ſumpta.

Tertiò. Tam intellectus, quàm voluntas habent ſuam perfectionem in ordine ad obiecta; & tamen obiecta, in quæ tendere poſſunt, non ſunt certa, ſed vaga, quia æquè latè vagantur, ac bonum, & verum; ergo indeterminatio obiecti non obſtat quo minus actus poſſit eſſe determinatus. Et idē eſt de cæteris potentijs, & actibus earum non reſtrictis ad certa obiecta; licet magis eluceant in intellectu, qui verſatur circa ens, & verum, & voluntate, quæ circa bonum.

Omitto probationem eorum, qui dicunt viſionem ipſam videri nō poſſe, quia ab obiecto cauſatur, & ipſa non poteſt eſſe cauſa ſui, neque eſſe ſui imago, aut ad ſe ipſam dicere ordinem; & proinde ſaltem quoad ipſam non eſſe poſſibilem viſionem omniū in verbo; nam quicquid ſit de hoc obiecto in particulari, adhuc reſtat dubitatio de omnibus alijs poſſibilibus, an directè videri poſſint, etiamſi non poſſet viſio ipſa, de qua infra. Interim argumētum eſt commune omnibus concedentibus viſionem cauſari ab obiecto, quod in viſione non habet locum, quia cum ſit participatio viſionis diuinæ, terminatur quidem ad obiectum creatum; ſed ab eo non cauſatur, neque ortum habet, ſicut euenit in actibus naturalibus, qui pendent ab obiectis media ſpecie.

Quintus Modus.

Qvintus modus probandi poſitū antecedens peti poteſt ex rationi Scoti in 3.d.14.q.2.S.ſed iſta via, *Experimur, inquit, quod attentio circa plura obiecta eſt minus perfecta, & ideo videtur, quod impoſſibile ſit potentiam finitam perfecta attentione videre infinita ſimul.* XXI. Scot.

Sed quia reſpondent Ferrar. in 3. contin g.c 60.& Capr. in 3. d.14. q.2. ex D.Th primo cont. gent. c. 69. hoc tantum verum eſſe, quando cognitio fit per plures ſpecies, non quando vnica ſpecie, qualis eſt diuina eſſentia; & addi poteſt habere tantùm locum in cognitione ordinaria, non in qualibet poſsibili abſolutè, neque Scotus vtitur alia ratione, quàm experientia. ideo probandum eſt de qualibet cognitione verificari quomodocumque fiat, & ſuppono ex communi ſententia, quod viſio ſit non pura paſſio reſpectu intellectus Beati illam à Deo recipientis, ſed intellectum ipſum cōcurrere, & virtute ſua naturali, licèt eleuata, producere viſionem, vt Sanctus Bonau in 3.diſt.14.a.1.q.3.ad arg. quo poſito ſic arguo. Creata virtus actiua perfectibilis ſecundum extenſionem, augetur, ſiue perfectibilis eſt etiam ſecundum intenſionem; ergo virtus intellectiua eo maior eſt, ſiue perfectior intenſiuè, quo perfectior eſt extenſiuè. Antecedens probatur primò inductione, nam virtus motiua, quæ eodem tēpore ad maius ſpatium, ſeu mobile ſe extendit perfectior eſt, quàm quæ ad minus, & quæ maius pondus mouere poteſt perfectior eſt, quàm quæ minus; & virtus illuminatiua perfectior eſt, quæ illuminat maius ſpatium, ſiue corpus, quàm quæ minus, vt patet in Sole, & cæteris luminoſis; ergo & perfectior eſt virtus, quæ ſimul plura videre poteſt, quam quæ non poteſt. Ferrar. S. Bonau.

Deinde ratio à priori eſt, quia effectus, & cauſa debent habere proportio-

tionem talem, vt ſicut hic accipit eſſe ab illa; ita & perfectionem accipiat reſpondentem perfectioni illius: conſequenter maior perfectio in effectu, indicat maiorem in cauſa. Atqui extenſio maior ſaltem notabilis in effectu maioris perfectionis eſt, cum non ſit, neque æqualis, neque minoris, ergo etiam manat à virtute perfectiore, vel ſaltem in actu ſecundo perfectius operante. Hinc autem ſequitur, quod virtus viſiua extendens ſe ad plura obiecta ſecundùm notabilem exceſſũ in numero, vel ſpecie obiectorum maior eſt, quàm limitata ad pauciora. Dixi autem virtus creata actiua, quia hęc non habet locum in nõ actiuis ſuorum terminorum, qualis eſt relatio ſimilitudinis, v. gr. quæ extendi poteſt ad terminos infinitos, cum ſit merus reſpectus. Dixi ad plura ſaltem notabiliter conſequenter ad dicenda de viſione, quę eadem manens poteſt attingere creaturas ſimul ad certum numerum iuxta virtutem luminis eleuantis intellectum, non autem plures & plures ſimul in infinitum, vt S. Bonau.in 3.cit.

Dices ſi obiecta ſunt in infinitum plura, non ſequitur, quod etiam virtus viſiua illorum, & viſio ipſa ſit infinita, cum ſatis ſit, quod differat ſpecie, vel perfectione indiuiduali à qualibet virtute, & viſione finitorum Itaque probanda eſt conſequentia ex eo quod non ſufficiat diuerſitas ſpecifica, vel indiuidualis, ſed requiratur infinitas. Probatur ergo ſic.

XXII. Virtus illa eſt infinita, quę ſola poteſt, quod poſſent aliæ virtutes infinitæ numero ſemper perfectiores in eodem genere effectuum, ſed virtus viſiua Dei, & omnium creaturarum in illo, ſola poſſet, quod poſſent aliæ virtutes viſiuæ Dei, & creaturarum infinitæ perfectiores, ſi darentur, ergo eſt infinita. Maior probatur tum quia, quod æquiualet infinito, infinitum eſt in eodem genere; tum quia illa virtus non eſſet minor, quàm cæteræ infinitæ ſemper perfectiores etiam collectiuè ſumptæ, & proinde infinita; non ſecùs ac quantitas, quæ non eſt minor tota collectione quantitatũ determinatarum infinita eſt, & multò magis ſi non eſſet minor partibus ſemper maioribus in infinitum, quod enim tale eſt, finitum eſſe non poteſt, alioqui additione finiti tandem ſuperaretur, & detractione finiretur: infinitum autem eſt, ex quo plura accipientibus ſemper remanent accipienda, vt in quæſt.de infinito, cum Ariſt. & S.Bonau.dicemus, quod ſi ſuperari non poteſt, neque minor eſſe poteſt, nec minus potens, quàm tota collectio ſimul, quæ eſt infinita.

Virtus potẽs ex ſe, quod poſſent aliæ infinitæ ſemper perfectiores eſt infinita.

Minor probatur, quia illa virtus eſſet principium viſionis, quæ ſola attingeret, & repræſentaret omnia obiecta, quæ repræſentarent infinitæ aliæ viſiones ſemper perfectiores ſi darentur. patet, quia nihil remaneret repræſentandum ex ſuppoſitione, quod viderentur omnes creaturæ: Imò ex eo præcisè, quod viderentur ſolùm omnes poſſibiles, eadem ſequeretur infinitas, quia viſiones earum ſunt poſſibiles in infinitum perfectiores, ſaltem indiuidualiter, & illis omnibus collectiuè ſumptis non eſt minus perfecta, quæ ſola præſtat, quod omnes ſimul præſtarent; idque ſiue viſio illa conſtet vno gradu ſimpliciſſimo, & indiuiſibili reſpiciente indifferenter multitudinem finitam, & infinitam, vt quidam recentiores putant apud Sal.q.3.tract.2.diſp:4. 5. 7.n.115. ſiue pluribus gradibus, ſiue fiat per vnam ſpeciem, ſiue per diuerſas; ſi enim pręſtat, quod præſtarent infinitæ ſemper perfectiores, infinitam eſſe oportet.

Secundò probatur, & explicatur magis eadem ratio; quia ſi Deus vel ab æterno, vel etiam in tempore cœpiſſet creare Angelos, & nunquam ceſſaturus eſſet à creatione immediata vna poſt alteram, & cuilibet Angelo daret virtutem, vel lumen repræſentatiuum omnium ſpecierum animalium; alteri repræſentatiuum omnium ſpecierum Angelorum, & ſic de cæteris ſpeciebus poſſibilibus in infinitum per totam æternitatem; ſi poſſet vnus Angelus videre per lumen infuſum totam hãc collectionem omnium ſpecierum, aut indiuiduorum illarum omnium, viſio illa æquiualeret omnibus viſionibus præteritis, & futuris per totam æternitatem, ergo æquiualeret infinitis; ergo eſſet infinita, præterquam quod videtur in in-

telligibile, quod vnus ſolus per vnicã viſionem tam multa videre poſſit, quã multa plures Angeli, imò & infiniti per totam æternitatem videntes ſemper diuerſa; conſequenter viſio creata omniũ ſimul in verbo ſuperat vires creatas.

Tertiò, extenſio illa, cui nulla aliá in eodem genere poteſt adæquari in ratione extenſionis, quantumuis multiplicatæ, infinita eſt; ſed virtuti, & viſioni extenſæ ad omnia poſſibilia nulla quantumuis multiplicata extẽſio adæquari poteſt, ergo eſt infinita. Maior probatur, quia omne finitum multiplicatione facta adęquari poteſt, ergo quod adæquari non poteſt infinitum eſt. quomodo S.Th.2.c.g.c.26. & 1.ſentent. diſt.44.q.1. a.3. 4. Infinitum, inquit, ſecundùm eſſentiam, qui eſt ſolus Deus, quantalibet additione finitorũ facta adæquari nõ poteſt, &c.

Minor patet, quia omnis alia extenſio, cum ſit ad pauciora, quàm quę reſpicit omnia, minor eſt, & non ęqualis. Nec refert, quod hæc non ſit extenſio formalis; ſed virtualis, quia proportionaliter ab vna ad aliam concludit argumentum quoad hoc, quod intenditur.

XXIII. Dices hæc argumenta probarent etiam viſionem eſſentiæ diuinæ eſſe infinitam, nam æquiualet infinitis alijs perfectioribus in infinitum poſſibilibus creaturarum; nec vlla illarum poteſt illi adæquari, &c. ſicut ergo nõ inferretur inde infinitas; ita neque in viſione omnium poſſibilium, ſi daretur, ſed tantùm quod eſſet diuerſæ perfectionis, vt ſupra.

Aequiualere dupliciter intelligitur aliquid alteri.

Reſpondeo: nego ſequelam, nam æquiualere dupliciter dicitur aliquid; primò, quia æquè, vel magis perfectũ eſt alio; quomodo anima rationalis æquiualet ſentiendo, & vegetando omnibus alijs animalibus ſenſitiuis, & præcellit intelligendo; & aurum æquiualet omnibus alijs metallis. Secundò æquiualet, quod æquè bene, vel melius præſtat aliquid, quod præſtatur ab altero, quomodo Sol æquiualet igni calefaciendo, & illuminando. Vtroque modo viſio omniũ creaturarum in Deo ęquiualet viſioni cuilibet poſſibili, quia & nobilior eſt, & præſtat quod omnes etiam collectiuè præſtarent, quia repræſentat omnia; ſed viſio eadem vt terminata ad eſſẽtiam non æquiualet ſecundo modo cuilibet viſioni creaturarum, quia non repræſentat, quod repræſentatur à qualibet, vt ſupponimus, nam quęlibet repræſentat determinatas creaturas.

Deindè falſum eſt, quod viſioni Dei nulla poteſt adæquari in genere ſupernaturali, quia qualibet data dari poteſt alia perfectior de potẽtia abſoluta; at verò viſione, quæ ſe extẽdat ad omnes creaturas non poteſt dari alia magis perfecta extenſiuè in ordine ad eaſdem creaturas, quia nulla eſt, ad quam prædicta viſio ex ſuppoſitione non ſe extendat.

Neque obſtat, quod eſſentia diuina ſit obiectum nobilius in infinitum, quam ſit aggregatum omnium creaturarum; & tamen viſio ipſius non ſit infinita, quia ex nobilitate obiecti non poteſt argui infinitas, ſicut ex aggregato omnium creaturarum, vt patebit ex ſolutione argumentorum.

Secunda Aſſertio.

Conſequenter non eſt poſſibilis viſio creata, quæ terminetur ad infinita indiuidua. Ita expreſsè Sanctus Bonau. in 3. verbis ſupra citat. per nullam enim gloriam poteſt adeo ſubleuari creatura, inquit, vt ſimul, & in actu iudicet de infinitis, cum hoc ſit infinitæ virtutis, &c. Propterea concedit Chriſto habitualem ſcientiam omnium, quę cognoſcit verbum, quia Verbum habet voluntatem promptã propalandi omnia, quæ habet in ſe ipſi animæ Chriſti, quod non habet reſpectu aliorum; ſed non actualem, quia ſupponit requiri etiam ad hoc infinitam virtutem, & infinitum repugnare creaturæ, quæ ratio militat in quocumq; infinito. XXIV.

Eſſe autem probabiliſſimam cõſtat Primò auctoritate nobilium Scholaſticorum Henrici, Rich. Scoti, Palud. & aliorum, quos ſequitur, & citat Sal. 1.2. quæſt. 3. a. 2. diſput. 4. ſect. 3. Gabr. Marſil. c. licèt diuerſo modo explicantes.

Secundò. Idem ſuadent rationes concluſionis ſuperioris probãtes fore illam

illam virtutem, & viſionem infinitam, quia infinitorum obiectorum; parum enim refert, quod ſit infinitas harum, vel illarum rerum, quia quæcumque ſit requirit reſpondentem ſibi infinitã virtutem, ſiue ſit ſubſtantiarum, ſiue accidentium, ſiue ſpecierum, ſiue indiuiduorum, ſiue per vnam ſpeciem, ſiue per diuerſas videantur; nam ſemper viſio deberet eſſe infinita, quod vt probetur in multiplicatione numerica tam poſſibilium, quàm futurorum in certo etiam genere, v.g. cognitionũ omnium per totam æternitatem futurarum in damnatis, & beatis, finge milliones millionum intellectuum eas numerantium, ita vt quilibet numeret non eaſdem, quas alius, ſed diuerſas, certum eſt, quod quilibet numerabit infinitas, quia ſi finitas iam non eſsẽt infinitæ futuræ per æternitatem totã; finitum enim quantumuis multiplicatum non facit infinitum cum alio finito; ad videndas ergo cogitationes numeratas, ſeu viſas ab vno millione intellectuum requiritur virtus, & viſio perfecta vt decem, ex. gratia, ad videndum alias diuerſas, quas vident decem milliones intellectuum requiritur virtus perfectior, v. g. vt 20. aut certè alicuius exceſſus determinati, quia viſio actualiter ſe extendens ad plura, ad quæ non ſe extendit alia eſt perfectior illa ſecundùm determinatum aliquem gradum; niſi velis concedere, quod æquè perfecta eſt viſio mille obiectorum, ac centum millionum, & proinde etiam quod vnius obiecti, ac centum millium, quod eſt inconueniens, comparando præciſè extenſionem ipſam virtutis, & viſionis. Hoc autem poſito quot milliones obiectorum viſorum multiplicarentur tot etiam gradus accreſcerent perfectionis, ergo in infinitis millionibus eſſet augmentum perfectionis infinitæ. Probo ſequelam, quia talis viſio infinitorum millionum præſtaret formaliter idem, quod infinitæ viſiones in eodem genere, & ſpecie, ergo eſſet infinitè perfecta, ſicut infinita eſſet gratia, quæ poſita in vno ſubiecto redderet illud æquè gratum Deo, & dignum æquali præmio, ſeu non minore, quàm redderent infinitæ gratiæ infuſæ infinitis animabus, loquendo præciſè de gratia ſanctificante. Et alioqui ſi dixeris eſſe finitam, ſed diuerſæ ſpeciei, non erit infinitorum contra ſuppoſitionum; nam ex infinitis cogitationibus per totam æternitatem futuris, ſi ſumas infinitos binarios, viſio illorum habet determinatam perfectionem; ſi infinitos denarios, & illorum viſio habet determinatã perfectionem maiorem, cur enim infinitas binariorum habeat ſuam, & non infinitas denariorum ſuam maiorem? & ſic in infinitum de qualibet infinitate: imò & de quolibet numero finito in infinitum maiore; ſi enim ad huius augmentum creſcit perfectio viſionis, poſito augmento infinito, ponitur & perfectio infinita, ſicut ſi ad multiplicationem numerorum creſcerent gradus qualitatis, v. gr. lucis perfectioris, & perfectioris, aut quantitatis puta palmaris, bipalmaris, &c. ſi numeri creſcunt infinitè, & infinitè creſcet lux, ac quantitas, & non ſolũ ſecundum diuerſam perfectionem ſpecificam: fit enim comparatio viſionis imperfectioris cum perfectiore in infinitum eiuſdem intellectus, circa obiecta formaliter eadem ſpecie, in ratione obiecti, & conſequenter valet calculatio, & non valet effugium ad diuerſam ſpeciem viſionis finitæ, qualis eſt Dei comparatione creaturarũ; quarum cognitio in infinitum minus perfecta eſt viſione beata finita: nam hic & principium videndi, & obiectũ formale reddunt viſionem diuerſi ordinis, ac ſpeciei à cognitione qualibet creaturarum, non item ibi, vbi ſupponitur principium videndi idem, ideſt lumen gloriæ, & viſio eiuſdem ordinis ab eodem cauſata, & obiectum primarium idem, ſcilicèt diuina eſſẽtia, in qua videntur creaturæ, & eò plures, quo fuerit viſio perfectior in hac ſententia communi, quod eadem viſione videantur.

Quare non valeret quidem calculatio probans infinitatem inter viſiones diuerſi ordinis, & obiectorum formalium; ſed in eodem ordine ſupernaturali valet, ſicut non valet gratia maioris perfectionis eſt, quam reliquæ qualitates naturales in infinitũ multiplicatæ, vel intenſæ, ergo eſt infinita; quia fit tranſitus ad rem diuerſi

Digitized by Google

uerſi ordinis; ſed valeret ſi verum eſſet, quod gratia eſſet perfectior qualitatibus in infinitum perfectioribus in eodem ordine ſupernaturali; ita non valet viſio beata eſt perfectior infinitis cognitionibus naturalibus, ergo eſt infinita, quia quod maius eſt quolibet finito, eiuſdem generis, eſt infinitum, vt patet tum inductione, tum ratione quaſi à priori, quia ſi eſſet finitum additione finitorum ſuperaretur, & ſic non eſſet maius omnibus finitis, vt ſupponitur. Præterquã quod, vt ſupra diximus, hæc viſio præſtaret ſola, quod ſimul aliæ infinitæ, & proinde infinitã eſſe neceſſe eſt; quia quod præſtat formaliter, aut efficienter id, quod præſtarent alia eiuſdem generis in infinitum perfectiora, infinitum eſt.

Dices octo gradus caloris præſtant formaliter, & efficienter id, quod præſtarent pauciores in infinitum diuiſibiles, & idem eſt de alijs qualitatibus
XXV. intenſiuis; neque tamen ſunt infinitè intenſi, ergo ex eo quod virtus, & viſio infinitorum præſtaret idem, quod aliæ in infinitum perfectiores non arguitur, quod ſit infinita. Antecedẽs probatur, nam ſi ex ſex gradus accipiantur duo, reddunt ſubiectum intenſum vt duo, & poſſunt producere calorem vt duo; ſi verò ijs addantur tot partes, in quot ſunt diuiſibiles quatuor gradus in infinitum magis, & magis calefaciunt ſubiectum, neque tamen infinitè, igitur ex tali incremento non infertur infinitas ſex, vel octo graduum præſtantium totum id, quod præſtarent magis intenſi in infinitum infra octo. Sequela patet ex paritate.

Reſpondeo: diſparitatem eſſe, quia comparatio in dictis gradibus fit inter totum determinatum, & partes indeterminatas ſemper minores illo toto; in viſionibus autem comparatio fit earumdem determinatarum, & ſemper, aut æqualium, aut maiorum inter ſe, & ſẽper maiorũ vna determinata, quæ eſt infinitorum, & præſtat, quod præſtarent infinitæ ſemper æquales, aut maiores independenter ab alijs; viſio enim vnius millionis creaturarũ habet æqualem perfectionem viſioni alterius millionis independenter ab illa, & viſio duorum millionum habet maiorem, & ſic in infinitum; nõ item in partibus proportionalibus caloris, proinde viſio infinitis viſionibus millionum maior, aut non minor infinita eſt.

Deinde diſparitas eſt, quia ex parte potentiæ intellectiuæ requiritur maior virtus non proportionaliter, ideſt ſecundum partes proportionales, ſed æquales, aut maiores iuxta notabilem ſaltem exceſſum obiectorum, ad quæ extenditur.

Tertiò probatur aſſertio, quia ſi per poſſibile, vel impoſſibile darentur infinitæ animæ rationales, & infiniti Angeli, viſio omnium cogitationum, vel actuum voluntatis per totã æternitatem futurorum eſſet infinita; ergo etiam futurorum de facto ab ijs, qui ſunt conditi. Antecedens probatur, quia viſio cuiuſcumque infinitatis cogitationũ vel eſt infinita, & habetur intentum; vel finita, atque ita erunt viſiones finitæ determinatæ perfectionis; igitur viſio; quæ ſe extendit ad infinitas infinitates cogitationum eſt infinita, quia præſtat formaliter idem, quod infinitæ viſiones habentes determinatos gradus perfectionis diſtinctos ad diſtinctionem obiectorum, & ſubiectorum, in quibus ſunt. Conſequentia patet, quia cum cogitationes, & actus voluntatis animarum, & Angelorum, qui creati ſunt per totam æternitatem ſint ſucceſſiuè futuri, ſi ponerentur infiniti intellectus, quilibet ipſorum videret infinitas, ſi Deus vellet, & proinde ſi vnus videre poteſt omnes, viſio illius præſtabit, quod præſtarent infinitæ, ſi actu ponerentur; per accidens autem eſt, quod non ponantur ad intelligẽdum, quod illa viſio eſſet infinita, quia de ſe præſtat idem, quod præſtarent infinitæ ſi ponerentur.

Viſio animæ Chriſti non eſt infinita ſecundum quid.

Neque valet dicere, quod illa viſio eſſet infinita ſecundum quid, vt Caiet. 3.p.q.10.a.3. concedens viſionem animæ Chriſti eſſe infinitam ſecundum quid, quia videt infinita, ideſt omnia, quæ videt Deus ſcientia viſionis ſecũdum D.Th. nam

Contra, quia vel illud ſecũdũ quid XXVI.
accipitur in ordine ad alias viſiones inferioris ordinis, quibus in infinitum per-

perfectior eſt, ſicut anima rationalis reſpectu omnium aliarum ſenſibilium diceretur infinita ſecũdùm quid, quia illis omnibus eſt perfectior, & hoc non ſufficit, quia viſio infinitorum comparatur ad alias eiuſdem ordinis, ſcilicet, beatas per lumen gloriꝫ commune omnibus, & conferens omnibus eſſe ſupernaturaliter; & in ijs comparatio fit viſionis minus intenſæ cum intenſiore, quæ talis intelligitur, quando ad plura ſe extendit; conſequenter, quæ extenditur ad infinita creſcit infinitè iuxta multiplicationẽ obiectorum, ſi quo plura videntur, eò perfectior eſt viſio, & vice verſa. Et non ſolum eſt perfectior, quia ſit diuerſæ ſpeciei; nam lumen eſt eiuſdem ſpeciei, & ſolum accidentaliter differt ſecundum magis, & minus quoad intenſionem, cum primario reſpiciat eandem diuinam eſſentiam, ad quam videndam eleuat intellectum; proinde etiam viſiones eiuſdem eſſentiæ vt obiecti primarij, ab eo cauſatæ eiuſdẽ ſpeciei ſunt, & licèt lumen differret ſpecie faciens videre infinita ab alijs facientibus videre finita, argumenta tamen ſupra facta probant illam perfectionem ſpecificam diuerſam eſſe infinitam, vtpote excedentem in infinitum viſiones ſemper perfectiores ſecundum gradum determinatum in genere viſionis; ſicut eſſet infinita quantitas, quæ omnem figuram infinitè aſſignabilem ſuperaret.

Vel ſecundò illud infinitum ſecundum quid tantum excludit infinitum ſimpliciter, & abſolutè, qualis eſt Deus; & hoc non obſtat, neque intenditur à Caiet. vtpote contra D. Th. 3. p. cit. a. 2. ad ſecundum, vbi diſtinguit infinitum ſecundum multitudinem ab infinito ſecundùm eſſentiam, ſiue ſimpliciter; & non in hoc ſenſu concedimus viſionem infinitorum fore infinitam, ſed tantùm in genere viſionis ſupernaturalis, ſicut infinita diceretur quantitas, vel qualitas diuiſibilis in partes æquales, vel ſemper maiores non participantes.

Confirmatur, quia ſic diuerſitas ordinis, & infinitas ſecundum quid, obſtaret ne eſſet validum argumentũ, probans potẽtiam Dei eſſe infinitam, quia extenditur ad infinita ſemper perfectiora; dicet enim aduerſarius ſufficere ad hoc, quod ſit ordinis ſuperioris, & infinita ſecundum quid; hoc autem eſt abſurdum.

Neque item valet dicere lumen gloriæ, & viſionem beatam ſufficere ad videndum infinita in verbo ſub aliquo genere, vel ſpecie ex vi alicuius gradus, velut indiuiſibilis; itaut ex vi eiuſdem perfectionis, qua cognoſcit totam aliquam multitudinem infinitam, cognoſcat omnia, & ſingula ſub illa multitudine contenta per lumen gradus indiuiſibilis reſpondentis omnibus, & toti multitudini, atque ita vitari infinitam intenſionem. Non valet, inquam, nam etiam ſecundum Suarium illa viſio perfectior eſt intrinſecè, quæ ad plura obiecta ſe extẽdit; concedit enim ſect. 2. diſp. 26. cit. eò plures creaturas videri, quo perfectius videtur Deus; ergo quãuis perfectio eius conſiſtat in gradu indiuiſibili, & ſimplici, tamen iſte perfectior eſt, quo plura obiecta reſpicit, itaut qui reſpicit decem millia perfectior ſit, quam qui ſex millia, & qui 20. millia perfectior ſit, quàm qui decẽ tantum millia, igitur gradus ille, qui reſpiceret omnes cõbinationes numerorum conſurgentium ex tota multitudine erit infinitè perfectus; etiamſi ſit indiuiſibilis, quia æquiualet infinitis gradibus indiuiſibilibus ſemper maioribus, aut æqualibus in eodem genere, & præſtat, quod præſtarent omnes collectiuè ſumpti; ad quod nõ ſufficit perfectio finita diuerſi ordinis, ſed concluditur infinitas, non ſecus ac concluderetur de quantitate, quæ qualibet aſſignata figura maior eſſet; ſicut enim ſe habet quantitas illa ad figuras omnes ſemper maiores, ita & viſio infinitorum ad viſiones finitorũ ſemper perfectiores; & multo magis, ſi admittantur eſſe omnes viſiones eiuſdem ſpeciei, quia circa idem obiectum primarium omnes verſantur, à quo ſpecificantur, & à lumine eiuſdẽ ſpeciei, à quo cauſantur; tunc enim magis elucet infinitas, quàm ſi ponantur differre ſpecie: quamquam & in hoc ſenſu adhuc valet argumentũ, quia etiam in eodem genere præſtãs formaliter, quod præſtant infinita, nõ eſt minus illis, ac proinde infinitum, vt

Nec valet gradus indiuiſibilis luminis ad videndum infinita.

Digitized by Google

vt patet ex dictis. Pluribus confutat Sal.loc.cit. hunc modum ſoluendi argumentum,ſed ſatis eſt ratio probans infinitatem, cui nititur S.Bonau.

XXVII. Dices fortaſſe hoc infinitum eſſe ſecundùm multitudinem, ſed ſecũdùm eſſentiæ rationem habere finitatem, eo quod omnium eſſentia ſit limitata ſub ratione vnius ſpeciei, atque adeo poſſe ab intellectu creato comprehẽdi: quomodo S.Th.3.p.q.10.a.3.ad ſecundum, concedit infinitum, quod à creaturis eſt in potentia, ab anima Chriſti comprehendi, quia comparatur ad ipſam ſecundum eſſentię rationem, qua parte infinitatẽ non habet.

Sed neque hoc ſatisfacit, quia in infinita multitudine conſideratur & numerus ipſe, & eſſentia numerabilium; & de hac quidem verũ eſt, quod comprehendi poteſt; de illo vero nequaquam à virtute finita, & viſione creata, quia creſcit eius perfectio ad incrementum obiectorum, ſi diſtinctè cognoſcantur, vt probatum eſt.

Adde, quod idem Suar. ſect. illa 2. docet ſi viderentur omnes creaturæ poſſibiles, neceſſarium eſſet infinitum lumen,non tam propter creaturas ipſas, quàm quia infinitè videretur ipſe Deus. Hoc autem colligitur ex dicta calculatione, quod ad videndum plura requiratur maius lumen, & proinde ad infinita infinitum; at hoc valet etiam in infinitis quibuslibet, & non tantùm in poſſibilibus rebus,quia etiã de quacumque multitudine verum eſt, quod plus luminis requiritur ad plura ſaltem ib exceſſu maximo, quã ad pauciora. Ideo non valet ratio dicentium eſſe extenſionem hanc materialem, & viſionem infinitorum dici infinitam nominatiuè,& materialiter, vt loquitur S.Th in 3.d,14.q.1. a.2. q.4. 4. & fieri additionem per partes proportionales tantùm, ex quarum multiplicitate non infertur infinitas; nam argumentum conuincit fieri per partes æquales, & maiores: ſi enim ad cogitanda centum indiuidua requiritur virtus vt decem, ergo ad cogitanda milia, requiritur virtus ſaltem vt 20. & ſic in infinitum,quod ſi hic non valet, ſed ſufficit viſio diuerſæ perfectionis indiuidualis ſuperans omnes alias, idem dicam de cogitatione ſpecierum, quod ſufficit finita ad cogitanda infinita, quod non conceditur à Suario.

RESPONSIO

Ad Argumenta.

CAP. V.

I. Quo plura ſunt obiecta cognoſcenda eo maior requiritur attentio.
II. Diuerſæ rationes in Deo *ſunt ipſe Deus cognoſcibilis independẽter à creaturis.*
III. Poteſt cognoſci Deus nulla cognita creatura.
IV. Ad cognoſcenda infinita requiritur virtus infinita.
V. An & quomodo ex argumento calculatorio inferatur neceſſitas infinitæ virtutis ad videndum infinita.

PRIMVM eſt, quia minus eſt videre creaturas omnes, quàm diuinam eſſẽtiam, ergo ſaltem de poſſibili non apparet repugnantia. Patet ſequela, quia qui poteſt maius, ac difficilius, poteſt & minus. Antecedens probatur, quia minor eſt proportio etiam ſecundum eſſe cognoſcibile inter Deum, & intellectum creatum, quàm inter hunc, & vniuerſam creaturam, Deus enim eſt ens abſtractiſſimum, & in infinitum remotiſſimum ſecundum modum eſſendi à qualibet creatura,etiam intellectiua, & proinde etiam ſecundum intelligibilitatem, quæ ſequitur ad eſſe. Si ergo videri poteſt intuitiuè,cur non poterit etiã creatura quęlibet collectiuè, quæ eſt in cõparatione eius, vt gutta roris antelucani? &c. & ordinis longè inferioris? Simili argumento vtitur S.Th.1 c.g. c.69. arg.6. quia cognoſcens maximum intelligibile non minus cognoſcit minora ex 3.de anima;proinde Deus cognoſcens ſe, cognoſcit etiam infinita, quæ deficiunt ab infinitate Dei. XXVIII.

Reſpondeo: diſtinguo antecedens, minus eſt quoad perfectionem viſionis concedo, quia perfectionis obiecti perfectior eſt viſio cæteris paribus; quoad

Digitized by Google

quoad facultatem videndi, nego antecedens, & ad probationem dico, quod duplex eſt intelligibilitas Dei, comprehenſionis videlicet adæquatę; & cognitionis inadæquatæ, non comprehenſiuæ; prima magis eſt improportionata creato intellectui, quam cognoſcibilitas creaturarum; ſecunda non item; nam ſi abſtractiua ſit, habetur per effectus; ſi intuitiua per lumen gloriæ. ſed cur non etiam infinitarum creaturarum per idem lumen? Reſpondeo, quia viſio ita eſt repræſentatio, & vitalis imago, vt ſit etiam conatus quidam, ſiue attentio intellectus percipientis obiecta; eſt autem hæc natura intellectus, & aliarum potentiarum vitalium, vt plus requirant attentionis ad percipiendam obiectorum multitudinem, quàm ad percipiendum vnum, quantumuis excellens; ita oculus facilius videt Solē, & diſtinctiùs, quàm arenarum cumulum; & auris diſtinctiùs percipit vocem vnam, licèt excellentiorem, quā plures ſimul minus perfectas; & ideo ſi multa ſimul percipiat minus bene percipit, quia virtus quodammodo diſpergitur; iuxta illud.

Viſio ita eſt vitalis imago, vt inuoluat conatū aliquem intellectus.

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus. Idem euenit in intellectu, qui & ipſe cum ſit finitæ virtutis, difficilius attendit multis, quàm vni etiā excellentiſſimo, vel paucioribus: Ex quo fit maiorem ſemper requiri attētionem vbi accreſcit numerus obiectorum, & in infinitum, ſi numerus ſit infinitus; non item ſi obiectum ſit vnum licèt infinitum, quia ex natura potentiæ prouenit, vt facilius tendat in vnum, quàm in plura etiam facta applicatione plurium; nec refert, quod illud vnum præcellat nobilitate multa, dummodò debitè applicetur, & eleuetur potentia; ſi eleuatione indigeat. Hanc autem eſſe naturam intellectus, & aliarum potentiarum patet à poſteriori ab experientia. Propterea ſicut maiori eleuatione indiget intellectus ad hoc, vt videat Deum, & creaturas ſimul, quàm vt Deum ſolum infinities nobiliorē; Ita adhuc maiori indigebit pro multitudine, & augumento creaturarum, & infinito, ſi infinitarum: Quod ſi poneretur poſſibilis, etiam eſſet viſio infinitorū, ipſi reſpondens, & valeret illatio ex cognitione ex maiori intelligibili ad minus, quia pro vtroque ſupponeretur virtus, vt ſupponitur à S. Bonau. & S. Th. loc. cit. in argumento; Deus enim cognoſcens ſuam eſſentiam, quę eſt quid maius, etiam cognoſcit omnes creaturas, quia eſt infinitæ virtutis intellectiuæ.

S. Bonau. S.Thom.

Secundum eſt: Deus eſt cauſa efficiens, & idealis omnium creaturarū, & vt talis cognoſcitur à beatis, quia videtur vt omnipotens, & vt exēplar omnium: ergo eo viſo videntur omnes effectus poſſibiles. Patet ſequela, quia cognitio intuitiua cauſæ vt ſic, fert ſecum neceſſariò cognitionem effectuum poſſibilium, v.g. habens notitiam intuitiuam Solis, nouit quod ſit productiuus lucis, caloris, &c. Et qui nouit intuitiuè animam rationalem, ſimul nouit, quod poſſit intelligere, ſentire, vegetare. Confirmatur, quia Deus nouit omnia poſſibilia neceſſariò, nouit enim omnia, quæ poteſt facere, & quicquid cognoſcibile eſt, ergo videns ipſum videt hæc omnia; patet ſequela, quia neceſſariò repræſentantur in ipſo, vt in cauſa, & idea, & intellectione eorum, quæ eſt realiter eſſentia ipſius.

Reſpondeo: Qui putant diuinam eſſentiam abſoluere omninò à creaturis, facilè ſe expediunt dicēdo omnes illas rationes eſſe quid abſolutum, & intelligi ſine vllo reſpectu, vel connexione cum creaturis, & has videri per diſtinctam notitiam à viſione verbi, aut Vazq. loc. cit. cum Nominal. In ſententia eadem S. Bonauent. reſpondeo videri creaturas liberè, & dependenter à diuina voluntate manifeſtāte, & attemperante lumen, & cōcurſum cum illo, iuxta meritorum exigentiam ad videndas has, vel illas; vel alia ratione oſtendente illas ſecūdùm varios modos explicandi extēſionem viſionis ad creaturas, vt infra; ex quo patet. XXIX.

Creaturæ videntur depēdenter à diuina voluntate.

Ad confirmationem: Deus enim videt omnia, non præciſè ex hoc, quod videt eſſentiam, vt rationem videndi alia; ſed quia cum ſit infinitæ perfectionis intellectus, ſimul cum illa cognoſcit omne cognoſcibile, & comprehendit ſecundum omnes rationes;

& ideo

Digitized by Google

& ideo nouit quicquid ab illa pēdet, & pendere poteſt, non ita intellectus vllus creatus finitę virtutis, & ideo videre Deum poteſt abſolutè, quin videat, quæ ab eo pendent, quia eſt ens primum, & cum ſit abſolutum ab omni creatura, poteſt cognoſci non cognita creatura.

Tertium eſt: Si quid obſtat ad viſionem omnium creaturarum, maximè, quia vel requiritur ad hoc virtus infinita, quę repugnat; & hoc nō quia aſſumitur principium omnino incertum, cum multi graues Theologi admittant poſſibilitatem infiniti; vel ſecundo, quia comprehēderetur Deus, & hoc non, quia viſis creaturis omnibus, adhuc non comprehenderetur generatio filij, proceſſio Spiritus Sancti, neque eſſentia ipſa habens infinitos gradus perfectionis, præter habitudines cauſæ ad creaturas, quæcumque illæ ſint, ſicut de facto beatus cognoſcit totum, quod eſt in Deo, ſed illum non comprehendit, quia non cognoſcit totaliter, vt ſupra S. Bonau. & D. Th. 1. p. q. 12. a. 7. & alibi. Vel 3° quia æquaretur ſcientia creaturæ ſciētiæ creatoris quoad numerum ſcibilium; nam viſo Deo, & omni creatura tam multa ſciret creatura, quā Deus; quod videtur inconueniens. Et neq; hoc obſtat, quia vt S. Th. reſpondens ſimili argumento de ſcientia Chriſti 3. p. q. 10. a. 2 ad tertium, non eſſet abſurdum æquari quoad numerum ſcibilium, ſemper enim in infinitum excederet quoad claritatem cognitionis, independentiam, ſimplicitatem, &c. ſicut ſi eſſet æqualis in æternitate, hæc æqualitas inæqualitatem magnam haberet.

Reſpondeo; obſtare, vt oſtenſum eſt ſupra, quod primo loco adducitur in argumento, quod ſcilicèt requiritur virtus infinita, & viſio infinita, quæ nunc ſupponitur vt impoſſibilis; quod ſi eſſet poſſibilis, reliqua adducta in argumento non obſtarent, ideſt neque comprehenſio, neque æqualitas, quæ non ſequerentur poſita virtute cognoſcendi omnia; ideo S. Bonauent. hanc vnicam rationem attulit, quod requireretur virtus infinita, cuius creatura non eſt capax, vt oſtendam diſp. tertia.

Quartum eſt. Extra verbum communicari poteſt viſio totius creaturę alicui intellectui, ſaltem creabili; ergo etiam in verbo. Antecedens probatur, quia ſi communicatur de facto viſio totius deitatis, cur non poſſit etiā totius creaturæ? ſequela probatur, quia viſio Dei in ſe finita eſt, & creaturam item eſſet finita, cum ergo finitum additum finito nō conſtituat infinitum poſſe dari viſio ita perfecta, vt tenderet in Deum, & creaturas, neque tamen eſſet infinita, & ex alio capite non repugnat videri creaturas in verbo, quocumque demum modo videantur. XXX.

Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem patet ex dictis; nam infinitas virtutis non attenditur penes infinitam nobilitatem obiecti, ſed ex modo tendendi, qui conuenit potentia in ordine ad obiectum: modus autem conſiſtit in attentione, & quodam veluti conatu vitali tendente in obiectum, qui creſcit arithmeticè, ſecundum determinatum argumentum intelligibilium, ad quæ extenditur quæcumq; illa ſint, quæ multiplicantur, ſi diſtinctè percipiantur, vt patet experientia; non autem ſecundùm argumentum in nobilitate; nam non maiori conatu intellectus cum lumine percipit Dei eſſentiam, quam eſſentiam Angeli; nec maior attentio requiritur ad cognoſcendum vnam, quàm alteram; ſed benè ad cognoſcendam eſſentiam, & multas creaturas ſimul, ſicut & ad cognoſcendas omnes perfectiones, in quas eſſentia diuina partibilis eſt per intellectum cum fundamento in re, non ſufficit lumen finitum quantumuis perfectum; ſed requiritur infinitum, & idem eſt de cognitione creaturarum infinitarū extra Verbum.

Infinitas virtutis attenditur ex modo tendendi in obiectū, nō autē ex nobilitate obiecti.

Quintum eſt. *Si* colligeretur infinitas cognitionis ex viſione omnium creaturarum, maximè quia valet calculatio illa, cognitio decem creaturarum eſt perfecta vt duo, exemp. gr. 20. creaturarum eſt perfecta vt 4. & ſic multiplicando, ergo cognitio omnium cum ſint infinitæ, erit infinita; ſed hæc calculatio non valet ad probandam infinitatem, ergo: Maior patet, quia inde ſolùm arguitur infinitas.

nitas. Minor probatur, quia alioqui inſerretur, quod viſio, & amor Dei eſſent infinitæ perfectionis; nam videre, & amare bonum aliquod eſt alicuius perfectionis, & eò maioris, quo maius eſt bonum, ergo ſi ſit infinitum, erit infinitæ perfectionis viſio, & amor, non ſequitur, ſufficit enim ad hunc tranſitum perfectio diuerſi ordinis finita.

Reſponſio patet ex dictis; nam ex illa calculatione colligitur infinitas, ſi fiat inter res eiuſdem ordinis, & ſpeciei, quæ creſcant arithmeticè, quales ſunt viſiones plurium obiectorum in verbo, quæ creſcunt in determinato gradu ſemper maioris perfectionis iuxta multitudinem obiectorum, quæ videntur in Verbo; quia non quælibet minima viſio poteſt ſe extendere ad quælibet obiecta; ſed perfectior ad plura, quàm minus perfecta, vndecumque proueniat hæc perfectio, vt ſupra probatum eſt; ideo non ſufficit perfectio diuerſi ordinis, ſi finita ſit.

Sed quia ſæpiùs occurrunt talis generis argumenta, quibus per calculationem, & gradationem quandam deuenitur ad probandam infinitatem in creatis, quam infra cum S. Bonau. demonſtrabimus eſſe impoſſibilem, oportet illa eſſe ſophiſmata; & ex alia parte cum videantur in forma, vitium erit in materia propter æquiuocationem aliquam, quæ vt certiùs, ac faciliùs diſcerni, diſtinguique valeat, paulo exactius diſtinguendum eſt.

QVAE VIS INSIT

Argumento calculatorio ad inſerendam infinitatem.

CAP. VI.

I. Obiectum concurrit ad dignitatẽ, & ſpecificationem actus partialiter.

II. Ad eandem concurrit potentia, & modus tendendi in obiectum.

III. Quomodo creſcat perfectio viſionis ad perfectionem obiecti.

IV. Illud infinitum eſt, quod perfectius eſt quolibet finito abſolutè.

V. Quomodo ex calculatione inſeratur infinitum.

VI. Augmentum geometricũ, & arithmeticum.

PRIMO ſupponẽdum eſt ex obiecto deriuari in actũ verſantem circa ipſum dignitatem aliquã; ſic enim dicitur nobilior cognitio etiam modica intelligentiarum, quam corporum, aut aliorum entium inferiorum; ita S. Th. 1. cont. gent. c. 5. cum Ariſtotele docet, quod topica ratio de rebus diuinis eſt amabilior, & delectabilior, quàm ratio demonſtratiua de inferioribus corporibus; & idem ex primo de part. anim. c. 5. & ex 2. cœl. t. c. 39. & ex 11. Etht. com. 34. colligitur, & alioqui videtur inconueniens, quod cognitio, quæ tendit in Deum non ſit dignior, quàm quæ fertur in materiam primam. Et ratio à priori eſt, quia obiectum tam materiale, quam formale concurrit ad conſtituẽdum actum, & ſpecificandum in aliquo genere cauſæ; proinde actus habet proportionem cum illo, & pro illius dignitate nobilitatur, quod ſupponitur à S. Bonauent. in 3. diſt. 33. a. 1. q. 2. c. & diſt. 35. a. vn. q. 2. c. quicquid aliqui negent ſpecificationem hanc fundatam in Ariſtot. XXXI.

Ab obiecto deriuatur dignitas aliqua in actũ

Secundò, ſupponendum, quod licèt cognitio, & idem eſt de actibus voluntatis, debeant proportionari obiectis, vt docet S. Bonau. in 1. diſt. 39 a. 2. q. 2. ad arg. tamen nõ tantam perfectionem communicari actui ab obiecto; quantum habet in ſe, cuiuſcumq; demum potentiæ ſit actus; patet in actibus omnibus tam voluntatis, quã intellectus, quorum nullus eſt infinitè perfectus in omnium ſentẽtia, etiamſi tendat in obiectum infinitum: & ratio à priori eſt, quia actus manant à potentijs limitatis, & proinde cõmenſuratis obiectis ſecundùm eſſe, quod habent limitatum; quomodo enim aliter commenſurentur, niſi ſecũdùm eſſe ordinatum ad actus verſantes circa obiectum? & quia à potentia ſecundùm eſſe limitata non poteſt exire actus illimitatus, neque etiã obiectum attingibile ab illo eſt niſi limitatè, conſequenter non communicat

Actus proportionãtur obiectis

perfectionem, niſi limitatam actui, quia illimitatæ non eſt capax, ſicut neque infinitæ virtutis potentia à qua manat.

Tertiò. Hinc ſupponendum obiectum concurrere tantum partialiter ad parfectionem actus, itaque vt partiale concurrens ponitur à S. Bonau. in 3. diſt. 35. cit. & patet, quia alioqui ſemper eſſet perfectior actus circa idem obiectum nobiliùs, quàm circa ignobiliùs, quod eſt inconueniens; nam cognitio, qua ſupremus Angelus cognoſcit infimum, nobilior eſt ea, qua infimus cognoſcit ſupremum, & tamen ſupremus nobilius eſt obiectũ, quàm infimus in ſententia admittente diſtinctionem poſſibilem ſecundùm ſpecies in Angelis, & in contraria fieri poteſt comparatio Angeli, & animę ſe inuicem, vel obiecta diuerſa cognoſcentium: Et ratio eſt, quia perfectio attenditur potiſſimum in ordine ad principium productiuum, & ad modũ, quo producit actum; minus autem principaliter in ordine ad obiectum, licèt hoc pet ſe etiam concurrat; atq; ita cognitio, qua ſupremus Angelus cognoſcit infimum, nobilior eſt cognitione, qua infimus cognoſcit Deum naturaliter, quia eſt à nobiliori potentia, cui ſimpliciter proportionatur actus quoad eſſe, & entitatem, cum obiectum proportionetur tantùm ſecundùm eſſe cognoſcibilis ad cognoſcitiuum; & ideo longe minus cõcurrat ad perfectionem, quàm potentia; imò ſi ſit materiale, & ignobiliùs dicitur eleuari, & accipere eſſe nobilius in intellectu, quàm habeat in ſe, quia fit ſimile illi in eſſe intelligibili, & ſpirituali; & vice verſa fieri ignobiliùs per hanc aſſimilationem, ſi in eſſe ſit nobiliùs intellectu aſſimilante; quod eſt argumento attendi perfectionem penès potentiam per ſe, & primariò; penès obiectum per ſe ſecundariò. Per ſe, inquam, nam ſtante eadẽ potentia, & principio intelligendi eodem actus modo eſt nobilior, modo ignobilior, quia obiectum, & modus tendendi in illud variatur, v.g. Idem intellectus modò cognoſcit intelligentias, modò materiam, & nunc certò, & euidenter, nunc tantùm probabiliter, & obſcurè, & conſequenter adæquata ratio perfectionis actus non eſt ſola potentia, ſed concurrit etiã obiectum, & modus cognoſcendi, qui ſe tenet ex parte vtriuſque.

Actus ſimpliciter proportionatur potentiæ.

Attenditur etiã modus tendendi potentiæ in obiectum.

XXXII. In quo vlterius conſidetandum eſt poſſe eſſe talem exceſſum potentiæ ſupra præſtantiam obiecti, vt nunquã adæquari poſſit per quamuis additionem, vel multiplicabilitatem eiuſdẽ; nunquam tamen ita excedere obiectum, vt det actui perfectionem maiorem, quam poſſit aliunde acquirere, v.g. intellectus cum lumine ita perficitur in ratione principij, vt viſio inde proueniens circa quodlibet obiectum etiam minimum longè præſtet cuilibet cognitioni proueniẽti à quouis intellectu ſine lumine; conſequẽter quantumuis creſcat obiectum, circa quod talis intellectus etiam perfectiſſimus verſetur, nunquam communicabit actui tantam perfectionem, quantam habet idem elicitus à lumine circa minimum ens. Et in eodem ordine naturali nobilior eſt cognitio Angeli ſupremi cognoſcentis muſcã, quàm hominis cognoſcentis Angelũ; neque in hoc ordine ſunt adæquabiles, quales eſſent ſi perfectio principaliter tribueretur actui ab obiecto, quia poſſet hoc ita creſcere, vt ſuperaret augmentum perfectionis dimanantis à potentia peeſectiore operante circa viliùs obiectum, vt contingeret in cognitione, qua intellectus humanus fertur in Deum comparata ad cognitionem, qua ſupremus Angelus tendit in formicam, exempli gratia; hæc enim in ſua intrinſeca entitate perfectior eſt illa. Manifeſtum igitur eſt propoſitionẽ illam, creſcente obiecto ſecundùm perfectionem; creſcit etiam cognitio, non eſſe accipiendam pro regula augmẽti perfectionis adæquata, & vniuerſali, quia perfectio per ſe primariò aduenit actui à potẽtia productiua eius, quæ eadem numero poteſt actum nobiliorem producere circa obiectum ignobiliùs, quam altera, vel etiam eadem circa nobilius. Neque poteſt dici intelligendum eſſe de obiecto formali, quod eſt diuerſum iuxta diuerſitatem potentiæ; quia quicquid ſit de hoc, in propoſito vſurpatur propoſitio illa de obiecto materiali, & ratione, quæ attin-

attingitur; non de ratione, qua, ſeu ſub qua; nam hoc eſt aliud caput participandæ perfectionis, de quo non agitur in præſentia.

XXXIII. Quapropter dicta propoſitio admittenda eſt cum ſequenti limitatione. Primò, vt comparatio fiat obiecti cum eadem potentia non cum diuerſis ſecundùm ſpeciem; alioqui enim poteſt eſſe actus perfectior nobilioris potentiæ circa obiectum ignobilius. Item ſecundò, vt fiat comparatio cum eadem potentia eodem modo tendẽte in obiecta; nam ſi diuerſo, poteſt eſſe actus nobilior circa obiectũ ignobiliùs, v.g. actus fidei de Inferno, quã actus ſcientiæ naturalis de Deo. Ille enim ſupernaturali modo, ideſt per reuelationem credit; hinc per rationem naturalem, & ideo imperfectior eſt: quomodo etiam Metaphyſica nobilior eſt phyſica, quia circa aliquod obiectum materiale commune verſatur modo nobiliori, qui attenditur penes diuerſam abſtractionem. Tertiò, ſi ſit eadem potentia ſpecie, & perfectione, & modus idem tendendi in obiecta, diuerſitas perfectionis actuum erit materialis proueniens ab obiectis magis, & minus perfectis; nũquam tamen adæquabitur perfectio actuum perfectioni obiectorum, quia perfectibile, & perfectiuum cõmenſurari debent ſecundùm rationes iſtas vt ſic, v.g. materia, & forma ſecundũ eſſe receptibilis, ſeu informabilis, & informatiui, non ſecundùm eſſe, cum vna ſit pura potentia, altera merus actus: & in propoſito obiectum, & actus in ratione perfectibilis, & perfectiui: Ex quo ſequitur, quod in tantum obiectum perficere poteſt actũ, in quantum actus eſt perfectibilis; cũ autem nullus actus creatus ſit infinitæ perfectionis capax, vtpotè à potentia finita deriuatus, non poteſt cõparari cum obiecto tanquam cum perfectiuo infinito; proindè ex augmento infinito obiecti non arguitur infinitas actus; ſed ſolùm perfectio diuerſę rationis à perfectione actuũ circa obiecta finita, nunquam adæquabilis ab illis poſita paritate in reliquis vt ſupra; non quia obiectum ſi ſit infinitum non poſſit dare infinitatem actui abſolutè loquendo; ſed quia ad hoc

Limitatio eiuſdem regulæ.

requiritur proportionata potentia, & capacitas infinitatis, qualis eſt in ſolo Deo, cuius eſſentia, & intellectus proportionata ſunt, quia ſunt vnum. Sic in diuerſo genere cauſæ Sol de ſe eſt illuminatiuus, vt 8. ſubiecti luminoſi; ſed ſi ſubiectum non ſit capax tantæ claritatis reſpectu illius dicitur illuminatiuus tantum vt 4. ex. gr.

Ex ijs autem patet reſponſio ad argumentum calculatorium in forma; creſcente enim obiecto, creſcit perfectio viſionis, poſitis conditionibus explicatis, concedo antecedens. ergo ſi augmentum ſit infinitum in obiecto, erit & in viſione, nego ſequelam, quia tranſitus à finito ad infinitum trahit ſecum perfectionem iuxta proportionem perfectibilis, & perfectiui, quæ finita eſt, cum omnis potentia creata ſit finita, & actus ab ea manans etiam finitus, & incapax tantę perfectionis, quantam habet in ſe obiectum.

Patet etiam non valere inſtantiam; illud eſt infinitum quod perfectius eſt quolibet finito; ſi enim accipiatur finitum in tota latitudine verum eſt, quia complectitur omne ens actuale, & poſſibile, quibus quod abſolutè perfectiùs eſt, infinitum eſt, cum nullum ſit ens creatum ita perfectum, quo non poſſit dari aliud perfectius, & proinde quod continet omnem perfectionem poſſibilem abſolutè infinitum eſt; finitum autem non continet omnem perfectionem poſſibilẽ, quia quolibet finito dari poteſt perfectius in infinitum. Cæterum ſi accipiatur finitum in certo genere, non ſequitur eſſe actu infinitum, quod eſt perfectius quolibet inferiori in infinitum multiplicabili in eo genere; anima enim rationalis, exempli gratia, eſt perfectior qualibet anima ſenſitiua multiplicabili in infinitum; & tamen non eſt infinita; ſed ordinis ſuperioris, & proinde perfectior qualibet inferiori in infinitum, vt dictum eſt ſupra; & ſic viſio beata eſt perfectior qualibet viſione obiecti creati poſſibilis in infinitum; neque tamen infinita eſt, ſed ordinis ſuperioris quacũque alia. Quod ſi eſſet perfectior qualibet aſſignabili in eodem ordine, eſſet etiam infinita, non ſecus ac quãtitas maior qualibet quantitate finita

aſſignabili ſimpliciter dicitur infinita. Sed quia in ordine viſionis beatæ nulla, præter diuinam, datur, qua perfectior non ſit poſſibilis, propterea nulla eſt infinita, ſed quælibet in infinitum perfectior eſt non beata poſſibili.

XXXIV. Dices, ſicut illud ens dicitur abſolutè infinitum, quod eſt perfectius quolibet ente aſſignabili in infinitum, ita ſaltem ſecundum quid illa res eſt infinita, quæ perfectior eſt quolibet aſſignabili in determinata ſpecie, vel genere, v.g. linea eſt infinita ſecundũ quid, ideſt ſecundum longitudinem, quæ longior eſt qualibet finita longitudine, ergo & viſio illa erit infinita, quæ perfectior eſt qualibet viſione finita, ideſt obiecti finiti; ita enim ſe habet viſio perfecta, vt vnum, duo, tria obiecti finiti, ad viſionem beatã, ſicut vnus, duo, tres palmi ad lineam infinitam, & proinde vtrobique videtur ineſſe infinitas licèt non abſoluta.

Reſpondeo dupliciter aliquid poſſe eſſe perfectius alio in determinata ſpecie, vel ordine, primò itaut ſuperet perfectione quodlibet poſſibile in illa ſpecie, vel ordine abſolutè. Secundò, vt ſuperet tantùm poſſibile quodlibet cum aliqua limitatione: primo modo quantitas infinita, ſi daretur, ſuperaret quamlibet finitam poſſibilem, puta palmarem, bipalmarem, &c. & linea infinita ſuperaret quamlibet longitudinem poſſibilem. Secundo modo angulus rectus ſuperat quemlibet angulum contingẽtiæ, & anima rationalis ſuperat nobilitate quamlibet animam ſenſitiuam, quia neque ille maior eſt quolibet angulo, v.g. obtuſo, neque iſta qualibet ſubſtantia ſpecificali; ſed ſolum ſunt ſuperioris ordinis, ad quem non pertingit inferior ſpecies; & ideo non infert infinitatem calculatio quantũis multiplicata; quemadmodum nec inferret in quãtitate palmari, quę maior eſt qualibet parte proportionali in ipſa aſſignabili in infinitum.

...ſo beata om- Viſio ergo beata ſuperat hoc ſecũdo modo quamlibet aliam viſionem non abſolutè, ſed cum limitatione obiectorum finitorum, quæ ſunt inferiora Deo infinito, & ideo non eſt infinita etiam in ſuo genere, ſicut eſt infinita linea maior qualibet longitudine finita in ſuo genere; neque ita ſe habet reſpectu viſionum obiectorum finitorum, ſicut linea reſpectu longitudinum finitarum; nam nulla eſt aſſignabilis longitudo finita, quam non ſuperet linea infinita, non ſuperabilis rurſus ab alia longiori; at verò nulla eſt viſio, qua non poſſit dari alia perfectior, & proinde plures in infinitũ perfectiores qualibet, & omnibus obiectorum finitorum.

Regula igitur arguendæ infinitatis ex calculatione non eſt multiplicatio infinita rerum perfectiorum inferiorum ſpecierum comparatione facta cum ſuperiori aliquo; ſed perfectior maior quacumque alia aſsignabili, vel in eodem ordine, vel abſolutè, quia ex ea, quæ talis eſt accipientibus gradus perfectiores ſemper reſtant plures accipiendi, iuxta definitionem infiniti, de qua in propria quæſtione agetur. Et tunc valet perfectiùs eſt hoc ens quolibet alio poſſibili abſolutè; ergo eſt infinitum abſolutè, quomodo ſupra cum Seraph. diximus Deum eſſe quo maius eſſe, aut cogitari non poteſt. Item hoc eſt perfectius quolibet aſſignabili in hoc genere, ergo eſt infinitum, quomodo numerus maior quolibet aſſignabili in genere numerorum eſſet infinitus. Non autem valet hoc, dantur imperfectiora in infinitum, ergo eſt infinitum, v.g. auro dantur metalla poſſibilia imperfectiora in infinitum, ergo aurum eſt perfectionis infinitæ, quia in genere metallorum poteſt dari abſolutè loquẽdo ſpecies ipſo perfectior formaliter, & idem eſt de viſione Dei reſpectu aliarum viſionum obiectorũ finitorum.

XXXV. Argumentũ geometricũ. Et hoc eſt augmentum geometricum, quod multiplicatum in infinitũ non adæquat alterum extremum, cui comparatur ob improportionem rerum comparatarum diuerſi generis, aut ordinis, ad differentiam arithmetici, quod ita ſe habet, ſicut numerus, in quo nullus aſſignabilis eſt, cui non adæquetur, & excedat alter per continuam additionem. Cui propterea aſſimilantur, & dicuntur augeri arithmeticè, quæ ita ſe habent in alijs generi-

neribus, vt æquari, & excedi inuicem poſſint per additionem, vel detractionem, vt in quantitate, & qualitate patet, in quibus nulla pars, vel gradus eſt aſſignabilis, qui non poſſit æquari, vel excedi per continuam additionẽ. Et illud eſt infinitum, quod eſt maius quolibet aſſignato finito in eo genere, & ordine, non autem extra illud; & ideo ſubſtantia eſt perfectior quolibet aſsignabili accidente, neque tamen eſt infinita, quia augmentum illorum eſt Geometricum, ideſt rerum diuerſi generis, & ordinis.

Inſtabis, quia ſic non argueretur infinitas Dei ex eo, quod ſit perfectior qualibet aſsignabili creatura etiam infinita, ſi dabilis eſt; diceretur enim eſſe diuerſi ordinis, ideſt increati, quod ſufficit ad exceſſum illum, præciſa etiam infinitate; regula enim de augmento geometrico, quod ex illo non inferatur infinitas, vniuerſalis eſt, & valet etiam in diuinis, quorum ordo eſt ſupremus, & ſuper omnes alios & conſequenter, ſi diuerſitas ordinum in creatis minus inter ſe diſsimilium in cauſa eſt, ne deducatur infinitas ex calculatione, multò magis erit in diuinis.

Reſpondeo, quod augmentum à creatis per gradus perfectionis ad diuina, non ſolùm eſt geometricus propter tranſitum ad res diuerſi ordinis; ſed etiam eſt arithmeticus propter continentiam formalem, vel eminentialem omnium poſsibilium, & exiſtentium, ratione cuius habet in ſe & perfectiones, per quas fit gradatio à pluribus ad vnum ſupremum tam in eodem ordine arithmeticè, quàm in diuerſo geometricè, & ideo ſi in arithmetica calculatione concluditur infinitas in creatis, multò magis à creatis ad diuina.

Vbi nota obiter poſſe aliquid ordinis ſuperioris finitum, eſſe perfectiùs aliquo infinito, ſi daretur ordinis inferioris, v.g. ſi daretur infinita quantitas, vel qualitas naturalis, adhuc gratia finita eſſet illa perfectior; & ſi eſſet poſsibilis perſona creata infinita, & offenſa eius infinita, adhuc eſſet minor offenſa, quàm Dei, in ſententia negante hanc eſſe de facto infinitam.

Ex dictis autem manifeſtum eſt expeditam viam ſoluendi huiuſmodi argumenta calculatoria eſſe definitionẽ infiniti traditam à S. Bonau. ex 3. Phyſicorum t. 24. Infinitum eſſe, quod caret termino, iuxta quam nullum datur inter creata infinitum, quia omnia habent terminos, vltra quos datur progreſſus; vice verſa in Deo omnia ſunt infinita, ſeu potius vnum eſt ſimpliciſsimum infinitum conceptibile ab intellectu creato ſecundum varias rationes cum eſſentia identificatas, & proinde infinitas, quomodo potentia; ex. gr. dicitur infinita, quia caret termino, vt oſtendit idem Sanctus Bonauent. in 1. diſt. 43. art. 1. q. 1. vſus auctoritate etiam S. Chryſoſtomi, quod Deus dicitur omnipotens, quia eius poſſe nõ inuenit nõ poſſe, ergo ſi ſẽper inuenit poſſe, & ſẽper quãtitatẽ potentiæ accipientibus eſt vltra accipere: datur infinitas; quod idẽ eſt de alijs attributis diuinis, ac de perſonis. Id autẽ dici de nullo intellectu poteſt, quod videlicet cognitio eius careat termino, ita vt plura ſemper accipiẽtibus ex numero obiectorum actu cognitorum, reſtent plura accipienda; valeret enim argumentũ calculatorium probans infinitã perfectionẽ talis intellectus, quæ eſt impoſsibilis; quæ omnia ſup. declarata ſunt.

Neq; hic crimineris peti principiũ à probante infinitatem potentiæ, vel actus per argumẽtũ calculatoriũ, quod vitioſum aſſeris, quia probat impoſsibile tanquam poſsibile, vel actu exiſtens in numero obiectorum cognitorum, quem eſſe infinitum contendit aduerſarius, & vtitur exemplo cognitionis Chriſti, quæ ſe extendit ad infinita, puta ad omnia, quæ Deus nouit ſcientia viſionis.

Ad hoc enim reſpondeo negando peti principium, quia ſupponitur ex dicendis infra impoſsibilitas infiniti creati, qua probatione poſita conſequens eſt vitioſa eſſe argumenta illam impugnantia, & indigere declaratione, qualis adhibita eſt, & oſtenſum quid requiratur ad valorem argumenti calculatorij, illudque non habere vim in cognitione Chriſti Domini, quia illa tendit in actu finita ſibi obiecta, licèt habitu dicatur extendere ſe ad infinita, vt explicatũ eſt, pro cuius

maiori

maiori adhuc intelligentia, quæro quid ſit cognoſcere plura habitu.

QVID SIT COGNOSCERE

Plura habitu ex S. Bonau.

CAP. VII.

I. Quid intelligatur nomine habitus.
II. An lumen, an viſio ipſa beata? an an aliquid aliud?
III. Præter hæc interuenit voluntas Verbi prompta ad manifeſtandū animæ Chriſti omnia quæ in ſe elucent.
IV. Tria igitur concurrunt ad ſcire habitu, lumen viſio, voluntas Verbi prompta ad manifeſtandum.
V. Quomodo hæc ſcientia habitualis exeat in actum.
VI. Idem lumen inuariatum concurrit ad varia repræſentanda.

XXXI. SED pro maiori intelligentia videndum eſt quid ſit cognoſcere habitu infinita ſecundùm S.Bonauenturam. Vel enim per habitum intelligitur lumen gloriæ aptum repræſentare infinita ſucceſſiuè; & hoc non ſufficit, quia cum ſit eiuſdem ſpeciei in omnibus beatis, vtpotè reſpiciens primariò diuinam eſſentiam, vt obiectum, ad quod repræſentandum ex ſua natura aptum eſt, omnes beati viderent habitu infinita,& non ſolùm Chriſtus Dominus; quia lumen ipſis infuſum poſſet ſucceſſiuè repræſentare infinita,ſicut idem lumen materiale repræſentare poteſt quicquid coloratū eſt in infinitum, & oculus illud videret. Vel ſi dixeris lumen Chriſti Domini habere perfectionem indiuidualem cæteris ſuperiorem aptam repræſentare infinita, certè concedendum eſt cætera lumina poſſe repræſentare etiam infinita ſaltem indiuidua, v. g. cogitationes futuras, quia nullum eſt tam exiguum, quin ſe extendat ad plura indiuidua, præſertim eiuſdem ſpeciei, & non potius ad hæc, quàm ad illa; & tunc diceretur habitu ſcire infinita quicunque beatus: vel certè ille, qui haberet lumen illud indifferens ad plura ſucceſſiuè repræſentanda, quod eſt contra doctrinam Sācti Bonauenturæ loc.cit. vbi peculiare Chriſti fatetur,habitu cognoſcere infinita. Adde quod gratia, & caritas Chriſti ſunt eiuſdem rationis, ac aliorum beatorum; & proinde etiam lumen illis reſpondens in ſua entitate: In lumen igitur præcisè non poteſt referri cognitio infinitorum habitu viſorum. Peculiare Chriſti eſt habitu cognoſcere infinita.

Vel ſecundò dicitur ſcire in habitu, quia viſio beata ex ſe, & in actu primo apta eſt ad repræſentandum ſucceſſiuè infinita tam poſsibilia, quàm futura, etiamſi de facto non repræſentet, aut repræſentare poſſit,niſi finita ſimul actu, ideſt ea, quæ Deus vt ſpeculum voluntarium repræſentari vult, vt docet Scotus in 3.d.14.q.2.§.ſed ſi iſta via ſupra cit. At contra arguit Ocham.in 4.d.13.a.2.& 3.Gabr.in 4.d.49.q. vn. a.1. not.3. tribuens eandem ſententiam Varroni,& plures ex recentioribus: primò, quia variato obiecto variatur viſio, atque adeo viſio beata variaretur contra Auguſtin.loc.cit.& lib.12.confeſs.c.14 vbi abſolutè docet omnia ab Angelis ſimul videri in verbo. Scot. Ochā. Gabr.

Si dicas eandem viſionem inuariatam extendi ad plura inſtant. Secūdò quia non fit tranſitus à contradictorio in contradictorium ſine mutatione acquiſitiua, vel deperditiua alicuius abſoluti, vel reſpectiui, vt loquitur Ocham; non poteſt ergo eadem viſio ex non repræſentante fieri repræſentans ſine aliqua mutatione intrinſeca; in quo differt à viſione diuina, quæ repræſentat in poſteriori ſigno res futuras, quas non repræſentabat in primo ſine ſui mutatione, quia cum ſit infinita habet omnem perfectionem, & vim repræſentandi omne repræſentabile,quod non habet vlla creata, & alioqui nullum datur inſtans, in quo non repræſentet; ſed illa ſigna tamen dicunt prioritatem à quo, ſeu dependentiam rei futuræ à decreto à quo accipit eſſe futurum ab æterno; ac proinde non eſt locus variationi in viſione perfectiſſimè attingente omnia intelligibilia, vt eſſe poſſet in creatura. Tertiò, quia ad viſionem ſucceſsiuam requiritur infinita atten-

Digitized by Google

attentio, ſi apta eſt attingere infinita ſimul, quia pro multitudine obiectorũ augetur attentio, ac proinde in infinitum, ſi poteſt ſimul extendi ad plura & plura in infinitum; niſi dicas deſinere attentionem ad aliqua, ſtatim ac creuerit, & peruenerit attentio ad certum numerum, atque ita variaretur viſio, quia non diſtinguitur ab attentione: cum ergo impoſſibilis ſit infinita attentio, etiam impoſſibilis erit cognitio in habitu extendens ſe ad infinita in hoc ſenſu. Et ratio huius eſt ſupra allata, quia eo perfectior eſt viſio, quò plura videntur in verbo, & proinde virtus, & viſio potens ſe extendere ad infinita, ſeu quæ poteſt perfectiùs in infinitum operari, infinita eſt; ſi enim finita eſt, dato certo termino non poterit extra illum, atq; ita erit finita in eo genere, in quo tamen dicitur poſſe ſemper in infinitum plus & plus. Quartò, quia extenſio ad plura eiuſdem viſionis, vel fit per additionem luminis, atque ita mutaretur viſio circa eſſentialia gloriæ cõtra communem Theologorum ſentẽtiam, & præſertim S. Bonauent. in 3. cit. nam maius lumen perfectiorem reddit viſionem eſſentiæ diuinæ: Vel viderentur plures creaturæ per idem lumen inuariatum, & tunc explicandum eſt quomodo ſine vlla ſui mutatione, vel obiectorum idem lumen modò repræſentet plura, modò pauciora, quod magis apparet difficile, ſi quæ de nouo repræſentantur ſint tãtum quæ de nouo exiſtunt; tunc enim non apparet mutatio, ergo neque in repræſentando; nam forma inuariata in eodem ſubiecto non poteſt communicare nouum effectum formalem, neque repræſentatio rei futuræ, vt ſic eſt repræſentatio præſentis, ergo mutatur; viſio enim eſt formalis repræſentatio creaturarum, ergo manens eadem, non poteſt modò repræſentare, modò non, ſicut nec albedo modò reddere parietem albũ, & modo non reddere. Ad quæ & ſimilia argumenta variè reſpondent, qui tenent eandem viſionem inuariatam poſſe repræſentare diuerſa ſucceſſiuè in verbo, quia reſpectu eius eſt ſignum naturale, & neceſſarium, reſpectu creaturarum liberum, vt Marſ. in 3. q. 10. a. 2. p. 2. art. 2. quem ſequitur Sal. 1. 2. tract. 2. diſp. 4. ſect. 3. num. 29. & ſect. 4. à n. 14. Beccan. tract. 1. cap. 9. q. 13. n. 13. Abul. in c. 17. Matt. q. 114. ad 3. Iſti enim admittunt non eſſe volubiles cogitationes beatorum, quia ſemper durat eadem viſio eſſentiæ diuinæ, etiamſi non terminetur ſemper ad eaſdem creaturas, & non poſſit ad infinitas ſimul ſe extendere, cum non ſit infinita. Multò minus vrgentur ijs difficultatibus, qui nullam creaturam videri ex vi viſionis verbi contẽdunt, inter quos eſt Vazq. ſecutus Nominales, & S. Bonau. ſupra.

Marſil. Sal. Beccan. Abul.

XXXII. Verum reſponſio in via S. Bonau. aperta eſt, ex eius Verbis in 3. d. 14. a. 2. q. 3. c. vbi cum negaſſet animam Chriſti cognoſcere actu infinita, ſubdit. *Si verò loquamur de cognitione habituali, ſic concedi poteſt; quod ſcit omnia, quæ cognoſcit ipſum Verbum habitu glorioſo ita perfectè, quod non poteſt ipſum perfectiùs cognoſcere (ſcilicet de lege ordinaria) cum ipſum Verbum æternum promptam habeat voluntatem ad aperiendum ipſi animæ omnia, quæ in ipſo relucent, nec aliquid in ipſo reluceat, quod non ſit aptum cognoſci ab anima Chriſti, ex eo habet aliquid, quo facilis eſt ad cognoſcendum omnia, quæ Verbum cognoſcit, & huius ſignum eſt, quia ad hoc, quod cognoſcat aliquid, quod Verbum cognoſcit, quicquid illud ſit, non oportet, quod detur ei nouus habitus cognoſcendi; ſed omne quod vult in eo poteſt legere.*

S. Bonau.

Hæc igitur concurrunt ad ſcientiã hanc habitualem Chriſti animæ benedictæ, primò lumen glorioſum perfectiſſimè repræſentans Verbum, & habilitans ad cognoſcendum quæcũque cognoſcit Verbum: per quod innuitur diſcrimen inter lumen Chriſti, & aliorum beatorum. Secũdò prompta voluntas verbi ad manifeſtanda omnia, quæ in ſe relucent, vt ibidem S. Bonauent. ex ijs rationibus ſecunda eſt potior: *Et iſto modo ſubdit in alia reſponſione, dicitur ſcientia Chriſti in infinitum excedere ſcientias aliarum animarum, non quia lumen Chriſti in infinitum ſit maius in actu, quàm lumen aliarum animarum, ſed quia ipſũ Verbum æternum, in infinitum promptius ſe exhibet ad manifeſtandum ea,*

S. Bonau.

quæ

Digitized by Google

quæ in ſe habet ipſi anima Chriſti, quã alicui alia anima.

Quod ſi cauſa iſtius diſparitatis inter ſcientiam Chriſti Domini, & aliarum animarum quæratur, ea eſt quam innuit ibidem. Et fuſiùs explicat in eodem 3.d.13.a.1.q.2. vnio ſcilicet ad perſonam Verbi, propter quam data ſunt omnia dona Chriſto ſine vlla limitatione, non quia in ſe, & abſolutè ſint ſimul cognoſcibilia infinita; ſed quia comparatione aliorum hominũ in infinitum, & incomparabiliter illa excedunt; ſicut & gratia, quàm comitantur, & virtutes, quæ habuerunt vſus ſuos excellentiori modo, quàm attingi poſſit ab alia creatura. Sic & lumen in ſe finitum datum eſt animæ Chriſti, ſed ad infinita ſcibilia propter promptitudinem exemplaris ſibi vniti, vt idem S. Bonau. loquitur.

Vnio ad verbũ eſt ratio, cur data ſint Chriſto dona non ad menſuram.

Ergo Chriſtum Dominum ſcire habitu infinita, & quæcumque ſcit Deus, eſt habere lumen habituale gloriæ, per quod illa videre poteſt, & promptam voluntatem Verbi illa manifeſtandi, quam non habet reſpectu aliorum, quia nullus eſt hominum, vel Angelorum, cui dixerit aliquando filius meus es tu, ego hodie genui te; aut hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Hebr. 1.
Mat. 3.

Sed tunc dubium eſt, quomodo iſta habitualis ſcientia exeat in actum?

Pro reſponſione in doctrina S. Bonauent. hæc ſupponenda ſunt, vel præmittenda.

XXXVIII. Primò viſionem quoad eſſentialia gloriæ eſſe immutabilem ſic cum communi Theologorum expreſsè ead. diſt. 14.a.2.q.2.c.& ad arg. S. Bonau. quoad accidentalia verò poſſe mutari, ideſt ad quædam extendi, quæ antea non videbat; *Et huius ſignum eſt, inquit, quòd Deus beatis exiſtentibus in gloria, hoc eſt Sanctis Angelis, aliquid de nouo reuelat, & aliquid oſtendit in ſe, quod prius tamen non oſtendebat, & ideo ſtatui gloriæ non repugnat conſiderare aliquid nunc, quod prius non conſiderabatur, &c.* Vt hinc apertè pateat ex mente S. Bonauenturæ, poſſe de nouo aliquid intelligi in Verbo, quod antea non videbatur, & non ſolum per diſtinctam reuelationem à viſione Verbi, illius enim nulla mentio hic.

Secundò eſſentiale gloriæ eſſe ſummum verum, ſic ibid. a. 2. & q. 2. fin. *Actualis, inquit, cognitio, & conſideratio Verbi æterni eſt ipſi gloria eſſentialis; non ſic autem actualis cognitio aliorum à Verbo; & ideo non oportet, quod ſic alia conſideret actualiter, ſecundum quod actualiter conſiderat ipſum Verbũ:* Et ſupra dixerat, quod ad hoc, vt anima Chriſti habeat habitum cognitionis perfectum, non oportet, quod actualiter cõſideret omne verum; ſed ſufficit, quod actu conſideret verum ſummum: & licèt Vazq. d.40 num. 16 dicat in nullo Scholaſticorum veterũ ſe reperiſſe præter Henricum, qui diceret ita poſſe videri Deum clarè, vt nulla tamen creatura ex vi viſionis videatur; tamen P. Faſ. l.q.12.cit. a.8. n.101. refert multos Scholaſticos aſſerentes poſſe videri Deum nulla viſa creatura ob remiſſionem luminis; igitur in ſententia S. Bonauent. ex vi viſionis non eſt neceſſariũ videri creaturam vllam, ſed ſufficit, quod videatur Deus in ſe.

Vazq.
Faſol.

Tertiò, non infundi nouum lumen ad hoc vt ſcientia habitualis extendatur actualiter ad creaturas; ſic enim ait a.2. cit. in 3 d.14. q.1. ad primum: *Quod quia verbum eſt ſimilitudo omnium, efficitur quodammodo ſimilis omnibus (intellectus ſcilicet beati) ideo non oportet ei dare nouum habitum ad cognoſcendum:* & q.3. ad penultimum: *Ad illud, inquit, quod quæritur per quid anima Chriſti cognoſcat omnia, quæ cognoſcit verbum, dicendum, quod per lumen aliquod ſibi datum: hoc autem non eſt, quia lumen illud ſit infinitum, ſed quia eſt ad infinita ſcibilia comparatum propter promptitudinem exemplaris ſibi vniti.* Supponit igitur per idem lumen videri actu ſucceſſiuè plura, per quod ſimul cum verbo videntur aliqua ſi ea repræſentet verbũ.

Quartò, in ſententia S. Bonauent. manente hoc eodem lumine immutato, & viſione eadem quoad eſſentialia, dari tranſitum à conſideratione vnius rei in conſiderationem alterius, vt patet ex quæſt. 2. citat. ad primum. *Eſt etiam volubilitas per conſiderationẽ vnius rei in conſiderationem alterius, & talis volubilitas non auſertur à beatis:* Vbi ponit duas conſiderationes diſtin-

ſtinctas, & non eandem continuatam, quæ modo ad vnam rem terminetur, & modo ad aliam. Quod etiam magis patet ex ſolutione ad ſecundum, quã ſubdit immediatè: *Ex hoc, ait, non ſequitur, quod omnis cognitio, quæ eſt in gloria, ſit in actu continuo, ſed de illa ſolùm, quæ eſt de eſſentia gloriæ*; diſcõtinuantur ergo cognitiones rerũ aliarum perſeuerante eadem viſione verbi, & eodem lumine, vnde q. 3. ſequẽti ad vltimum vocat apertè cognitiones in plurali.

Viſio verbi eſt continua non item creaturarũ.

XXXIX. Sed difficultas eſt, an iſtæ diſtinctæ cognitiones ſint particulares reuelationes, per quas res cognoſcantur in ſeipſis, & non in verbo, an etiam dici poſſint viſiones in verbo, quia ex vi verbi cogniti videantur, & ratio difficultatis eſt, quia ſi hoc dicatur vel eſſent plures viſiones verbi pro multitudine rerum, quæ ſucceſſiuè in ipſo videntur; vel quæ prius fuit, augeretur; quia ad plura ſe extenderet; atq; ita volubilis eſſet cogitatio quoad eſſentialia, contra dicta ſuperius à S. Bonauentura, & ab alijs Theologis aſſerentibus viſionem neque augeri, neque minui ſecundùm extenſionem; quia extenſio ad plura ſupponit intẽſionem, vt ſupra diximus, aſſumentes vt certum, quod quò perfectius videtur Deus, eò plures creaturæ videntur in ipſo, & vice verſa; & tamen viſio eſſentiæ manet inuariata.

Ad quam difficultatem reſpondeo, & ſimul ad quæſitum initio poſitum, has diſtinctas cognitiones eſſe viſiones in verbo, quod cum vniatur intellectui beati, vt exemplar voluntariũ creaturarum repræſentans illas ſucceſſiuè, prout vult, & exigit ſtatus beatorum, per idem quidem lumen; ſed per diſtinctas cognitiones. Sic Seraphicus eodem ar. 2. q. 1. ad penult. arg. *Et quia verbum, inquit, eſt exemplum voluntariè repræſentans; ideo lumen illud non comparatur, niſi ad illa, quæ ipſum diuinum exemplar repræſentat voluntariè. Hinc eſt, quod per illud lumen etiamſi cognoſcat verbum; non oportet, quod cognoſcat omnia alia à verbo, quorum ipſum verbum eſt exemplar, &c.* Quod non eſt aliud, niſi veritas æterna, vt eſt ratio cognoſcendi alia, vt ibidem ſubdit. Quærenti igitur quomodo fiant nouæ cognitiones in verbo? reſpondendum per nouam repræſentationem voluntariam verbi, quod cum ſit ratio cognoſcendi alia, & ſpeculum, ſeu exemplar voluntarium illa repræſentat vt vult. Sed quid eſt hæc repræſentatio? reſpondetur ex parte verbi dicere actum volendi manifeſtare, & rationem cognoſcendi alia, quorum eſt exemplar, & ſimilitudo: Ex parte intellectus dicit nouum actum cognoſcendi terminatum ad ipſum verbum, vt exemplar, & vt volens manifeſtare; & ad alia, quæ vult repræſentare per idem lumen, vt ibidem S. Bonauentura ad 3. *Idem enim lumen, inquit, gloriæ habilitat ipſam animam ad cognoſcendum ipſum verbum ſub ratione lucis. Idem etiam habilitat ipſam animam ad cognoſcendum alia à verbo, in ipſo verbo in quantum comparantur ad ipſum verbũ, vt eſt exemplar aliorum, &c.* quod eſt diuerſo modo ſe habere ad verbum vt eſt lux, vt eſt exemplar formaliter, quod cum exemplato cognoſcitur.

Cognitio verbi vt eſt lux & vt eſt exẽplar.

Inſtabis, quia idem lumen intrinſecè inuariatum non poteſt varia repræſentare ſucceſſiuè. Reſpondetur poſſe; concurrit enim in genere cauſæ efficientis inſtrumentalis, quæ eadem manens poteſt inſeruire cauſæ principali ad plures effectus ſucceſſiuè, vt patet inductione omnium inſtrumentorum, v. g. calami, ſigilli, freni, &c. & idem lumen ſenſibile diſponit medium, & oculum ad varias viſiones diuerſorum obiectorum.

XL. Inſtabis rurſus, quia ſic augeretur gloria eſſentialis ſucceſſiuè, quia noua cognitio creaturarum in verbo arguit perfectiorem viſionem verbi; non enim poteſt cognoſci vt exẽplar creaturarum antea non viſarum, niſi melius, & perfectius videatur, ſicut non poteſt cognoſci vt cauſa effectiua plurium creaturarum quàm antea; quin perfectius cognoſcatur potentia eius.

Reſpondeo; nego ſequelam, nam dupliciter poteſt intelligi, quod cognoſcatur creatura in verbo; primò formaliter ex vi viſionis verbi, quod viſum ſit neceſſariò ratio videndi creaturas, vt Thomiſtæ, & alij Scholaſtici cum S. Th. Secundò concomitanter, & liberè, quia licèt ſit ratio videndi crea-

Digitized by Google

quæ in ſe habet ipſi anima Chriſti, quã alicui aliæ animæ.

Quod ſi cauſa iſtius diſparitatis inter ſcientiam Chriſti Domini, & aliarum animarum quæratur, ea eſt quam innuit ibidem. Et fuſiùs explicat in eodem 3.d.13.a.1.q.2. vnio ſcilicet ad perſonam Verbi, propter quam data ſunt omnia dona Chriſto ſine vlla limitatione, non quia in ſe, & abſolutè ſint ſimul cognoſcibilia infinita; ſed quia comparatione aliorum hominũ in infinitum, & incomparabiliter illa excedunt; ſicut & gratia, quàm comitantur, & virtutes, quæ habuerunt vſus ſuos excellentiori modo, quàm attingi poſſit ab alia creatura. Sic & lumen in ſe finitum datum eſt animæ Chriſti, ſed ad infinita ſcibilia propter promptitudinem exemplaris ſibi vniti, vt idem S.Bonau.loquitur.

Vnio ad verbũ eſt ratio, cur data ſint Chriſto dona non ad menſuram.

Ergo Chriſtum Dominum ſcire habitu infinita, & quæcumque ſcit Deus, eſt habere lumen habituale gloriæ, per quod illa videre poteſt, & promptam voluntatem Verbi illa manifeſtandi, quam non habet reſpectu aliorum, quia nullus eſt hominum, vel Angelorum, cui dixerit aliquando filius meus es tu, ego hodie genui te; aut hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Hebr.1. Mat.3.

Sed tunc dubium eſt, quomodo iſta habitualis ſcientia exeat in actum?

Pro reſponſione in doctrina S. Bonauent. hæc ſupponenda ſunt, vel prę mittenda.

XXXVIII. Primò viſionem quoad eſſentialia gloriæ eſſe immutabilem ſic cum cõmuni Theologorum expreſsè ead. diſt. 14.a.2.q.2.c.& ad arg. S.Bonau. quoad accidentalia verò poſſe mutari, ideſt ad quædam extendi, quæ antea non videbat; *Et huius ſignum eſt, inquit, quod Deus beatis exiſtentibus in gloria, hoc eſt Sanctis Angelis, aliquid de nouo reuelat, & aliquid oſtendit in ſe, quod prius tamen non oſtendebat, & ideo ſtatui gloriæ non repugnat conſiderare aliquid nunc, quod prius non conſiderabatur, &c.* Vt hinc apertè pateat ex mente S. Bonauenturæ, poſſe de nouo aliquid intelligi in Verbo, quod antea non videbatur, & non ſolum per diſtinctam reuelationem à viſione Verbi; illius enim nulla mentio hic.

Secundò eſſentiale gloriæ eſſe ſummum verum, ſic ibid. a. 2. & q. 2. fin. *Actualis, inquit, cognitio, & conſideratio Verbi æterni eſt ipſi gloria eſſentialis; non ſic autem actualis cognitio aliorum à Verbo; & ideo non oportet, quod ſic alia conſideret actualiter, ſecundum quod actualiter conſiderat ipſum Verbũ:* Et ſupra dixerat, quod ad hoc, vt anima Chriſti habeat habitum cognitionis perfectum, non oportet, quod actualiter cõſideret omne verum; ſed ſufficit, quod actu conſideret verum ſummum: & licèt Vazq.d.40 num.16 dicat in nullo Scholaſticorum veterũ ſe reperiſſe præter Henricum, qui diceret ita poſſe videri Deum clarè, vt nulla tamen creatura ex vi viſionis videatur; tamen P.Faſ. 1.q.12.cit. a.8. n.101. refert multos Scholaſticos aſſerentes poſſe videri Deum nulla viſa creatura ob remiſſionem luminis; igitur in ſententia S.Bonauent. ex vi viſionis non eſt neceſſariũ videri creaturam vllam, ſed ſufficit, quod videatur Deus in ſe.

Vazq. Faſol.

Tertiò, non infundi nouum lumen ad hoc vt ſcientia habitualis extendatur actualiter ad creaturas; ſic enim ait a.2.cit.in 3 d.14. q.1. ad primum: *Quod quia verbum eſt ſimilitudo omnium, efficitur quodammodo ſimilis omnibus (intellectus ſcilicet beati) ideo non oportet ei dare nouum habitum ad cognoſcendum:* & q.3. ad penultimum: *Ad illud, inquit, quod quæritur per quid anima Chriſti cognoſcat omnia, quæ cognoſcit verbum, dicendum, quod per lumen aliquod ſibi datum: hoc autem non eſt, quia lumen illud ſit infinitum, ſed quia eſt ad infinita ſcibilia comparatum propter promptitudinem exemplaris ſibi vniti.* Supponit igitur per idem lumen videri actu ſucceſſiuè plura, per quod ſimul cum verbo videntur aliqua ſi ea repræſentet verbũ.

Quartò, in ſententia S. Bonauent. manente hoc eodem lumine immutato, & viſione eadem quoad eſſentialia, dari tranſitum à conſideratione vnius rei in conſiderationem alterius, vt patet ex quæſt.2. citat. ad primum. *Eſt etiam volubilitas per conſiderationẽ vnius rei in conſiderationem alterius, & talis volubilitas non aufertur à beatis:* Vbi ponit duas conſiderationes diſtin-

ſtinctas, & non eandem continuatam, quæ modo ad vnam rem terminetur, & modo ad aliam. Quod etiam magis patet ex ſolutione ad ſecundum, quã ſubdit immediatè: *Ex hoc, ait, non ſequitur, quod omnis cognitio, quæ eſt in gloria, ſit in actu continuo, ſed de illa ſolùm, quæ eſt de eſſentia gloriæ*; diſcõtinuantur ergo cognitiones rerũ aliarum perſeuerante eadem viſione verbi, & eodem lumine, vnde q. 3. ſequẽti ad vltimum vocat apertè cognitiones in plurali.

Viſio verbi eſt continua non item creaturarũ.

XXXIX. Sed difficultas eſt, an iſtæ diſtinctæ cognitiones ſint particulares reuelationes, per quas res cognoſcantur in ſeipſis, & non in verbo, an etiam dici poſſint viſiones in verbo, quia ex vi verbi cogniti videantur, & ratio difficultatis eſt, quia ſi hoc dicatur vel eſſent plures viſiones verbi pro multitudine rerum, quæ ſucceſſiuè in ipſo videntur; vel quæ prius fuit, augeretur; quia ad plura ſe extenderet; atq; ita volubilis eſſet cogitatio quoad eſſentialia, contra dicta ſuperius à S. Bonauentura, & ab alijs Theologis aſſerentibus viſionem neque augeri, neque minui ſecundũm extenſionem; quia extenſio ad plura ſupponit intẽſionem, vt ſupra diximus; aſſumentes vt certum, quod quò perfectius videtur Deus, eo plures creaturæ videntur in ipſo, & vice verſa; & tamen viſio eſſentiæ manet inuariata.

Ad quam difficultatem reſpondeo, & ſimul ad quæſitum initio poſitum has diſtinctas cognitiones eſſe viſiones in verbo, quod cum vniatur intellectui beati, vt exemplar voluntariũ creaturarum repræſentans illas ſucceſſiuè, prout vult, & exigit ſtatus beatorum, per idem quidem lumen; ſed per diſtinctas cognitiones. Sic Seraphicus eodem ar. 2. q. 1. ad penult. arg. *Et quia verbum, inquit, eſt exemplum voluntariè repræſentans; ideo lumen illud non comparatur, niſi ad illa, quæ ipſum diuinum exemplar repræſentat voluntariè. Hinc eſt, quod per illud lumen etiamſi cognoſcat verbum; non oportet, quod cognoſcat omnia alia a verbo, quorum ipſum verbum eſt exemplar, &c.* Quod non eſt aliud, niſi veritas æterna, vt eſt ratio cognoſcendi alia, vt ibidem ſubdit. Quærenti igitur quomodo fiant nouæ cognitiones in verbo? reſpondendum per nouam repræſentationem voluntariam verbi, quod cum ſit ratio cognoſcendi alia, & ſpeculum, ſeu exemplar voluntarium illa repræſentat vt vult. Sed quid eſt hæc repræſentatio? reſpondetur ex parte verbi dicere actum volendi manifeſtare, & rationem cognoſcendi alia, quorum eſt exemplar, & ſimilitudo: Ex parte intellectus dicit nouum actum cognoſcendi terminatum ad ipſum verbum, vt exemplar, & vt volens manifeſtare; & ad alia, quæ vult repræſentare per idem lumen, vt ibidem S. Bonauentura ad 3. *Idem enim lumen, inquit, gloriæ habilitat ipſam animam ad cognoſcendum ipſum verbum ſub ratione lucis. Idem etiam habilitat ipſam animam ad cognoſcendum alia à verbo, in ipſo verbo in quantum comparantur ad ipſum verbũ, vt eſt exemplar aliorum, &c.* quod eſt diuerſo modo ſe habere ad verbum vt eſt lux, vt eſt exemplar formaliter, quod cum exemplato cognoſcitur.

Cognitio verbi vt eſt lux & vt eſt exẽplar.

Inſtabis, quia idem lumen intrinſecè inuariatum non poteſt varia repræſentare ſucceſſiuè. Reſpondetur poſſe; concurrit enim in genere cauſæ efficientis inſtrumentalis, quæ eadem manens poteſt inſeruire cauſæ principali ad plures effectus ſucceſſiuè, vt patet inductione omnium inſtrumentorum, v.g. calami, ſigilli, freni, &c. & idem lumen ſenſibile diſponit medium, & oculum ad varias viſiones diuerſorum obiectorum.

Inſtabis rurſus, quia ſic augeretur gloria eſſentialis ſucceſſiuè, quia noua cognitio creaturarum in verbo arguit perfectiorem viſionem verbi; non enim poteſt cognoſci vt exẽplar creaturarum antea non viſarum, niſi melius, & perfectius videatur, ſicut non poteſt cognoſci vt cauſa effectiua plurium creaturarum quàm antea; quin perfectius cognoſcatur potentia eius. XL

Reſpondeo; nego ſequelam, nam dupliciter poteſt intelligi, quod cognoſcatur creatura in verbo; primò formaliter ex vi viſionis verbi, quod viſum ſit neceſſariò ratio videndi creaturas, vt Thomiſtæ, & alij Scholaſtici cum S. Th. Secundò concomitanter, & liberè, quia licèt ſit ratio videndi

Digitized by Google

creaturas, vt exemplar ipſarum; tamen vt actualiter repræſentet requiritur actus diuinæ voluntatis volentis concurrere cum lumine, & intellectu ad hoc, vt eliciat viſionem: primo modo valeret ſequela, ſi nimirum ex vi verbi viſi viderentur neceſſariò creaturæ. Secũdo modo nequaquam, quia per nouam cognitionem non videtur perfectius verbum, in cuius viſione conſiſtit gloria eſſentialis; ſed idem lumen concurrit ad diſtinctam cognitionem creaturæ in verbo eodẽ modo viſo, ſicut ſi plura cernantur in ſpeculo non eſt neceſſe perfectiùs videri ſpeculum; ſed fieri nouam viſionem, ſi prior non extenditur ad noua obiecta, abſque eo, quod perfectiùs videatur ſpeculum. Et idea multorũ ideatorum poteſt cognoſci æquè perfectè ſiue plura, ſiue pauciora ex ipſis videantur; & ſic in propoſito Deus, qui eſt idea creaturarum non cognoſcitur perfectiùs cognita creatura, quia eſſe ideam ſupra eſſentiam non dicit, niſi reſpectum rationis ad creaturam, vt S. Bonauent. in 2. diſtin. 35. paſſim, & eius cognitio non auget gloriam eſſentialem: & hic reſpectus cognoſcitur manente eadem viſione eſſentiali, accedente noua accidẽtali.

Quod autem ſupra dicebamus augeri attentionem ad multiplicationẽ rerum cognitarum non obſtat huic reſponſioni, quia illæ diſtinctæ cognitiones in verbo habent maiorem, vel minorem attentionem, ſiue conatum pro maiori, vel minori numero rerum cognitarum, & ipſæmet multiplicari non poſſunt in eodem intellectu, niſi ad certam menſuram, & numerum quoad ſimultaneam exiſtẽtiam, & cognitionem; quia potentia finita eſt, tam quoad actiuitatem, quàm quoad capacitatem; & ideo ſicut non poteſt infinitas ſimul cognoſcere; ita nec infinitas habere cognitiones, quæcumque illæ ſint, hoc eſt ſiue merę reuelationes extra verbum, ſiue nouæ cognitiones in verbo, ideſt quæ habent pro ratione cognoſcendi ipſum verbum, quod ſe manifeſtat vt exemplar harum, vel illarum creaturarum ad libitum ſuæ voluntatis; ſpectatur etiã exigentia meritorum in beatis, in qua noua cognitione eſt aliqua mutatio, ſed non viſionis eſſentialis.

Manente eadem viſione eſſentiali videri poſſunt plures creaturæ in verbo.

Ex quo patet, quid ſit creaturas videri in verbo ex mente S. Bonauent. & quid ſit eſſe ſpeculum volũtarium, quæ infra adhuc vberius explicabuntur: Etenim quod vna, & eadem viſio intrinſecè inuariata extendi ſucceſſiuè poſſit ad plura obiecta videtur durum grauibus Theologis; ideo ſingularis quæſtio inſtituenda de hoc eſt, & eorum argumentis reſpondendum. Tum explicandum magis quid ſit verbum eſſe ſpeculũ voluntariũ. Tertio quia poſita volũtate diuina, verbũ ſit actu ſpeculum repræſentans creaturas, quæri poteſt, an dici poſſit ratio illas cognoſcendi, ita vt idem ſit hoc dictum, cum altero, quod S. Bonauent. Prima veritas eſt ratio cognoſcendi alia.

AN PER VNAM,

Et eandem numero viſionem repræſentari poſſint plures creaturæ ſucceſſiuè.

CAP. VIII.

I. Variæ ſententiæ.

II. Inter quas ſecunda affirmatiua habet graues auctores.

III. Per eandem numero viſionem poſſunt videri plures creaturæ in verbo.

IV. Explicatur modus, quo fieri id poſſit.

PRIMA ſentẽtia eſt negatiua, quam tenent Ocham in 4. d. 14. a. 1. & 3 Gabr. in 3. d. 14. q. vn. a. 1. Maior. ibid. q. 3. in 1. cõcl. ad 1. principale S. ſed contra Sot. in 4. d. 49. q. 3 a. 3. concl. 8. Suar. l. 2. de attrib. negat. c. 27. Vazq. 1. p diſputat. 50 n. 7. & diſp. 209. nu. 14. & alij, quos citat, & ſequitur Faſol. 1. p. q. 12. art. 8. à n. 65. ex ijs aliqui, noſtri præſertim à ſe ſtare putant S. Thomam; at non planè de ipſius mente liquere, teſtis eſt Ferrar. paulo poſt citandus conciliare ſtudens aliquot loca S. Doctoris in ſpeciem aduerſa. LXI.

Sentẽtia negans Nominaliũ.

Suar. Vazq. Faſol.

Secunda ſententia affirmat Scoti

in 3.

in 3. diſt. 14. q. 2. aſſerentis videntem verbum videre creaturas in eo, non per habitum diſtinctum à viſione ipſa; ſed quia per ipſam viſionem actualem verbi diſponitur ad viſionem creaturarum, ita vt viſio reſpectu verbi ſit actus ſecundus, & reſpectu creaturarum poſſibilium ſit actus primus, etiam ſi non explicet modum, quo ſe extendat viſio ad creaturas; & ideo in eius explicanda mente varient interpretes: Verùm cum clarius dicat habitualiter cognoſci non exiſtentes creaturas, & non per habitum creatum diſtinctum, vt alij putabant, ſed per ipſam viſionem, qua conſtituitur beatus potens videre creaturas, quas ſimul omnes cognoſcere non poteſt, cum ſit virtutis finitæ, conſequens eſt vt eadem viſio extendat ſe ad cognoſcendas ſucceſſiuè plures, & plures creaturas prout ſucceſſiuè exiſtunt, facta ſolùm mutatione in obiectis, &

Suar.

non intrinſecè in viſione; in quo ſenſu intelligit Scotum, Suar. l. 2. de attrib. negat. c. 27. n. 16. aſſerentem per eandem viſionem videri creaturas, quando exiſtunt ſucceſſiuè. Et hanc eſſe Scoti mentem manifeſtant verba hæc textus in 3. cit. diſt. 13. q. 2. §. ſed ſi iſta: vbi relatis alijs modis hanc putat probabilem. *Poteſt dici, inquit, quod videt omnia habitualiter (anima ſcilicet Chriſti) non tamen actualiter, &c. quia per aliquem actum videt verbum, & per illum actum omnia relucentia in verbo ſunt ſibi præſentia actu primo, & per hoc habitualiter ſibi nota, &c. & hoc quia verbum eſt ſibi manifeſtatiuum, vt ſpeculum voluntarium repræſentans omnia, &c.* Idem habet

Abulenſ.

Abulenſ. in c. 17. Mat. q. 114. ad tertiũ. *Stante, ait, vnitate, & continuitate eiuſdem intellectionis, Beatus poteſt nunc intelligere vnam rem, quam prius non intelligebat*: & ita communiter Scotiſtæ. vide Fabrum in 3. cit. diſt. 14. q. 2. diſp. 35. paſſim, & ſignanter c. 5. num. 50.

Ferrar.

Ferrar. 3. cont. gent. c. 59. §. ſed remanet, vt probabilem defendit in S. Thom.
Dupliciter, inquit, poteſt intelligi ſucceſſio in viſione beata, vno modo extrinſecè; alio modo intrinſecè; ſi accipiatur intrinſecè, non ſequitur, quod ſit ibi ſucceſſio, quia eſt vnus tantum actus viſionis beatificæ ſemper manens, qui neque intenditur, neque remittitur: quamuis aliqua ſingularia prius non videantur, & poſtmodum videantur: Et mox; *Si verò accipiatur extrinſecè, non eſt inconueniens, eſſe ſucceſſionem in viſione huiuſmodi, in quantum ad ſingularia terminatur, ideſt quod illa ſingularia ſucceſſiuè terminent talem viſionẽ, &c.*

Marſil.

Idem prius docuerat Marſ. in 3. q. 10. a. 2. p. 2. in fin. *Cum Sancti, inquit, in verbo per illuminationem aliqua videant, quæ prius in verbo non viderunt, non in hoc habent nouam viſionem, ſed viſio verbi, quæ prius eis pauciora repræſentabat, incipit eſſe ſignum pluriũ quoad eos, quia per eam verbum plura incipit repræſentare, &c.* Et addit, quod viſio reſpectu verbi eſt ſignum naturale, reſpectu creaturarum eſt liberũ, quia verbum per illam repræſentat, quod vult ipſi videnti. Eandem ſententiam tenet

Salaſ.

Salaſ. in 1. 2. tract. 2. diſput. 4. ſect. 3. n. 29. vocans cõmunem; Vnde, inquit, ex communi opinione, manente eadem numero viſione, poſſent qui vident in Deo quatuor creaturas, videre vnam tantum, vel nullã, &c. & probabiliter putat viſionem in ſeipſa indiuiſibilem habere extenſionem ad plura obiecta: quam extenſionem ait eſſe modum viſionis ſect. 4. n. 66. eſt etiam pro hac ſentent. Beccanus de Deo tract. 1. c. 9. q. 13. nu. 13. & alij. Sed potiſſimum moueor auctoritate S. Bonauenturæ mox citanda, in cuius explicatione differunt auctores huius ſententiæ, conuenientes in puncto principali, quod eadem viſio extendat ſe ſucceſſiuè ad multa. vt hinc pateat dubitãtes de probabilitate ſent. huius hoſpites eſſe Theolog.

Beccan.
S. Bonau.

Prima Aſſertio.

PEr eandem viſionem intrinſecè inuariatam poſſunt videri plures creaturæ in verbo actualiter quando exiſtunt, quæ priùs videbantur tantũ habitualiter, quando ſolùm erant poſſibiles. XLII.

Probabile dico, quod de facto id contingat in Beatis; & certum, quod ſit hoc poſsibile; & probo primò ex S. Bonauentura in 3. diſt. 14. a. 2. q. 3. paſsim, vbi docet, quod anima Chriſti, cui ſingulariter hoc attribuit, vi-

det habitualiter in verbo omnia, quæ verbū videt ſcientia viſionis, non autē actualiter; quia hoc excedit capacitatem creaturæ; ſucceſsiuè autem cognoſcit per eundem habitum volēte verbo manifeſtare, quæ in ſe elucent. Vocat autem habitum lumen, & viſionem ab eo manantem dicentē reſpectum rationis ad ea, ad quæ ſe extendit volente verbo.

Secundò patet idem ex reſponſione ad tertium ead. quæſtione. *Nihil, inquit, prohibet, cognitionem finitam eſſe reſpectu infinitorum, &c.* Et ſermo eſt de vna, & eadem cognitione, quæ actualiter terminatur ad aliqua obiecta creata, & potentialiter, ſiue habitu ad infinita, ſucceſsiuè; ſicut lumen gloriæ, quod idem manēs reddit animam potentem ad intelligēdum multa non ſolùm eſſentialia gloriæ, ſed etiam accidentalia, quales ſunt creaturæ, vt ibid. S. Bonauentura, qui in 1. diſt. 39. a. 2. q. 1. & 2. docet ſcientiam Dei eſſe immutabilem, quia non cauſatur à creatura, vt obiecto cognoſcibili, nec ortum habet ab illa; & ideo eadem manens tendit in omnia cognoſcibilia: Sic viſio beata licèt terminetur ad creaturas, tamen non habet ortum ab illis; ſed à lumine gloriæ, & à verbo, quod eſt ratio cognoſcendi ſecundùm S. Bonauenturam ſupra; ergo, cum ipſa ſit ſumma participatio diuinæ ſcientiæ, poterit inuariata manens terminari ad varias creaturas.

Scientia Dei eſt immutabilis, quia nō cauſatur à creaturis.

Secundò probatur ratione; quia ſi non poteſt, maximè quia eſt ſignum naturale neceſſario repræſentans ea, quorum eſt vitalis imago: vel quia eſt forma quædam, ſeu qualitas, qua poſita in ſubiecto apto non poteſt impediri effectus in hoc conſiſtens, vt intellectus formaliter reddatur videns hæc, & non alia; tot, & non plura, vel pauciora: vel quia non poteſt intelligi quomodo ſine vlla mutatione reali fiat tranſitus à contradictorio in contradictorium; vel quia ita determinatur à tali obiecto, vt non poſsit terminari ad aliud: quæ ſunt potiſsimæ rationes aduerſariorum; ſed nulla harum obſtat, vt patebit ex ſolutione argumentorum.

Tertiò. Ad hominem, ſpecies impreſſa Angelorum ſine vlla mutatione intrinſeca incipit repræſentare res exiſtentes, quas antea non repræſentabat, vt cum S. Bonau. in 2. diſt. 3. p. 2. a. 2. q. 1. D. Th. 1. p. q. 57. a. 2. Caiet. ibi. §. quoad ſecundum, Ferrar. 2. cont. g. c. 96. §. ad euidentiam, Aegid. in 1. d. 7. q. 1. a. 1. Suar. de Ang. lib. 2. c. 11. nu. 9. Vazq. 1. p. d. 208. c. 3. & alij, non conuenientes tamen in modo explicandi, ergo etiam idem poteſt tribui ſpeciei expreſsæ, ſiue viſioni, præſertim ſi produceret verbum repræſentans obiecta; quod tamen non eſt neceſſarium pro præſentis aſſertionis probatione.

S. Bonau. S. Thom. Caiet. Ferrar. Suar. Vazq.

Dices impreſſam eſſe repræſentatiuam in actu primo, & per modum habitus; expreſſam verò eſſe actualem repræſentationem, & proinde actu per illam repræſentari obiectum, cuius eſt ſpecies; & ab eo determinari.

XLIII. Sed vnde conſtat non dici repræſentatiuam in actu primo, ſeu aptitudinaliter reſpectu obiecti ſecundarij, licèt ſit eſſentialiter repræſentatiua actualiter obiecti primarij? ita vt conueniat cum impreſſa in hoc, quod per vtramq; licèt diuerſo modo, conſtituatur intellectus habitualiter potens tendere ſucceſsiuè in diuerſa obiecta? Vtraque enim eſt ſimilitudo obiecti; & quod vna ſit ſimilitudo qua, altera quę, non obſtat quin vtraque repræſentare poſsit in actu primo: ſiue deinde ſpecies quæ, concurrat effectiuè vt cauſa partialis ad intelligibilitatem; ſiue ſit tantum conditio determinatiua potentię ad actum circa tale obiectum, hoc enim non impedit quò minus ſit imago formaliter repræſentatiua, & actu repręſentans, quod antea non repræſentabat ſine vlla ſui mutatione; & conſequenter idem cōcedi poteſt ſpeciei expreſſæ reſpectu aliquorum obiectorum, quicquid ſit deinde ſpecies expreſſa.

Confirmatur. Angeli quò ſunt ſuperiores, eo etiam ſpecies inditas habent vniuerſaliores, vt S. Th. 1. p. q. 55. a. 3. poſſunt ergo vno actu cognoſcere multas res per illam repræſentatas; idque liberè, v.g. omnes ſtellas: deſinat igitur Michael ſimul omnes cognoſcens ad vnam, vel alteram attendere,

dere, non eſt probabile ſtatim ceſſare cognitionem priorem, & incipere nouam; ſicut neque ceſſat viſio decẽ lapidum, amoto vno ex conſpectu; ergo non ſolum ſpecies impreſſa ſine ſui mutatione repræſentat plura, & pauciora, ſed etiam impreſſa: quod idem contingit in alijs ſimilibus, v. g. in relatione, ſecundùm admittentes per vnam reſpici plures terminos: in habitu inclinante ad plures actus circa diuerſa obiecta, & ſimilibus, quæ ſunt actualitates reſpectu aliquorum, & poſſunt habere rationem actus primi, ſeu aptitudinis reſpectu aliorũ; talis etiã eſſet conatus, ex. gr. vt 4. virtutis motiuæ potentis attollere, vel impellere graue vt 4. & attollentis tantũ graue vt 2. &c. Et hæc in opinione probabili ponente extenſionem ad terminos ſine ſui mutatione, quod ſatis eſt ad paritatem, & probandam nõ implicantiam in viſione eiuſdem extenſionis. Ad hoc idem probandum

Ferrar.

valet comparatio Ferrar. c. illo 59. lib. 3. cont. gent. *Sicut, inquit, ſi ponatur Angelus per ſpeciem hominis conſiderare naturam humanam, & eius ſingularia eadem viſione durante, & nullo modo in ſe variata poteſt videre homines aliquos, quos prius non videbat, quia antequam eſſent non participabant actu ſpecie humana, vt ſimul cum ipſa videri poſſint, &c.*

XLIV. Eadem ratio eſt quod hoc viſionis & amoris.

Quartò. Eadem eſt ratio amoris, quoad hoc, & cognitionis; ſed idem amor Dei directè, & per ſe amati, & proximi propter Deum, poteſt ſine intrinſeca mutatione extendi, & reſtringi ad plures, & pauciores creaturas, ergo & cognitio. probatur minor. Angeli beati amant ſe inuicem amore caritatis, ideſt eodem, quo & Deum, nunquid deſinere oportet eũdem amorem, ſi Deus creet nouum Angelum, & beet, aut vnum annihilet ex iam creatis? non puto, quod tota multitudo actuum voluntatis ad poſitionem, vel deſitionem vnius, hoc eſt beatitudo formalis omnium, actu deſinat, & totius ſupernæ Hieruſalem ſtatus vnius indiuidui additione, vel detractione immutetur. quò cadit illud Auguſt. l. 15. Trin. c. 10. In Beatis non erunt volubiles cogitationes, de quo infra.

Quintò. Ratio à priori eſt, quia obiectum ſecundariũ viſionis eſt quid materiale extrinſecum, ergo per accidens ſe habet ad illam: ac proinde viſio non pendet ab illo neceſſariò, quoad eſſe. Antecedẽs probatur, quia obiectum primarium, & per ſe eſt diuina eſſentia vt beatificans, cum qua conuenire non poteſt in vna cõmuni ratione creatura, ſicut nec beatificare poteſt; ergo creatura non eſt obiectum primarium. prima conſequentia probatur, quia nullum materiale extrinſecum ſe habet per ſe vllo ex 4. modis dicendi per ſe ad illud, cui materiale eſt, vt patere poteſt inducenti per illos. Secunda item probatur, quia à nullo per accidens pendet neceſſariò id, quod habet cauſas per ſe ſufficientes, niſi aliunde probetur connexio neceſſaria: *Viſio* autem beata habet cauſas per ſe intellectum informatum lumine, & eſſentiam diuinam, à qua ſpecificatur. Creaturæ autem etiamſi viderentur ex vi verbi cogniti, ſiue per particularem reuelationem, per accidens vt quid materiale pertinent ad beatitudinem formalem, quæ tota conſiſtit ſine illis, manente obiecto primario, quæ eſt eſſentia diuina.

Sed quomodo eadem viſio extenditur ad plura, & reſtringitur ad pauciora obiecta repræſentanda ſine vlla ſui mutatione? Siquidem ſecundum axioma vniuerſale. Idem in quantum idem ſemper facit idem?

Plures ex citatis auctoribus ſimpliciter reſpondent fieri per extenſionẽ; ſed quæritur quid ſit hæc extenſio, & quomodo incipiat, aut deſinat. Sal. ſupra reſpondet eſſe modum; ſed non ſatisfacit, quia vel hic modus eſt accidens de nouo adueniens viſioni; & hoc non, quia mutaretur viſio per hanc additionem; vel eſt idem cum viſione, & manet difficultas Molina 1. p. diſp. 6. in a. 8. q. 12. memb. 8. tenẽs manere eamdem viſionem, ait, peculiari in eam influxu Deum manifeſtare, & extendere ad ea videnda, quæ decurſu temporis fiunt, & ſic augeri viſionem, & perfici accidentaliter. Molina.

Sed ſi perfectio addita per influxũ peculiarem immutat intrinſecè viſionem, quomodo igitur negat extenſionem fieri ſine intrinſeca mutatione?

ſi velit

Digitized by Google

ſi velit manere intrinſecè immutatam, quomodò perficitur per extẽſionem? & quomodo fit extenſio? influxus enim nouus Dei immutat viſionem,& ab ea non diſtinguitur realiter; ideo ſi eſt nouus influxus, eſt etiam noua viſio.

Fortè dices poſitis obiectis nouis conſurgere relationem, & ſimilitudinem inter illa, & viſionem; atque ita per eam fieri formaliter extenſionem, quomodò S. Th. ſupra aſſerebat ſpeciem impreſſam Angelorum repræſentare res, quæ ſunt actu, ob eandẽ rationem.

Sed præter ea, quæ afferuntur contra hunc modum ab alijs Theologis, quod attinet ad præſentem difficultatem, vel relatio hæc ſimilitudinis eſt noua aliqua entitas adueniens viſioni, vel non. Si primum, cum munus relationis ſit referre, oportet aſſignare aliquid prius ipſa, ob quod de nouo adueniat, & ex non repræſentãte faciat repræſentantem hæc obiecta antea non repræſentata; item ex qua repræſentatione conſurgat relatio? & ratio eſt, quia relatio tantùm habet vt ſit reſpectus vnius ad alterum, non autem vt ſit imago vitalis repræſentatiua alterius, vel perfectio imaginis, vt plura repræſentet. Si ſecundum, redit difficultas, quomodo eadem viſio ſine vllo ſuperaddito augeri dicatur, & minui; extendi, & reſtringi. Deinde in poſſibilibus non habet locum reſponſio hæc, ſi Deus incipiat in verbo, ſeu in eſſentia cognita plura oſtendere, aut cælare, quod de abſoluta potentia non repugnat. Pro ſolutione ſit.

Non fit extẽſio per nouam relationem.

Secunda Aſſertio.

XLV. Viſio beata manens eadem intrinſecè, extendi poteſt extrinſecè per nouam propoſitionem obiecti, & reſtringi per eiuſdem ablationem. Explico, & probo. Obiectum proponi poteſt intellectui primò per nouam illuminationem, puta ſi Deus oſtendat Beato aliqua obiecta antea abſcõdita, vel poſſibilia, vel exiſtentia, quod facere poteſt multis modis; ſed vniuerſim dupliciter: primò per cognitionem diſtinctam à viſione beata, vt concedunt auctores primæ ſententiæ. Secundo per eandem viſionem extendendo illam ad noua obiecta, vt cenſet S. Bonau. in 3. cit. q. 3. a. 2. docẽs animam Chriſti eſſe vnitam verbo, tanquam ſpeculo voluntario prompto ad manifeſtandum ea, quæ in ſe relucent tanquam in exemplari creaturarum. Sufficit autem ad hoc, vt verbum velit obiectum intelligi in ſe ab anima per eandem viſionem, qua ipſum videtur; quę voluntas non dicit actum nouum ex parte verbi, quod Deus eſt, & nõ acquirit in ſe aliquid noui; ſed ex parte creaturæ dicit nouũ effectũ, qui eſt terminatio viſionis ad nouum obiectum; ſicut in ſententia probabili negantium vnionem hypoſtaticam eſſe modum diſtinctum ab extremis, quæ ſunt Deus & homo, ſi Deus vellet vt fieret homo Deus præcisè per hoc quod vnirentur extrema, non per modum diſtinctum, ſed ſeipſis, & effectus diuinæ voluntatis eſſet hoc cõpoſitum ex humanitate, & verbo; & diceretur fieri tranſitus à contradictorio in contradictorium, per hoc quod antea non erat homo Deus, nec Deus homo, & poſtea eſt Deus homo nouum ſuppoſitum per vnionem indiſtinctam à terminis, qui ſe ipſis vniũtur. In quo tamen non ſufficit lapſus temporis, vt putat. Greg. Arimin. alibi reiectus, ſed requiritur aliquid reale, qualis eſt actio vniens extrema: & in propoſito requiritur actio, qua verbum proponat obiectum intellectui, quæcumque illa ſit actio, ſeu propoſitio, de qua infra, & ea poſita viſio beata extendit ſe ad illud; ſicut lux, exempli gratia, diffuſa per aerẽ ſine ſui mutatione incipit illuminare corpus aliquod, ſi ponatur in illo, quia non requiritur conatus lucis; ſed ſeipſa formaliter illuminat applicata ſibi corpora; in quo eſt paritas cum viſione, quæ ſemel elicita ab intellectu lumine gloriæ informato inuariata manens repræſentat noua obiecta, quæ applicantur; & ideo viſioni animæ Chriſti attribuit S. Bonau. loco citato infinitos reſpectus rationis ad res, quas poteſt attingere volente verbo, ſupponens manere eandem cognitionem, quæ ſucceſſiuè extenditur ad eas repræſentandas. Secundò propo-

Ad nouã extenſiõ viſionis requiritur aliquid reale de nouo.

ſitio

ſitio ſit intellectui per actualem productionem, & poſitionem exiſtentiæ rei, v. g. Natiuitatis Chriſti, Reſurrectionis, Aſcenſionis; tunc enim viſio tendit in illa, quia exiſtunt, cum antea non tenderet, quia non exiſtebāt, itaut actualis exiſtentia ſit conditio, ſine qua non attingeret rem ſolam poſſibilem. Item per directionem ad Beatum ipſum, ſi colatur, ex. gratia, inuocetur, aut quid ſimile fiat ad ipsū pertinens. His & ſimilibus modis ſēper intercedit aliquid, ratione cuius viſio extendi poteſt, ſeu quod idem eſt, terminari ad aliquid, ad quod antea non terminabatur, quia ſcilicèt deerat aliquid neceſſarium ad hoc, vt terminaretur, quod eſt ſufficiens propoſitio obiecti ſecundarij. ſine qua nulla potentia poteſt in ipſum tendere, & qua poſita ſine nouo conatu tēdit, ſi prior conatus ſit æquiualens obiectorum multorum viſionibus.

XLVI. Sic ergo patet, quomodo fiat tranſitus à contradictorio, & extenſio ad plura obiecta, hoc enim nihil aliud eſt, quàm noua terminatio, quæ incipit ex hoc, quod proponitur nouū obiectum, in quod ſufficiens eſt viſio tendere, & tendit neceſſariò poſitis neceſſarijs: Porrò hæc tendentia, & terminatio nihil eſt aliud, quàm actus à potentia manans, & obiectum debitè propoſitum, proinde eodem actu manente circa obiectum primarium, ſi applicetur potentiæ, ſeu proponatur aliquod obiectum ſecundarium, dicetur in illud tendere per eundem actum; quomodo potentia viſiua per eandem viſionem, qua ferebatur in Cœlum Stellis diſtinctum, incipit ferri in aliquam Stellam antea non viſam accedente nouo lumine, quo conſpicua redditur, quæ antea latebat; hoc enim magis probabile eſt, quàm vel multiplicare viſiones ad multiplicationem obiectorum minimorum; vel eaſdē variare acceſſione, aut ablatione eorum, ita vt addito, vel dempto arenæ, quæ latè conſpicitur, granulo, deſinere oporteat viſionem, & aliam fieri de nouo; non ne & experimento, & rationi conformius eſt aſſerere, quod duret eadem viſio, & facta debita applicatione incipiat tendere ad obiectum prius non applicatum? Ita dico ſatis intelligi quomodo res incipiat de nouo videri in verbo manente viſione eadem verbi, ſi dicatur extenſiuè augeri, & non intenſiuè per hoc, quod intellectui proponitur aliquo ex prædictis modis; qua propoſitione, tanquam conditione poſita intellectus per eandem viſionem fertur in nouum obiectum; atque adeò ex vi verbi cogniti formaliter illud cognoſcitur; & idem contingeret, ſi concomitanter tantùm creaturæ cognoſcerentur in verbo, ideſt eadem cognitione tendente immediatè in vtrumque obiectum.

Quid ſit noua terminatio viſionis ad noua obiecta.

Ratio à priori eſt, quia entia quędā præſertim relatiua non habent nouū vllum effectum, neque in ſubiecto, quod afficiunt, neq; in termino, quē reſpiciunt, cum natura illorum ſit eſſe, aut referre ad aliud; hoc autem ſeipſis præſtant poſitis neceſſarijs extrinſecis ſine vlla intrinſeca mutatione, vt inductione patet ex ſupra numeratis. Viſio autem beata ex relatiuis eſt, cum ſit imago vitalis obiectorum, in quæ fertur, & ad quæ repræſentanda facta eſt; & ideo immutata repræſentare poteſt plura, & plura ſucceſſiuè, & ſimul; licèt non omnia ſimul ob limitationem potentiæ, in quo differt ab imagine picta, quæ repræſentare ſimul poteſt infinita prototypa ſi darentur, quia in hoc non requiritur attentio vlla potentiæ vitaliter operantis; ſed exiſtentia tantùm eorum, quæ repræſentantur: viſio autem attentionem, & conatum potentiæ includit, vt ſupra.

Confirmatur, quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ in Deo concipitur à nobis pro priori ſigno tendere in poſſibilia ante decretum; & poſt illud ferri in futura pro tali temporis differentia, & per quandam extenſionem fieri ſcientiam viſionis ſine vlla mutatione intrinſeca, ergo intelligi poteſt quomodo eadem viſio incipiat terminari ad aliqua obiecta ſine ſui mutatione; quod enim in Deo præſtat decretum dans eſſe futurum, & diuerſam intelligibilitatem obiecto; hoc in Beato præſtat noua applicatio, quæ eſt cōditio requiſita ad actualem terminationem viſionis aptæ de ſe in actu primo plura reſpicere. nam licèt

in

in alijs magna ſit diſparitas inter diuinam ſcientiam, quæ eadem eſt cū eſſentia incapace mutationis, inuoluitque totam perfectionem ſciendi, & menſuratur æternitate; neque eſt obnoxia ſucceſſioni; in hoc tamen conuenit viſio cum illa, vt participatio quædam ipſius, quod ſicut ſcientia diuina poſſibilium concipitur extendi ad ea, quæ in primo ſigno non reſpiciebat, ſcilicèt ad futura formaliter; ita & viſio ad ea, quæ ſucceſſiuè applicantur intellectui perfuſo gloriæ lumine.

Denique neutra concluſio inuoluit implicantiam, igitur vtraque concedenda diuinæ potentiæ. antecedens patet ex ſolutione argumentorum.

Et quia viſio beata eſt excellens quædam participatio viſionis diuinæ increatæ, vt ſupra, valet ad explicationem, & confirmationem aſſertionis exemplum S. Bonauent. in 1. diſt. 39. a. 2. q. 2. probantis Deum immutabiliter ſcire mutabilia. *Et quamuis, inquit, nullum ſit ſimile: poteſt tamen cogitari ſi intelligatur, vel cogitetur oculus fixus in pariete, qui ſeipſo videat tranſeuntes ſine receptione, & vnico aſpectu omnia videat, & omnes motus ipſorum, quantumcumque res mutentur, tamen nec oculus mutatur, nec eius cognitio ſic eſt in Deo, &c.* & ſic eſt in viſione, quæ immutata ferri poteſt in obiecta ſecundaria.

SOLVTIO

Argumentorum.

CAP. IX.

I. *Viſio beata reſpectu obiecti ſecundarij eſt repræſentatio aptitudinalis.*

II. *Ad tranſitum à cōtradictorio ſufficit mutatio extrinſeca.*

III. *Differentia viſionis ab actionibus productiuis.*

IV. *Noua repræſentatio poteſt fieri ſine mutatione intrinſeca viſionis*

V. *Perfectiones ſecundariæ in Deo poſſunt reduci ad obiectum ſecundarium.*

VI. *De facto plura cognoſcit ſucceſſiuè beatus in verbo.*

OBIICIES primò; quia viſio eſt actualis, ac formalis repræſentatio; & non ſolùm repræſentatiua in actu primo, ergo non poteſt eſſe in ſubiecto, quin repræſētet actualiter, & formaliter ea, quorum eſt repræſentatio: patet ſequela, quia forma in ſubiecto apto dat totum ſuū effectum formalem, ex quo fit, quod ſi eſt repræſentatio decem creaturarum, ex. gr. non poteſt eadem manēs repræſentare duodecim, quia naturaliter tribuit totum effectum, quē poteſt; quod eſt argumentum Suarij loco cit. 1. p. & tom. 1. de Incarn. diſp. 76. ſect. 3. XLVII.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Viſio eſt actualis repræſentatio reſpectu obiecti primarij concedo, reſpectu ſecundarij nego, quia poteſt eſſe aptitudinalis; & quæ comparata ad illud eſt actus ſecundus, reſpectu iſtius poteſt habere ſe ſicut actus primus, ſiue vt habitus iuxta doctrinam S. Bonauenturæ locis citatis. Et præterea in 4. diſt. 49. a. 1. q. 1. ad arg. p. 1. vbi de beatitudine ait. *Nec dicit habitum purè, quia dicit perfectionem ſummam, quæ eſt in actu continuo: ideo neceſſe eſt, vt dicat habitum vt actū, &c.*

Viſio reſpectu obiecti ſecūdarij eſt aptitudinalis repræſentatio.

S. Bonau.

Tum reſpondeo ad probationem; effectus formalis viſionis eſt informādo intellectum reddere illum formaliter videntem verbum, & hic eſt eſſentialis, ac neceſſarius: non itē creaturas in particulari, qui eſt ſecundarius effectus, & non neceſſarius.

Obijcies ſecundò: Non poteſt fieri tranſitus à contradictorio in contradictorium ſine mutatione acquiſitiua, vel deperditiua alicuius abſoluti, vel reſpectiui; ergo neque vt idē actus penitus immutatus nunc oſtēdat creaturas, quas olim non oſtendebat, & fundamentum videtur eſſe, quia idem in quantum idem facit idem.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens. Non fit tranſitus ſine mutatione, ſed hæc eſt vel intrinſeca, vel extrinſeca; vtralibet ſufficit; & in propoſito fit per nouam applicationem, ſeu manifeſtationem, ſeu propoſitionem obiecti ad potentiam. Atque adeo verum eſt, quod idem facit idem in quantum idem, ſi cætera ad ipſum ſpeci-

ſpectantia maneant eadem; hic autē mutantur, quod ſupra explicatū eſt, vt infra vberius explicabitur.

Obijcies tertiò. Ita ſe habet viſio beata proportionaliter, ſicut ſe habet viſio oculi tendens in obiecta, vel in ſe, vel in ſpeculo; ſed vtrobique eſt noua viſio, vbi accedit nouum obiectum, quia ſuccedit noua actio ſuccedente nouo agente, vel coagente, ergo, &c.

Reſpondeo. Nō ſemper in viſione oculi mutatio fit accedēte nouo obiecto partiali, ſed eadē viſio extenditur ad illud, vt probaui ſupra; deinde eſt diſparitas, quia in beata patria viſio accipit ſuum eſſe ab eſſentia diuina, quod eſt obiectum primarium, & per ſe, non à creatura, quæ eſt ſecundarium, & per accidens; & cum maneat obiectum primarium dans eſſe immutatum, etiam immutata manet viſio; in viſibili vero corporali accedēte noua ſpecie totali immutatiua organi poteſt immutari actus, de quo animaſtici.

Diſcrimen viſionis beatæ ab alijs viſionibus.

Obijcies quartò. Calefactio vt 5. ex. gratia, inuariata manens non tribuit effectum formalem calefacti vt 6 vel 8. & idem eſt de illuminatione, & alijs actionibus, & formis, ergo neq; eadem viſio decem obiectorum inuariata poteſt reddere ſubiectū vidēs 12.

Reſpondeo. Calefactio, illuminatio, & aliæ huiuſmodi actiones ſunt eſſentialiter productiuæ ſuorum terminorum, & ideo non poſſunt eſſe in ſubiectis ſine illis, ſaltem de potentia ordinaria; viſio verò non eſt productiua obiectorum, in quæ tendit; ſed vnitiua vitaliter ipſorum potentiæ; & ideo ſi ſint ſecūdaria, & per accidens, poteſt eſſe in intellectu non vniendo defectu applicationis, & ea poſita vnire; quia hæc vnio non eſt, niſi noua terminatio, vt ſupra; in exemplis relationis reſpicientis nouum terminū; ſpeciei impreſſæ repræſentantis rem de nouo exiſtentem ſine ſui mutatione; lucis illuminantis de nouo corpus intra ſpheram eius producto.

Obijcies quintò. Poſſet anima Chriſti, vel alia quælibet deſinere videre creaturas in verbo, & continuare in eadē viſione verbi, quia nō eſt maior ratio cur incipiant videri aliquæ de nouo, & non deſinant videri; ſed hoc eſt impoſſibile, tum quia repræſentatio eſt naturalis, & neceſſaria; tum quia actus repręſentans plura eſt perfectior, quàm repræſentans pauciora, proinde non poteſt retinendo eandem vim, & perfectionem, modò repræſentare plura, modo pauciora.

Reſpondeo. concedo ſequelam, quia non deſunt modi diuinæ potentiæ id præſtandi; ad probationem in contrarium reſpondeo, viſionem eſſe repræſentationem neceſſariam reſpectu obiecti primarij, non item ſecundarij, vt patet ex dictis. Ad alteram partem, perfectionem viſionis, quæ plura repræſentat actu eſſe denominationem extrinſecam; intrinſecam verò attendi penès obiectum primarium, & aptitudinem in ordine ad ſecundaria.

Perfectio viſionis attēditur penes obiectum primarium.

Obijcies ſexto. In vniuerſum mutato obiecto totali, vel partiali mutatur actus, ergo additis, vel detractis creaturis mutatur viſio. Antecedens probatur, quia ſiue ſpecificetur actus ab obiecto, ſiue non, in aliquo genere cauſæ concurrit ad eſſe ipſius; & proinde actus pendet ab obiecto, & talis actus à tali obiecto, mutata verò cauſa mutatur effectus, & vice verſa; atque ita ſentiunt Nominales cum Ocham in 4. ſent. initio nominati.

Reſpondeo. Tranſeat antecedens: reſpectu obiecti primarij, & per ſe; negatur reſpectu ſecūdarij; hoc enim variari poteſt non variato actu pendente per ſe, & neceſſariò à primario, & apto extendi, vel arctari à ſecundarijs.

Obijcies ſeptimò, quod addit Sot. in 4. d. 49. q. 3. a. 3. concl. 8. Viſio in ratione notitiæ eſt incorruptibilis, ergo eadem ratione eſt inuariabilis, ergo non poteſt ſucceſſiuè diuerſa repręſētare; quia hæc repræſentatio eſt vitalis expreſſio, ac proinde variatur ſi diuerſa, & noua incipit exprimere.

Reſpondeo negando ſecundam cōſequentiam; nam cum incorruptibilitate intrinſeca, ſtat extenſio ad extrinſeca, vt dictum eſt; neque expreſſio fit per mutationem intrinſecam, ſicut neq; in ſpecie impreſſa ſi incipiat repræſentare obiecta exiſtentia, quę antea non repræſentabat, eſt n. paritas.

XLVIII. Obijcies octauò. Si eſt probabilis, cur non admittitur de facto:& tamen reclamat Theologorum ſchola cum Auguſt. 15. Trin. c. 16. non fore in patria volubiles cogitationes ab alijs in alias euntes; vt S.Th.1.p.q.12.a.10. & de Ver.q.20.a.5.

Reſpondeo concedendo ita eſſe de facto reſpectu aliquorum, quæ ſucceſſiuè exiſtunt in tempore, quorũ tantò plura cognoſcit Beatus, quantò perfectiùs Deum cognoſcit, vt loquitur S.Th.1.p.q.12.a.8. 1.ſed non ſimul omnia ſic cognoſcuntur, quia futura in tota æternitate infinities ſunt infinita, & vnico actu non cognoſcibilia tota ſimul, vt de anima Chriſti docet S.Bonauentura ſupra. Sed hinc non infertur, quod eadem viſio non poſſit ſe extendere ad multa, quę ſucceſſiuè cognoſcuntur in Verbo modo ſuperius explicato.

Cur in patria non ſint volubiles cogitationes.

Nec obſtat S. Auguſtinus, tantùm enim dubitatiuè pronunciat non fore ibi volubiles cogitationes, ideſt diſcurſiuas, & conſultatiuas præcedentes verbum formatum, & perfectum, vt in hac vita, quod clarè patet ex textu, & aduertit Vazq. 1.p.q.54. cap.1 id autem non eſt contra aſſertionem noſtram. Adde quod reſpectu obiecti primarij nulla eſt volubilitas, quia ſemper videtur; ſecundaria autem poſſunt incipere, & deſinere videri nulla facta mutatione intrinſeca ex parte viſionis, quæ dicitur extendi.

Quæres quid ſi Beato repræſentaretur aliqua perfectio, ſeu ratio in Deo, quæ antea non repræſentabatur, mutaretur ne viſio beata? nã ex vna parte videtur dicendum, quod mutetur, quia illa perfectio pertinet ad obiectum primarium eſſentiæ diuinæ, quæ ſẽper manet in ratione obiecti principalis, ideo non videtur neceſſaria mutatio in viſione.

Reſpondeo; perfectiones diuinas, quæ cum fundamento à parte rei cõcipiuntur diſtinctæ ab eſſentia poſſe in infinitum concipi multiplicabiles; ſed quia omnes identificantur cum eſſentia, ſi ſemel hæc clarè videtur, ſimul videntur illæ, in quibus conſiſtit, v.g. quod ſit primum ens, indepẽdens, à quo cætera pendent? actus purus, intellectiuus, &c. Cætera autẽ attributa, ſeu perfectiones, quæ concipiuntur ijs ſuperaddi, pertinent potius ad obiectum ſecundarium, & poteſt eadem viſio inuariata intrinſecè ad illa ſe extendere, ſicut & ad creaturas penès quas, vt connotata attẽduntur plurimùm rationes in diuina eſſentia conſideratæ.

Dices S.Bonau.in 1.diſt.37.p.2.a.1. q.2. in reſol.ait, quod tot ſunt verba in intellectu noſtro, quot ſunt intellecta, ergo vna intellectio non fertur in varia intellecta. Deinde tot ſunt verba æquiualenter, ſeu virtualiter, quot ſunt obiecta intellecta, quia eorum intellectio æquiualet multis intellectionibus, quas de illis ſingillatim formare poteſt intellectus.

Reſpondeo. Verum hoc eſſe de cognitionibus diſtinctis à viſione beata, quia illæ fiunt per ſpecies repræſentatiuas obiectorum, quæ concurrunt in genere cauſæ efficientis; & ideo tot ſunt intellectiones, quot & ſpecies, ſeu obiecta, vt repræſentata per illas; ſed in viſione beata ratio repræſentatiua eſt Verbum, vt exemplar, ſeu ſpeculum voluntarium; & ideo poſſunt per illud, & in illo videri multa vnica viſione, vt idem S.Bonau.in 3. cit.a.1. q.1. vt poſſent in ſpeculo conſpici ab oculo ſi fingeretur habere poteſtatẽ repræſentandi quæ vellet.

Neque tamen vis facienda in hoc, quod vna ſpecies vnum obiectum repræſentet, tum quia ſpecies vniuerſales Angelorum repræſentare poſſunt plura indiuidua, vt de contingentibus docet S.Bonau.in 2.ſent.diſtinc 3. p.2.a.2.q.1. quæ quando exiſtunt cognoſcuntur ab Angelis per ſpecies innatas; tum quia plures ſpecies concurrunt ad cognoſcenda indiuidua ex ſſentia ſine vlla additione, aut mutatione earum, ſed ſolùm facta compoſitione, ſeu comparatione earum in actu cognoſcendi, vt docet ibidem Sanctus quicquid in contrarium dicat Suar.l.2.de Angelis c. 11. ſatis eſt enim, vt ſint determinatæ virtutis ſpecies ad repræſentanda certa obiecta, & pro iſtorum numero multiplicari cognitiones; non item vbi verbum eſt exemplar repræſentatiuum infinitorum, & viſio poteſt ad illa terminari in certo numero ſimul.

Vna ſpecies poteſt repræſẽtare plura

Sed

Sed tunc inſtabis ad hominem, quia ſupra diximus ex doctrina Scoti non poſſe dari viſionem infinitorum obiectorum actu, ſed ſolùm ſucceſſiuè, quia requireretur infinita attentio quę à finita potentia expectanda non eſt; ex hoc autem ſequitur primò, quod poſito certo numero obiectorum, non poteſt creſcere in infinitum.

Deindè quod mutaretur viſio, quia attentio non diſtinguitur ab illa; atq; adeo quod creſcente attentione pro multitudine obiectorum, intenderetur viſio, & mutaretur contra axioma in Theologia receptum, quod viſio beata eſt immutabilis; & à te admittendum iuxta dicta ſuperius; ex quo tertio ſequitur, quod ſi viſio primarij obiecti, ideſt eſſentiæ, non mutatur per extenſionem ad obiecta ſecundaria, poterit immutata manens extendi ad infinita, non obſtante limitatione potentiæ finitæ.

Reſpondæo, quod ſicut reſpectu obiecti primarij viſio eſt limitatæ perfectionis proportionatæ lumini eleuanti potentiam; quia attingit Deum totum, ſed non totaliter, vt ſupra dictum eſt; ita comparata ad obiecta ſecundaria limitatæ virtutis eſt, vtpote à cauſa finita, & limitata; & ideo inuariata manens poteſt attingere ſimul certum numerum rerum, vltra quem non ſe extendit; ſed illo poſito ſi addãtur aliæ res non attingentur à viſione beata, ſed per diſtinctam reuelationẽ; ſicut dicebamus de conatu virtutis motiuæ vt octo, ſi applicetur illi pondus quatuor, ſex, vel octo librarum, ſimul mouebit omnia; ſed non ſi applicetur põdus ſupra octo; tunc enim opus erit ad illud mouendum virtute maiori proportionata; ita in propoſito viſioni tantæ virtutis, vt cum obiecto primario pertingere queat ad centum, vel mille ſecundaria obiecta, ſi addantur plura huic numero ad illa non ſe extendet, niſi augeatur, vel de nouo fiat alia ſi eſt indiuiſibilis, quod non admittitur in viſione; & ſi admitteretur ſequela valeret Scoti, quod infinitorum deberet eſſe infinita viſio, quod impoſſibile reputat S. Bonau, per quæ ſoluta ſunt tria incõmoda allata in argumento.

Adde ex alio capite concludere rationem ductam ex impoſſibilitate attentionis, quia ſi ad extenſionem viſionis præcedit reuelatio, ſeu manifeſtatio rei viſæ, cum hæc habeat ſecum adiunctam attentionem animę audientis, non poteſt ſimul attendere infinitudini rerum percipiendárum; atque adeo nec viſio ad illa extendi; ſiquidẽ extenſio noua ſupponit nouam manifeſtationem rei viſæ, vt ſupra.

Differt autem cognitio per reuelationem, ſeu manifeſtationem obiecti ſecundarij à viſione eiuſdem in Verbo, ſicut veſpertina cognitio à matutina, quia per manifeſtationem videtur res in ſeipſa; per viſionem videtur ſecundum rationes, quas habet in verbo, in quo continetur tanqua in cauſa efficiente, & ideali, vt ex ſequentibus planius fiet.

QVOMODO

Intelligendum ſit dictum Sancti Bonauenturæ, quòd

Prima veritas eſt ratio cognoſcẽdi alia.

CAP. X.

I. Difficultas huius effati Sancti Bonauenturæ.
II. An veritas principio, & fine careat.
III. Quid ſit verum ex S. Auguſt.
IV. Veritas, ac exemplar dupliciter cõſiderantur.
V. Explicatur quomodo prima veritas ſit ratio cognoſcendi.
VI. Eſt etiam ratio cognoſcendi malũ, & falſum per accidens.
VII. Non tamen eſt ſibi ratio, vel regula cognoſcendi.

HABET hoc pluribus in locis in 1. diſt. 34. a. 1. c. & q. 2. ad vltimum, in 3. diſt. 14. a. 2 q. 1. c. & alibi paſſim, quod effatum profundum eſt, & planè, perfectéq; non intelligitur, niſi quid per primam, ſummam, æternam, vti nominat, veritatem, intelligatur; quamquam enim vox iſta Deo propriè conuenit, & dependenter ab ipſo reliquis, quæ vera vocantur, tribuitur; tamen quomodo pro ratione intelli- XLIX.

gendi intellectui non tantum creato, ſed etiam increato deſeruiat, & cur prima veritas dicatur, non ita facile capi, explicariuè poteſt, nam

Primò per locum intrinſecum valet argumentum, ſi per impoſſibile Deus non eſſet, adhuc verificaretur, quod Deus non eſt, igitur ipſe non eſt prima veritas, à qua pendet omne verum, quia tunc verum eſſet, Deum non eſſe independenter ab eo, qui nõ eſſet. Nam vt S. Anſelmus dialog. de Ver. c. 1. *Si veritas habuit principium, aut habebit finem, antequam ipſa inciperet, verum erat tunc, quia non erat veritas. Et quia verum non poteſt eſſe ſine veritate, erat igitur veritas antequam eſſet veritas, & erit veritas, poſtquam finita erit veritas, quod inconuenientiſſimum eſt, &c* quibus ſimilia habet S. Auguſtinus lib. 2. ſoliloq. t. 2. vel quiuis auctor eorum eſt. S. Anſelm.

Sufficit autem ad argumentum per locum intrinſecum, quod concipi poſſit ſignum, in quo intelligeretur principium non dare eſſe veritati, etiamſi ab æterno dederit; non ſecus ac intelligeretur, ſi Deus ab æterno aliquid creaſſet, vt in ſententia probabili potuit; vel in certa apud omnes, quod in primo ſigno concipitur Pater producere verbũ, & per illud velle creaturas in tempore producere; ſic enim valet arguere; in primo ſigno intelligitur nondum facta veritas, & in illo verum eſt non eſſe factum; verum autem non eſt ſine veritate, ergo erat veritas antequam eſſet; à nullo igitur principio depẽdet veritas, quia etiam independenter ab illo verum eſt, non pendere veritatem, ſi non dependet. Non habet ergo principium veritas, ſed neque finem habere poteſt: fac enim illam interire, verum erit illam interiſſe. Et quia rurſus non eſt verũ ſine veritate erit veritas, quæ interijt, hoc eſt erit, & non erit, quod implicat in terminis. Ex quo conficitur, veritatem immortalem, ac æternam eſſe, imò & ipſum Deum. Sed quia non immortalia ſolùm, ſed etiam mortalia, & creata ſua conſtant veritate; ſiquidem de vtriſque verum eſt, quod ſint à Deo; & de illis tamen verum eſt, non eſſe interitura, quàm de iſtis, eſſe interitura, quid eſt veritas ſecundum ſe, vt quid commune, & prædicabile de omnibus inferioribus? Et quomodo deſcribi, vel definiri poteſt? Si neque cauſam, neque principium habet, quia prior omni cauſa eſt, neq; finem habere poteſt?

Secundò. Et quidem S. Auguſtinus loc. cit. c. 5. *Illud, inquit, dico, & illud definio, nec vereor, ne definitio mea ob hoc improbetur, quod nimis breuis eſt. Nam verum id mihi videtur eſſe id, quod eſt: & cum obieciſſet ratio, quam interloquentem induxerat. Nihil ergo erit falſum, quia quicquid eſt, verum eſt, &c.* quaſi dicat, falſum eſt falſum, ergo eſt, ergo falsò conuenit definitio veri, ſi verum eſt, id quod eſt; proinde falſum erit verum, hoc eſt falſum, & non falſum, quæ ſunt contradictoria. Et quidem fallacias huiuſmodi argumentorum oſtendit, ac ſoluit S. Bonauent. in 1. diſt. 46. art. 1. q. 4. docens committi fallaciam accidentis, ſicut & S. Thom. 1. p. q. 16. a. 5. ad vlt. Cæterùm quod attinet ad definitionem Auguſtini, eam explicat S. Bonau. in 1. diſt. 3. p. 1. dub. 4. text. Dicendum, inquit, quod veritas dupliciter poteſt conſiderari, ſicut color; nam vno modo color conſideratur, ſecundùm id, in quo eſt, & ſic definitur in libro de ſenſu, & ſenſ. c. 3. Color eſt extremitas perſpicui in corpore terminato. Alio modo in comparatione ad viſum, quẽ mouet. Et ſic definitur l. 3. de anima tex. com. 5. Color eſt motiuum viſus ſecundum actum lucidi; ſimiliter veritas poteſt conſiderari in comparatione ad illud, in quo eſt; & ſic verum eſt, quod dicit Auguſtinus, Veritas eſt id quod eſt. Alio modo per comparationem ad intellectum, quem mouet; & ſic veritas, ſicut dicit Philoſophus in 3. Metaph. c. 8. eſt finis intelligentiæ ſpeculatiuæ. Secundum primum modum dicit Anſelmus, Veritas Patris eſt eſſentia Patris. Quantum ad ſecũdum modum dicit Hilarius, quod veritas eſt declaratiuum eſſe. Et quoniam filius eſt, qui procedit vt verbũ, cui appropriatur ratio declarandi; ideo ei appropriatur ratio exemplaris, & per conſequens ratio veritatis, quantum ad ſecundum modum veritatis.

S. Auguſtin.

quid ſit verũ

S. Thom.

Veritas dupliciter poteſt conſiderari.

Tertiò. Exemplar in diuinis dupliciter

citer accipitur, primò vt dicit rationẽ producentis, & ſic conuenit toti Trinitati, vt expreſsè S. Bonau. in 1. diſt. 31. a. 1. q. 1. ad arg. p. 2. Secundò, vt dicit rationem cauſæ, quaſi formalis intrinſecæ verbo, vt ſupponit idem Sanctus Bonau. in 1. diſt. 36. a. 3. q. 1. in reſol. pro eodem accipiens exemplarem cauſam, & formalem, & q. 2. vocat formam ipſum exemplar. Ego verò addo quaſi formalem ideo, quia propriè formalis non eſt, ſed habens tantùm quandam ſimilitudinem, ſeu minorem diſſimilitudinem, quam habeat à materiali; etiamſi idem S. Bonauent. tom. 7 opuſcul. l. b. 5. de natura Dei c. 25. abſolutè vocet formalem; Idea, inquit, importat cauſam efficiẽtem conformem effectui; ſed exẽplar cauſam formalem; ratio verò cauſam finalem. Deſcribitur autem ab eodem in 3. diſt. 14. a. 2. q. 1. c. per idem quo ipſum verbum æternum eſt lux, & veritas in ſe, eſt exemplar aliarum rerũ, & ideo qui habet vnde conformetur ipſi ſummæ veritati, habet vnde conformetur rationi cognoſcendi omnia; & ibid. ad penult. repetit, quod exemplar non eſt aliud, quam veritas ęterna, vt eſt ratio cognoſcendi alia, ſed quomodo concurrit ad intellectionẽ aliorum, cum ſit infinita diſtantia, & diſſimilitudo inter creaturas, & primã veritatem, in exemplari autem neceſſaria ſit ſimilitudo, vt ducat in cognitionem aliorum? Pro reſponſione

Exẽplar importat cauſam formalem ex S. Bonau.

Quartò. Aduerte, quod veritas, vt dicitur de exemplari in ſenſu S. Bonauenturæ ſe tenet ex parte intellectus, iuxta ſecundam acceptationem paulò ante explicatam, & dicitur ab eodem ſupra, & diſt. 38. a. 2. q. 1. ad arg. adæquatio rei ad intellectum, quæ cõtingit, quando intellectus apprehendit rem vt eſt, & habet eſſe conformabile cum illo, quod maximè inuenitur in Deo, cuius eſſe non ſolum eſt conforme ſuo intellectui, ſed etiam eſt ipſum ſuum intelligere, vt S. Thom. 1. p. q. 16 a. 5. & ideo eſt prima, & ſumma veritas, à qua pendent reliquæ veritates, quæ in illa ſunt per cognitionem, & continentiam eminentialem ab ipſa indiſtinctam. Et quia proprium verbi eſt eſſe declaratiuum, vt S. Hilar. ſupra; ideo dicitur exemplar lux, ratio

S. Thom.

cognoſcendi, quia licèt modica ſit ſimilitudo quoad eſſe inter ipſum, & creaturas; eſt tamen in eo maxima perfectio, quoad expreſſionem; & ideo vnitum intellectui creato repræsẽtat per lumen gloriæ accommodatum, creaturas, quas cognoſcit longè melius, quàm omnes rerum ſimilitudines ſpeciales, vt S. Bonau. in 3. cit. in fin. quæſt. atque adeo ratio cognoſcẽdi dicitur ſumma veritas, quia cognita conformitate, quam habent creaturæ cognitæ cum illa, cognoſcuntur veriùs, quàm per vllum modum, quo cognoſci extra verbum poſſint; conformatur enim viſio immediatè primę veritati, & mediatè creaturis, quas repræſentat; & ideo dicitur prima veritas ratio cognoſcendi, & regula, ſiue exemplar omnino infallibile, in quod intuens intellectus creatus illi cõformatur, & verè intelligit.

quomodo. ſumma veritas ſit ratio cognoſcendi creaturas.

Sed quia eſt exemplar voluntariũ, vt ſupra S. Bonau. iccircò liberè vidẽdas offert creaturas, quas vult, ſeu potius ſe oſtendit vt manifeſtatiuũ iſtarum, & non aliarum, quod eſt eſſe rationem cognoſcendi has, & non alias per lumen accommodatum; quod nõ ita facilè intellectu eſt, neq; ſatis declaratum ab interpretibus S. Bonauẽt. qui pauci admodum ſunt. Cætera, quæ pertinent ad quæſtiones de veritate, non eſt operis præsẽtis perſequi, & videri poſſunt apud interpretes S. Thomæ 1. p q. 16. L.

Difficultas eſt de ijs, quæ intrinſecè mala ſunt, & de falſis, quomodo prima veritas ſit ratio illa cognoſcendi, ſiquidem non eſt eorum exemplar in Deo, neq; verbum videtur eſſe poſſe eorum repræſentatiuum. Vnde Sanctus Bonau. in 1. diſt. 36. a. 3. q. 1. negat malum eſſe in Deo, & cognoſci quidẽ, ſed per ideam boni, cuius eſt priuatio, & ideo dici cognoſci per accidens, & per priuationem.

Reſpondeo ex eodem Sancto ibidẽ concedendo totum, quia bonum cognoſcit Deus per modum aſſimilationis, cum ſit in ipſo, vt in exemplari, cui cognitum aſſimilatur, & ideo dicitur per ſe cognoſci: Malum autem dicit priuationem, & proinde diſſimilitudinem ab exemplari, quod eſt poſitiuum habens aſſimilationem: quia tamen

Digitized by Google

tamen rectum eſt index ſui, & obliqui ſumma veritas,& lux eſt ratio cognoſcendi non tantum veritatem, & lucem;ſed etiam falſitatem,& tenebras, ac priuationem; illas per ſe, has verò per accidens per oppoſitas videlicet formas. Beatus igitur videndo verbũ, ſi præterea videat creaturas in eo tanquam in exemplari aliquo ex modis ſupra numeratis, dicitur habere pro ratione cognoſcendi primam veritatem, id eſt ſummam adæquationem diuini intellectus ad obiectum cognitum; cui tanquam regulæ infallibili conformat ſuam cognitionem;& quia adæquatio inuoluit aſſimilationem, oportet rem cognitam eſſe quid poſitiuum, vt aſſimiletur exemplari diuino; vnde priuatio, & falſitas non habent eſſe in exemplari,neque hoc inſeruire poteſt pro ratione cognoſcendi directè, & per ſe; ſed ſolum per accidẽs, quatenus cognoſcitur poſitiuũ, cuius dicit priuationem; quod etiam docet S.Thom.1.p. q.16.a.5. 3.apertè aſſerens, non entia, & priuationes nõ habere in ſeipſis veritatem: de quo Suar.l.3. de attributis poſitiuis c. 3. & alij in 1.p.D.Thom.q.16.ex quo ſequitur, quod prima veritas non eſt ratio illa cognoſcendi, vt S. Bonau.ſupra, ſcilicèt per ſe, quia non eſt exemplar earum in Deo, cui aſſimilentur: quod ſi conſideretur prima veritas, vt præcisè dicit intellectionem, poteſt dici ratio cognoſcendi, & prima regula, quatenus vera dicitur omnis alia cognitio, quæ illi aſſimilatur cognoſcẽti priuationes eo modo proportionaliter, quo à Deo cognoſcuntur, qui varius aſſignatur à Theologis.

Priuatio, & falſitas cognoſcuntur per accidẽs in diuino exemplari.

Sed tunc inſtabis, quia in Phyſicis veritas eſt, quod aer, ex. gr. de nocte
II. ſit tenebroſus, & priuatus luce; & in moralibus, quòd actus aliquis, v. gr. furtum ſit malũ, & priuationes huiuſmodi veræ ſunt, & diſtinctæ à poſitiuis, igitur habent veritatem in ſeipſis, quæ veritas pendeat, neceſſe eſt, à prima veritate, ſicut omnes aliæ creatæ veritates. Prima igitur veritas erit ratio illa cognoſcendi, & proinde erunt in illa, ſicut in exemplari.

Confirmatur, quia non minùs adæquatur illis diuinus intellectus, quàm entibus, & veritatibus poſitiuis, quia ita cognoſcit, quid ſit malum, quàm quid ſit bonum; & licèt malitia non ſit in illo vt in exemplari, quia vt ſic dicit priuationem, quæ nullam habet ſimilitudinem cum actu puriſſimo, neq; in illo contineri poteſt vt in exẽplari; tamen vt dicit veritatem,nil vetat in prima veritate contineri, à qua dependet; tam enim verum eſt furtum eſſe malum; quam reddere vnicuique ſuum eſſe bonum.

Reſpondeo, quod ſicut priuationũ ſiue phyſicarum, ſiue moralium nulla eſt entitas, aut bonitas; ita nulla eſt veritas, ſi verum eſt id quod eſt, vt Auguſt.ſupra, & S. Bonauentura tota diſt.36. p.ſent.& illarum eſſe eſt non eſſe, cui conformatur intellectus apprehendens, vel enuncians eas non eſſe; & ideo illarum veritas non eſt alia, quàm intellectus operatio, vt S. Thom.loc. cit. & hæc pendet quidem à prima veritate,& habet exemplar in Deo, ſed non ipſa priuatio ob dictam rationem; nec habet vnde aſſimiletur Deo, aut contineatur in illo, vt S. Bonauentura cit. diſt. 36. paſsim, & in fine potiſſimum.

Ad confirmationem, Deus cognoſcit, quid ſit malum, & bonum; ſed hoc directè, & per ſe intelligit, vt cõtentum in ſeipſo, tanquam in exẽplari; illud indirectè,& per accidens per cognitionem oppoſiti immediatè, & per cognitionem eſſentiæ,in qua continentur omnia bona, vt Suar.loc.cit. in quo, ly per accidens, tenet ſe ex parte cogniti, non ex parte cognoſcentis, cuius cognitio dici non debet per accidens, cum ſit omnium perfectiſsima, & infinita, de quo S. Bonau. dicta diſt. a.3 q.1. Adæquatur igitur diuina cognitio rei cognitæ, ſed habenti entitatem per ſe, priuationi per accidens, vt cognoſcit oppoſitũ eius, quia illa formaliter conſiderata, vt carentia eſt, non habet entitatem, neq; veritatem Ideo ex ſuppoſitione quod veritas non haberet principium, vel haberet finem in caſibus initio propoſitis ſolùm eſſent priuationes, & non entia; neque dici tum poſſet eſſe verum, quòd non ſit veritas,quia hæc propoſitio ſeipſam deſtruit;neq; item quod ex contradictorijs altera eſſet vera, altera falſa, quia in caſu impoſſibili

ſibili, nihil remaneret veri, neq; falſi, etiam intranſitiuè.

Quæres, an ratio cognoſcendi entia poſitiua ſit tantùm diuina veritas, exemplar, lux, vt ſe tenent ex parte intellectus, an etiam eſſentia diuina abſolutè conſiderata, ſiquidem continet illas rationes, ſecundum quas imitabilis eſt à creaturis; & iſtæ propterea dicuntur ipſam imitari, & non ſolùm conformari cognitioni Verbi illarum expreſſiuæ.

Reſponſio patet ex dictis; ſed pro maiori declaratione ſupponimus vt certum, quod nomina iſta, exemplar, idea, ratio, veritas, lux, frequenter apud S.Bonauenturam ſignificant idē in Deo realiter cum eſſentia, & differunt ſolum ratione penès diuerſos reſpectus, ſeu cōceptus vel Dei ad creaturas, vel creaturarum ad Deum, vt patet ex diſt. 35. & 36. primi ſententiarum. Deinde quod eadem nomina immediatè, & radicaliter dicuntur de eſſentia, eaque mediante conueniunt formaliter cognitioni, & verbo, quod per ipſam producitur, ſicut & alia, quæ ad intellectum pertinent; vnde & reuelationes particulares, per quas cognoſcuntur aliqua à Beatis, dicuntur verbi, & illa videri in verbo, quæ reuelantur, quia cognitio eorum eſt opus intellectus, per quod producitur verbum, vt notat Vazq. 1. p. diſput. 50. n. 46. Sic in propoſito veritas vt dicit adæquationem cognitionis cum re cognita, eſt opus intellectus. Itē idea ſignificat formam conceptam ab agēte, ad cuius ſimilitudinem producit aliquid exterius; & hoc exemplar eſt ipſa æterna veritas, vt dicit rationem cognoſcendi alia. Itaque reſpondeo, prædicta nomina conuenire tam eſſētiæ diuinæ, quàm cognitioni, quæ in ipſā fertur, & in creaturas, & vtrāque appellari poſſe rationem cognoſcēdi intellectui creato.

LIII. Ita S. Bonauentura in Compendio Theol. verit. c. 25. cit. hærens doctrinę traditæ in ſententijs diſt. 35. primi lib. *Sciendum, inquit, eſt, quod duplex eſt pluralitas, vna quidem eſt rerum, & ſecundum hoc non ſunt plures ideæ, ſiue exemplaria in Deo, imo vna res eſt, quæ omnium eſt exemplar, ſcilicet eſſentia diuina, quam omnia imitantur, in quā-*

S. Bonau. in compendio Theol. verit.

tum bona ſunt: Alia verò eſt ſecundùm intelligentiæ rationem, & ſecundum hoc plures ideæ ſunt in Deo: quia omnes res in quantum ſunt, diuinam imitantur eſſentiam, prout eſt imitabilis, non tantum vno modo, ſed diuerſimodè, & ſecundum diuerſos gradus.

Ex qua doctrina reſpōdeo ad quæſitum, quod prima veritas eſt ratio cognoſcendi alia in vtroq; ſenſu, hoc eſt vt dicit eſſentiam, & vt dicit intellectionem. Primo modo videns beatus creaturam vt contentam in eſſētia diuina, vt imitabili ab omni ente poſitiuo; cognoſcit etiam participationem, & ſimilitudinem, quam habet hæc, & illa res particularis cum eſſentia; & conſequenter habere verū eſſe participatum à primo vero, de ſe teſtificante, ego ſum qui ſum, qui eſt miſit me ad te; ſi enim ex S. Auguſtino ſupra verū eſt id quod eſt, de nullo ente magis verificatur quod eſt, quā de Deo primo Vero; ex quo ſequitur, quod cætera quæ ſunt, vera ſunt, quia participatio quædam ſunt Primi Veri, & qui hoc nouit habet pro regula indeclinabili cognoſcendi veritates particulares, & ſecundarias primam veritatem, cui illæ aſſimilantur, & in qua exiſtunt priuſquam in ſeipſis, vt diſertè S.Bonauentura in compendio citato.

Rurſus prima veritas, vt eſt adæquatio intellectus ad rem cognitam, & dicit formaliter intellectionem, & expreſſionem vitalem illius, eſt ratio, & regula infallibilis cognoſcendi alias veritates, quia beatus intuitiuè videns Verbum vt expreſſiuum creaturarum quas manifeſtare, vult certiſsimè nouit eſſe quod ſunt, hoc eſt quod veræ ſunt, quia exprimuntur à Verbo verius quàm ſint in ſeipſis. Sic S.Bonau. in 1. diſt. 35 a. 1 q. 1. ad arg. *Eſt alia, inquit, ſimilitudo, quæ eſt ipſa veritas expreſſiua cogniti, & eò ſimilitudo, quo veritas; & hæc ſimilitudo melius exprimit rem, quam ipſa res ſeipſam, quia res ipſa accipit rationem expreſsionis ab illa; ſed ſecundum hanc eſt perfectior cognitio, & hac cognoſcit Deus.* Sed de hoc plura infra vbi de ideis agetur, in quibus dicuntur cognoſci creaturæ.

Interim adnotandum primam veritatem dici rationem cognoſcēdi alia intel-

Digitized by Google

intellectui creato, non autem ſuo, quia non indiget regula qua dirigatur, neque in intelligendo, neque in operando, vt S. Bonau. ibidem ad vltimum, vbi primam regulam identificari cum regulato affirmat.

COROLLARIA

Ex dictis in Capitibus præcedentibus.

CAP. XI.

I. *Deus metaphoricè appellatur ſpeculum.*
II. *Multiplex ſimilitudo ſpeculi cum Deo.*
III. *Singulariter cõuenit hæc vox verbo, ſeu Sapientiæ increatæ.*
IV. *A Scholaſticis verbũ vocatur Speculum voluntarium.*
V. *Ratio potiſſima eſt, quia liberè repræſentat creaturas.*
VI. *Quomodo fiat hæc manifeſtatio ex ſequentibus notum fiet.*

Primum eſt, quod Deus eſt ſpeculum voluntarium, & quomodo.

NON ſemel dicebat ſuperius S.Bonauentura Deum eſſe ſpeculum voluntarium,
LIV. quia pro ſua voluntate, & non neceſſariò manifeſtat creaturas in verbo; pro cuius dicti apud Theologos communis intelligentia, præter ea, quæ ſupra ex occaſione tacta sũt, hæc inſuper ex propoſito adnotanda pro explicatione vocabuli, & ratione quare Deo tribuatur.

Primò ex S.Thoma q.12. de Verit. a.6. c. *Speculum propriè loquendo non inuenitur, niſi in rebus materialibus, ſed in rebus ſpiritualibus per quandam trãſumptionem dicitur per ſimilitudinem acceptam à ſpeculo materiali; vt ſcilicet in rebus ſpiritualibus dicatur eſſe ſpeculum id, in quo alia repræſentantur, ſicut in ſpeculo materiali apparent formæ rerum viſibilium, &c.* Auertit tamen in fine S.Doctor, quod hæc trãſlatio non attenditur ſecundũ omnes conditiones ſpeculi materialis, ſed ſolum ſecundum repreſentationẽ, quam attendit etiam S. Bonau. paulò poſt citandus, quia nimirum hæc ſi ſola ſit, ſufficit ad translationem; etiamſi aliæ ſint ſimilitudines inter ſpeculum materiale, & ſpirituale, vt mox patebit ex auctoritatibus ſimilitudines alias, tanquam rationes appellationis iſtius indicantibus, nam

S.Thom.

Secundò S.Auguſtinus, vel quicunque alius auctor eſt libri de triplici habitaculo c. 6. t.9. ſimilia hæc proſequitur ijs verbis. *Sicut enim per ſpeculum vitreum trina nobis viſio adminiſtratur, quia nos ipſos, & ipſum ſpeculum, & quicquid præſens adeſt videmus; ſic per ſpeculum diuinæ claritatis, & ipſum Deum vt eſt, videbimus, quantum poſſibile eſt creaturæ, & noſmetipſos, & cæteros vera, & propria ſcientia cognoſcemus;* Quod Vazq. 1.p. diſp. 50. n.39. explicat de viſione, per quam res in Deo tanquam in ſpeculo videntur: alij de lumine gloriæ interpretantur; ſed præterea auctor ille Deũ ipſum aſſimilat ſpeculo; quia & ipſe, & creaturæ in ipſo videntur, ſicut videtur ſpeculum materiale, & cætera in ipſo relucentia. B. etiam Laurent. Iuſtinianus ſerm. de caſto coniugio, Deum appellat ſpeculum; ſicut & Concil.Senonenſe in decretis fidei c. 13. quod licet confirmatum ab Apoſtolica Sede non ſit, habet tamen auctoritatem æquiualentem auctoritati multorum ſapientum.

S. Auguſt.

Tertiò. Propriiſſimè tribuitur nomen hoc Verbo, ſeu Sapientiæ increatæ, de qua dicitur Sap.7. Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula; primò, quia ſicut ſpeculum recipit imaginem ab obiecto, ita filius, ſeu verbum recipit eſſentiam à patre, & dicitur figura ſubſtantiæ eius, græcè Χαρακτὴρ forma ſculpta, ſeu impreſſa à patre per generationem æternam. Et hinc ſecundò comparatur ſpeculo Dei filius, quia in eo relucet forma, hoc eſt eſſentia à patre accepta; & hanc repræſentat filius, vt declarat S. Bonau.in fine capitis illius Sap. ſeptimi; & quidem eò eminentius, quò diuinior eſt imago ſubſtantialis Patris; vtpote ſimilis per identitatem eſſẽtiæ cum illo, à quo eſt expreſſa.

Tertiò. Similitudo apparet ſpeculi materialis cum ſpirituali, & æterno Verbo, quia vt exponit Cornel.in illud Sapientiæ 7. ex ſenſu Origenis,

Cornel.

Alia ſimilitudo ſpeculi materialis cum ſpirituali.

genis, & S.Auguſt. *Sicut in ſpeculo omnibus motibus, & omnibus actibus, quibus is, qui ſpeculum intuetur, mouetur, vel agit, iiſdem ipſis etiam ea imago, quæ per ſpeculum deformatur actibus, vel motibus commouetur, vel agit, in nullo penitus declinans; ita etiam ſapiẽtia de ſe vult intelligi cum ſpeculum immaculatum paternæ virtutis, inoperationiſque Dei nominatur ſicut & Dominus Ieſus Chriſtus, qui ſapientia Dei eſt, de ſemetipſo pronunciat dicens, quia opera, quæ facit Pater, hæc etiam & filius facit ſimiliter: Et iterum dicit. Quoniam non poteſt filius à ſemetipſo facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem.*

Simili auctoritate vtitur S. Bonau. Sap.7. cit. *Quæcumque Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit*, Io. 5.

Et hoc quidem ſpeculum repræſẽtatiuum Patris vt imago eius neceſſarium eſt; ſed vt repræſentatiuũ creaturarum dicitur voluntariũ, pro cuius vocis intelligentia.

Quartò, eſt aduertendum hoc eſſe quidem axioma à Theologis, ac ſignanter à S.Bonaueutura locis ſupra citatis vſurpatum; ſed non haberi in S.Auguſtino ſub ijs terminis, licet ex varijs eius dictis, ſenſus qui ſubeſt illis

S.Aug.

colligatur: In primis epiſt.112 de videndo Deo ad Paulinam c.5 ita loquitur: *Si non vult, non videtur, ſi vult videtur, &c.* &c. 18. *Facit Deus iſtas viſiones quibus vult, vt vult; vt cui vult, quando vult, appareat.* Verum ſermo ibi eſt de viſionibus per corporalem ſpeciẽ, qualis fuit facta Abrahę, Iſaiæ, Stephano, de quibus cap.6. ait: *Illi Deum viderunt, quicumque Deum viderunt, quia cui voluerit, ſicut voluerit, apparet, ea ſpecie, quam voluntas elegerit, etiam latente natura.* Ex quo argui poteſt ad viſionem beatã quantum attinet ad voluntatem oſtendendi per illã, quæ libera eſt varias creaturas in eſſentia eminenter contentas. Etiam ſi Anſelm. in Monol. & ſuper Euang.c.17. in Matth. vtatur nomine ſpeculi, ſed non volũtarij, vt notat Vazq.diſp.illa 50.c.6. & Faſol. 1.p. q.12.a.8. n.89. contra aſſerentes ſpeculum volnntarium appellari ab ijs Sanctis; qui tamen ijs locis non loquũtur de viſione beata, vt patet ex Au-

Cur dicatur ſpeculũ voluntarium.

S.Anſel.

guſtino quidem ſupra relato, ex Anſelmo verò, quia, Nubes, inquit, & caligo in circuitu eius, quia latet in quadam obſcuritate incomprehenſibilitatis ſuæ, nec agnoſci poteſt à creatura, niſi quantum vult reuelare, &c. quæ dicta ſunt de cognitione viæ.

Nihilominus ſuppoſita doctrina S. Thomæ 1.p. q.1. a.9. quod conueniat Sacræ Scripturæ, ac proinde etiam Theologiæ vti metaphoris ad explicanda ſpiritualia per ſẽſibilia propter inſtructionem noſtram, vt notat etiã S.Bonau.in 1.diſt.27.in fine, hoc, inquam, ſuppoſito retinenda locutio Scholaſticorum, quod Deus ſit ſpeculum voluntarium beatis ob allatas ſimilitudines cum ſpeculo materiali, habentes tamen diuerſas diſſimilitudines, quas recenſet Salaſ.1.2. tract.2. diſp.4.ſect.5.n.60. & alij, inter quas illa præcipua, quod creaturæ in Deo non ſunt ſicut ſpecies refractæ in ſpeculo diſtinctæ ab ipſo, quia quicquid eſt in Deo Deus eſt; ſed & alia ſtatim in adiecto apparet, quãdo dicitur voluntarium, cum materiale ſit omninò neceſſarium; pro cuius additi ſcilicet voluntarij explicatione.

Quintò. Aduertendum ita quidem appellari, quia repræſentat beatis, quę vult, & decet manifeſtari pro exigentia meritorum, & beneplacito ſuo; & vt notat Caiet. 1.p.q.12.a.8. quia ſe manifeſtat ſecundum menſuram, quã vult: ſed vt exactius explicat S.Bonauent.in 3.diſt.14. a.2. q.3. loquens de Chriſto Domino, & de alijs beatis, docens Verbum diuinum, cui ſingulariter conuenire nomen ſpeculi diximus, vnitum intellectui perfuſo lumine gloriæ voluntatem habere propalandi plura, vel pauciora iuxta ſuæ ſapientiæ diſpoſitionem. Et merita ſingulorum, & vniuerſaliter in 2. diſt. 8. p.2.a.vnico q.6.ad arg. hoc eſſe diſcrimen inter ſpeculum materiale, & ſpirituale; quod illud & ſuſcipit, & reddit naturaliter, quia videlicet recipit ſpecies obiecti, & neceſſariò illud videndum exhibet oculo, nihil occultans; hoc autem nihil in ſe recipit, & non eſt in actu manifeſtationis eorũ, quæ in ſe continet, niſi cum hoc facit voluntas. quæ quomodo reducatur ad actum, partim ſupra ſignificatũ

Caiet.

Differentia ſpeculi materialis à ſpirituali.

eſt,

eſt, cum diximus facta reuelatione à Verbo creaturæ alicuius ſimul cognoſci & creaturam ipſam, & continentiam eminentialem, quam habet in Verbo, tanquam in cauſa ideali, exẽplari, efficiente, finali; quæ continentia, & cauſalitas eſt ipſamet eſſentia diuina ſimpliciſſima connotans creaturas, quarum habet ideas, & rationes pariter ſibi identificatas. Cui modo addendus eſt alius explicatus à Vazq. ſupra, quod Verbum, vt eſt cognitio, & velut ſpecies expreſſa, ac imago viua creaturarum, ſimul eſt ſpeculum pro ſua libertate repræſentans quas vult, & quantum vult; ſicut ſi lux haberet voluntatem liberè repræſentantem, cui vellet oculo; quæ, & quomodo vellet, videndam exhiberet, gemmam, vel florem Petro, non item Paulo; non ſecus ac voluntas pro ſua libertate elicere poteſt actum amoris, & non elicere, vel etiam odiſſe: quæ diuerſitas, & facultas libera actuum tam internorum, quàm externorum diſperſa in voluntate creata, collecta eſt per ſummam ſimplicitatem in increata continente eminentiſſimo modo omnes perfectiones creaturarum præciſis imperfectionibus; & proinde potente manifeſtare pro ſuo beneplacito, & efficienter, & formaliter hæc potius, quàm alia. Sed plenior intelligentia pendet à ſequentibus quæſtionibus, de modo videndi, de Ideis, & decretis diuinis. Etenim non minor difficultas eſt in explicãdo quomodo verbum liberè velit videri creaturas, quam quomodo per voluntatem iſtæ videantur in verbo.

SECVNDVM

Corollarium.

Ex vi Verbi viſi formaliter non videntur creaturæ.

CAP. XII.

I. *Beati vident creaturas in Verbo, quas Verbum vult, nullas verò neceſſariò ex vi Verbi cogniti, vt obiecti.*

II. *Deus nullum reſpectum dicit ad creaturas, & ſine creatura vlla poteſt cognoſci.*

III. *Ex ſuppoſitione impoſſibili, quod nulla eſſet creatura poſsibilis; tamen eſſet idem Deus, qui nunc eſt.*

IV. *Immutabilitas illa Deo conuenit, qua maior excogitari non poſsit.*

V. *Incommodum alienæ ſententiæ vitatur in noſtra.*

AD explicandam magis ſẽtentiam S. Bonau. de viſione creaturarũ in verbo Nota quod ſi viſio Verbi eſt eſſentialis gloriæ, nõ autẽ creaturarum, quarum nulla neceſſariò ſecundum actum videtur viſo Verbo, ergo ex vi Verbi viſi, ſeu vt obiecti cogniti non videtur vlla creatura, ſed illæ tantum, quas manifeſtat Verbum. Antecedens patet ex dictis ſupra ab eodem S. Bonauent. cit. a. 2. & q. 2. fin. Item & ſequela, quia ſi dicitur ſpeculum volũtarium eò quod promptam habet voluntatem propalandi, quę relucent in ſe; igitur non ex vi Verbi viſi videntur, ſed ex voluntate eius, qui ſolus videri poteſt, & beare ſine viſione creaturæ vllius. Quæ ſententia habet plurimos aduerſarios, ſed probabilis eſt primò ob auctoritatem grauium Scholaſticorum licet nõ eodem modo explicantium Scoti in 3. diſt. 14. q. 2. §. ſed ſi iſta via, Ocham. Gabr. Almain. Aliacenſ. & aliorum, quos citat, & ſequitur Vazq. 1. p. diſp. 40. c. 6. Beccan. 1. p. c. 9. q. 13. vt propterea gratis notam erroris recentiores quidam inurant huic ſententiæ, tot, tantiſque fultæ Theologis. LV.

Ex vi Verbi viſi nõ vidẽtur creaturæ in ipſo.

Scot. Ocham. Gabr. Vazq.

Secundò, probant auctores huius ſententiæ varijs rationibus, ſed illa eſt potiſſima, quòd diuina eſſentia eſt quid abſolutum à creaturis, ergo nõ poteſt eſſe medium illas cognoſcendi, tanquam obiectum primarium, quod cognitum ſit ratio cognoſcendi illas. Antecedens eſt cõmune apud Theologos; quamquam enim aliqui agnoſcant relationem tranſcendentalem ad creaturas, vt Sal. 1. 2. q. 3. t. 2. diſp. 4. ſ. 4. n. 12. tamen hæc nullam dicit dependentiam quoad eſſe, niſi creaturarum à Deo; & proinde neque quoad intelligi; præterquam quod communis ſententia repugnat agnoſcens aliquam

Diuina eſſentia eſt abſoluta à creaturis.

Digitized by Google

quam mutuam perfectibilitatem in huiuſmodi relationibus, quæ in Deo eſſe non poteſt, neque realis reſpectus, per quem nullo cogitante refera. tur ad creaturas formaliter, vt Suarez l.2.de attrib.c.25.à n.23. Faſol.1.p.q. 12. a.8.n.68. Multò minus hanc neceſſitatem arguit relatio rationis, quã fingit intellectus in Deo; nam ſine illa poteſt intelligi, & ſic ſine creaturis. Conſequentia probatur, quia quod in ſuo eſſe abſoluit ab alio, poteſt cognoſci ſine illo; vt enim ſe res habet ad eſſe, ita & ad intelligi. ſi ergo eſſentia diuina abſoluit à creaturis ſecundũ ſe a parte rei, cur etiam non abſoluat in intelligi?

Suar. Faſol.

Reſpondent Suar. & alij negando ſequelam, quia ad hoc vt eſſentia ſit medium cognoſcendi creaturas ſufficit neceſſaria connexio, & continẽtia creaturarum in Deo, eo modo, quo in cauſa continetur effectus, & concluſio in principio: quæ connexio non eſt relatio, ſed potius complexum dicens ex vna parte virtutem abſolutam, & independentem; ex altera dependentiam creaturarum tam poſſibiliũ, quã futurarum, quia omnes dicunt participationem aliquam diuini eſſe, & dependentiam ab ipſo; & ideo ipſe cognitus poteſt eſſe medium cognoſcendi illas in ſe intellectui perfuſo lumine, ſicut ipſe in ſeipſo cognito illas eaſdem cognoſcit.

Reſponſio Suar.

Sed in primis quicquid ſit hæc connexio, & continentia in Deo, non habet locum allata reſponſio in rebus futuris, quæ accidentaliter ſe habent ad viſionem, & neque augent, nec minuunt illam intrinſecè; neque vlla eſt earum connexio neceſſaria cum Deo; & ideo ex hoc capite non probatur, quod eſſentia diuina ſit medium, quod viſum neceſſariò repræſentet aliqua futura, aut quod illis ablatis a poſteriori colligeretur non eſſe hic Deus, qui nunc eſt; quia etiamſi nihil voluiſſet extra ſe producere in æternũ; idem nihilominus Deus eſſet, qui nũc eſt; quis dubitet de hoc?

Reſponſio igitur locum habet reſpectu poſſibilium, quæ ſi non eſſent poſſibilia non dicerentur contineri in Deo, nec Deus eſſe illorum cauſa, neque omnipotens; & ideo à poſteriori arguitur, quod non eſſet hic Deus, quod cum implicet, fatendum eſt eſſe neceſſariam connexionem inter ipſũ, & creaturas poſſibiles; ac proinde eſſe medium illas cognoſcendi, quia cognitio cauſæ, vt ſic, eſt medium cognoſcendi effectum.

Contra, quia continentia cauſæ, ratio cauſæ, & ſimilia in Deo nihil dicũt, niſi Deum ipſum, qui eſt quid abſolutiſſimum ab omnibus creaturis, neque connexio ponit quidquam in illo; poteſt ergo cognoſci totum, quod in illo eſt non cognita creatura vlla, ex vi ipſius cogniti.

Deinde videtur ridiculum, quod ſi non eſſet poſſibilis formica, vel muſca, Deus non eſſet idem Deus, qui nunc eſt. Et ſic deinceps de tota creatura, quæ comparatione Dei nihil eſt, vel punctus eſt, cuius decretione, vel additione non mutatur linea.

Tertiò, Deus eſſentialiter eſt immutabilis, & ipſa immutabilitas qua maior nec eſſe, nec cogitari poteſt: ergo independenter à qualibet ſuppoſitione ſemper eſt idem Deus. patet ſequela, quia ſi facta aliqua ſuppoſitione non eſſet idem, minus eſſet immutabilis, quam ſi per quamcumque ſuppoſitionem non mutaretur. Suppoſitionem, inquam, extrinſecã, nam intrinſeca deſtruit ſeipſam, & proinde totum enunciatum, v. gr. ſi Deus non eſſet trinus, non eſſet idem, qui eſt, vel ſi non eſſet æternus, infinitus, &c. At ſuppoſitio impoſſibilitatis creaturæ eſt extrinſeca Deo, nec valet dicere, quod arguat intrinſecã, ſcilicet potentiæ creatiuæ, creaturarum continentiæ, &c. ſine quibus nõ eſſet Deus; nam cum iſta nihil ſint in Deo, niſi eſſentia Dei, ſi hæc conſiſtit, etiam facta ſuppoſitione extrinſeca impoſſibilitatis creaturarum, arguitur maior immutabilitas intrinſeca, quam ſi non conſiſtat eadem facta ſuppoſitione. Ad quod valet ratio adducta a Vazq.1.p.diſp.104.c.6.n.26. quem ſequitur Petr. Hurtad.diſp.15.Metaph. ſect.9. quia Deus eſt primum ens independens, prima & maxima veritas, a qua cætera pendent, cum ſit ens a ſe, vt S.Th 2. c.gent. c.12. ergo in ſuo eſſe non pendet a creaturis etiã poſſibilibus: penderet autem ſi illis ablatis

Ratio ab immutabilitate

Vazq. Hurtad.

tolleretur, quia quod non poteſt eſſe ſine aliquo indiget illo, vt patet inductione, & ratione: vita, ex. g. non poteſt eſſe ſine cibo; generatio inferiorũ non poteſt eſſe ſine ſuperioribus lationibus, ideo indigere dicitur illis, & pendere ab illis, & ſic de cæteris: Deus autem nullius creaturæ indigens eſt.

Confirmatur, quia ex ſuppoſitione, quod nullæ vnquam futuræ fuiſſent creaturæ, remaneret eadem ſcientia, potentia, & continentia earum in Deo, non ſecus ac de facto maneat poſita creatione; quia videlicet ſunt independentes, & inconnexæ cum creaturis futuris, ab eiſque penitus abſoluunt: ergo pari modo eſſet eadẽ eſſentia, ſcientia, potẽtia, etiamſi nullæ eſſent creaturæ poſſibiles. Patet ſequela, quia poſito decreto creandi, diuina eſſentia repræſentat creaturas, eſt idea ipſarum, cognoſcit illas; & tamen ex ſuppoſitione, quod non eſſent futuræ non diceretur eſſe idea, neq; illas cognoſcere futuras, quia nec haberet decretum ipſarum; ergo etiãſi non eſſet idea poſſibilium, neque haberet notitiam ipſarum data impoſſibilitate prædicta, adhuc eſſet eadem eſſentia, ſcientia, potentia, licèt non eodem modo denominata, neq; concepta à nobis, vt modo concipitur, & explicatur per nomina reſpectiua.

Dices, diſparitatem eſſe, quod futura pendeant à decreto libero, poſſibilia non item; & ideo horum eſſe connexionem neceſſariam cum eſſentia, non illorum: atque adeo ex impoſſibilitate poſſibilium argui à poſteriori Deum non fore illum, qui de facto eſt, quod implicat; non item ex ſuppoſitione, quod nullæ eſſent futuræ, quia pendent à decreto, & habẽt eſſe contingens, cũ poſſibilia habeant eſſe neceſſarium, ideſt neceſſariò ſint poſſibilia.

Contra, quia ex ſuppoſitione, quod creaturæ ſint futuræ, eſt neceſſaria connexio inter illa, & decretum; & tamen ſublata ſuppoſitione tollitur & decretum, quin vlla fiat in Deo mutatio; aut à poſteriori ea colligatur fieri: ergo etiam ſublata poſſibilitate creaturarum poſſibilium maneret idẽ Deus immutatus. Patet ſequela, quia licèt creaturæ ſint contingenter futuræ; & poſsibiles ſint neceſſariò; tamen ab vtrique independens eſt Deus, & vtræque pendent ab illo, quà neceſſariò, quà contingenter; ſicut ergo ſublata dependentia contingenti, & proindè etiam decreto, & ſcientia viſionis, neceſſariò non colligeretur à poſteriori mutatus Deus, ita nec ſublata dependentia poſsibilium; & proinde ſublata ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & ratione cauſæ; quia in Deo ſunt quid abſolutum, & ſolum per noſtrum modum intelligendi dicunt reſpectum ad creaturas. *Sublato decreto, & ſciẽtia viſionis remaneret idem Deus.*

Confirmatur ſecundò, quia poſito, quod nullæ eſſent poſsibiles creaturę, adhuc diceretur Deus eius perfectionis, vt earum eſſet cauſa idealis, finalis, & efficiens, ſi eſſent poſsibiles, & intelligeretur eſſe ens magis neceſſarium quoad ſuum eſſe, & immutabile magis, quam ſi poſita impoſsibilitate creaturarum intelligatur mutari, hoc eſt non eſſe idem, qui nunc eſt: igitur hæc illi neceſsitas, ac immutabilitas tribuenda eſt, quia maior eſt, quã, quę non cohæret cũ ſuppoſitione impoſſibilitatis vt ſupra.

Quartò. Probatur, quia Deus in ſuo eſſe eſt prior, & omnino independens à creaturis, ergo & quoad intelligi: poteſt ergo intelligi nulla intellecta creatura; alioqui in intelligi, ſeu intellectio eius penderet à creatura. *Deus in eſſe & intelligi independẽs à creaturis.*

Neque valet dicere, quod indepẽdens dupliciter intelligi poteſt, vel vt excludit omnem cauſalitatem, quæ nulla cadit in Deum à creaturis; vel vt excludit connexionem, & in hoc ſenſu reperitur inter Deum, & creaturas propter eminentiam eius, & indigentiam iſtarum, quæ ab illo pendent neceſſariò, & eſſentialiter; ideoque non poſſe illum videri clarè, quin videatur hæc eminentia, & creatura, hoc, inquam, non valet, quia ex parte Dei hæc eminentia nihil dicit præter eſſentiam, quæ abſoluta eſt à creaturis, & tota connexio eſt propter dependẽtiam ab ipſa: eſto igitur ad perfectam cognitionem creaturarum requiratur cognitio dependentiæ iſtius eſſentialis à Deo; ſed ad cognitionem Dei, cum nullo modo pendeat à creaturis, non eſt neceſſe iſtas cognoſci ex vi ipſius cognitionis.

Quin-

LVI. Quintò. Quandoquidem ſimilitudinem principij vtitur altera ſententia, ad probãdum, quod ex perfectiore cognitione eius plures cognoſcuntur concluſiones, ſic licèt arguere. Etiamſi implicaret vna, vel plures concluſiones deductæ ex principio aliquo; nihilominus haberet eandem veritatem, & naturam, quam habet ablata tali implicantia, neque à poſteriori argui poſſet non eſſe idẽ principium, quia non tam multas concluſiones contineret; ergo neque etiam ex implicantia vnius, vel plurium creaturarum inferri poſſet non eſſe eundem Deum, qui nunc eſt. Conſequentia patet à paritate, quam vſurpat aduerſarius. Antecedens probatur, nam hoc principium, ex. gratia, omne totum eſt maius ſua parte eſſet idem, etiamſi implicarent aliquæ partes tam continuæ, quam diſcretæ quantitatis; & proinde etiam aliqua tota, quæ non implicant, v.g. hoc, vel illud animal, hæc vel illa figura; quia huiuſmodi concluſionum particularium veritas habet quidem neceſſariã connexionem cum illo, ſed non vice verſa illud cum ipſis; hæc item veritas omne animal eſt ſenſibile, eadem eſſet etiamſi formica, vel muſca implicaret; quantò magis Deus prima veritas, & omnium veritatum fons idẽ maneret, etiamſi implicaret hæc, vel illa veritas, aut ens particulare; imò & omnes creaturæ, quia magis abſoluit, & ſuperior eſt illis, quàm vlla veritas creata ab alia veritate creata. Neque tamen minus continet veritates omnes, quàm principia contineant concluſiones S. Auguſtin. 4. de lib.arb. c.20. *Quapropter, inquit, nullo modo negaueris eſſe incommutabilem veritatem, hæc omnia, quæ incõmutabiliter vera ſunt, continentem.* Confirmatur, quia definitio principij in communi ſumpti eſt, vt ſit id, à quo aliquid procedit, quocumque modo ex D.Tho. 1.p. q.33. a.1. vbi procedit accipitur non ſtrictè pro origine, ſed latè pro qualibet conſecutione, & cõnexione, vt notat Suar. in Met.d.12. ſect.1.n.11. aduertens in eodem ſenſu dici ab Ariſtotele 5. metaph.c.5. Principium eſſe id, vnde aliquid eſt. particula enim, vnde, complectitur omnem modum coniunctionis, & connexionis; ſi ergo Deus habet neceſſariam connexionem cum formica, ex. gratia; formica erit principiũ, & Deus principiatum, quo quid abſurdius?

Maneret idẽ principium, licet implicaret aliqua concluſio.

Prima veritas continet omnes veritates.

Sextò. Deus eſt in ſummo ſtatu abſtractionis ab omni creatura, & eò melius cognoſcitur, quò abſtractiùs cognoſcitur; ergo non eſt obiectum quod cognitum neceſſariò repræſentet creaturas. Antecedens eſt Aug. l.8.Trin. c.3. *Cum itaque audis bonum hoc, & bonum illud, quæ poſſunt aliàs etiam dici non bona, v.g. bonus Angelus, & bonus homo, ſi potueris illis detractis per ſeipſum perſpicere bonum, perſpexeris Deum.* Sequela patet, nam ſi neceſſariò hoc bonum cognitum repræſentat alia bona, iam ipſis detractis non perſpicitur; quoniam in eius conſpectu inuoluuntur, quacumque demum ratione inuoluantur; ex quo ſequitur nihil detractum iri diuinę eſſentiæ, & cognitioni eius abſoluenti à creaturis, etiamſi iſtæ, vel aliquæ earum eſſent impoſſibiles.

Confirmatur, quia non argueretur quod alia eſſet natura Solis, aut lucis, quàm ſit de facto, etiamſi implicaret criſtallum, vel aliud corpus diaphanum, quod illuminaret; nam de ſe habet virtutem illuminandi, & per accidens eſt virtuti eius, quod impoſſibile ſit hoc, vel illud illuminabile, & Deus Sol, & lux eſt. Aug.2. de lib. arb.c.17. *Sicut multa, & diuerſa ſunt, quæ in luce Solis vident homines, lux tamen ipſa, vna eſt; ita lux ſapientiæ, in qua ipſa videri poſſunt, omnibus ſapientibus eſt vna communis, &c.* Per accidens ergo illi eſt, quod hæc, vel illa videri ſua virtute non poſſint, quia viſibilia non ſunt, ſeu quia impoſſibilia ſunt. Item ſigillum, vel exẽplar quoduis idem eſſet, licèt implicaret cera, ex. gr. in qua imprimeret ſuam imaginem. *Et Deus imago eſt, vnde omnis lex iuſta deſcendit, inquit Auguſt.l.14.Trin. c.15, & in cor hominis, qui operatur iuſtitiam, non migrando, ſed tamquam imprimendo transfertur, ſicut imago ex annulo & in ceram trãſit, & annulum non relinquit, &c.* Et ignis eiuſdem naturæ eſſet, cuius eſt, etiamſi implicaret ſtuppa quam combureret, & quod non eſſet cõbuſtiuus LVII.

Lux ſapientiæ vna.

Deus imago vnde lux orta deſcendit

eius

eius non argueret mutationem in eo, ſed diuerſam tantum denominationẽ extrinſecam, ſeu fundamentum denominationis ex impoſſibilitate ſtuppæ, non ex denominatione virtutis combuſtiuæ, quæ talis eſt, vt ſi ſtuppa non implicaret, eius diceretur combuſtiua. Et Deus ignis eſt, nec eſſentia, aut virtus eius alia eſſet, ſi implicaret muſca, quam produceret, aut quam productã annihilaret: nec alius foret, ſi implicaret hircus, aut ceruus, quam ſit de facto, quia implicat hircoceruus.

Confirmatur ex S. Bonauent. in 1. d.39.a.2. q.2. *Quia, inquit, ſcientia cauſatur à ſcibili, & non è conuerſo, ideo poteſt eſſe mutatio circa ſcientiam per obliuionem, & errorem, & ſucceſſiuam conſiderationem nulla facta mutatione in ſcibili. E contrario, quia ſcientia diuina non pendet ex re ſcita, poteſt eſſe mutatio circa ſcibile nulla mutatione exiſtente in diuina ſcientia.* Quæ ratio valet etiam in obiecto poſſibili; quia neque ab hoc pendet diuina potentia, & ideo ſi per impoſſibile non eſſet poſſibile, maneret eadem potentia mutato ſolùm connotato; ſicut maneret eadem ſcientia, quæ dicitur viſionis ſecundum ſe, ſi non eſſent futura res per decretũ, & mutaretur tantum denominatio à termino extrinſeco: Eſt autem eadem ratio de eſſentia, quæ eſt independens, & omninò abſoluta à creaturis, & identificatur ſcientiæ realiter; ſi enim eſſent impoſſibiles creaturæ non diceretur earum cauſa, vel eas continere, ſicut neque ſcire, & tamen ſi maneret eadem ſciẽtia, quia eſt independens ab obiecto extrinſeco, maneret etiam eadem eſſentia identificata ſcientiæ.

Scientia cauſatur à ſcibili.

Facit ad hoc exemplum allatum ab eodem Bonauentura de oculo, qui ſi fixus in pariete videret tranſeuntes ſine vlla receptione; quantumque, inquit, res mutentur, tamen nec oculus mutatur, nec eius receptio, &c. vt ſupra retulimus.

LVIII. Ratio horum omnium à priori eſt ſumma abſtractio, abſolutio, independẽtia, immutabilitas, neceſſitas, prioritas naturæ diuinæ, à qua pendent quidem creaturæ ſecundum totum eſſe, quod habent poſſibile, aut futurum, & propterea cum illa connexionem habent; ſed hinc non infertur, quod ſi non eſſent, id eſt ſi implicarẽt, à poſteriori colligi fore aliam eſſentiam, aut non poſſe hanc intelligi ſine creaturis, quia cum ex parte ſua penitus abſoluat ab ipſis ſecundum eſſe; ita & ſecundum intelligi. Et alioqui ſi ablatis creaturis auferretur eſſentia diuina, neceſſitas diuini eſſe, & immutabilitas non eſſet tanta, quanta non poteſt excogitari maior; quia illa eſſet adhuc maior, quæ facta qualibet extrinſeca ſuppoſitione maneret eadem vt ſupra. Neque item eſſet tanta abſtractio, & abſolutio diuinæ eſſentiæ, quanta maxima eſſe poteſt, quia quoties duo ſe ita habent ad inuicem, vt ſi vnum eſſet impoſſibile, alterum item eſſet pariter impoſſibile, neutrũ abſoluit ab altero in ſuo eſſe, & proinde neq; habet tantam perfectionem, quantam fert ſecum omnimoda abſolutio; cum ergo Deo tanta ſit tribuenda perfectio, quanta maior aut eſſe, aut cogitari nequeat, rectius dicetur ita abſoluere à creaturis, vt ex ſuppoſitione quod implicarent, ille remanerent idem, qui nunc eſt, æque videlicet potens eas producere, ac ſi eſſẽt producibiles.

Præterea niſi ita dicatur non conuenirent Catholici Doctores in opinione de Dei eſſentia, & diſſentirent in articulo fidei præcipuo; nam qui aſſerunt aliquam creaturam implicare, quam alij poſſibilem exiſtimant, conſequenter in ſua ſententia faciunt Deum diuerſum; ſi enim ex eo quod implicaret muſca, exempli gratia, arguũt à poſteriori alium fore Deum, ab eo, qui de facto eſt; eodem modo argumentari debent, ſi implicat Angelus eiuſdem ſpeciei, vt plerique Thomiſtarum opinantur, non eſſe eamdem eſſentiam diuinam, ac ſi non implicaret multiplicatio Angelorum in eadem ſpecie, vt alij Scholaſtici cõmuniter exiſtimant; & proinde alium ſibi fingunt Deum Thomiſtæ, alium Scotiſtæ, Nominales, &c. quod incõmodum vitatur in noſtra ſententia abſoluente diuinam eſſentiam à qualibet mutabilitate, etiam ex hypotheſi impoſſibili cuiuſcumque extrinſeci; independenter enim à quolibet poſſi-

Digitized by Google

poſsibili, vel impoſsibili extrinſeco idem ſemper eſt Deus.

Denique in principijs aduerſariorũ facilè eſt inferre aliud incõueniens, nimirũ verbũ diuinũ pẽdere in ſuo eſſe, & produci à creatura; nã pleriq; auctorũ contrariæ dicunt procedere ex cognitione futurorũ contingentium, vt refert Suar. 1. p. t. 3. l. 9. c. 7. tribuentes SS. Auguſtino, & Thomæ; ſi ergo aliquod futurum non fuiſſet futurum, verbum non eſſet hoc verbum, quod eſt de facto, quia non eſſet eadem cognitio, ex qua procederet, neque ipſum eſſet expreſſio eadem, quia hæc numero expreſſio eſt formaliter, & eſſentialiter talis obiecti expreſſio per ſe; quod autem hoc ſit futurum, liberè pendet à voluntate creata, quã Deus relinquit ſuæ naturæ, & non tantum à decreto ipſius: quis autem dixerit non futurum idem verbum, ſi Iudas Chriſtum non vendidiſſet?

Illi etiam, qui negant verbum procedere ex ſcientia creaturarum futurarum, ſeu exiſtentium pro al qua differentia temporis, vt Suar. loco citato, concedunt verbum diuinum habere reſpectum repræſentãdi creaturas futuras per productionem, ſeu fundamentaliter, & quaſi materialiter non formaliter; igitur concedant etiam neceſſe eſt non fore idem verbum, quod nunc eſt, ſi non eſſet futura res aliqua; quia neque fundamentaliter exprimeret; vel idẽ dici poſſet de qualibet poſſibili, quod eam fundamentaliter repræſentet, quia tale eſt, vt ſi eſſet poſſibilis, eam repræſentaret formaliter.

NOTANDA

Pro ſolutione Argumentorum.

CAP. XIII.

I. Verbum eſt ſufficiens ratio cognoſcendi alia, & quomodo hoc intelligatur.

II. Quomodo verbum dicatur ſimilitudo omnium.

III. Etiam quæ reuelantur dicuntur videri in verbo, & quare?

PRIMO in via Seraphici, verbum eſſe rationem ſufficientiſſimam cognoſcendi alia à ſe: *Quod patet, inquit, in 3. d. 14. ar. 2. q. 1. c. quia ſeipſo cognoſcit omnia; ideo ad hoc quod aliquis cognoſcat res in verbo non oportet in ipſo geminam eſſe cognitionem ipſius verbi, & ipſius rei cognitæ: geminam dico quantum ad habitum cognoſcendi propter hoc, quod habens deiformitatem gloriæ, per quam cognoſcit ipſum verbũ, habet vnde aſſimiletur ipſi verbo, quod eſt perfecta ratio cognoſcendi omnia alia, & ita cognoſcendo verbum habet habitũ, quo poſſit cognoſcere alia, &c.* addidit: geminam dico quantum ad habitum, indicans quoad actum nõ eſſe ſemper vnam cognitionem, habitus autem hic eſt lumen quatenus vnit verbum intellectui tanquam rationem cognoſcendi alia: viſio etiam vocatur habitus in ſenſu ſuperius declarato. ſed quid eſt verbum eſſe rationem cognoſcendi alia: reſpondeo, & aduerto. LIX.

Non eſt duplex cognitio verbi, & rerũ in verbo.

Secundò, eſſe rationem hanc, duo includere, primò, quod verbum ſit exemplar creaturarum. Secundò, quod propter illud viſum debeatur viſio creaturarum. primum docet S. Bonau. ibid. a. 1. q. 1. corp. *Per idem enim, inquit, quod ipſum verbum æternum eſt lux, & veritas in ſe, eſt exemplar aliarum rerum.* Et in reſponſione ad primum explicat per hoc, quod intellectus formatur influentia luminis æterni, per quam fit deiformis, & conformis ipſi verbo; quod cum ſit ratio cognoſcendi alia, & ſimilitudo omnium efficitur intellectus quodammodo ſimilis omnibus, & ita in actu primo aptus ad cognoſcenda alia per aſſimilationem ad verbum, quod eſt ratio illa cognoſcendi, idque longè excellentiùs, quàm per ſpeciem acceptã à re, vel appropriatam rei, ratione cuius dicitur aſſimilatus illi, vt patet ex lib. de Anima, & paulò ante dictis.

Verbum eſt ratio cognoſcendi alia.

Dicitur autem verbum ſimilitudo omnium, tum quia eſt vitalis expreſſio creaturarum, vt patet ex 1. ſent. d. 35. a. 1. q. 1. & 1. p. q. 57. 2. 2. *In Deo, inquit, eſt ſimilitudo omnium & quãtum ad formam, & quantum ad materiam, in quantum in ipſo præexiſtit, vt in cauſa quicquid in rebus inuenitur.* LX.

tum

Digitized by Google

tum quia eſt prima, & independens eſſentia, quam parcicipat per quamdam imitationem quicquid habet rationem entis: proinde intellectus videns illud fit deiformis, atque adeo aſſimilatur ſufficientiſſimè ijs, quorum verbum eſt ſimilitudo: tum quia cum ſit realiter eſſentia diuina, fungitur vice ſpeciei impreſſæ, ſuppletque eius concurſum in repræſentandis creaturis tam in ſententia tribuentium vim actiuam ſpeciei, quam ſolùm determinatiuam, quia in eo ſunt eminentiſſimo modo virtutes omnes creaturarum; & ideo intellectus factus deiformis per lumen, & aſſimilatus verbo per viſionem beatam vnientem intelligibiliter eſſentiam, habet etiam ſimilitudinem requiſitam in actu primo inter potentiam, & obiectum: & poteſt exire in actum ſecundum, & cognoſcere creaturas, ita vt dicatur verbum ratio cognoſcendi eo modo, quo ſupra diximus primam veritatem eſſe regulam cognoſcendi alia, quod etiam clariùs fiet infra cum de ideis.

Secundum patet, quia ad ſtatum beatitudinis pertinet etiam cognitio rerum, quæ concernunt ſtatum beatorum, non vt eſſentialia, ſed vt perfectiua, & complementa accidentalia. Et ideo verbum poteſt dici ratio cognoſcendi alia à ſe, non tantum propter rationem allatam; ſed etiam, quia ipſius viſioni debetur viſio creaturarum: neque tamen ex his inferre licèt in ſententia S. Bonau, quod neceſſariò ipſo viſo videantur creaturæ, vt patet ex loco citato; præſertim ex fine q.2.a.2. ſed difficultas eſt, quia cum viſio gloriæ ſit immutabilis, quomodò quæ ſucceſſiuè cognoſcuntur dicãtur videri in verbo; ſi quidem non videntur in verbo, niſi quæ in illo ſunt, quicquid autem in verbo eſt, verbum eſt, & entitas diuina.

Tertiò igitur nota, quod in ſententia S. Bonau, præter viſionem verbi, quæ eſt eſſentialis gloriæ, dantur aliæ reuelationes creaturarum, vt patet ex dictis cit. diſ. 14. tertij ſent. & iſtæ dicuntur reuelari in verbo. Sic a.2.q.2. c. ait: *Deus Beatis exiſtentibus in gloria, ideſt ſanctis Angelis aliquid de nouo reuelat, & oſtendit in ſe, quod prius tamen non oſtendebat, &c.* Certũ eſt autem, quod reuelare in ſe non eſt idem, quod reuelare ſimpliciter, & extra ſe, quomodo Deus ſuis amicis reuelat plerumque ſecreta in hac vita degentibus, & non habentibus lumẽ gloriæ, ratione cuius ſecundum Seraphicum dicuntur Beati ſcire habitualiter, quæ ſucceſſiuè ipſis manifeſtantur in verbo. Deus autem non dicitur reuelare in ſeipſo res viatoribus, ſicut dicitur, beatis; & ideo etiamſi de vtriſque diceretur, quod vident in verbo, aliquid peculiare habet reuelatio in prima, & diuerſa ratione vident beati, quæ reuelantur in verbo, quàm viatores, vt inf. dicã. Sic S. Ber. ſer. 17. cãt. ait; *Luciferũ in Dei verbo vidiſſe homines profecturos in parẽ gloriã, vbi non poteſt eſſe ſermo de viſione beata, quam nunquam habuit Lucifer*; & Caiet. 1.p.q.57.a.5. diſtinguit videre in verbo cauſaliter, & formaliter, *Si præſciuit, ait Bern. in Dei verbo, abſq; dubio vidit, & in liuore ſuo inuidit homines ſocios dedignatus*. Ex alia verò parte quomodo res in verbo reuelantur, quæ in ipſo ſiue formaliter, ſiue eminenter conſiderentur, nihil ſunt, niſi verbum? & de verbo nihil plus cognoſcitur, quàm quod ſemel initio beatitudinis cognoſcitur? Anima Chriſti, inquit S. Bonauentura in 3. d.14.a.2.q.3. ad arg. *quicquid cognoſcit in habitu de ipſo verbo æterno, cognoſcit in actu, cum cognitio ipſius verbi in ſe ſit de eſſentia gloriæ, &c.* Eſt autem eadem ratio aliorum beatorum, quibus ſucceſſiuè fiunt reuelationes aliarum rerum, & has ſupra diximus eſſe conditiones, quibus poſitis eadem viſio beata poteſt ad certum numerum illas attingere, qui eſt vnus modus cognoſcendi res in verbo, præterquam datur alius iam explicandus.

ALTER MODVS

Videndi creaturas in Verbo ex S. Bonauentura.

CAP. XIV.

I. *Lumen gloriæ extenditur ſucceſſiuè ad plura obiecta viſa in verbo.*

II. *Quid ſit creaturas videri in verbo.*

III.

III. *Quomodo differat cognitio per reuelationem creaturæ à viſione.*

IV. *Non eſt opus cognoſci perfectius verbum viſis pluribus creaturis in eo.*

LXI. QVARTO igitur aſſerendum res cognoſci in verbo per reuelationes particulares, quia idem lumen gloriæ, per quod videtur verbum, vt obiectum primarium, & eſſentiale, extenditur ad cognoſcendas res alias, quarum exemplar eſt verbum. Sic S. Bonau. loco nuper citato ait. *Ad illud, quod quæritur per quid anima Chriſti cognoſcat omnia, quæ cognoſcit verbum dicendũ, quod per lumen aliquod ſibi datum; hoc autem non eſt, quia lumen illud ſit infinitum, ſed quia eſt ad infinita ſcibilia comparatum propter promptitudinẽ exemplaris ſibi vniti, &c.* Idem ergo lumẽ eſt, per quod ſucceſſiuè videt Chriſtus alia à verbo; ſed quomodo extẽditur lumẽ? Reſpondeo per hoc, quod concurrit ad viſiones diuerſas creaturarum ſucceſſiuè cognitarum, non quod illæ quantum eſt ex natura ipſarum non poſſint cognoſci ſine lumine; ſed quia hoc poteſt illas repræſẽtare, & in verbo ſine illo non repræſentantur: ſed quid eſt repræſentari in verbo, ſi ex vi verbi cogniti non videntur? non enim propoſitio hæc cauſalis eſt, ſignificans reuelari à verbo; quia alium modum cognoſcendi indicant hæc verba: neque eſt cognoſci in verbo vt in ſpecie expreſſa, quia hæc non repræſentat, niſi illi, in quo eſt. Reſpondeo; per lumen videri creaturas in verbo quatenus cognoſcuntur ſecundùm dependentiam, quam habent à verbo, ſiue neceſſariã, ſi ſint poſſibiles; ſiue liberam ſi pendeant à decreto: dependentia autem eſt in genere cauſæ exemplaris ob ſimilitudinem, quam habent cum verbo, in quantum quicquid ſunt, eius participatio ſunt, & imitatio quædam cum infinita tamen diſſimilitudine ob ſummam diſtantiam entis finiti ab infinito, quia ergo per idem lumen repræſentatur creatura cum hac imitabilitate exemplaris, dicitur cognoſci in verbo, & intellectus lumine informatus aſsimilari rebus viſis hoc modo, quia per lumen fit deiformis, & ſimilis verbo, quod in hoc ſenſu dicitur ratio cognoſcendi alia à ſe, quia eſt exemplar eorum, quæ propterea perfectius cognoſcuntur in verbo, quam in ſe ipſis, vt Seraph. ibid. ar. 2. q. 1. fin.

Per idem lumen videntur ſucceſſiuè aliæ res in verbo.

Vnde limpidius cõgnoſcit Angelus, & etiam anima Chriſti res in verbo, quàm cognoſcat in ſe, vel in proprio genere: Si enim cognitione infuſa cognoſceretur eſſentia creaturæ cognita habitudine, quã habet ad Deũ, cuius eſt quædam participatio, quantò magis ſi per cognitionem beatam claram, & intuitiuam cauſatam à lumine gloriæ? Præterea per hoc lumen oſtenditur omnis alia connexio creaturæ cum Deo puta efficientis, ſi factæ, vel faciendæ ſint; & finis, ad quem tandem omnia ordinantur, tanquam ad ſummum bonum. Atque ita manente eadem viſione verbi immutata, accedunt aliæ particulares reuelationes creaturarum in verbo, quia per eas videntur non ſolùm ſecundũ eſſe proprium effectus in ſeipſis, ſed vt continentur in verbo, tanquam in cauſa exemplari, ideali, efficiente, finali, abſque eo, quod aliquid de nouo videatur intrinſecum verbo intuitiuè ſemel viſo, quæ eſt cognitio perfecta, de qua S. Bon. in 1. d. 3. p. 1. a. 1. q. 3. c. *Cognoſcere Deum in creatura eſt cognoſcere ipſius præſentiam, & influentiam in creatura, & hoc quidem eſt viatorum ſemiplenè, ſed comprehenſorum perfectè, &c.* Quod de rebus actu exiſtentibus verum eſt, & extenditur proportionaliter ad poſsibiles, quorum veritas à Deo pendet, vt 1. tomo explicatum eſt.

Per particulares reuelationes videntur res vt cõtinentur in verbo.

In quo differunt hæ particulares reuelationes à viſione gloriæ, ſeu verbi, quia iſta per ſe, & primariò tendit in verbum; illæ verò per ſe primò in creaturas vt contentas in verbo: iſta eſt immutabilis, & induit naturam habitus, illę non item, ſed poſſunt eſſe volubiles. Iſta poteſt ſe extendere ad noua obiecta immutata manens; eſſeque abſtractiua reſpectu poſsibilium, intuitiua reſpectu exiſtentium: Illæ nequaquam, quia carent eminentia, quam habet beata à ſuo primario obie-

obiecto, & magis ſunt limitatæ: Conueniunt autem in hoc, quod fiunt per lumen vt eleuans intellectum, & per verbum, vt rationem videndi aſsimilantem potentiam obiectis, quorum eſt ſimilitudo expreſsiua ſecundùm Bonau. quia vt ſupponitur, nulla alia eſt ſimilitudo requiſita ad hoc vt intellectus conſtituatur in actu primo potens intelligere, cum in alijs cognitionibus aſsimiletur per ſpecies impreſſas; requiritur tamen ad hoc lumen gloriæ, & eſſentia loco ſpeciei.

Sed adhuc non quieſcit intellectus, quia non apparet quomodo non cognoſcatur perfectius verbum, quando cognoſcitur vt cauſa exemplaris, finalis, &c. cum antea non cognoſceretur tale. Reſpondeo, hoc non eſſe cognoſci perfectius Verbum, ſed creaturam cum reſpectu ad verbum, ſicut quando videtur prototypum, non videtur perfectius, ſi videatur imago ab ipſo expreſſa. Sed hæc cernitur cū reſpectu ad illud, & iudicio de ipſa expreſsione perfecta, vel minus perfecta. Quod ſi viderentur creaturæ ex vi verbi cogniti formaliter, pluriū cognitio indicaret perfectiorem cognitionem eius.

RESPONSIO

Ad auctoritates Patrum in contrarium.

CAP. XV.

- *I.* *Quid ſit cognitio matutina, & veſpertina.*
- *II.* *Conciliantur loca S. Auguſtini.*
- *III.* *Cognitio creaturarum in verbo inuoluit illas in proprio genere, & non ſolum verbum.*
- *IV.* *Explicatur auctoritas SS. Bernardi, Dionyſij, & Bonau.*
- *V.* *Deus non dicitur ſibi ſpeculum voluntarium.*
- *VI.* *Neque medium quo cognito cognoſcat alia.*

LXII. PRIMA eſt celebris diſtinctio Auguſt. de cognitione matutina, & veſpertina: Nam lib. 11. de ciuit. cap. 7. *Cognitio quippe creaturæ, inquit, in ſe ipſa decoloratior eſt, vt ita dicam, quam cum in Dei ſapientia cognoſcitur, velut in arte, qua facta eſt, &c.* Loquitur autem de cognitione Angelorum beatorum, quæ vt eſt creatoris dicitur mane; vt creaturarum dicitur veſpere; in Deo autem eſt vt in arte. Et c. 29. *Ibi ergo tanquã in cognitione diurna, in ſe ipſis tanquam in veſpertina*: ſcilicet cum ſe ipſos agnoſcunt beati Angeli. Similia habet l. 4. de Gen. ad l. à ca. 21. vſque ad 32.

Reſpõdeo: Diſſenſio eſt inter Scholaſticos quid S. Auguſt. per matutinã intelligat, & quid per veſpertinam, vt videre eſt apud Vazq. diſp. illa 50. & 51. Suar. 1. p. tract. 1. l. 2. c. 25. Feſol. 1. p. q. 12. a. 8. n. 41. & alios, ſed in via S. Bonau. diſtinguendum eſt, vt ſupra; nam notitia matutina accipitur dupliciter à S. Auguſtino, primò propriè, ac ſtrictè, & ita illa ſola dicitur, quæ eſt per gloriam, qua cognoſcitur verbum, & res in verbo. Secundò impropriè, & latè, qua cognoſcuntur res in ſe ipſis extra verbum, per irradiationem diuini luminis, non quale habetur in patria, ſed in via cum infuſione ſpecierum. prima fuit in Angelis beatis; ſecunda fuit communis omnibus in via; & ita conciliat diuerſa Auguſtini loca in ſpecie pugnantia. nam in lib. ſuper Gen. ad litteram vbi videtur cõcedere omnibus Angelis cognitionẽ matutinam, interpretandus eſt de matutina impropriè. In lib. verò de Ciuit. vbi tantùm beatis Angelis tribuit matutinam, in prima ſignificatione loquitur de matutina propriè. Niſi mauis dicere, quod in libris ſuper Geneſ. loquitur inquirendo, & dubitando; in lib. de Ciuit. quibus ſtandum eſt, definiendo quid ſit matutina, & quod ſolùm fuerit in beatis Angelis. Sic S. Bonau. in 2. d. 4. a. 3. q. 1. iuxta quam expoſitionem concedendū eſt matutina cognitione res cognoſci in verbo; negandum verò cognoſci ex vi verbi cogniti in ſenſu intento ab aduerſario: ſufficit enim ad hunc modum loquendi, vt cognoſcantur per idem lumen gloriæ, & vt contineantur in verbo tanquam in cauſa exemplari efficiente, finali; ita vt non ſolùm cognoſcatur eſſe increatum verbi per matutinam cognitionem, vt putat Vazq.

Vazq. Suar. Feſol.

Vazq. diſp. 51. ſed in eo creaturæ ſecundum eſſe proprium à verbo diſtinctum, vt alij communiter: & non tantùm vt obiectiuè ſunt in mẽte ipſius; ſed vt eminenter in eſſentia; quomodo Dion de cæl. hier. c. 4. *Principium omnibus ſimul exiſtentibus excellentiſ ratione ſubſtantia ipſa exiſtens, & cauſa ſubſtantiæ, & continens omnia virtus, & conſumatio cuncta cõplectẽs, &c.* S Dionyſ.

Dices malè diceretur videri res in verbo, ſi ex vi eiuſdem viſi non videntur, ſed per diſtinctam reuelationem; potius enim diceretur videri per verbum, vel à verbo, quia nullus alius concurſus eſſet verbi, niſi effectiuus. Idque etiamſi concomitanter fiat viſio verbi, & creaturarum; quia hoc eſt per accidens, ſi de cætero non ſit connexio ex parte verbi viſi, & creaturarum in ratione obiecti, vt medij formalis, quod ſcilicet viſum faciat videre creaturas formaliter, & non tantùm efficienter. Deinde Auguſtin. opponit viſionem creaturæ in verbo viſioni in ſeipſa; ſed hoc ſecundum ſignificat viſionem immediatam creaturæ, ſeu tendentiam in ipſam per ſe, ergo primum ſignificat tendentiam in eandem per verbum cognitum. Quod confirmatur, quia Auguſt. ait, cognoſci in Dei ſapientia, quod non poteſt intelligi de cognitione naturali in via, quia loquitur de viſione beata, vt patet ex l. 11. ciu. c. 7.

Ad primum reſpondeo in ſententia Seraphici propriè dici videri res in verbo, vt Patres loquuntur, quia per idem lumen gloriæ videntur res ſecũdum eſſe creatum, vt continetur in eſſe increato, tanquam cauſa exemplari, efficiente, finali, quod fieri poteſt per notitiam diſtinctam à viſione eſſentiali modo explicato: Ad hoc autem non eſt neceſſaria perfectior cognitio verbi, ſed comparatio creaturæ cognitæ cum verbo; ſeu dependentiæ, quam habet à verbo. Neque oportet verbum cognitum eſſe medium formale obiectiuum cognitionis rerum; ſed ſufficit concomitantiæ cognitionis per idem lumen oſtendens dependentiam earum à verbo, ita vt ſi per impoſſibile viſio effectiuè non penderet à verbo, ſed ab alijs perſonis, nihilominus dicerentur res cognoſci in verbo; nam ſola effectio viſionis non ſufficit ad ſaluandã proprietatem locutionis Patrum aſſerentium res videri in verbo, vt putat Vazquez, ſed benè prædictus cognoſcendi modus à S. Bonau. allatus.

Ad ſecundum Auguſt. opponit viſionem creaturæ in ſe viſioni in verbo, non quia in hac verbum ſit mediũ cognoſcendi, & non in illa; ſed quia hæc ſit per idem lumen gloriæ oſtendens creaturam, vt continetur in verbo, in quo habet eſſe nobilius; illa non fit per lumen gloriæ; ſed alio modo, quo Deus vult, puta per ſpecies proprias, aut aliter, quomodo decoloratior eſt cognitio, vt Auguſtin. quàm quæ per lumen gloriæ coloratur.

Ad confirmationem dicuntur cognoſci in Dei ſapientia creaturæ præſertim exiſtentes pro aliqua differentia temporis, non quia ex vi verbi cogniti cognoſcantur; ſed quia per particulares reuelationes oſtenditur beatis dependentia à Dei ſapientia; & velut arte fabricatoria rerum, ſicut & à potentia efficiente.

Poſſunt etiam dici videri ex vi verbi viſi, ideſt ex vi beatitudinis, cui hæc notitia debetur, licèt alius ſit sẽſus communis Theologorum de ſignificatione iſtarum vocum; & in alio ſenſu controuerſia agitetur.

Accedit auctoritas S. Bernardi l. 5. conſider. init. *Videt verbum, & in verbo facta per verbum, nec opus habet ex ijs, quæ facta ſunt, factoris notitiam mendicare; neque enim vt vel ipſa nouerit ad ipſa deſcendit, quia ibi illa videt, vbi longè melius ſunt, quàm in ſeipſis, &c.* Vbi loquitur de cognitione creaturarum ſecundùm eſſe proprium, vt continentur in verbo; docet enim creaturas videri per creatorem, non vice verſa, vt in via: tum videri in verbo facta per verbum, & ſimilia, quæ & diſtinctionem indicãt manifeſtè cognitorum, & creaturas cognoſci ex vi verbi cogniti modo explicato, & non vt medij neceſſariò connexi. Res melius ſunt in Deo quam in ſeipſis.

Ad alterã eodem modo reſpondeo: ſolùm enim intendit creaturas longè aliter videri in patria, quam in via: non enim opus habet creaturis, per quas veluti ſcalas aſcendat in Deum

mens beati, cum ibi præſto ſit Deus ſeipſum oſtendens ſicuti eſt, & creaturas in ſe, & per ſe; quod ſatis eſt ad explicandam auctoritatem hanc Bernardi, alioqui non ſolliciti de ſubtilitate ſcholaſtica, an creaturarum viſio contingat ex vi verbi viſi, vt obiecti formalis, an per diuerſam viſionem, dummodo videri dicantur in verbo, vbi melius ſunt, quam in ſeipſis.

Inſtabis creaturæ in verbo ſunt ipſum verbum, igitur nihil videtur præter verbum cognitione matutina, qua cognoſcuntur creaturæ in verbo.

LXIII. Reſpondeo, nego ſequelam; nam vniuerſaliter effectus in cauſa eſt ipſa virtus cauſæ, & tamen ad cognitionẽ hanc concurrunt duo obiecta ſcilicèt effectus, & cauſa; ſic creatura in Deo formaliter, aut eminenter contenta nihil dicit à Deo diuerſum; ſed ex eo præcisè, quod continetur in ipſo, vt in cauſa; includit etiam ſeipſam, & non ſolùm Deum; continens enim differt à contento, formaliter accipiẽdo hos terminos, etiamſi contentũ vt habet eſſe realiter in continente, à quo cauſatur poſſit identificari ipſi. Sed in hoc ſenſu non dicitur cognoſci creatura cognitione matutina in verbo, quia non cognoſcitur, niſi verbum per viſionem eſſentialem gloriæ; verum accedente reuelatione, per quã oſtenditur creatura ſecundum connexionem, & dependentiam, quam habet à verbo dicitur cognoſci matutina cognitione in ipſo verbo; quæ cognitio eſt actus diſtinctus à viſione eſſentiali, dato quod hæc etiam poſſet extendi ad creaturam, vt ſupra vidimus.

Sed vrget maximè auctoritas Dionyſ. c. 7. de diu. nomin. circa med. Neque enim ea, quæ ſunt ex ijs, quæ ſũt diſcens nouit diuina mens: ſed ex ſe, & in ſe per cauſam rerum omnium cognitionem, ſcientiam, eſſentiamq; anticipatam, & ante comprehenſam habet: non quod per ſpeciem ſingula conſideret, ſed quod vno cauſæ cõplexu omnia ſciat, & contineat, &c. Ideo S. Thom. 1. p. q. 12. a. 8. ait videri creaturas in Deo, ſicut effectus in cauſa, quod idẽ habet de Ver. q. 8. ar. 4. & alibi. Hinc autẽ infertur, quod eſſentia diuina eſt primarium obiectum; ex quo cognito cognoſcuntur creaturæ, tam ab ipſo Deo, quàm à beatis. Et vniuerſaliter Sancti Patres; & Scholaſtici aſſerunt creaturas videri in verbo, quod vix poteſt explicari aliter, quàm quod formaliter ex vi verbi cogniti cognoſcantur.

Cum ijs Patribus ſtat S. Bonauent. in 3. d. 14. p. 2. a. 1. q. 2. ait n. *Et quod plus eſt in verbo, per vnum, & idem cognoſcit diſtinctè multa, & idem intellectus glorificatus cognoſcendo multa in verbo non diuiditur, ſed vnitur, quia non applicatur ad hoc, vel ad aliud primò, & immediatè, ſed mediante verbo æterno, quod cum ſit vnum ducit in multa cognoſcibilia.* Duo igitur ſunt pro argumento, primum quod per verbum intelliguntur creaturæ; ſecundum quod non immediatè iſta cognoſcuntur, ſed mediante verbo; quid apertiùs ad oſtendendum, quod verbum ſit medium formaliter cognitum ducens in cognitionem creaturarum? S. Bonau.

Reſpondeo. S. Dionyſium tantum velle, quod diuina mens omnia ex ſe nouit ſine vlla dependentia, vel adminiculo alicuius à ſe diſtincti propter infinitam vim cognoſcitiuam, quod indicatur per particulam ex ſe, ideſt ex propria virtute non ex rebus ipſis; neque per ſpeciem à ſe diſtinctam, & ideo anticipatam vocat cognitionem hanc, quia eſt in Deo antequam res ſint, & independenter ab illis, quod docet etiam S. Bonau. in 1. diſ. 39. a. 1. q. 1. Addit Dionyſ. quod in ſe per cauſam rerum omnium, non quia ex vi cognitionis eſſentiæ vt cauſæ, & obiecti cogniti, cognoſcantur; ſed quia in ipſa vt in cauſa ſimul contentas vno intuitu videntur; ſic Sanctus Th. 1. p. q. 14. a. 7. Deus non cognoſcit per cauſam quaſi prius cognitam effectus cognitos, ſed eos cognoſcit in cauſa, &c. Aliud enim eſt cognoſci creaturas in Deo, vt in cauſa; aliud ex Deo, vt obiecto cognito videri; Ad illud enim ſufficit vt cognoſcatur dependentia creaturæ à Deo, vt à cauſa, ad quod non eſſet neceſſe, vt concurrat eſſentia diuina, vt obiectum formale, ex cuius cogniti vi cognoſcatur creatura, quia aliter oſtẽdi Senſus Sancti Dionyſ.

poteſt

poteſt hæc dependentia, puta per particularem reuelationem, qua cognoſcatur connexio, & dependentia creaturæ cum Deo alias clarè viſo, vel aliter vt ſupra.

LXIV. Deinde reſpondeo non valere argumentum à cognitione, qua Deus videt creaturas in ſe, ad cognitionem, qua beati vident eaſdem; quamquam enim eſſet paritas, ſi videret ex vi obiecti cogniti, vt medij formalis cognitionis; tamen in cæteris eſt diſparitas; nam ſiue eſſentia habeat rationem ſpeciei impreſſæ ratione creaturarũ conſtituentis, videlicet intellectum diuinum in actu primo ad illas cognoſcendas, vt putat Scot. in 1. d. 35. q. 1. §. Ad iſta: ſiue etiã expreſſæ vt Vazq; d. 60. nu. 10. Eo quod eſſentia ſecundũ ipſum conſtituat Deum intelligẽtem ſui, & verbum ſui, ac obiectum cognitum; & propterea vt verbũ creaturarum, & ideo in ſeipſo cognito illas cognoſcat: tamen vterque modus neceſſitatem inuoluit cognitionis, quia Deus neceſſariò ſcit omne ſcibile, & ſibi non eſt ſpeculum voluntarium, quia eius cognitio ex vi ſua eſt cognitio creaturarum, cum ſit omniũ ſcibilium neceſſariò, licèt non ex vi cognitæ eſſentiæ, ſed propter infinitatem ſcientiæ, & intellectus omne ſcibile penetrantis. At verò cuilibet alteri intellectui liberè innoteſcit ipſe, & innoteſcere facit liberè alia à ſe in ſeipſo: vnde & ſpeculum voluntarium appellatur, vt ſupra; quapropter benè dicitur à Dionyſ. omnia ex ſe, & in ſe nouiſſe, vt in cauſa rerum omnium, exemplari, efficiente, finali. Cum quo tamen ſtat, quod ſi non continerentur, eò quod implicarent; nihilominus diceretur eius viſio repræſentatiua, quantum eſt de ſe illarum, quia repræſentaret, ſi non implicarent modo ſuperius explicato.

Deus ſibi nõ eſt ſpeculũ voluntariũ.

Inſtabis, quia Deus videt creaturas viſione ſui, ſecundùm Dionyſ. non ergo immediatè obijciuntur diuino intellectui; ſed tantùm obijcitur diuina eſſentia, cuius viſio vt obiecti primarij terminatur etiam ad creaturas vt obiecta ſecundaria; proinde etiam viſio beatorum, quæ eſt participatio quædam diuinæ ex vi eſſentiæ cognitæ vt medij, tendet in creaturas.

Reſpondeo; tantum velle Dionyſ. quod diuina mens non accipiat cognitionem à rebus, ſed ex ſe, & ſua virtute infinita noſcat omnia, vt dictum eſt; ad hoc autem ſufficit, quòd concomitanter neceſſariò cognitio eſſentiæ ſit etiam cognitio creaturarũ, non quocumque modo; ſed vt continentur in eſſentia ipſa, vt dicatur illas nouiſſe diuina mens in ſe, & ex ſe, qui eſt modus conueniens diuinæ ſapientiæ, non autem quod ex ſe vt medio cognito cognoſcendi; mens autem beati non videt neceſſariò creaturas viſa eſſentia diuina, quia neque infinita eſt eius viſio, neque obiectum primarium neceſſariò eſt reſpectiuum ſecundarij, cum ſit omninò abſolutũ. Si autem velit Deus, poteſt quidem beatus per eandem viſionem eſſentiæ videre creaturas, vt ſupra diximus, ſed non ex vi obiecti cogniti formaliter verum concomitanter. LXV.

Quam explicationem commodè etiam recipiunt verba illa ca. 7. cit. de diu. nom. *Hæc ergo Deus ea, quæ ſunt, noſcit non rerum notitia, ſed ſui.* Non enim ſenſus eſt, quod ex ſeipſo cognito, vt medio cognoſcendi, veniat in cognitionem creaturarum in ſe contentarum; ſed quod ſine vlla dependentia à creaturis, à quibus non accipit notitiam, cum diuina eſſentia inſeruiat ſibi pro ſpecie, & exemplari repræſentatiuo creaturarum, & repræſentet vt exemplar expreſſiuum earum ſumma expreſſione, vt S. Bonau. in 1. diſ. 39. a. 1. q. 1. ad quam expreſſionem exemplaris non requiritur ſimilitudo, aut conuenientia in genere, vel ſpecie; ſed ſufficit continentia eminentialis, quæ excellẽtiùs exprimere poteſt in ente infinito, quam ſimilitudo quæuis creata, quia continet omnem perfectionem, & virtutem entis finiti modo nobiliori; & proinde etiam quoad rationem exprimendi ex eo, quod eſt prima veritas, & ſumma lux, vt S. Bonau. in 1. d. 35. q. 1 rt. a. 1. Iuuans cognitionem creaturarum, tum efficienter ad ipſum peculiari modo concurrens, per luminis influentiam; tum veluti formaliter, vt cognoſcitur imitabilis ab ipſis, & ipſæ perfectius cognoſcuntur, quatenus participatio, & imitatio illius

Vazq. Hurtad.

S. Bonau.

Digitized by Google

illius ſunt, quam ſi ſine hoc reſpectu cognoſcerentur. Ex quibus patet, quid ſit creaturas cognoſci in Deo, & cognoſci ex Deo in via *S. Bonau.* cui non addicti recentiores aliqui Theologi apprime docti, longius de ijs vocibus ex quo, & in quo diſſerunt.

Ad auctoritatem S. Bonau. in 3. ne dicatur ſibi contradicere manifeſtè in eadem quæſtione, vbi ſæpius repetit non eſſe neceſſe videri quid præter verbum ad eſſentialem gloriam; & verbum eſſe ſpeculum vuluntarium, quia repræſentat prout vult, & ſimilia, reſpondendum eſt per verbū cognoſci creaturas, & eo mediante, quia eſt ratio exemplaris creaturarum, ſed voluntaria; non autem quia ſit medium, quod cognitum neceſſariò repræſentet, quia idem eſſet verbum, ſi impoſſibiles eſſent creaturæ, & quicquid illis annexum eſt, vt ſunt peccata, priuationes, mala omnia vt &c. indignum quippe videtur eius maieſtate dicere ſi impoſſibile eſſet mendacium formaliter, non fore Deum, qui nunc eſt, ſicut eſſet idem amor Dei, qui eſt modo, etiamſi nihil aliud eſſet amabile præter ipſum: ſed ad maiorem explicationem ſententiæ S. Bonauen. præter ſoluta ſuperius ſoluenda ſunt alia argumenta.

RESPONSIO

Ad rationes contra ſuperiorem aſſertionem.

CAP. XVI.

I. Continentia creaturarum in Deo nihil dicit diſtinctum in eo à ſimpliciſſima entitate Dei.

II. Nullus eſt ordo dicens neceſſariam connexionem Dei ad creaturam.

III. Cur Deus ſit incomprehenſibilis à creatura.

IV. Quæ enunciantur de Deo cum ordine ad creaturas dicunt reſpectum rationis, cum quo intellectus illa concipit.

V. An dici poſſint viatores, quibus ſūt reuelationes videre res in verbo.

VI. Explicatur inſignis textus S. Bonauent. prædicta confirmans.

PRIMO. In Deo eſt eminentialis cōtinentia omnium creaturarum, ergo beatus videns Deum, vt in ſe eſt, neceſſariò videt hanc continentiam, ergo & creaturas; quod eſt videre illas in verbo ex vi verbi cogniti. probatur vltima ſequela, quia continentia hæc dicit connexionem neceſſariam cum creaturis poſſibilibus, & liberam cum futuris, v.g. continentia gratiæ neceſſario eſt connexa cum gratia; ſi ergo hæc competit eſſentiæ ſecundum ſe, non poteſt cognoſci eſſentia, quin ſimul cognoſcatur, quod continetur in ea. LXVI.

Confirmatur, quia eſſentia habet locum ſpeciei reſpectu cognitionis creaturarum, vt cauſa ipſarum, & non aliter; ergo non ducit in cognitionē, niſi per modum cauſæ, & proinde per modum obiecti cogniti. antecedens patet, quia non ordinatur ad illas repræſentandas vt ſpecies creata ad ſua obiecta, à quibus ſpecificatur, & pendet; ergo tantum per modum cauſæ repræſentat, productiuæ effectuum, quos virtute continet; quæ eſt perfectio eius.

Secundò. Ex creatura cognoſcitur Creator; ergo ex Creatore etiam cognoſcitur creatura: non enim minorem vim debet habere Creator ad oſtendendam creaturam, quàm hæc ad oſtendēdum Creatorem; quæ multò magis continetur in illo, quā Creator in creatura, quia ille continet adæquatè, & actiuè; hæc vero inadæquatè, & paſſiuè. Confirmatur, quia neceſſariò connexa ſimul cognoſcuntur à perfectiſſimè cognoſcente, ſed inter Deum, & creaturam eſt neceſſaria connexio, ergo ſimul, ideſt eadem cognitione cognoſcuntur, non ſolum concomitanter, ſed formaliter ex cognitâ virtute creatiua, ac proinde alicuius creatiua; & alioqui neque in ipſo, neque ex ipſo cognoſci poſſet creatura, quia ſunt diſparata, ſi Deus penitus abſoluit ab iſta; ſicut quia lapis abſoluit ab Angelo, tam non poteſt cognoſci in ipſo, quam ex ipſo.

Tertiò. In hac ſententia non poteſt aſſignari ſufficiens ratio incomprehenſibilitatis diuinæ, nam cognoſcitur à beato totum, quod eſt formali-

maliter in Deo per cognitionem beatam, & per particulares reuelationes cognoſci poſſunt omnia, quæ ſunt in ipſo eminenter: quid enim obeſt ſi cognoſcitur quod eſt formaliter, non cognoſci etiam quod eſt eminenter? hoc autem poſito comprehenderetur Deus, quia nihil eius lateret vidētem, quod incommodum vitatur ſi cognoſcātur creaturæ in eſſentia, vt in cauſa cognita, quia non poſſunt ſimul cognoſci omnes rationes, ſeu prædicata, ſeu attributa cōnexa cū creaturis.

Quarto. Eſſentialiter Deus eſt omnipotens, ergo non poteſt videri clarè, & intuitiuè, quin videatur omnipotentia; ſicut nec quælibet eſſentia intelligi, quin intelligantur eſſentialia ipſius: & proinde terminus, qui eſt quicquid, non implicat. quemadmodum, nec videri poteſt eius ſciētia infinita, quin intelligatur ſcibile: ſcientia enim ſcibilium eſt, & omnipotentia poſſibilium.

Quinto. Hic modus videndi creaturas nullam inuoluit imperfectionē, & eſt Deo conueniens, & tribuitur illi à S. Thoma, & alijs multis Scholaſticis, ergo cur negatur?

Sexto. Alioquin ſi reuelari à Verbo ſufficit ad cognitionem in verbo, etiam viatores, quibus fiunt reuelationes dicentur cognoſcere in verbo quod reuelatur.

Continentia creaturarū in Deo eſt ſimpliciſſima Dei entitas.

Ad primam Reſpondeo. Continētia creaturarū in Deo nihil eſt aliud, quā ſimpliciſſima Dei entitas, vt S. Aug. tract. 1. in Io. & in illud Ioann. 1. quod factum eſt in ipſo vita erat: & lib. 5. de Geneſ. ad lit. c. 14. & 15. tom. 3. eſſe verò Dei abſoluit à creaturis, quæ in eo nihil ſunt, niſi Deus, & creatrix eſſentia; licèt per noſtrum modum intelligendi vox iſta continentia creaturarum, qua explicatur diuinum eſſe cum reſpectu ad creaturas inuoluat illas in ſuo conceptu, tamen in ſe, & vt ſignificatur per aliud vocabulū, v.g. Deitatis, Trinitatis &c. actus puri &c. præſcindit à creaturis, vt probatum eſt ſupra. Ex quo patet ad confirmationem, quia nomen cauſę dicit reſpectum rationis ad effectum, ſed in recto dicit eſſentiam abſolutam ab omni reſpectu ſignificante alium terminum creaturæ.

Nomen cauſæ in recto dicit eſſentiam abſolutam.

Ad ſecundum negatur ſequela. Diſparitas eſt, quia creatura totum, quod eſt Dei eſt, eſſentialiter ab eo pendens in fieri, & conſeruari, ideo ex ea cognita cognoſcitur Creator ad quem eſſentialiter ordinatur; Deus autem penitus abſolutus eſt à creatura, & continentia huius in illo non eſt niſi ipſe, vt paulo ante, dico in illo, quia extrinſece connotatur creatura in ſuo genere. Nam Deus ad creaturam non habet ordinem, nec habet aliam, & aliam habitudinem, ait Bon. in 1. d. 30. ar. 1. q. 3. licet ex imperfecto modo noſtro cōcipiendi intelligamus cum halitudine: Ad aliud incommodum negatur ſequela: ad exemplum de lapid. & Ang negatur paritas, quia lapis non haaet connexionem, neque dependentiam ab Angelo ſicut creaturæ à Deo; neque Angelus continet, vt cauſa exemplaris, efficiens, & finalis lapidem, ſicut Deus creaturam, etiamſi abſoluat ab illo.

Deus ad creaturam non habet ordinem.

Ad tertiū. Iam ſupra diximus Deū non comprehendi, quia non cognoſcitur totaliter ſecundùm D. Bonau. ideſt ſecūdum omnes rationes quibus cognoſcibilis eſt, ac proinde nec cognitione adæquata obiecto infinito, & infinite cognoſcibili, vt S. Thom. 1. p. q. 12. art. 7. ſed & alia opinio putans comprehenſum iri ſi viderentur omnes creaturæ, noſtræ non officit tenēti impoſſibilem eſſe cognitionem huiuſmodi infinitam, vt ſupra. Quod ſi eſſet poſſibilis ad comprehenſionem adhuc requireretur, vt creſceret numerus creaturarum cognitarum, vel ex vi obiecti ſemper magis, & magis penetrati, ac proinde infinitè, ſi cognoſcerentur infinitæ; vel quod cognitio ita eſſet perfecta, vt exigeret terminari etiam ad omne cognoſcibile, qualis de facto eſt in Deo, & ideo comprehenſiua, vt Vazq. diſp. illa 50. nu. 15. hæc autem cognitio eſt impoſſibilis in creatura limitatæ perfectionis quoad eſſe & operari.

Etiam data cognitione omniū creaturarū non cōprehenderetur Deus.

Ad quartum nego ſequelam, nam omnipotentia Dei non eſt aliud, quā eſſentia Dei, quæ abſoluta eſt omnino à creaturis, licèt per noſtrum modū intelligendi, non poſſit concipi, vt ſignificatur hoc termino, quin concipiantur creaturæ, quarum cauſa eſt,

& idem

Digitized by Google

& idem eſt de ſcientia quoad hoc.

Ad quintum nego aſſumptũ, quia ex eo multa deducuntur minus conuenientia deuinitati, v.g. quod nõ tribuatur ipſi tanta abſtractio, independentia, neceſſitas, immutabilitas, quãta tribuenda eſt; nimirum qua maior non poſsit excogitari, vt ſuperius dictum eſt. Imo connexio, vt explicatur à contraria ſententia, inuoluit dependentiam Dei à creaturis, quia per te vna ſublata, v.g. formica, ſi implicaret, tolleretur hic Deus, qui nunc eſt. Quod alij graues Theologi putãt abſurdum, & adhuc abſurdius, quod ſi non eſſet poſſibilis malitia peccati nõ eſſet Deus, qui nunc eſt, ſi habet neceſſariam connexionem cum omni poſſibili; idque per ſe, quia licet peccatum ſit defectus, & à cauſa deficiente; tamen ſi eſſet impoſſibile, non eſſet cauſa deficiens, ac proinde neque Deus.

Inſtabis, ſi per impoſſibile implicarent omnes creaturæ, adhuc ſcientia Dei infinita cognoſceret neceſſariò hanc veritatem, & tamen hæc connexio non arguit imperfectionem.

Ex vi infinitæ perfectionis cognoſceret Deus implicantiam creaturarũ, ſi daretur id que concomitanter.

Reſpondeo, quod cognoſceret ex vi infinitæ perfectionis concomitanter, & non ex vi eſſentiæ cognitæ formaliter, quæ eſt abſoluta ab omni creatura. Eſt doctrina Seraph. in 1. diſtinct 36. dub. 1. text. quæ valet in quocumque attributo, quod concipitur à nobis, & explicatur nomine relatiuo, hoc enim prouenit. ex imperfectione noſtri intellectus, non ex aliquo reſpectu in Deo ad creaturas; à quibus omnino abſoluit, etiamſi ipſe connexionem habeant cum ipſo, & omnimodam dependentiam eſſentialem, vt idem docet in 1. diſt. 30. paſſim, vbi fusè explicat quomodo eſſe cauſæ, Domini, Creatoris &c. abſoluat à reſpectu reali ex parte Dei, & ſit ſolùm rationis ex noſtro modo intelligendi. Neque hinc ſequitur quòd ex creatura cognoſceretur ſolum cõcomitanter Deus, quia cognoſcitur Deus ex creatura cognita vt cauſa ipſius efficiens, idealis; finalis ob eſſentialem dependentiam ab illo.

Inſtabis, quia eſſentia eſt exemplar æternum, & ars perfectiſsimè repræſentãs; & quia illa ars eſt cauſa, ſequitur, quod in illa arte eſt repræſentatio cauſabilium cauſaliter; quia rationes illæ cauſæ ſunt, vt aſſerit S. Bonau. in hexaem. ſerm. 12. hinc autem arguitur ex vi viſionis eius videri creaturas formaliter, quia hoc exemplar. & hæc ars eſt repræſentatiua artificiatorum, & non tantùm cauſans effectiuè viſionem.

Exemplar, ars &c. in Deo ſunt ipſe Deus.

Reſpondeo eſſe artem, exemplar, ideã, nihil dicere in Deo diſtinctum ab eſſentia, quæ in ſe eſt abſoluta ab omni creatura, vt S. Bonau. diſt. 36. cit. ſed propter eminentiam ſuam, & infinitam perfectionem eſt fundamẽtum multiplicis conceptus, & reſpectus ad creaturas, quem explicamus per has voces, ſed realiter non ſunt in Deo. Ideo videns intuitiuè eſſentiam concipit formaliter infinitum ens, quod eſt Deus, etiam nullo concepto reſpectu ad creaturas, & virtualiter conceptus ille æquiualet alteri reflexo, quod illud ens eſſet idem in ſe, quod eſt, etiamſi nihil eſſet poſſibile præter ipſum: quamquam, vt ait Bonauent. in exam. cit. quomodo hæc ars ſit vna, & multiplex videri non poteſt, niſi veniat illuminatio à Montibus æternis; ſufficit tamen ad quæſtionem præſentem, quod non diſtinguatur ab eſſentia realiter; ac proinde quod ex ipſa viſa, tanquam ex obiecto formaliter non videantur creaturæ; ſed ſolum cauſaliter, quod indicant verba que ibi habet. *In illa arte eſt repræſentatio cauſabilium cauſaliter*; quia videlicet efficienter repræſentat, ſeu manifeſtat cauſabilia; quæ deinde dicuntur cognoſci in verbo non ſolum quia verbum illa reuelat; ſed etiam quia poſita reuelatione intellectus beati videt ſimilitudinem, & continentiam earum in verbo clare ſibi vnito per viſionem beatam, vt ſupra dictum eſt; quod non eſt cognoſci ex vi verbi cogniti.

Hæc eſt mera doctrina S. Bonau. in 1. diſt. 36. dub. 1. text. citato. *Prapoſitio*, inquit, *IN, aliquando connotat inhærentiam, vt ſi dicatur accidens in ſubiecto. Aliquando connotat identitatem, vt ſi dicatur ideæ rerum ſunt in Deo, quæ ſunt Deus, non à Deo. Aliquando connotat cauſalitatẽ; vt ſi dicatur creaturæ ſunt in Deo ipſo. Et poteſt hac præpoſi-*

poſitio, IN, dici ſecundum quatuor genera cauſarum; ſed in Deo non dicitur niſi ſecundum tria. Quoniam ergo cauſa dicit reſpectum ad creaturam ſecundum rationem intelligendi, ideo hæc præpoſitio, IN, ſecundum quod dicit cauſalitatem, non addit niſi in terminis dicentibus reſpectum ad creaturam. Et quoniam nomen ſubſtantiæ, vel naturæ, vel eſſentia non dicit reſpectum, ideo ſi dicatur, creaturæ ſunt in Dei ſubſiſtentia, hæc præpoſitio, IN, aut notat identitatem, aut inhærentiam, quorũ vtrumque falſum eſt; & ideo tales locutiones non recipiuntur &c. Ex qua declaratione habes primo, quod nomen ſubſtantiæ, ſubſiſtentiæ, naturæ in Deo nullum dicit reſpectum ad creaturas. Secundo, quod nomen cauſæ ſecundum rationem intelligendi dicit reſpectum, nimirum rationis, quia realis nullus eſt reſpectus in Deo ad creaturas ſecundum Seraphicum, vnde ibidem agnoſcit reſpectum, qui imponitur ab actu quem habet ad creaturam, ex Damaſc. quo denotatur reſpectus ſecundum modum ſignificandi ita poſitus ab intellectu creato, cum Deus ex ſe reſpectum nõ habeat. Tertio, conſequenter eſſentiam, naturam, ſubſiſtentiam Dei abſoluere à creaturis, atque adeo ex vi eius cognitæ non cognoſci creaturas in via S. Bonauenturæ.

Ad quintum. Vazq. 1. p. diſp. 50. c. 7. nu. 37. concedit viatores, quibus fiũt reuelationes poſſe dici videre reuelata cõſequẽter ad ſuũ principiũ, quod ad hoc ſufficiat reuelatio: Nobis iuxta dicta ſuperius diſtinguendũ videtur; Vel enim reuelatio tam excellens eſt, vt cauſet cognitionem ſimilitudinis quam habent reuelata cũ verbo, & participationem eorum eſſe limitati ab eſſentia illimitata profectã, & concedimus dici poſſe cognoſci ab ipſis res reuelatas in verbo; quo modo cognouiſſe credibile eſt Beatæ Virg. poſſibilitatem Incarnationis, & conceptionis Verbi ſalua virginali integritate; & magnitudinem collati ſibi beneficij maternitatis, quod extulit verbis illis, Quia fecit mihi magna, qui potens eſt; præſertim ſi ad viſionem diuinæ eſſentiæ eſſet euecta, quæ opinio eſt probabilis, & pia multorũ. Mihi etiam in procliui eſt exiſtimare ad tam ſublimem gradum cognitionis eleuatum S. Ignatium Loyolam cum oſtenſus eſt ei modus in clara luce quo Deus mundum creauit, vt dici poſſit vidiſſe aliqua in verbo, iuxta ſtinctionem hanc. Si vero ſermo ſit de reuelationibus ordinarijs, non aſſentior huic Doctori, quia modus hic loquendi vſurpatur à Theologis, & Sanctis Patribus de viſione patriæ, & alioquin niſi reuelatio ſit coniuncta cum cognitione rei reuelatæ, vt contentæ in verbo, magna videtur catacreſis, quod videãtur in verbo, quia reuelantur à Verbo: & cum omnis actio ad extra ſit communis toti Trinitati, non magis dicerentur cognoſci in Verbo, quam in Patre, & Spiritu ſancto à quibus fit reuelatio; quæ quia non ſufficit ad hoc, nec aliunde viatores dici queunt ex vi Verbi cogniti cognoſcere reuelata, cum neque de comprehenſoribus hoc dici poſsit; ſi quando accommodatur hæc locutio viatoribus, & Sanctis Angelis ante beatitudinẽ in primo ſenſu præcellentis, & extraordinariæ reuelationis intelligendum eſt, & ita explicandi Patres, atque Scholaſtici relati à Vazq. & à nobis ſupra c. 13. P. Petrus Ribad. l. 1. c. 7.

Inſtabis demũ quia S. Bon. ead. d. 36. art. 2. q. 1. Ait de creaturis. *Quia vero ſunt in Deo, vt exemplari exprimente, ſic ſunt in ipſo vita, & quia non ſolum in illud exemplari exprimuntur entia; ſed etiam omnia cognoſcibilia, ideo omnia ſunt in eo vita, quæ in ipſo ſunt*; videlicet tanquam in exemplari, vt ibidem ſubdit; ad exemplar autem concurrit potentia, & notitia. Igitur ex vi verbi cogniti cognoſcuntur, quia verbum eſt exemplar, & lux ex dictis ſupra, & non poteſt intelligi vt exprimens niſi intelligatur terminus expreſſus. at exemplar in Deo non differt ab eſſentia, ergo ſi ex vi eſſentiæ cognitæ non cognoſcuntur creaturæ, neque ex vi cogniti exemplaris non cognoſcuntur.

Reſpondeo iuxta dicta ſuperius, quod Verbum, vt eſt formaliter cognitio creaturarum nõ poteſt cognoſci quin illas repræſentet cum ſit eorũ expreſſio, & perfectiſſima aſſimilatio, ex S. Bonau. ſupra, vt autem eſt idem

Digitized by Google

realiter,quod eſſentia,vel natura diuina abſoluit à creaturis, licet non vt virtualiter abſoluit à perſonis; vt autem identificatur cum perſonalitatibus dicit reſpectum vnius ad alterum, & connexionem mutuam ipſarum non ex indigentia vlla, ſed ex infinita perfectione,quam perſona quælibet inuoluit, contra quam eueniat in connexione creaturarum;hęc etenim aliquam inuoluit indigentiam.

TERTIVM

Corollarium.

Cur potius iſta creatura quam alia videantur in Verbo.

CAP. XVII.

I. Cauſa præcipua diuerſitatis rerum in Verbo eſt diuina voluntas, vt efficiens, ſiue vt reuelans.

II. Lumen indifferens ad plura demonſtranda in Verbo determinatur à diuino concurſu immediatè.

III. Ex natura obiectorum pendet proportio actuum circa illa.

IV. Duplex viſio creaturarũ in Verbo.

V. Quo perfectius videtur Verbum, eo plures videntur creaturæ, quomodo intelligendum.

LXVII. DIVERSITAS huius, ſicut & iſtius alterius,quod plures, vel pauciores videantur, cauſa propria efficiens principalis eſt diuina voluntas reuelans, & applicans ſuam eſſentiam velut exemplar ad has potius quàm alias repræſentandas.

Probatur,quia ex vi viſionis gloriæ eſſentialis nulla creatura videtur, vt patet ex locis cit. S. Bonau.non ergò diſcrimen hoc in viſionem referri poteſt: lumen item de ſe indifferens eſt ad hæc, & illa repræſentanda, vt patet ex eodem; non ergo lumen eſt ratio hæc potius videndi,quam alia. Verbum item, & diuina eſſentia ſunt ratio, & exemplar omnium indifferenter. Nihil ergo reſtat, in quod referatur diſcrimen obiectorum viſorum niſi voluntas diuina reuelans has, & non alias.

Dices hoc diſcrimen referri in lumen quod eſt diuerſæ rationis in Beatis, non quidem ſpecie; ſed perfectionis indiuidualis.

Contra, quia vel hæc diuerſitas attenditur penes intenſionem,& remiſſionem: & hoc non,quia intenſiùs lumen repræſentat clarius; non autem has potius, quàm illas creaturas. Vel attenditur penes perfectionem indiuidualem indiuiſibilem: & neque hoc dici poteſt, quia ſicut lumen naturale intellectus, & ſupernaturale fidei non magis inclinant ad hæc obiecta,vel articulos fidei, puta ad credẽdam Incarnationem magis, quàm ad Reſurrectionem; ita nec lumen gloriæ, quod eſt eiuſdem ſpeciei in Beatis, & habet ſe vt habitus inclinans ad diuerſos actus, ac obiecta ſpecie differentia, & quidem eò plura, quò nobilius eſt. Idque in principijs S. Bonauentur. certum eſt ex dictis ſupra, quia manente eodem lumine ſucceſſiuè plura cognoſcuntur per illud.

Sed quomodo fit hæc reuelatio, aut quomodo lumen indifferens ad plura demõſtranda determinatur ad hæc potius,quàm ad alia,ſine ſui mutatione? quod dubium magis militat in eſſentia diuina immutabili,quomodo actualiter incipiat repræſentare hæc, & non illa.

Reſpondeo, determinari per diuinum concurſum formaliter,& immediatè tanquam per cauſam; ſeu cauſalitatem principalem, cuius virtute lumen vt cauſa inſtrumẽtalis eius,extendit ſuam actionem, ſicut & intellectus ſuam, ad attingenda illa obiecta, quæ magis ſunt proportionata huic actui habenti talem perfectionẽ indiuidualem. Sicut enim aliæ potentiæ,& habitus,tam naturales, quàm ſupernaturales habent indifferentiã ad varios actus,etiam circa eadẽ obiecta numero, circa quæ repeti poſſunt ſæpius ijdem ſpecie actus; ita lumen quod ex ſua natura ſpecificationem, & determinationem habet ab obiecto per ſe primariò, & eſſentiali;ideſt diuina eſſentia,indifferẽs eſt ad repræſentandas in illa creaturas, quæ ſunt obie-

Lumen determinatur per diuinum concurſũ ad repræſentãda obiecta hæc,vel illa.

obiecta ſecundaria, & proinde indiget determinatione aliqua, vt has potius quàm illas repræſentet; hæc autem conuenienter ponitur in concurſu Dei, quia cũ ſit neceſſarius ad hoc vt lumen agat, & alioqui ſufficiat ſine alio ſuperaddito ad determinandum, non eſt quod ponatur aliud determinatiuum: quemadmodum in agentibus naturalibus, quæ indigent determinatione ad hoc vt hos actus producant, & non alios in indiuiduo, requiritur, & ſufficit concurſus potentiæ cauſæ vniuerſalis in ſentẽtia probabiliſsima, quod determinatio hæc non in rerũ ſeriem, ſed in Deũ ſit referenda, quod autẽ intellectio ex lumine indifferente ad plura manifeſtãda habeat maiorem proportionem cum iſtis obiectis, quàm cum alijs, ratio eſt ipſa natura obiectorum: nec vlterior reddi poteſt; ſicut quod hæc numero ſpecies, & viſio per illam elicita habeat maiorem conuenientiam cum hoc numero colore, quàm cum alio, ex natura talis coloris prouenit, neque vlterius quæri poteſt ratio, non ſecus ac de homine, cur ſit animal rationale. Atque ita patet quod præter cauſam efficientem cauſa immediata formalis, vel quaſi formalis viſionũ creaturarum plurium, vel paucіorũ, iſtarum potiùs, quàm aliarum in verbo, eſt talis perfectio indiuidualis viſionis ipſius, quemadmodum quærenti, cur per hanc numero viſionem videatur potius iſte color, vel ij colores, quàm alij, reſpondetur per cauſam formalem, quia hæc perfectio indiuidualis viſionis eſt expreſſio vitalis eorum potius quàm aliorum propter maiorem proportionẽ cum ipſis fundatam in natura eorum: ſicut enim viſio in genere eſt expreſſio coloris; ita hæc viſio talis coloris etiam in indiuiduo: vnde dicuntur magis conuenire duæ viſiones eiuſdem albi ex. gr. quàm diuerſorum alborum: quod idem eſt de ſpeciebus impreſſis, relationibus, & actibus omnium potentiarum circa eadem, vel diuerſa obiecta.

Cauſa immediata formalis viſionis talium obiectorum eſt talis indiuiduatio ipſius viſionis.

LXVIII. Dices hoc non conuenire cum ſuperius dictis, quod eadem viſio inuariata poſsit ſucceſsiuè terminari ad varias creaturas.

Reſpondeo conuenire, quia duplex eſt viſio creaturarum in verbo: altera eſt, quia, primò, & per ſe tendit in verbum, vt obiectum eſſentiale gloriæ; & hæc poteſt quidem ſimul tendere in creaturas concomitanter; ſed non neceſſariò tendit, quia Deus non concurrit cum lumine, & intellectu Beati ad earum cognitionem; altera eſt creaturarum per ſe vt continentur in verbo viſo; & hæc habet concomitantiam viſionis Verbi, quæ ſupponitur vt neceſſaria ſibi; diciturque particularis reuelatio non Verbi, iam viſi, ſed rerum in verbo: de iſta loquimur quando diuerſitatem prædictam creaturarum viſarum in perfectionem eius indiuidualem referimus.

Duplex eſt viſio creaturarum in verbo.

Sed cur non idem aſſerimus de viſione eſſentiali, quod videlicet etiam ipſa habeat ex perfectione indiuiduali, quod harum creaturarum ſit repræſentatiua, quandoquidem etiam ipſa eſt formalis repræſentatio ipſarum, & proinde determinatè aliquorum?

Reſpondeo diſparitatem eſſe, quia viſio eſſentialis multũ ſimilis eſt habitibus, qui inclinant indifferẽter ad plura obiecta diuerſa: ſic dicitur à Seraph. habitus in actu, & actus in habitu, quia eſt immobilis, & æterna; nõ ſic viſio accidẽtalis creaturarum, quæ variatur ex eodem in 3.d.14.p.2.a.q.2

Ratio autem ex nobilitate eius petenda eſt, cum enim ſit participatio quædam increatæ viſionis, quæ ſimul tendit in eſſentiam, & creaturas inuariata manens, magis accedit ad naturam eius, quàm viſiones particulares reaturarum, & ideo magis illimitata eſt, ac vniuerſalior. Et licèt vtraque ſit expreſſio vitalis, & formalis obiecti, tamen vna exprimit per ſe, & primariò eſſentiam diuinam à qua ſpecificatur. Secundariò, & ex conſequenti creaturam, altera per ſe, & primariò tendit in creaturam; & ideo illa manet eadem manente eodem obiecto primariò, quomodocumque mutetur ſecundarium; hæc cum per ſe tendat in creaturas, ſicut iſtæ mutantur, & ſucceſſiuè reuelantur, ita & ipſa mutatur, ſicut & mutantur aliæ cognitiones patriæ, & viæ pro mutatione obiectorum.

Si quæras, an per eandem viſionem numero, qua videtur Verbum & Angelus, ac homo, exempli gratia, concomitanter videri poſſet initio beatitudinis cœlum, & elementa? Reſpondeo poſſe, quia non eſt maior ratio, quòd eadem viſio inuariata terminari poſſit ſucceſſu temporis ad cœlum, & elementa, & non poſſit initio beatitudinis. Sicut ſi eadem ſpecies intentionalis repræſentare poteſt multa, & plura, quo magis vniuerſalis inuariata manens intrinſecè, non eſt ratio cur non poſſit ſimul quæ poteſt ſucceſsiuè, quantum eſt de ſe, dummodo fiat aliqua mutatio extrinſeca, ratione cuius de non repræſentante taliter fiat repræſentans, vt ſuperius explicatum eſt.

LXIX. Obijcies, quia recepta ſententia Theologorum eſt quo perfectius videtur Verbum, eo plures videri creaturas in Verbo, tātò autem perfectiùs videtur Verbum, quanto perfectius eſt lumen, non ergo per idem lumen videntur modo pauciores, modo plures creaturæ.

Cōfirmatur, quia viſio eò perfectior etiā eſt, quo plures exprimit creaturas: nō ergo eadē inuariata intrinſece exprimit pauciores modo, & modò plures; ſed vel intēditur, vel mutatur, nec eſt indiuiſibilis, vt intendi nequeat.

Reſpondeo verum eſſe effatum Theologorum, ſed non vno modo ab omnibus explicari, aſſerentibus alijs plures videri, ex vi Verbi perfectius viſi, & per lumen perfectius; exiſtimantibus alijs videri plures ſolùm cōcomitanter, & per idem lumen, ac viſionem videri poſſe pro Dei voluntate; ſecundùm quam etiam nulla videri poſſet; vt patet ex dictis, ſicut & amari poteſt Deus, quin ametur creatura vlla. Deinde ad verificandā propoſitionem illam ſatis eſt, quod perfectiùs videnti Deum debeatur viſio plurium creaturarum, & detur iuxta merita præterita, & exigentiam ſtatus præſentis, non autem quod ex vi viſionis Verbi videantur creaturæ.

Viſio quo perfectior eſt plures creaturas repreſentat habitualiter. Ad confirmationem diſtinguo antecedens: Viſio quo perfectior eſt exprimit plures creaturas habitualiter, non actualiter, quia perfectio eius attenditur penes obiectum primarium, quod quò perfectiùs exprimit, eo eſt perfectior viſio, ſicut perfectius eſt lumen, quod propter viſionem datur. Atque ita indiuiſibilis manens repræſentat ordine dignitatis primò Deum, deinde creaturas, licet ſimul duratione illum, & iſtas. ſicut & actus charitatis, quo Deus amatur, & proximus propter Deum: quod intellige de certo numero creaturarum ſi ſimul cognoſcantur, nam quæ ſucceſſiue attingere poteſt plura, non poteſt illimitate omnia ſimul ob rationes ſupra de hoc adductas, ſicut neq. intellectus potens ſucceſsiuè plura, & plura cognoſcere, poteſt omnia ſimul.

Inſtabis, quia non eſt intelligibile quid ſit clarius videre Deum, & non videre plura in eo, vt Palat. in 4. d. 49. diſp. 2. quem recentiores quidam ſequuntur fatentes inintelligibile ſibi videri contrarium.

Item quomodo ex duobus habentibus inæquales viſiones, & lumina, is, qui minus perfectam habet, videat plura, puta ſi fuerit Pontifex, ad cuius ſtatum pertinet cognitio totius Eccleſiæ, & cum longè minori gratia obierit, quàm deuotus anachoreta, qui cum maxima charitate maior fruitur gloria.

Ad primam reſpondeo ſatis intelligi quid ſit perfectius videre Verbum, & non videri plura in Verbo, ſi dicatur modo excellentiori videri, ſeu maiori clarirate; cui actui quid reſpondeat ex parte obiecti, & ſupra eſt explicatum; & nunc negatur in vniuerſum oportere aliquid noui videri in obiecto quando clarius videtur, ſufficit enim ad hoc, vt cognitio ſit excellentior, & modus cognoſcendi diuerſus, vt patet in cognitione vltimi Angeli comprehendentis lapidē, & ſupremi pariter comprehendentis, vt fusè probat P. Arriag. tom. 1. in fin. diſp. 11. & alij recentiores. LXX.

Ad alteram reſpondeo, quod in dato caſu Pontifex plura videret per reuelationes particulares, quia nullam videret ex vi Verbi viſi. Idque potiſſimum aſſerendum, & neceſſariò ſi viſio eſſentialis non eſſet tantæ perfectionis, vt exprimere poſſet ea omnia, quæ pertinent ad ſtatum eius, etiamſi non oporteat illam eſſe infinitè perfe-

ſectam, vt patet in viſione Chriſti Domini videntis omnia, quæ videt Verbum habitualiter, vt ſupra, ex S. Bon.

QVARTVM

Corollarium.

Quæ creaturæ videantur initio beatitudinis, & quæ poſtea.

CAP. XVIII.

I. Beatus quædam videt initio beatitudinis, alia ſucceſſiue.

II. Primi geneſis ſunt credita in via, ordo vniuerſi, myſteria gratiæ, &c.

III. Congruentia viſionis iſtorum omnium.

IV. Dies iudicii notus aliquibus Angelis, & hominibus beatis, ex S. Bonauent.

V. Neque omnia poſſibilia, aut futura, & cuncta actu exiſtentia norunt beati.

LXXI. QVandoquidem verbum eſt exemplar voluntarium, & & liberè oſtendit in ſe creaturas quas vult beatis. Idque vel per eandem ſui viſionem concomitanter terminatam ad illas; vel per diuerſam per ſe tendẽtem in eaſdem, probabile eſt, quod per eandem videat beatus, quæ initio beatitudinis videre debet; per diuerſas verò, quæ ſucceſſu temporis fiunt, & ad ſtatum ipſius pertinent, vt vniuerſim in re incerta quæ probabiliora ſunt referamus.

Credita in via. Primi generis ſunt. Primò quæ credita ſunt in via; Aug. l. 20. Ciu. c. 21. *Quod videbimus, niſi Deum, & omnia illa, quæ nunc non videmus credentes*, & lib. de diligendo Deo in fine lib. c. 18. *Quod hic crediderunt, ibi videbunt.* Colligitur ex 1. Cor. c. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in Aenigmate, tunc autem facie ad faciem*: in prima nimirum veritate clarè viſa, quæ vidimus eadem reuelante obſcurè: & ex eo, quod ſubdit Apoſtolus, cum venerit, quod perfectũ eſt euacuabitur, quod ex parte eſt, valet inferre, fidei ſuccedit viſio clara, ergo quæcumque fuere credita videbuntur clarè, quia ceſſabit obſcuritas, quæ eſt quid imperfectum, & alienum à viſione beata: vt propterea propoſitio illa communis, viſio ſuccedit fidei, gratis limitetur ad obiectum primarium, id eſt Deum, excluſo ſecundario reliquorum articulorum, &c.

Secundò conſequenter videbunt ordinem vniuerſi, vt cõplectitur vniuerſitatem tam corruptibilium, quàm incorruptibilium cum earum proprietatibus, vt S. Thom. 3. c. g. 59. & 1. p. q. 12. a. 8. 4. & quidditates rerum ad ipſum pertinentium, nam ſub fidẽ cadunt creatio, conſeruatio, & regimen ipſius, quæ pleñè tunc cognoſcentur, & proinde pertinentia ad perfectionem mundi, in qua elucet potentia, ſapientia, & bonitas diuina, S. Auguſt. de Ciu. Dei l. 22. c. vlt. *Omnes quippe illi, de quibus iam ſum locutus, qui nunc latent harmoniæ corporalis numeri, non latebunt intrinſecus per corpora cuncta diſpoſiti, & cum cæteris rebus, quæ ibi magnæ, atque mirabiles videbuntur, rationales mentes in tãti artificis laudem rationabilis pulchritudinis dilectione ſuccendent, &c.* ratio autem eſſe poteſt, quia innatum eſt huiuſmodi deſiderium hæc ſciẽdi, omnis enim homo naturaliter ſcire deſiderat 1. Met. c. 1. conuenit ergo tunc expleri, vt D. Thom. loc. cit. & etiamſi hęc ratio quibuſdam non probetur, eſt tamen optima congruentia, & coniectura. Ordo vniuerſi. S. Tom. S. Augu.

Tertiò. Myſteria gratiæ, quæ pertinent ad mundi reparationem, vocationem hominum, iuſtificationem, glorificationem. Proinde clarè innoteſcet quid ſit vnio hypoſtatica, quid gratia ſanctificans, habitus ſupernaturalis, præſentia ſacramentalis Chriſti in Euchariſtia, virtus ſacramentorum, & alia huiuſmodi ſupernaturalia, ſcilicet, tam quæ de ordinaria potentia operatur Deus, quàm quæ poteſt de extraordinaria, vno verbo, quæ ſupra naturam ſunt, & ſub potentia obedientiali continentur, in quibus magis etiam elucet bonitas, ſapientia, & potentia Creatoris; *Omnia ſacramenta*, inquit Aug. lib. de ſpeculo t. 9. c. 27. *& cuncta nobis tunc apparebunt arcana, non Doctorum* Myſteria gratiæ.

Ver-

verbis, non enim altis indigebimus myſterijs cum facie ad faciē videbimus te.

Quartò, quia myſteria gratiæ, quæ in noua lege Euangelij conſpicua sūt, ſub varijs figuris legis veteris adumbrata fuere, iuxta illud Pauli 1. Cor. 11. omnia in figura contingebant illis, videbunt beati in Verbo, quæ continet teſtamentum vetus, ac nouū,

Contenta in teſtamento veteri.

quia illud crediderunt vt vmbram futurorum; hoc vt ſignificatum aptè reſpondens, & cohærens figuris. Vnde Auguſt. ex verbis 2. Cor. 3. *Nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem: transformamur, inquit, de forma in formam, ideſt de obſcura in lucidam, de gloria fidei in gloriam ſpeciei; de gloria, qua filij Dei ſumus, in gloriam, qua ſimiles ei erimus, quando videbimus eum ſicuti eſt, &c.* Veritas quippe fidei Euangelij claritas quędam eſt, reſpectu veritatis legis veteris; ab illa transformamur in claritatem gloriæ, quia in patria ſine vlla obſcuritate pateſcunt, quæ in via per ſpeculum in ænigmate innoteſcunt.

Quintò. Non ſolùm naturalia, & ſupernaturalia, in quibus elucet potentia, ſapientia, & bonitas diuina communis tribus perſonis, & quę pertinent in particulari ad humanitatem Chriſti à verbo ſuppoſitatam; ſed etiā videbunt beati opera Domini, in quibus iuſtitiam ſuam patefacit, & proinde ſtatum, & pœnas Inferorum, grauitatem ipſarum reſpondentem grauitat peccatorum tam Angelorum, quàm hominum; quin etiam intelligent iuſtiſſima Dei iudicia in permiſſione malorum tam culpæ, quàm pœnæ in hac vita, in reprobatione, & electione illorum ad ſupplicia, iſtorū ad præmia, quæ nunc incomprehenſibilia ſunt.

Rom. 11.

O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, &c. conſequenter intelligent miſericordiam Domini in diſcretione ſui ipſorum à reprobis, & in modo vocandi, & deducendi ipſos ad gloriam.

LXXII.

Congruentia communicationis noticiæ claræ horum, & ſimilium eſt. Primò, quia conuenit diuinæ liberalitati, & magnificentiæ liberare à captiuitate, cui ſeſe ſponte dederunt intellectus in obſequium fidei credentes certiſſimè illa eſſe vera, quæ ſupra captum eorum ſunt, & impoſſibilia dotius videbantur metientibus ſecūdùm regulas captus naturalis. Secūdò, quia meritò fidei debetur hoc premium claræ viſionis,

S. Auguſt.

Aug. tract. in pſ. 84. in illa verba; *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. Modò enim credimus, quod non videmus: permanendo in eo, quod credentes non videmus merebimus videre, quod credimus.* Tertiò quia alioqui ſtatus beatitudinis omni bonorum aggregatione perfectus, poſtulat complementū hoc gaudij, quod percipitur ex conſecutione boni appetiti, qualis eſt aperta notitia veritatum altiſſimarum, quæ fidei velamine tecta ex parte fuere cognita. Non quia harum ignoratio futura eſſet cum anxietate vlla; tantum enim eſt gaudium, & quies ex viſione eſſentiæ, vt non relinquat locum anxietati vlli; ſed quia Deus hoc etiam complementum vult amicis ſuis.

Sextò. Conuenit etiā inter Theologos ob hanc cauſam beatos videre initio beatitudinis, quæ ad proprium ſtatum pertinent, ſiue perſonam reſpiciunt, ſiue officium, vel dignitatē, qua functi in via fuere. In Concil. Senon. decreto 13. in decret. fid. dicitur. Beatis peruium eſſe diuinitatis ſpeculum, in quo quicquid eorum interſit illuceſcat. Neque tamen hoc aſſero de omnibus futuris, quæ illorum interſunt, quia ſicut ſucceſſu temporis fiunt reuelationes beatis de alijs rebus iuxta ordinem diuinæ ſapientiæ; ita & de ijs, quæ interſunt ipſorum, quales ſunt orationes ad ipſos fundēdæ vſque ad Iudicij diem, quem non ignorarent, ſi preces omnes futuras ſcirent.

S. Dionyſ.

Dionyſ. de cœleſt. hierarch. c. 7. *Theologi planè tradunt inferiores cæleſtium naturarum ordines à ſuperioribus ritè diuinas ſcientias diſcere, ſummos autem à Deo ipſo, pro ſuo captu doceri myſteria, &c. Vbi & à Ieſu ſcientiam diſcere, &c.*

Quin & ab Eccleſia didiciſſe Angelos, quæ neſciebant, docet Chryſ. in Euang. Io. init. ex S. Paulo Epheſ. 3. *Vt innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.*

Digitized by Google

LXXII. Idem docet S. Bonauentura in 4. d.48.a.1.q.4. propendens in eam ſententiam, vt exiſtimet diem Iudicij notum quidem eſſe paucis Angelis, & hominibus, ſed non omnibus: conſequenter oportet eos non ſcire omnia futura ad ſuam perſonam pertinentia quæ in hoc mundo contingunt, quia hæc notitia inducit ſecum alteram iudicij. Propterea non eſt de fide, vt putat Ban. 1.p.q.12.a.8. & Zumal. diẽ iudicij ab omnibus ignorari ob dictũ Chriſti Mat.24. de die illa, & hora nemo ſcit, neque Angeli Celorum, niſi ſolus Pater; nam ibi, & Marc. 13. negatur etiam hæc notitia Chriſto, quem tamen ſcire diem iudicij certũ eſt; vt Bonauentura ibid. explicans multipliciter dictas auctoritates, & tribuens etiam hanc ſcientiam Angelis aliquibus, & hominibus.

Non eſt de fide diem iudicij ab omnibus ignorari.

Suar. Ideo Suar.3.p.q.10. a.2.in fin.com.t.1. aduertit neutram partem eſſe de fide: Vt hinc ſoluat argumentum opponentium, quod fundatores religionum ſcirent iudicij diem, quia ad ipſorum ſtatum pertinet quot futuri ſint ſalui ex ſuis religioſis, & quæ paſſuri ab Antichriſto, & ſimilia; hoc enim concedi poteſt iuxta doctrinam S.Bonauenturæ, & Suarij: Chriſtus autem Marc. 13. teſtatur ſe neſcire diem iudicij, vt homo à patre miſſus non ad reuelandum illud hominibus, vt Corn.in c.26.Mat.

Septimò. Hinc ſequitur beatos ſcire ſtatim in verbo, quæ pertinent ad diſpoſitionem ſupernæ Ciuitatis Hieruſalem, ſaltem quoad principalia ipſius: nàm ſicut quæ ſunt Ciuitatis, aut Communitatis alicuius bona interſunt omnium illius ciuium, qui ſunt partes, ex quibus conflatur; ita & quæ ſunt propria patriæ beatorum interſunt vniuſcuiuſque ipſorum; idque multò maximè propter ſummam vnitatem, & charitatem ciuium beatorũ, exemp. grat. quantus ſit futurus numerus electorum; quanta gloria ipſorum, & ſimilia.

S.Auguſt. S. Auguſt. in Ench. c.62. *Vtique nouerunt Sancti Angeli docti à Deo, cuius veritatis æterna contemplatione beati ſunt, quanti numeri ſupplementum de genere humano integritas illius Ciuitatis expectet, &c.* Sic S. Petrus in particulari, & S. Paulus nouerunt quot eorum opere Deus ſaluabit. Sic religionum Fundatores quot ex ſuis Ordinibus Confeſſores, Martyres, Doctores, aſſumentur in gloriã, quia multùm intereſt ipſorum hæc ſcire.

Confirmatur, quia ob hanc ſummã vnitatem, & communicationem mutuam ciuium ſupernæ Hieruſalem, etiam cogitationes ipſorum notę erũt inuicẽ S.Aug.l.22. Ciu.c.29. fin. *Patebunt etiam cogitationes noſtræ inuicem nobis.* Sed quid de poſsibilibus, & actu exiſtentibus ſingularibus diſtinctis ab illis, quæ ſupra diximus videri?

Varij varia, & nihil certi, niſi quod plura, vel pauciora ex vtriuſque beati nouerunt, non autem omnia: & ſanè de exiſtentibus ſingularibus, quid eſt quod tribuatur beatis cognitio omnium muſcarum, vel formicarum, aut foliorum, aut arenarum actu exiſtentium? Et idem eſt de cogitatis, dictis, & factis ſingulorum, multò magis de futuris huiuſmodi, & poſſibilibus. De naturis autem ſpecificis certum item eſt non cognoſcere eos omnes ſpecies rerum, quæ ſunt in cognitione Dei, neque hoc neceſſariũ eſt ad beatitudinem completam ipſorum. Non enim omnium poſſibilium ſiue conſiderentur ſecundùm ſpeciẽ, ſiue ſecundùm indiuidualitatem habent appetitum ſcientiæ, neque habuerunt cognitionem obſcuram per fidem, neque aliunde congruentia aſſignari poteſt cur ſcire illa debeant, quod non ſolùm verum eſt de poſsibilibus abſolutè; ſed etiam de ſpeciebus & indiuiduis, quæ ſecundùm curſum cauſarum naturalium fieri poſſunt, licèt nunquam ſint futura, quia hæc etiam ſunt infinita, quorum cognitio actualis eſt impoſsibilis creaturæ, ſecundùm S.Bonau. ſupra cit. & ad ſtatum beatitudinis impertinens. Idque multò magis de futuris ſub conditione liberis. LXXIV.

Non omnes poſsibiles ſpecies cognoſcuntur à beatis.

Obijcies, quia Gregor.4. dial.c.33. relatus à S.Thom.1.p.q.12.a.8. & lib. 2.Moral. c.3. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conſpiciũt, quid eſt, quod ibi neſciant, vbi ſcientem omnia ſciunt. & Bern. ſerm. de tripl.gen.bonorum, O ſapientia, qua tunc omnia, quæ in Cęlo, & quæ in terra LXXV.

terra ſũt perfectiſsimè cognoſcemus.

Reſpondet S.Bonau. in 4.d.48.a.1. q.4. fin. *Illud, inquit, oportet intelligi de ijs, quæ ſunt de integritate beatitudinis, &c.* Quædam enim ſunt eſſentialia beatitudini, vt viſio eſſentiæ, ac perſonarum; Alia ſunt integralia vt viſio eorum, quæ credita fuerunt; Alia ſunt accidentalia vt orationum, quæ fiunt ſucceſſiuè & ſimilium. duo prima cognoſcuntur initio beatitudinis, poſtremum ſucceſſu temporis per reuelationes particulares, vt etiam Caiet. 2.2. q.83. a.4. Vazq. cit. diſp.50. c.9. reuelationes, inquam, Dei immediatè, licet etiam ex reuelatione Angelorum bonorum animabus Sanctis hæc poſſint innoteſcere, vt Aug. lib. de cura pro mortuis agenda c. 15. & Hier. lib. contra Vigilantium naturæ celeritati, quæ præſto ſũt vbiq;

De primis intelligendus Aug. ſup. cit. lib. 15. ciu. c.16. aſſerens fortaſſis volubiles non erunt cogitationes noſtræ ab alijs in alias euntes, atque redeuntes, ſed omnem ſcientiam noſtram vno ſimul cõſpectu videbimus. & l.12. confeſs. c.13. omnia ab Angelis ſimul videri in verbo. & hæc viſio eſt immutabilis, & vna; reliquę particulares poſſunt eſſe mutabiles; ſeu volubiles, ita vt ab vna tranſeat beatus ad alteram, vt S.Bonau. in 3.d.14. a.2. ſupra cit. licèt Sal. 1. q.3. tract.2. diſp.4. n.167. tribuat Bonauent. Scoto, Rich. quod dimoueantur Beati à cognitione ſemel habita in verbo. Nam hoc tantùm dicunt de cognitione per reuelationes particulares habita, non de eſſentiali, quæ habetur initio beatitudinis.

QVINTVM

Corollarium.

Quid de decretis liberis Dei, an & quomodo videantur.

CAP. XIX.

I. Ex vi viſionis nullum decretum liberum videtur in Deo, ex voluntate Dei videntur aliqua.

II. Actus liber vt ſe tenet ex parte Dei eſt idem, quod eſſentia neceſſaria, vt connotat creaturam eſt liber in cauſando.

III. Intellectus videns Deum, videt etiam ſeipſum, & lumen.

IV. Poteſt intellectus Beati propria virtute multa cognoſcere.

V. Inſignis auctoritas S.Bonauenturæ ad probationem dictorum.

VI. Per actum eſſentialem gloriæ poteſt videri concomitanter æterna duratio viſionis.

VII. Soluitur argumentum cõtra dicta.

Ex doctrina S. Bonauent. patet, quid ſit ſentiendũ de decretis liberis Dei, an videantur à Beatis, quæ quæſtio tractatur à Suar. l.2. c.24. de attrib. & habet multos dicendi modos ſatis difficiles, ſed expeditè in noſtra, ideſt S. Bonauent. via, ſequitur ex vi viſionis nullum videri; ex voluntate Dei aliqua videri; ſed non omnia à beatis. Primum patet, quia decreta, aut conſiderantur ſecundùm id, quod intrinſecè dicunt in Deo; atque ita non differunt ab eſſentia. Aut vt habet rationem actus terminati, vel connotantis creaturam, quocumq; demum modo connotetur ex varijs, qui excogitati ſunt; & ita in ſuo conceptu inuoluit creaturam, & proinde non cognoſcitur ex vi viſionis eſſentiæ, quæ penitùs abſoluit à creaturis, vt eſſentia eſt; ideoque in hac ſententia non poteſt ſuſtineri, quod decreta cognoſcantur eò quòd ſint formalitates reales indiſtinctæ ab eſſentia, quæ tota videtur; nã præterquam quod abſolutè negatur aſſumptum, etiam eo admiſſo oportet in conceptu decreti formaliter inuolui creaturam, ad quam terminatur; & proinde ſimul intelligi cum eſſentia contre dicta ſuperius. LXXVI.

Secundum pariter probatur, quia Beati vident multa futura, ergo & decreta Dei circa illa, à quibus pendent eſſentialiter, non tamen omnia, vt patet ex dictis, quia ſucceſiuè fiũt reuelationes in patria de rebus ignotis; & alioqui omnes Beati ſcirent diem iudicij, quando futura ſit, quod tamen communiter negatur à Theologis, & à S.Bonau. in particulari, vt ſupra vidimus; vbi aduerte [illegible]

Digitized by Google

non affirmari, quod omnibus Angelis nota ſit hora iudicij: ſed ſolũ quod aliquibus, vt ſupra, ait enim in 4. cit. d.48.a.1.q.4. c. *Sanè dici poteſt, quod illud notum ſit aliquibus Angelis, & Beatis aliquibus ignotum. Multò magis nota eſt Chriſto.* Quibus autem nota eſt in verbo cognoſci dicenda eſt initio beatitudinis per eandem viſionem terminatam primariò ad verbum, & ſecundariò ad creaturas modo ſuperius explicato, niſi quod vt ſunt terminus liberæ Dei voluntatis cognoſcuntur in verbo, vt continentur in ipſo diuerſa ratione, quàm contineãtur creaturæ poſſibiles, vel futura conditionata: quia in eo ſunt per ſcientiam approbationis, & per voluntatem abſolutam, & efficacem; vnde & dicuntur eſſe tanquam in arte, & ſapientia ipſius producentis; quod eſt diſtinctum genus dependentiæ ab ipſo, quo carent, quæ ſolùm in eo ſunt per ſcientiam ſimplicis intelligẽtiæ, & non ſunt habituræ aliud eſſe actuale, quàm quod habent in ipſo, in quo ſunt creatrix eſſentia, vita, & verum ſummum, & habent nobiliùs eſſe, quàm in ſe; in quo ſenſu prolatũ eſt ab Auguſt.l.63.qq.26. Ipſa creatura plus videtur in arte, qua facta eſt, quàm ipſa in ſeipſa, quæ facta eſt.

Futura aliter continẽtur quã poſſibilia.

LXXVII. Dices, decreta vt præciſè tenent ſe ex parte Dei ſupponunt actum diuinæ voluntatis, imò ſunt actus, & quicquid iſte ſit, formaliter loquendo, idẽtificatur realiter cum eſſentia, ſiue conſiderentur vt virtute plures, ſiue vt connotationes actus neceſſarij, ſiue vt extenſiones, aut connotationes ad extrinſeca: de quo infra, ſed viſa eſſentia videtur quicquid cum illa identificatur, ergo & videntur actus liberi ſecundùm hanc formalitatem liberi identificatam eſſentiæ, & conſequenter omnes actus liberi, ſicut videntur attributa, & relationes; non enim minus ſunt intrinſeci illi, quàm iſtæ.

Reſpondeo; Actus liberos vt ſe tenent ex parte eſsẽtiæ præciſè à terminis creaturarum non dici liberos, niſi cauſaliter, quia ſunt ens ſummè neceſſarium potens liberè cauſare, & ideo ſicut eſſe cauſæ in Deo non inuoluit reſpectum ad creaturas, niſi per modum noſtrum intelligendi, ita neque eſſe actum liberum, quia abſoluit & ipſe à creaturis ſecundum ſuum eſſe reale; ſecundùm denominationem verò liberi, & ſecundum connotatum inuoluit in ſuo conceptu creaturas, & non cognoſcitur, niſi cognitis creaturis; ac proinde cum iſtæ cognoſcãtur determinatè pro Dei beneplacito modo explicato, etiam determinatè cognoſcuntur actus liberi, non tamen ex vi eſſentiæ cognitæ vt medij formalis, tum ob rationes ſupra allatas; tum ob illam in particulari, quod determinationes liberæ ſunt obiectum per ſe occultum, etiam Angelis, & hominibus: & cum potuerint non eſſe ſumptæ adæquatè pro toto eo, quod inuoluunt in ſuo conceptu, non neceſſariò videri poſſunt viſa eſſentia, vt etiam admittunt, qui creaturas videri dicunt ex vi eſſentiæ viſæ; argumẽtum valeret contra eos, qui libertatẽ Dei conſtituunt in intrinſeca ratione dumtaxat, non contra nos, qui libertatem ſolùm dominatiuam intrinſecã ponimus habentem rationem cauſæ, non actus contingentis, & proindè ſicut eſſe cauſæ in ſe abſtrahit à creatura in Deo, ita & eſſe liberi, quod tamen nos ob noſtrum modum concipiendi non intelligimus ſine reſpectu ad creatutas.

Sed tunc quæres quomodo cognoſcantur decreta vt ſic, & quomodo diſtinguatur hæc viſio à viſione creaturarum in verbo? Aliqui recentiores dicunt diſtingui virtualiter actus liberos ab eſſentia, & actibus neceſſarijs, & illos vt ſic diſtinctos attingi poſſe à viſione. Sed vt conſtabit infra nihil admitti debet in Deo virtualiter diſtinctum à Deo, quod poſſit eſſe, & non eſſe in Deo, cũ quo realiter identificatur, quia contingentia hæc dicit imperfectionem.

Reſpondeo igitur decreta videri in Deo, quia Deus reuelat velle ſe facere aliquid; ex qua reuelatione Beatus cognoſcit rem reuelatam vt pendentẽ non ſolum ab eſſentia, in qua continetur, & cuius erit participatio: ſed etiã à voluntate, à cuius dominatiua poteſtate eſt futura, atque plenior intelligẽtia habebitur ex declaratione poteſtatis huius infra ſubijcienda.

Digitized by Google

LXXVIII Inſtabis, quia Deus eſt actualis volitio, ſicut & intellectio, ſaltem in ſenſu reali; & de eius ratione eſt vt ſicut non poteſt non intelligere omnia intelligibilia, ita vt non poſsit manere cum indeliberatione, aut ſuſpẽſione circa futura, quæ liberè vult, quia hic modus dicit imperfectionem ſaltem moralem; quæ Deo non eſt tribuenda, ergo Beatus intuitiuè videns actualem volitionem, ex vi eius viſæ, videt etiam determinationem, ſine qua non poteſt eſſe; & proinde decretum liberum, ſaltem in communi.

Reſpondeo, quod volitio, intellectio, &c. in Deo ſunt realiter eſſentia Dei, quæ abſtrahit à creaturis; & licèt volitio vt concipitur à nobis non abſtrahat; quia eſt creaturarum; tamen vt eſt in ſe identificata eſſentiæ abſtrahit, quia etiamſi non eſſent poſſibiles creaturæ, adhuc eſſet ſimpliciſſimum illud ens, quod concipitur à nobis ſub ratione volitionis; & in ſe formaliter etiam eſt volitio, quia eſt amor; ſed non eſſentialiter, creaturarum, ita vt ſi iſtæ implicarent, non eſſet amor, ſeu potius non haberet denominationem amoris; ſed eſſet quid eminentius, etiam abſtractiſsimum, de quo Dion. *Ipſe enim incomprehenſibilis permanet, & neque ſenſus vllus eius eſt, neque imaginatio, neque opinatio, neque nomen, neque ſermo, &c.* Vt habet c. 1. de diu. nom. ſed de cognitione hac recurret infra occaſio agendi fuſius: interim quærenti quęnam decrreta videantur, reſpondeo primo vniuerſaliter, quæ Deus vuult manifeſtare iuxta ordinem ſuæ ſapiẽtiæ infinitę. Secundò, congruenter cognoſci quæ reſpondent rebus futuris per ipſa decreta iuxta dicta de ijs, quæ de facto videntur in Verbo.

Quidam Recentiores putant per vnam viſionem poſſe attingi infinita futura, & decreta illorum, & de facto attingi ab anima Chriſti; ſed ſupra cum Sancto Bonauentura oſtendimus, poſſe id fieri habitualiter, non actualiter.

Occurritur obiectioni propriæ huius capitis ex dictis in præcedentibus.

Illa eſt, quia quilibet Beatus ex hoc LXXIX præcisè, quod videt intuitiuè Deũ, det etiam intuitiuè ſeipſum, & ſuam viſionem, ergo ex vi viſionis formaliter creaturas, & hoc neceſſariò. probatur ſequela, quia etiamſi viſio beata non extenderet ſe neceſſariò ad obiecta ſecundaria; ideſt creaturas, ſed tantùm ad primarium, quod eſt eſſentia; tamen non poteſt præſcindere à ſeipſa, & ſuo ſubiecto; videt enim beatus ſe à Deo beatificari, & viſionem recipi in ſuo intellectu tanquam in ſubiecto, & proinde videt Deum vt cauſam eius, vt creatorem, & auctorem naturalium, & ſupernaturalium rerum, & quia ſimul nouit fore æternam viſionem, alioqui non habiturus eam quietem, & ſecuritatẽ, quæ beatitudini competit, nouit ſimul decretum de conſeruanda illa, & ijs, quæ illi ſunt annexa, atq; adeo ex vi viſionis videt creaturas aliquas exiſtentes, futuras, & etiam poſſibiles, quia videt ſuam viſionem eſſe limitatam, & poſſe eſſe maiorem, & ſimilia: conſequenter decreta libera, & conditionata, à quibus pendet futuritio quælibet, & ſermo eſt de viſione, vt dicit terminum actus, non vt eſt vitale quoddam experimentum ſine reflexione vlla, quo qui videt, gaudet, fruitur, experitur ſe hæc præſtare ſine actu diſtincto.

Reſpondeo, nego ſequelam, ad probationem diſtinguo antecedens, nam ſi formaliter, ac neceſſariò accipitur dupliciter; vel formaliter ex parte obiecti, quod cognitum ſit formale medium cognoſcendi creaturas, atq; adeo ipſam viſionem; & hoc negatur iuxta dicta ſuperius. Vel formaliter ſe tenet ex parte viſionis præcisè ab obiecto, & hoc modo concedo cognoſci formaliter creaturas congruẽter naturæ viſionis; ſed non neceſſariò, ex vi Verbi viſi, ſed concomitanter: ex eo enim quod eſt perfectiſſima, & poteſt ſe extendere ad creaturas, quæ ſunt obiectum ſecundarium, congruum eſt naturæ ipſius vt tendat in ea, quæ ſibi ſunt vnita, & proinde in

Formaliter accipitur dupliciter.

Digitized by Google

in lumen, & intellectum informatum lumine, quod eſt ſubiectum ſuum, & in ſeipſam modo explicãdo, pro quo.

LXXX. Nota primò, quod intellectus videns Deum intuitiuè ſimul habet cognitionem ſui, quia eſt ſibi ſemper præſens intelligibiliter: quæ cognitio eſt intuitiua, & perfecta; & ideo nouit etiam dependentiam, quam habet à Deo, & ſimilitudinem participatam ab eo acceptam, vt S. Th. 1. p. 16. art. 1. & 3. docet de Angelo, qui ſe per ſeipſum naturaliter cognoſcit, & in ſe, ac ex ſe Deum, quod idem docet S. Bonau. in 2. diſt. 3. p. 2. a. 2. ad argum. Sed quia naturalis hæc cognitio ſaltẽ actualis non eſt neceſſaria, neque cõueniens ſtatui beatorum habenti aliã perfectiorem, & magis propriam, ac ſupernaturalem; ideo conuenientius ponitur quod viſio beata ex ſua virtute, & exigentia ſtatus, pręſtet excellentius, quod præſtaret naturalis cognitio, & iuxta exigentiam ſtatus illius extendat ſe in primis ad ſubſtantiam, & cætera, quæ inſunt illam habenti; conſequẽter attingat alia extrinſeca, à quibus pendet eſſe intrinſecorum in re, & cõceptu perfecto, inter quæ potiſſimum eſt influentia luminis, dependentia, & ordinatio ad Deum, & ſimilia. Patet hoc, quia viſio intuitiua hæc omnia complectitur: & hæc intelligenda ſunt iuxta naturalem exigentiam viſionis ſecundùm ea, quæ conueniunt accidentali etiam perfectioni eius, non autem eſſentiali, nam hæc ſimpliciter ſaluatur per tendentiam in verbum, quod abſolutè videri poteſt ſine vlla creatura, quantum eſt de ſe, licet viſio ab eo ſpecificata ſit tantæ perfectionis, vt connaturalius tendat in obiecta ſibi præſentia intelligibiliter, qualia ſunt lumen & intellectus, & congruenter in alia obiecta, quorum notitia debetur initio beatitudinis, vt ſupra.

Ex S. Bon. in 3. diſt. 14. ar. 2. q. 3.

LXXXI. Deinde nota, quod viſo Deo tanquam prima cauſa videntis, & aliorũ; viſa item natura luminis, & viſionit, poteſt intellectus eleuatus eodem lumine multa alia intelligere, non ſolùm per reuelationes particulares à Deo factas; ſed etiam per virtutem intrinſecam, vel formaliter diſcurrendo, vel intuitu ſimplici æquiualente diſcurſui illa penetrando ex vi verbi cogniti, in hoc ſenſu, quod Verbum cognitum roborat ipſum, & non ſolùm lumen ipſi infuſum: ſicut enim in alijs rebus cognitio actualis eſt quædam diſpoſitio facilitans potentiam ad plura ſimilia percipienda; ita & viſio beata, & verbum ipſum cognitũ, quod eſt ratio cognoſcendi omnia, vt S. Bonau. ſup. cit. Et quidem inter ea, quæ pertinent ad ſtatum completũ beatitudinis initio cognita numerari viſionem ipſam, & eius æternitatem probabile eſt ex eo, quod fuit vnum ex creditis in via, quæ diximus in patria ſine velamine ſtatim videri, in qua claritas ſuccedit obſcuritati, & per eandemmet viſionem concomitanter ad ſeipſam terminatam videtur eius æternitas; Non quia hoc ſit neceſſarium ad eſſentiam viſionis, quã ſupra docuit S. Bonau. poſſe conſiſtere ſine terminatione actuali ad creaturam vllam; Sed quia conuenit manifeſtari ſimul cum Verbo creaturas aliquas, quod cum fieri poſſit congruentiùs per eandem viſionem, gratis requiritur diuerſa. Cum quo tamen ſtat quod præter ipſam beatam viſionem terminatam ad verbum per ſe formaliter, & ad ea, quorum notitia debetur initio beatitudinis concomitanter dari poſſit alia cognitio directè tendens in creaturas.

Intellectus beati poteſt propria virtute multa intelligere.

Tertiò. Nota quod virtus naturalis intellectus ex cognitione perfecta vnius rei venit in cognitionem alterius; & in patria hæc virtus remanet, & mirabiliter eleuatur; ideo præter illa, quæ cognoſcit ex vi viſionis, ſiue concomitanter debita viſioni, plura alia per ſeipſum intelligit ex poſſibilibus, & exiſtentibus, querum notitia non debetur ex virtute meritorum tanquam præmium: v.g. idiota decedens in gratia videbit myſterium Incarnationis &c. quæ credidit in via, ſed ex vi cognitionis huius perfectiſſimæ reſpondentis fidei, veniet in cognitionem multarum veritatum, quas ignorauit, & non ſunt ſibi debitæ, v.g. quod potuerit aſſumi natura irrationalis à Verbo, & quod Angelica: quod non ſolùm panis, & vinum potuerint eſſe materia Sacramenti Euchariſtiæ, ſed etiam aliæ ſubſtantiæ, quas Deus LXXXII.

Beatus cognoſcit multa quorum notitia non debetur vt præmium.

elegiſſet, & ſimilia; & idem eſt de viro docto, qui penetrabit veritates ignotas ſibi in hac vita, v.g. an ſit poſſibilis intellectus, cui ſit connaturale lumen gloriæ; an idem corpus circumſcriptiuè poſſit eſſe in pluribus locis, & alia de quibus ne cogitare quidẽ potuit in hac vita, vt pote à ſenſibus nimis remotis; neque tamen pertinentibus ad res fide creditas, aut ad ordinem Vniuerſi. De futuris verò contingentibus ex libero decreto Dei nõ habebit intellectus beati cognitionẽ euidentem; ſed tantùm coniecturalem; quia hæc ex ſua natura ſunt occulta, & Deo ſoli nota, vt ſupponimus; ideo niſi manifeſtentur ignorantur; manifeſtantur autem tum initio beatitudinis, tùm ſucceſſu temporis per particulares reuelationes iuxta Dei ſapientiam, & exigentiam meritorum, & ſtatus beatorum, vt ſupra.

LXXXIII. Hæc autem cõformia ſunt ijs, quæ docet S. Bonau in 3.d. 14.a.1.q.3 fin. *Similiter*, inquit, *cum dicimus viſionẽ, ſiue cognitionem perfici à iudicio, dicendũ quod verum eſt, ſed ad hoc quod videamus Deum, non oportet, quod de ipſo iudicemus in ſe; ſed ſufficit ad claram viſionem ab ipſo fonte luminis illuminari, & illuminatum oculum etiam in ipſum protendere intuendo, & iudicare de ipſo intuitu, cum non poſſit attingere ad hoc vt de ipſa ſumma veritate iudicet; ſed ſecundùm ipſam videlicet anima de ſeipſa, & de ſua cognitione: nihil tamen impedit aliquo modo accipiendo iudicium, ſecundùm quod requiritur ad viſionem, quin poſſit concedi, quod anima beata certiſſimè iudicet illud eſſe ſummum lumen, quod intuetur, ſicut in primo libro fuit habitum &c.* diſtinct. videlicet 3.a.1.q.1.ad penult., vbi diſtinguit iudicium, & ait quod iudicare de aliquo ſtat dupliciter, primo modo diſcernendo vtrum ſit, vel non ſit: & hoc modo conuenit iudicium omni intellectui cognoſcenti reſpectu omnis obiecti. Alio modo approbando, vel reprobando, vtrùm ita debeat eſſe, & ſic non iudicat de veritate; ſed ſecundùm ipſam de alijs &c. Sunt ergo duo actus in viſione: Alter eſt ſimplex intuitus, ſeu tendentia in fontem ipſum luminis, ideſt Deum, quæ eſt apprehẽſio quædam formaliter, & iudicium virtuale, quod ſit hoc vel illud; & ſine hoc non datur intellectio vllius rei; ex eo enim quod apprehenditur, diſcernitur quod eſt, vel non eſt, quomodo etiam ſenſus dicitur iudicare de ſuo obiecto: conſequẽter viſio non poteſt eſſe ſine hoc iudicio; imo ipſamet eſt hoc iudicium. Secundus actus eſt conſequens ordine dignitatis ad primum, vel ipſum concomitans duratione; & dupliciter poteſt intelligi, quod exerceatur. Primò per modum præſidentiæ, ſimiliter, inquit, ibidem, .i. in 3. cit. d.14. art.1.q.3. *De illo fonte luminis, & veritate ſumma nullus poteſt iudicare, ſicut dicit Aug. de vera religione, & ipſa ratio dictat, cum iudicans aliquo modo præſideat iudicato &c.* quod proponit quidem pro argumento, ſed aſſumit vt verum. ex 1. Sentent. cit. hic ergo actus iudicij in nullo beato eſt, vel eſſe poteſt; primus autem in quolibet beato eſt, & abeſſe non poteſt cum ſit ipſa viſio. Sed præterea exerceri poteſt iudicium ſecundo modo non cum præſidentia, ſeu facultate approbandi, ac reprobandi diuina, ſed per ſimplicem affirmationem, vel negationẽ, qua iudicatur aliquid de Deo, aut diuinis rebus, v.g. quod ſit omnipotens, quod ſit creabilis creatura impeccabilis, vel non ſit, & ſimilia, ſiue id fiat per iudicium formale, ſiue per virtuale tantùm, qui eſt ſimplex intuitus veritatis ſine formali coniunctione, aut compoſitione terminorũ per copulam verbo expreſſum, quod magis conuenit illi ſtatui, in quo viſio eſt perfectiſſima participatio diuinæ ſcientię carentis omni compoſitione; vnde cõmuniter vocatur ſimplex apprehenſio, vt Rich in 4.d.49.a. 3.q.1. Sot.ibid.q.3.a.3.Mol.1. p.q.12.a.8. diſput. 6. dub. 2. Inter hæc autem, de quibus huiuſmodi iudicium fieri poteſt numeratur ipſa viſio, quæ ſimul quidem videtur in verbo quatenus cognoſcitur fore æterna, ſed ea ratione, qua & cæteræ creaturæ, concomitanter videlicet, & non neceſſariò ad gloriam, quandoquidem ad eſſentialem beatitudinem ſufficit viſio Verbi ſine alio iudicio, vt S Bonau. ſupra, licet ſimul eſſe poſſit hoc iudicium de ipſa viſione, & ad eam protendi intel-

Iudicium duplex.

le-

lectus illuminatus, quod indicant apertè verba citata, ſed ſecundùm ipſam iudicet anima de ſe ipſa, & de ſua cognitione; Et vt oſtendat præter hũc actum dari alterum diſtinctum, qui non ſit viſio eſſentialis, ſubdit nihil tamen impedit aliquo modo accipiẽdo iudicium, ſecundùm quod requiritur ad viſionem, quin poſſit concedi quod anima beata certiſſimè iudicet illud eſſe ſummum lumen, quod intuetur &c. qui eſt actus diſtinctus elicitus ab intellectu reflectente ſuper obiectum directè viſum, quod eſt verbum, & cognita concomitanter cum Verbo, & iudicante de multis pertinentibus ad complemẽtum accidentale viſionis, penetrando varias eius conditiones, quæ per ipſammet terminatam ad verbum non repræſentantur, ad quod non eſt opus peculiari reuelatione, ſed ſufficit confortatio intellectus per lumen, & viſionem eſſentialem; ad ipſa initio beatitudinis ſe extendentem.

LXXXIV. *Multi actus conueniunt beatis.* Ex quibus manifeſtum eſt, quod in ſententia Seraph. triplex genus actuũ conuenit beatis. Primus eſt eſſentialis, quo videtur verbũ per ſe, & principaliter, & cum eo creaturæ plures initio beatitudinis concomitanter ſolùm, & liberè. Secundus eſt accidendentalis, & quoddam iudicium quaſi reflexum de ijs, quæ terminant viſionem eſſentialem, præſertim de illis, quorum cognitio requiritur ad viſionem ipſam vt complementum accidentale. Tertius eſt particularium reuelationum ſucceſſu temporis factarum eo modo, quo Deus ſecundùm ſapientiſſimam ſuam voluntatem diſpoſuerit.

Beatus videt ſuam viſionem dupliciter. Patet deinde ex dictis quomodo beatus videat ſuam viſionem. Videt enim dupliciter: primò initio beatitudinis, vt obiectum terminatiuum ſecundarium cõcomitanter viſum cũ Verbo, & alijs creaturis, quæ ſtatim videntur. Deinde vt obiectum primarium iudicij conſequentis ad viſionẽ, quatenus cognoſcuntur eius proprietates per modum actus reflexi, quas non eſt neceſſe cognoſci per primum actum licet intuitiuum, v. g. quod ſit æternum duratura; quod ſit inuariabilis, quod ſit ſumma omnium cognitionum alterius ordinis, quod in eodẽ ordine ſit vel æqualis, vel inæqualis alijs, & ſimilia, quæ ſimul quidem duratione cognoſci poſſunt cum obiecto primi actus, ſed dicuntur conſequenter cognoſci attento ordine dignitatis, & conſecutionis vnius ad alterum.

Patet tertiò, quomodo dicantur multa cognoſci in Verbo etiamſi nõ ex vi Verbi cogniti, vt medij formalis cognoſcendi, ad hanc enim denominationem ſufficit quod cognoſcantur virtute luminis, vt cõtineantur in Verbo, quod fieri poteſt omnibus tribus modis cognoſcendi, vt ſupra explicatum eſt; quod niſi cognoſcerentur cũ hoc reſpectu (quod abſolutè non implicat fieri) ægrè ſaluaretur modus iſte loquendi Patrum, ac Scholaſticorum aſſerentium res cognoſci in Verbo, vnde reuelatio ipſa non ſufficit, niſi ſit cum hac cognitione, vt patet fieret per Angelum ſine vllo reſpectu ad verbum. Quare neque ſatis eſſet dicere quod cognoſcunt in Verbo, quia intellectus eorum quaſi abſorbetur à verbo, & à lumine, nam hæc locutio indicat aliquid ex parte modi cognoſcendi res non ex parte ſtatus beati, qui præſupponitur ad cognitionem, & eam requirit talem, vel talem iuxta merita, vt ſupra.

Sed numquid per actum primum, qui eſſentialis glorię videri poteſt duratio futura in æternum viſionis, ſicut & ipſa viſio?

Reſp. poſſe, quia non eſt maior ratio de viſione ipſa, quàm de æternitate eius, vt Suar. l. 2. cit. c. 18. nu. 9. & alij.

Reſpondetur duabus Obiectionibus.

PRrima eſt, quia hinc ſequitur, viſionem illam nec per diuinam potentiam corrumpi poſſe, nam ſi repræſentat ſuam durationem æternã, ergo videt beatus duraturam in æternum: ſed viſio hæc eſſentialiter eſt infallibilis, & de obiecto vero: ergo non poteſt exiſtere, quin duret in æternum, ergo repugnat deſtrui, alioqui fuiſſet falſa, quod eſt contra eſſentiam ſuam. LXXXV.

Neque valet dicere, quod hæc ſit neceſſitas conſequens, quia ſcilicet ſupponit ſuum obiectum futurum,

cuius

cuius ipſa eſt pars;& ideo etiam futura æterna; nam futuritio viſionis non poteſt ſupponi ad viſionis exiſtentiã, cum ſuum met eſſe præſens, & futurum ſit repræſentare ſuam futuritionem, ergo non ſupponitur futura, priuſquam re exiſtat repræſentãs hoc ipſum. Omiſſis varijs dicendi modis recentiorum præſertim P. Arriag. t.1.diſp.13.à nu.39.

Reſpondeo, nego ſequelã; ad probationem concedo videri à beato durationem æternam ſuæ beatitudinis, nego, quod ex infallibilitate viſionis ſequatur neceſſitas durationis abſoluta; ſequitur enim ſolùm ex ſuppoſitione diuini decreti volentis conſeruare in ęternum, non ex eo quod ipſa ſit pars ſui obiecti, quia eſt pars ſolũ per accidens, & non ex vi obiecti viſi per ſe, vt ſupra diximus; & ideo ex æternitate neceſſaria illius non ſequitur neceſſitas durationis æternæ viſionis, ſed ſolùm ex decreto Dei. vt dicit voluntatem conſeruandi, & eam manifeſtandi; qua poſita ſequitur neceſſitas durationis, quæ eſt ex ſuppoſitione, & ſecundùm quid; non autem ſimpliciter, & illa ſufficit ad infallibilitatem durationis æternæ, & proinde viſionis, quæ non poteſt eſſe falſa. & hęc reſponſio expeditior eſt, quam quæ ſtatuit cognitionem ſupernaturalem diuinitus poſſe eſſe falſam, vt vim huius argumenti vitet. de quo P. Martinez de Ripalta tom. de ente ſupern. diſp.59. ſect.1. num.7. & nos infra.

Neceſſitas ęternæ durationis viſionis eſt ſolũ ex ſuppoſitione.

At inquies, ſi infallibilitas hæc eſt eſſentialis viſioni, igitur eſſentialiter vera eſt, & proinde eſſentialiter infallibilis; eſſentiæ autem, & eſſentialia mutari nequeunt.

Reſpondeo, quod actus, vel propoſitio dicitur eſſentialiter vera dupliciter. Primo, quia conformatur obiecto, in qua conformitate conſiſtit veritas illius, etiam quæ conſtat terminis accidentaliter connexis. Secundo, quia eſt de prædicato, & ſubiecto eſſentialiter connexis, vt homo eſt animal rationale. primi generis eſt, quod viſio futura ſit æterna, & ideo ad hanc, vt ſit infallibilis eſſentialiter ſufficit, vt conformetur obiecto, abſtrahendo ab hoc, quod illud ſit ex ſua natura incorruptile, vel ex ſuppoſitione tantùm; Ad hoc autem vt ſit eſſentialiter ſecundo modo incorruptibilis, requiritur, vt ex ſua natura ſit talis independenter à ſuppoſitione extrinſeca, cum ergo viſio tantùm ſit incorruptibilis ex ſuppoſitione decreti diuini, & nõ de ſe, cũ ſit creatura pendens in eſſe, & conſeruari à libera voluntate Dei, non poteſt dici eſſentialiter incorruptibilis, ita vt repugnet ipſam corrumpi, ſicut neque Angelus eſſentialiter eſt incorruptibilis, quamuis ex ſua natura poſtulet non corrumpi; præterea viſio viſionis infallibiliter æterna erit, vt dicit actũ; quia vt eſt terminus actus, ideſt ſui ipſius æterna erit. Idque ſiue duratio viſionis ſit ſucceſſiua, ſiue tota ſimul, ſiue habeat partes intenſiuas, ſiue ſit indiuiſibilis, quicquid aliqui recentiores putent, non ſolui argumentum poſita duratione viſionis permanente, & non ſucceſſiua.

Quæres an poſſit eſſe viſio, & non videri æterna eius duratio, ſi affirmes, igitur non habebit illam quietem, quam ſecum fert ſecuritas de perpetuitate, & erit locus anxietati. Si neges, vnde conſtat impoſſibilitas? LXXXVI.

Reſdondeo affirmatiuè, dato enim quod de potentia abſoluta Deus non oſtenderet perpetuitatem, adhuc habitualiter illa cognoſceretur; & de cætero bonum viſum, quod eſt eſſentiale obiectum gloriæ non relinqueret locum anxietati, vt Gabr. in 3. d. 14.q.vn. a. 1. & in Supplemento 4 d. 49. q.3.a.3. ex doctrina Och. Imo ex doctrina Seraph. ſupra docentis viſo verbo non neceſſariò videri vllã creaturam, perpetuitas autem viſionis creatura eſt ſupponens decretum liberum Dei; & tamen viſio verbi quietem ſecum fert plenam gaudij, & expertem anxietatis. Idem habet S.Thom. 1.p.q.12.a.8.4.

Solius verbi viſio quietat intellectũ.

Gabr. Ocham. S.Bonau.

Secunda Obiectio.

SVpra numerauimus viſionem inter obiecta quæ videntur in Verbo; videtur hoc impoſſibile, quia ſequeretur quod eſſet cauſa ſui ipſius; prior, & poſterior ſeipſa; nam actus cauſatur ab obiecto, & eſt illo poſterior: Si ergo viſio beata eſt obiectum LXXXVII.

ſui

ſui ipſius, erit etiam cauſa ſui, & ſeipſa piror; quod implicat in terminis; quomodo enim idem ſit ſeipſo prius; ſiquidem prioritas dicit diſtiuctionem ab eo, quod eſt poſterius?

Icciroò P. Hurtad. diſp. 10. de Anima à ſect. 3. tenet nullam creatam cognitionem poſſe eſſe reflexam ſupra ſeipſam, & conſequenter nec viſionē poſse videre ſeipſam in verbo.

Alij admittunt reflexionem in actibus intellectus, & voluntatis, quia ſi quis dicat, omnipotentia Dei poteſt producere omnes creaturas, cum iſte actus ſit creatura, includitur in obiectis omnipotentiæ, & eſt reflexiuus ſupra ſeipſum. Item in hac propoſitione, omnis actus intellectus eſt cognitio, actus includit ſeipſum, quia & ipſe eſt cognitio.

Ob argumenta ſimilia P. Arriaga diſp. 6. de Anima à num. 68. conatur oſtendere, quod cognitio ſupra ſe reflectat; confirmat primò tom. Theol. diſp. 13. ſect. 5. & diſp. 56. nu 45. negat vniuerſaliter eſſe verum, quod obiectum ſit prius ſuo actu tam prioritate à quo, quàm prioritate in quo. Quæ reſponſio videtur verior.

Ego, vt directè reſpondeam argumento, aduerto cognitionem, vel actū voluntatis dupliciter dici poſſe reflexum. primò implicitè, & confusè, vt in exemplis allatis manifeſtum eſt, in quibus vnus eſt actus formaliter, ſed virtualiter duplex, quia reſolui poteſt in duos, quorū prior fuit directus; alter circa eumdē versās eſt reflexus. De hoc ſecundò non militāt argumenta, quia ſe habent vt duo diuerſa, quorū vnum eſt actus, alterum numero diſtinctum eſt obiectum; vel vice verſa; & ſic vnum poteſt eſſe cauſa alterius, & prius illo. De primo maior eſt difficultas, cui reſpondeo negando, quod idem eſſet cauſa ſui ipſius, quia in illo actus reflexus vt eſt obiectū ſui ipſius reflectentis, eſt ſolum obiectum materiale non ſpecificans, neque mouens potentiam, niſi per accidens, quia cauſatur à ſpecie diuerſa non producta ab ipſo, neque vicem eius ſupplēte; ſed confusè ipſum cum alijs repręſentante, v.g. in dato exemplo omnis actus intellectus eſt cognitio, iſte actus non cauſatur à ſe, neque à ſua ſpecie, ſed à ſpecie cognitionis confusè accepta, ſub qua non continetur diſtinctè ſpecies repræſentatiua iſtius actus; & ideo implicitè contentus ſub cognitione continentia generica, non eſt obiectum mouens phyſicè potentiam ad tendendum in ſe, & ſic non eſt cauſa, neque prior ſeipſo.

Clariùs id patet in viſione beata; nam cauſatur effectiuè à lumine, & intellectu, obiectiuè ab eſſentia; & ideò vt ſe videt in verbo non eſt obiectum motiuum, & cauſatiuum ſui; ſed ſolū terminatiuum, & diuerſum formaliter à ſeipſo vt eſt actus tendens in ſeiptum, cauſatū in omni genere cauſæ ab alia cauſa, quàm à ſe.

S E X T V M

Carollarium.

An creaturæ in vniuerſum cognoſcantur ex vi verbi cogniti.

C A P. X X.

I. *Ex vi viſionis Verbi non innoteſcit creatura ſub ratione entis poſsibilis.*

II. *Diſtinctio virtualis in Deo eſt duplex.*

III. *Continentia creaturarum in Deo non eſt quod diſtinctum à Deo.*

IV. *Ens, & verum dupliciter conſiderantur.*

LXXXVIII HACTENVS dicta de cognitione creaturarum in Verbo nō ſolùm de illis in particulari intelligenda ſunt; ſed etiam in communi. Non enim viſo Verbo neceſſarium eſt ex vi ipſius, vt medij formalis cognoſci creaturas ſub communiſsimo conceptu entis poſſibilis, ſed cognitio in eo ſiſtere poteſt, & eſſe beata. Eſt apertè S. Bonauent. loc. ſæpè cit. 3. ſent. d. 14. a. 1. q. 2. ad arg. p. 2. *Actus, inquit, nobiliſſimus, qui debetur ipſi gloriæ eſt actualis conſideratio ſummi veri; non autem actua-*

Ex vi viſionis non cognoſcitur creatura ſub ratione entis poſſibilis

actualis conſideratio cuiuſcumque veri cauſabilis, vel cauſati, &c. & paulò poſt. *Actualis cognitio, & conſideratio cuiuſcumque verbi æterni eſt ipſi gloriæ eſſentialis, non ſic autem actualis cognitio aliorum à verbo, &c.* At poſſibile in communi eſt quid diſtinctũ à verbo, & verum cauſabile, non ſecus ac poſſibile, ſeu cauſabile verum in particulari, igitur ſine illo conſiſtere poteſt actualis conſideratio ſummi veri. Ratio eadem eſt, quæ de poſſibilibus in particulari, quia diuina eſſentia eſt ens abſolutiſſimum ab illis, & propter omnimodam independentiam, & ſũmam immutabilitatem, eadem eſſet ex hypotheſi, quod implicaret illorũ quodlibet; & proinde etiam totũ ens creabile, quia in ſe ita perfecta eſt, vt ſi non implicaret, produci poſſet eius virtute, ſicut de facto produci poſſent infinita, quæ implicant, ſi non implicarent; ergo cognoſci poteſt abſque eo, quod cognoſcatur terminus vllus diſtinctus à ſe. eſt contra plures Scholaſticos præſertim Suarez cit. l. 2. cap. 26. n. 20. & alios apud ipſum, quorum argumenta ſupra ſunt ſoluta.

Dices. Viſio beata ita repræſentat Deum vnum, & ſimplicem, vt tamen etiam repræſentet diſtinguibilem virtualiter in plures rationes obiectiuas identificatas inter ſe; ergo etiam repræſentat creaturas ſub communi cõceptu poſſibilitatis. Antecedens patet, quia Deus in ſeipſo ſimpliciſſimus conceptibilis eſt ſub diuerſis conceptibus non ſolùm perſonarum, quæ realiter diſtinguuntur inter ſe; ſed etiam attributorum, quæ virtualiter. Conſequentia probatur, quia diſtinctio virtualis iſtorum non poteſt eſſe, niſi in ordine ad creaturas, & proinde nec intelligi clarè ſine iſtis, v. gr. immenſitas ſine ordine ad ſpatia, omnipotentia ſine ordine ad id, quod eſt poſſibile: In eo enim conſiſtit conceptus omnipotentiæ, vt diſtinguitur à conceptu aliorum attributorum; ſi ergo beata viſio repræſentat diſtinctionem virtualem in Deo, repræſentat etiam creaturas ex vi obiecti diſtinguibilis cogniti.

Diſtinctio virtualis in Deo eſt duplex.

Reſpondeo, diſtinctionem virtualẽ in Deo eſſe duplicem, alteram, quæ attenditur ſolùm pęnès intrinſeca; qualis eſt inter eſſentiam, & perſonas: alteram, quæ pęnès extrinſeca, qualis eſt inter attributa connotantia creaturas, v.g. miſericordiæ, iuſtitiæ, &c. Prima repræſentatur per viſionem beatam neceſſariò, quia nihil dicit diſtinctum à Deo vno trino; ſecunda nõ item vt concipitur à nobis, quia inuoluit reſpectum ad creaturas, qui nõ eſt in Deo, vt ſupra. Ideo miſericordia, iuſtitia, & ſimilia, quæ diſtinguimus in Deo, ſunt in ſe Deus ipſe; qui idem eſſet, ſi per impoſſibile nulla eſſibilis oſtenſio miſerendi, & puniendi, ac præmiandi.

Inſtabis, quia præciſo quolibet ordine, vel rationis, vel tranſcendentali in Deo ad creaturas, adhuc manet continentia eminentialis in omnium ſententia; hæc autem eſt intrinſeca perfectio Dei, & proinde repræſentata per viſionem; repræſentari autem non poteſt, niſi repræſentato etiam termino ſaltem in communi. LXXXIX.

Continentia creaturarum in Deo eſt ipſe Deus.

Reſponſio patet ex dictis, quia continentia hæc vt ſe tenet ex parte Dei eſt ipſe Deus abſolutus ab omni reſpectu, vt inuoluit creaturas, eſt complexum ex vtriſque conceptum à nobis cum reſpectu ex imperfecto noſtro modo intelligendi, qui conceptus æquiualet huic alteri, creaturæ pendent à Deo continente, & cauſante, ſed ita abſtracto, vt idem eſſet, qui nunc eſt, etiamſi illæ non penderent.

Rurſus inſtabis, etiamſi non penderent creaturæ ex hypotheſi, quod eſſent impoſſibiles, adhuc verum eſſet illas implicare; & hæc veritas in vniuerſum, ſicut & aliæ particulares, v.g. quod implicaret Angelus, homo, leo, non eſſent prima veritas, ſed ab illa penderent, ergo etiamſi implicarent omnes creaturæ quoad exiſtentiam, non tamen quoad veritatem, & ex implicantia iſtius, colligeretur etiam implicantia primæ veritatis, ſine qua implicat omnis veritas: Igitur non ita Deus abſoluit à creaturis, vt ex implicantia ipſarum non arguatur mutatio in ipſo. Quod argumentum valet potiſsimùm ad hominem ponẽtem veritates æternas pendentes à prima veritate, etiamſi nemo catholicus ponat creaturam vllã actu exiſtentem ab æterno.

Reſpon-

Reſpondeo ens, & verum quantum facit ad reſponſionem præſentem dupliciter conſiderari poſſe. Primò in abſtracto, ſeu formaliter. Secundò in concreto, ſeu materialiter vt ſignificant rem actu exiſtentem, vel futurã. hoc ſecundo modo clarum eſt nõ habere neceſſariam connexionem cum eſſentia diuina, quia liberè pendent à decreto Dei. Pimò modo habent neceſſariam connexionem, quia ex eo, quod eſt eſſentia diuina, & prima veritas, neceſſariò ſequuntur aliæ veritates, & æternæ rationes, vt oſtendi primo tomo: ita tamen vt ſi iſtæ implicarent omnes, ac proinde etiam veritas iſta implicãtiæ ipſarum, adhuc eadem eſset eſsentia, quæ nunc eſt. Et hanc veritatem cõcomitanter nouit intellectus beati, non ex vi eſſentiæ viſæ vt obiecti.

SEPTIMVM

Corollarium.

An Deus ex vi eſſentiæ cognitæ creaturas cognoſcat.

CAP. XXI.

I. Multis modis intelligi poteſt Deus cognoſcere in ſe creaturas.
II. In ſua eſſentia, in ſua ſcientia, & intellectione.
III. In actu ſuæ voluntatis, & complacentia de poſſibilibus.
IV. Explicatio Patrum.
V. Cognoſcit etiam creaturas extra ſuam eſſentiam.
VI. Reſpondetur argumẽtis contrarijs.

XC. NEQVE Deus ex vi cognitionis eſſentiæ vt obiecti cogniti, & medij formalis cognoſcendi videt creaturas vel poſſibiles, vel exiſtentes pro aliqua differentia temporis: hoc repeto dictum ſuperius, quia indiget maiori explicatione. Supponendum eſt autem vt certum Deum cognoſcere quicquid cognoſcibile eſt comprehenſiuè, & hoc ſuppoſito multipliciter intelligi poteſt, quod creaturas cognoſcat primò in ſua eſſentia, quatenus videt illas à ſe pendere, vt ab efficiente, exemplari, & finali cauſa, quia ſcilicet ipſe eſt per ſe ens independens, ſine cuius virtute, & influxu nihil produci, aut cõſeruari poteſt; & quod eſt ſummum imitabile, per cuius participationem eſt quicquid eſt, & finis, propter quẽ tandem omnia ſunt, & cuius gloriæ non poteſt non ſeruire creatura quæuis. Ad hoc autem non eſt opus vt eſſentia cognita dicatur medium formale cognoſcendi, ſed ſufficit infinita perfectio cognitionis comprehenſiuę Dei, quæ attingit omne cognoſcibile ſecundùm totam cognoſcibilitatem; ita vt nihil ipſum lateat, ſiue abſolutum, ſiue reſpectiuum ſecundùm omnem connexionem, quam cum alijs habet, tam de facto, quam de poſsibili, etiam conditionato: Conſequenter creaturas nouit ſecundùm dependentiam, quam habent à ſe, & ſeipſum ſecundùm omnimodam independentiam, quæ cũ ſit ſumma, & qua maior eſſe non poteſt, videt eandem fore etiamſi nulla eſſet poſsibilis dependẽtia cæterorum ab ipſo, eò quod tantæ perfectionis ſit, vt data poſsibilitate creaturæ neceſſariò ab eo penderet.

Modus cognoſcendi creaturas in Deo.

Secundò. Cognoſcit Deus creaturas in ſua ſcientia, quia ipſa eſt expreſſio creaturarum, & vt talem ipſam comprehendit, & non ſolùm vt eſt ens primum, independens, cauſa cauſarum, &c. Suppono, Deum cognoſcere ſuam eſſentiam, quæ ſiue conſiſtat formaliter in eo, quod eſt primũ ens per ſe ſubſiſtens, ſiue eſt intellectione in communi ſẽtentia hanc intelligit per cognitionem reflexam: quod non ſolùm Theologica Schola, ſed etiam Peripatetica tenet cũ Ariſtotele 12. Metaph. c. 3. *Seipſam ergo intelligit, ſi eſt quidem quod optimum eſt, inquit Philoſophus, & eſt quidem intellectionis intellectio, &c.* Itaque nõ ſolùm eſt directa intellectio ſui, & omnium intelligibilium, ſed etiam reflexa ſuæ intellectionis per noſtrũ modum concipiendi, ſecluſis imperfectionibus: conſequenter in ſua intellectione cognoſcit quicquid per illam exprimitur, quamquam enim vniuerſaliter loquendo, viſo exemplari, aut repræſentatiuo non eſt neceſſe in XCI. Ariſtot.

Digitized by Google

Comprehēſiua cognitio repræſentat ſe, & omnia quorum eſt expreſſio

in eo videri repræſentabilia; & licèt viſio ipſa beata videri poſſet intuitiuè, quin videretur intuitiuè obiectū, cuius eſt expreſsio, ideſt Deus ipſe, niſi vt terminus in quem fertur; tamē intellectio comprehenſiua omnium intelligibilium, qualis eſt diuina, intelligendo ſeipſam ſimul intelligit cōprehēſiuè quicquid exprimit, & quicquid ad illam pertinet, ſiue intrinſecum ſit illud, ſiue extrinſecum. Et in hoc ſenſu poteſt dici Deus videre creaturas in ſe, ideſt in ſua ſcientia, quæ realiter identificatur eſſentię, ſed hic eſt diuerſus ab eo, in quo quæritur an eſſentia cognita ſit medium formale cognoſcēdi creaturas; quemadmodum alius ſenſus eſt quæſtionis, an cognita eſſentia Angeli ſit mediū cognoſcendi accidentia ipſius; & an in cognitione Angeli, ſi comprehēderetur, cognoſcerentur obiecta, quæ repręſentat, & exprimit vitaliter; nam vt hoc ſecundū non pendet à primo; ita nec primum ab hoc ſecundo, quia diuerſa ſunt, & non connexa neceſſario. Sic poteſt conſiderari eſſentia diuina vt ens primum, independens, directè cognitum ab intellectu diui no; imò ſi conſiſtit formaliter in intellectione actuali, conſiderari poteſt vt intellectio directa ſui, & ita dico terminari quidem ad creaturas cum ſit infinitè perfecta, & comprehenſiua omnium intelligibilium; ſed non eſſe medium formale cognoſcendi illas, vt ſupra Et rurſus conſiderari poteſt eadem intellectio vt terminus reflexæ cognitionis; & ita cognoſcitur vt perfectiſſima expreſſio omnium intelligibilium, atque adeo in ipſa, vt in exemplari vitaliter exprimēte co gnoſcuntur omnia expreſſa, quia, cognitio reflexa comprehenſiua eſt omnium, ſicut & directa expreſſiua eſt omnium. Neque tamen abſolutè dicitur Deus cognoſcere creaturas in ſe obiectiuè cognito, ſed in ſua cognitione directa per reflexam, non quod formaliter ſint duæ cognitiones iſtæ diſtinctæ; ſed virtualiter quatenus cognitio directa dicitur comprehendere omne cognoſcibile, & ſic etiam ſeipſam, & æquiualenter infinitas reflexas. Quod ſi verbum ab intellectu formatum videretur, vt quod, cognitione directa, & non ſolùm vt quo, eodem modo d cerentur videri quæcumque exprimit, vt exemplar vitale, quin oporteret concedere videri per eſſentiam, vt obiectum cognitum creaturæ; & vtrouis modo conſtans ſibi eſſet Vazq. negans creaturas videri in Deo vt obiecto cognito, & concedēs videri in Verbo ſuo à Deo: vt proinde gratis Gonzal. in queſt. 14. 1. p. d. 37. num. 20. notet inconſtantiæ Vazq. quem defendit ibidem a. 5. num. 27. Faſol.

Videri creaturas a Deo in Verbo ſuo docet Vazq. cohærenter ad ſua principia.

Tertiò. Hinc ſurgit alius modus, quo dici poteſt Deus cognoſcere creaturas in ſe ipſo cognito diſtinctus primo, nam per hoc, quod videt ſuam intellectionem, eamque comprehendit, conſequenter in ea videt eſſentiā, & quicquid ad illam quoquo modo pertinet; quia ſua cognitio directa eſt expreſſio omnium intelligibilium, & ea comprehenditur per reflexam: pertinent autem ad eſſentiam cognitam, & ad cognitionem directā omnes creaturæ, & omnis veritas, atque adeo omnis dependētia, quàm habent à Deo, & ex vi eius cognitæ cognoſcuntur etiam iſtæ; quia eſt actualis expreſſio ipſarum, tanquam à ſe dependentium, atque ita differt hic modus à primo, nam in primo cognoſcuntur quidem concomitanter creaturæ ex vi cognitionis directæ, quæ infinita eſt, & complectitur omne intelligibile, ſed nō ex cognitione obiecti primarij, quod cognitum ſit formale medium cognoſcendi: deinde in primo idcirco dicūtur cognoſci creaturæ in Deo, quia cognoſcitur connexio, & dependentia ab illo; In ſecundo ideo cognoſcitur, quia cognitio cognita eſt expreſſio ipſarum, quod haberet etiamſi non penderent à cognoſcente. Præterea cognitio eſt ſimilitudo expreſſionis, quæ ſumma eſt, & melius exprimit rem, quam res ſeipſam, quia res accipit rationem expreſſionis ab illa, & ſecundùm hanc *cognoſcit Deus*, ait S. Bonau. in 1. d. 35. a. 1. q. 1. ad arg. *& non ſecundùm ſimilitudinem imitationis, quæ modica eſt, quia in modico poteſt finitū imitari infinitum; vnde ſemper maior eſt diſſimilitudo, quàm ſimilitudo, vt ibidem docet ad ſecundum,* apertè indicans eſſentiam

XCIII.

tiam vt eſt ſimilitudo expreſſionis, ſeu expreſſiua per cognitionem eſſe rationem cognoſcendi creaturas, vt patet ex verbis eiuſdem quæſtionis in corp. *Et quoniam omne id quodſummè exprimit perfectiſſimè aſſimilat cognitũ aſſimilatione competenti cognitioni; ideo patet quod ipſa veritas ex hoc quod ſatis cognoſcere, eſt ſimilitudo expreſſiua, & idea &c.* ſimilia habet in 3. d. 14. a.1.q.1.2. vbi ait, quod aſſimilatio ſufficiens ad cognitionem non tantùm eſt per ſpeciem acceptã à re, ſed etiã per aſſimilationem ad illud, quod eſt ratio cognoſcendi cætera, ideſt ad Verbum, quod dicitur ſimilitudo nõ in eſſendo, ſed in exprimendo, quod habet quatenus intellectio eſt, ſeu vt Verbum eſt expreſsiuum rerum cognitarum. Et clariùs adhuc in primo cit.d.35.a.1.q.2.c. vbi diſtinguit cognitionem noſtrã à diuina, quod iſta poteſt eſſe vna omnium cognoſcibilium ſimilitudo, cum ſit actus purus, cui omnia comparantur cognoſcibilia per modum poſſibilis; hæc autem cum ſe habeat per modum poſſibilis reſpectu cogniti, & quodammodo ſit informabilis ab illo, non poteſt eſſe ſimilitudo &c. loquitur ergo de ſimilitudine cognitionis.

Eſſentia diuina vt ex preſſiua per cognitioné eſt ratio cognoſcendi creaturas.

XCIV. Quartò. Rurſus hinc ſequitur in actu voluntatis ſuæ, quæ eſt complacentia de poſſibilibus Deum cognoſcere creaturas quatenus reflexa cognitio fertur in illud omne, quod pertinet ad directam, qualis eſt complacentia, quæ neceſſariò conſequitur. Cum enim & hanc cõprehendat perfectiſſima comprehenſione, comprehendit etiam ex vi eius comprehenſæ creaturas, ſuper quas cadit; & idem eſt de decreto reſpectu exiſtentium pro aliqua differentia temporis. Quãquam igitur viſa eſſentia non videantur neceſſariò decreta, ſine quibus cõpletè ſumptis illa potuit eſſe; tamen viſo decreto, neceſſariò videtur & eſſentia, & creaturæ exiſtentes, aut futuræ per diuinam cognitionem; quia eſt comprehenſiua, & proinde perfectiſſimè cognoſcit quicquid attinet ad decretum: ad ipſum autem pertinet & eſſentia, ac perſonæ decernentes, & id quod decernitur quæ ſunt creaturæ: idem eſt de ijs, quæ decernit poſitiuè facere, nam cognoſcuntur in hoc decreto, non ſecus ac in eorum complacentia quæ ſunt poſſibilia tantum nunquam futura.

Quomodo in complacentia cognoſcat creaturas Deus.

Viſo decreto videtur ſe eſſentia neceſſario.

Quintò. Ex dictis explicari poſſunt Patres ſupra citati, præſertim Dionyſ. quando aſſerunt Deum cognoſcere creaturas in ſe, vt in cauſa; nam ratio cauſæ, vel accipitur radicaliter, ſeu materialiter pro eo quod cauſat, vel cauſare poteſt; & ita Deus eſt abſolutus ab omni extrinſeco, & ſolùm per noſtrum modum intelligendi apprehenditur cum reſpectu ad terminum, quia cauſa alicuius cauſa eſt: Vel accipitur formaliter, vt dicit ſcientiam dirigentem, & decretũ imperans, atque ita in illa cognoſcuntur creaturę, quia comprehenduntur à Deo, atque adeo cum illis omnia, quæ ad ipſum pertinent, quales ſunt creaturæ, quarum illa ſcientia eſt ſimilitudo expreſſiua, & decretum eſt volitio imperatiua, ſeu determinatiua: quod verum eſt de creaturis exſtentibus pro aliqua differentia temporis, de quibus Dionyſ. de diu. nom. c. 7. *Ipſa enim ſeipſam omnium cauſam noſcens nullo prorſus modo ea, quæ à ſe profecta ſunt, & quorum cauſa eſt, ignorauit*. In quo ſenſu explicãtur ſimilia verba, quæ ſæpius de hoc habet Dionyſ. nam de poſsibilibus alia eſt ratio, cum ſuper illa, vt ſic, nõ cadat decretum, niſi non producendi, ſi hoc admittatur reſpectu rerum non producendarum.

Cur patres aſſerãt Deũ cognoſcere creaturas in ſe vt in cauſa.

Sextò. Nõ tamen hinc inferas Deũ non cognoſcere creaturas immediatè in ſeipſos extra eſſentiam, quamuis enim Suar.l.3.de attrib.c.2. id neget, tamen num. 12. citat pro contraria Scotum, & Nominales, iuxta quorum ſententiam Deus cõcomitãter ad ſuæ eſſentiæ cognitionem fertur immediatè per eandem ſui cognitionem ad creaturas in ſeipſis: quam ſententiam variè explicant ſui defenſores, inter quos eſt etiam P. Arriag. tom. 1. Theol. diſp. 19. ſect. 4. & eſt conformior principijs S. Bonauent. iuxta quæ ſi Deus abſtractus eſt ab omni creatura, non eſt neceſſe in illo cognoſci vllam ex ipſis; Et ſi per impoſſibile eſſent omnes impoſsibiles, eſſet idem Deus, & eadem eius cognitio quæ nunc eſt: XCV.

Et aliunde ex eo quod eſt infinitè intellectiuus, licet non eſſet omnium productiuus, vt cenſebant impie Manichæi, adhuc eſſet omnium cognoſcitiuus: ex hoc ergo præcisè quòd intellectio eius eſt infinita, & attingit omne cognoſcibile, fatendum eſt prꝫter modos numeratos cognoſcendi creaturas in eſſentia, intellectione, in Verbo &c. clari hunc alterum tendendi in creaturas immediatè in ſeipſis, & non in alio, neque per aliud, ita vt eadem cognitio eſſentiæ ſit virtualiter duplex ratione obiectorum immediatè cognitorum, eſſentiæ ſcilicet, ac creaturarum non in ipſa; ſed immediata in ſeipſis extra illam. Hic autem modus cognoſcēdi nullam dicit imperfectionem; imò potius perfectionem inuoluit, quia ſic magis apparet infinita perfectio diuini intellectus potentis tēdere in creaturas varijs modis, qui nullam includunt imperfectionem; imò ſummam in eſſentiæ identitate, ac ſimplicitate perfectionem. Vt propterea non ſit ſuperfluus modus iſte cognoſcendi creaturas in ſeipſis, licet cognitas in eſſentia, & Verbo; quia commēdat omnipotentiam, & virtutem intellectiuam Dei non adſtrictam vni modo intelligendi; ſed amplectentem omnem modum, qui dicit perfectionem conuenientem Deo.

Si quæras an huic modo ſubſeruiat eſſentia diuina loco ſpeciei quæ primario repræſentat eſſentiam, & ſecūdario creaturas, vt eminens ſpecies illarum, per quam conſtitutus intellectus in actu primo per noſtrum modum intelligendi, exeat in actum ſecundum, qui per ſe terminatur ad eſſentiam, & concomitantur ad creaturas.

Reſpondeo. Non eſſe neceſſarium intelligere Diuinum intellectum conſtitui in actu primo intelligendi per ſuam eſſentiam, tāquam per ſpeciem; ſiue quia eſſentia eius in intellectione conſiſtit, ſecundum opinionem probabilem: Siue quia intellectus eius formaliter per ſe eſt infinitè perfectus, & omnium ſcibiliū intellectiuus præcisè ex hoc quòd eſt intellectus diuinus, ac proinde nullo indigens, neque vt concauſa, neque vt determinatiuo ad hoc vt intelligat: ſiue quia ex hoc quod diuinus intellectus concipi debet vt actus purus, intelligit in actu ſecundo, & proinde tendens in omne intelligibile ex ſua infinita virtute. Idque cōforme eſt doctrinæ S. Bonauent. in 1. d. 38. a. 2. q. 1. abſolute pronunciantis per eandem cognitionem Deum ſe, & alia cognoſcere. In qua cognitione quid opus eſt ſpecie, ſi inſtar omnium eſt infinita perfectio intellectus diuini continētis in ſe eminenter perfectiones omniū ſpecierū, ſi illi tribuenda eſt vis intellectiua, qua maior excogitari non poſſit? Certum autem videtur magis eſſe perfectum intellectum, qui ſeipſo ſine vllo ſuperaddito poteſt operari, quā qui indiget ſpecie, vel aliquo æquiualente ſpeciei. Ideo Suar. loco cit. num. 13. hunc modum cognoſcendi per eſſentiam indifferenter ponit, vel conceptam à nobis per modum ſpeciei; vel per modum ipſius meri actus intelligendi, & probabilem affirmat ſententiam ſic explicatam; ſi tamen non excludat alium modum cognoſcendi creaturas in Deo, tanquam in medio cognito, quem tamen ſupra oſtendimus eſſe contra S. Bonauent.

Intellectus diuinus nullo ſuperaddito indiget ad intelligēdum. S. Bonau.

LCVI. Obijcies primò. Si Deus non intelligit creaturas in ſeipſo vt in obiecto cognito, vt medio cognoſcēdi formaliter, ſequitur quòd creaturæ ſint immediatū, & formale obiectum diuinæ cognitionis, & cognoſcantur per ſpeciem immediatè repræſentatiuam ipſarum: ex hoc autem ſequuntur varia incommoda, v. gr. quod creaturæ eſſent perfectio diuini intellectus; & proinde penderet ab illis, & ſpecificarent diuinam intellectionem; ideo enim eſſentia diuina perficit, & ſpecificat. quia eſt immediatum, & formale obiectum, iuxta communem ſententiam, quod actus ſpecificatur ab obiecto ſcilicet formali; & immediato. Item tribueretur Deo imperfecta cognitio, qualis eſt rerum in ſeipſis, quæ decoloratior dicitur ab Aug. ſupra, & veſpertina; & non eſſet comprehenſiua Dei ipſius, quia non conciperet ſe obiectiuè omni modo, quo eſt conceptibilis, nimirum cum habitudine ad omnia poſſibilia, & vt habens rationem cauſæ, continentis

emi-

eminẽter, & ſimilia quæ objiciuntur adprob. quod nulla creatura relucet intellectui diuino obiectiuè immed.

Reſpondeo, creaturas eſſe immediatum obiectum diuinæ cognitionis; ſed ſecundarium, & minus principale, & non formale; ex hoc enim quod cognitio hæc eſt eſſentiæ, vt obiecti primarij, & formalis, habet infinitam perfectionem, & comprehenſiua eſt, & ideo per ſe, & primariò exprimit diuinam eſſentiam, ſecundariò, & cõſequenter creaturas in ſeipſis. Neque hinc ſequitur vllũ ex dictis incommodis, ſolùm enim de obiecto primario, & per ſe verificatur, quod ſit perfectio intellectionis, & ſpecificatiuum illius, non de ſecundario, & conſequenter intellecto: item quod ab eo pendet intellectio; neque hoc locum habet, niſi in creatis, in quibus intellectio finita eſt, & diſtincta ab intellectu; non item in diuinis, vbi non eſt diſtinctio realis inter intellectum, & intellectionem, neque ſpecificatio propriè, neque dependentia, ſed infinita perfectio intellectionis, & proinde extenſio ad omne intelligibile ſine vlla imperfectione.

in diuinis nõ dicitur propriè intellectio ſpecificari ab eſſentia, quia ab illa non diſtinguitur.

Neque obſtat auctoritas Auguſt. Loquitur enim de viſione creata, quæ fertur in creaturas, & hanc ſi videantur in Verbo, vocat matutinam; ſi in ſeipſis veſpertinam, quia nobilior eſt cognitio in Verbo, quàm in creatura ipſa; ſi comparentur hæ duæ cognitiones inter ſe, vt ſupra declarauimus; ſed cognitio diuina eſt vna, & ſimplex, & eiuſdẽ perfectionis in quodcumque feratur obiectum, quia identificatur eſſentiæ, quæ vna, & infinita eſt, nec ſecundùm vllum reſpectum maior, aut minor eſt ſeipſa.

Item negando, quod non eſſet comprehenſiua, eò quod non fertur in Deum ſecudùm habitudinem ad omnia poſſibilia; nam in Deo nulla talis eſt habitudo ad creaturas, licèt à nobis cum illa concipiatur ex imperfecto modo cognoſcendi, & illud eſſe cauſæ, & continentiæ ipſarum prout ſe tenet ex parte Dei, abſolutum eſt, & ipſe Deus, vt ſupra.

Objicies præterea. Connexio creaturarũ in Deo pertinet ad perfectionem Dei, ergo ponenda eſt, probatur antecedens; connexio patris, & aliarum perſonarum pertinet ad perfectionem patris, quia prouenit ex eius fœcunditate, ergo etiam creaturarum connexio, quæ prouenit ex omnipotentia, & virtute creatiua, quæ eſt fœcunditas creaturarum.

Confirmatur, quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt neceſſariò connexa cum creaturis poſsibilibus; & tamen non dicit imperfectionem, ſed potius perfectionem, & virtutem infinitam cognoſcitiuam; ergo neque comparatio eſſentiæ cum ijdem, quia hæc ſolùm indicat in Deo independẽtiam, & virtutem, à qua pendent omnia.

Reſpondeo ad argumentum, nego antecedens. Ad probationem nego ſequelam, diſparitas eſt, quia Deus eſsentialiter eſt trinus in perſonis, & vnus in eſsentia, & vno ex ijs intrinſecis Deitati ſublato, iam non eſt Deus: at creaturæ ſunt extrinſecæ Deo, & ideo ſi per impoſsibile non eſsent poſſibiles, remanerent intrinſeca Dei, & idem Deus, etiam omnipotens, immenſus, etc, ſecundùm ſignificatum directum iſtarum vocum, quod eſt quid abſolutum, et ipſa Dei eſsentia ſine reſpectu ad creaturas; licèt ex noſtro modo concipiendi imperfecto, non formemus conceptum, niſi cum reſpectu, vt ſupra cum S. Bonauent. dicebamus, & infra repetemus; vbi de ideis. fœcunditas, ergo Patris gignit Filium, & Filij producentis cum ipſo Spiritum Sanctum, eſt intrinſeca Deo; virtus item creatiua ſecundum ſignificatum in recto eſt intrinſeca, & maneret eadem in hypotheſi impoſſibili; licet alio vocabulo exprimeretur ſine reſpectu ad creaturas, alioqui ſi ſine illis eſſe nequit, pendet ab illis, & non ſolùm ſignificat excellentiam Dei, à quo pendent alia, ſi ijs ſublatis non eſſet idem Deus.

Ad confirmationem reſpondeo ſequi idem incõmodum ſi ſublatis poſſibilibus mutaretur ſcientia ſimplicis intelligentiæ Dei, non item ſi dicatur remanſuram eandem ſecundùm principale ſignificatum in recto, quod eſt eſſentia, cum qua ſcientia realiter idẽtificatur.

Objicies tertiò, contra vltimũ modum

dum cognoſcendi creaturas in ſeipſis immediatè, quia iſta cognitio pendet à creaturis, ſicut omnis cognitio ab obiecto; neque hic valet diſtinctio de obiecto primario,& ſecundario ſupra allata, quia creaturæ reſpectu huius cognitionis per ſe terminant diuinam cognitionem, & ſunt obiectum eius primarium: non poteſt autem diuina cognitio pendere, aut perfici,vel ſpecificari à creatura.

Reſpondet P. Arriaga loc.ci.diſp.19 n.21. hanc dependentiam à creaturis nullam dicere imperfectionem. Nequeo aſſentiri, quia quicquid diuinũ eſt prius eſt ſecundum omnem prioritatem omni creatura; & tantæ excellentiæ, vt omnis creatura ab illo pẽdeat: præterquam quod omnis dependentia dicit indigentiam, & hæc imperfectionem inuoluit.

Reſpondeo igitur cognitionẽ hanc non pendere à creaturis, quia vna, & eadem eſt cum cognitione eſſentiæ, ſeu cum diuina intellectione, quę extenditur ad creaturas.

Obijcies quartò, contra dicta de cognitione reflexa Dei, per quam comprehendit directam, ac proinde eſſentiam, cuius illa eſt, & quicquid pertinet ad eſſentiam, quia ſi admittitur in Deo reflexa cognitio, primò quidem dabitur proceſſus in infinitũ in reflectentibus, & reflexibilibus cognitionibus, quia non eſt maior ratio cur vna ſit reflexibilis, & reflectens, quam alia: Deinde ſequitur, quod vna erit incognita, quia careret reflectente, per quam deberet cognoſci; nam prima, quæ terminatur directa ad Deum, & creaturas eſt reflexibilis, hoc eſt cognoſcibilis per reflexionem; ipſa verò non eſt reflectens, cum non terminetur ad cognitionem, ſed ad eſſentiam; reflectens autem terminatur ad cognitionem directè, quia ſic appellatur eo quod reflectat ſupra ſeipſam.

Ingenioſè diſputat P. Arriaga de hoc argumento tom.1.diſp.14.ſect.1. contra admittẽtem infinitatem reflexionũ in cognitione diuina: ſed ſuſpicor hanc vnam eſſe argutiarum diſplicitarum S.Bonauenturæ, teſte Gerſone p.p libri de examin. doctrin. & quia argumentum pleraq; inuoluit aliena à præſenti diſputatione; breuiter reſpondeo negando vtrumque incommodum tam de infinitate; quàm de ignoratione vnius cognitionis non reflexibilis. Ratio eſt, quia hæc reflexio in Dei cognitione eſt tantum virtualis, & identificata realiter cum directa, quæ directè cadit ſuper omne ſcibile, & proinde ſuper omnem cognitionem poſſibilem, qualis non eſt multitudo cognitionum in Deo ente ſimpliciſsimo, & ideo neque ſcibilis eſt, niſi vt entia rationis, quæ non fiunt à Deo.

Dices, hæc ratio probaret nullam dari cognitionem reflexam in Deo; quam tamen admittunt etiam illi, qui negant in creata cognitione, exceptis Nominalibus Ocham, Gabr. &c. abſolutè negantibus, eo quod putent omnem cognitionem reflexam eſſe complexam nõ admittendã per ipſos, neq; beatis, neque in Deo: quos confutat Suar. l 2. de Attrib. Negat c.18. n.9. negãs aſſumptum:ſequela probatur,quia enti ſimpliciſsimo tam repugnat duplex cognitio, quàm triplex, vel quadruplex reflexa.

Reſpondeo igitur, & nego ſequelam, quia in Deo eſt vna ſimpliciſsima cognitio, virtualiter tantum duplex: ex eo enim quod eſt infinitè perfecta continet perfectiones omniũ cognitionum in ſimpliciſsima ſua entitate; & proinde etiam perfectiones omnium reflexarum; & ob hanc perfectionem tendit in omne ſcibile; ita vt nihil cognoſcendum reliquum ſit poſt directam cognitionem formaliter eſſentiæ ſuæ, & ſui ipſius,quaſi reflexè; nihilominus eadem ſimplex cognitio directè tendens in eſſentiã concipitur à nobis diſtincta virtualiter à ſe, vt tendens in ſeipſam, quia tam Deus, quàm beatus nouit ſuam beatitudinem; ſed quæcumque fingantur reflexæ in Deo præter hanc, ſunt figmenta indigna Deo, quia reflexa ponitur ad cognoſcendam reflexibilem, & conſequenter per ſuam directam cognitionem nõ attingeret Deus omnia ſcibilia, neque omni modo, quo ſunt cognoſcibilia, quod non eſt aſſerendum. XCVII.

Sed quia plura dicta ſunt de diuinis decretis, in quibus etiam cognoſcun-

ſcuntur creaturæ futuræ, poſtulat inſtituti ratio vt ad eorum, & aliorum, quæ tractanda ſunt abſolutionem aliquid de diuinis decretis dicamus, non quidem inſtituendo prolixam diſputationem; ſed quantum ſatis eſt ad prædictorum pleniorem cognitionē.

IN QVO CONSISTAT

liberum decretum Dei.

CAP. XXII.

I. *Difficultas quæſiti.*
II. *Vndecim ſententiæ Theologorum ad tres modos generales reducta.*
III. *Præmittenda ad aſſertiones, & declarationem eorum.*
IV. *Reſponſio ad obiectiones.*

XCVIII. Difficilis quæſtio. Caiet. Bann. Suar. Vazq. VISA eſt difficultas hæc grauis Caiet. 1. q. 19. a. 3. §. Ad hoc. Bann. q. eadem a. 10. §. ad tertium. Suarius etiā in Metaph. diſp. 30 ſect. 9. *Non vereor, inquit*, num. 31. *confiteri nihil me inueniſſe, quod mihi ſatisfaciat*. & tom. 1. in 3 in 3. p. diſp. 1. ſect. 1. §. ad difficultatem, *Vnum eſt ex diuinis myſterijs, quod humana ratione nec comprehendi, nec declarari poſſe exiſtimo*. Vazq. in in 1. p. diſp. 80. num. 12. ait eſſe inſolubilem pro ſtatu huius vitæ, ſed propter argumentum in ſua ſententia inſolubile, non item in noſtra, vt infra. Mol. Mol. 1. p. 14. a. 5. Et *fortè, inquit, id de numero eorum eſt, quæ ab humana mente in hac vita comprehendi non poſſunt*. Et verè cum decretum Dei liberum ſit æternum, & potuerit non eſſe, quia Deus poterat determinare, non creare mundum, exempl. g. ideo in primo ſigno concipitur indifferens ad volendum mundum, & nolendum; per quid igitur tollitur hæc indifferētia, & determinatur ad volendum? Si per aliquid intrinſecum reale, ergo Deus eſt mutabilis, quia recipit in ſe aliquid, quod prius non habebat. Ergo non eſt actus purus, & ſimpliciſſimus, quia compoſitionem admittit; Ergo non quicquid eſt in Deo eſt Deus realiter, & cum eſſentia identificatū; quia hæc eſt neceſſaria, & actus liber ideo dicitur liber, quia poteſt non eſſe; & ſimilia: Idque ſiue actus extrinſece dicatur liber à voluntate potēte determinare, & non determinare, ſiue intrinſece à ſua entitate cōueniat illi hæc denominatio, iuxta varias ſententias, quæ tamen in hoc conueniunt, quod Deus ſit actus purus, immutabilis; de quo S. Bonauent. in 1. diſt. 8. p. 1. q. 1.

Si verò nihil addit intrinſecè, quomodo determinatur Deus ad volendum, vel nolendum, ita vt dicatur volitio noua intrinſeca Deo penitus immutato, & immutabili? quomodo fit tranſitus à contradictorio in contradictorium realis, abſque vlla mutatione reali? quomodo in Deo diſtinguitur velle, & nolle? quomodo vtrūque realiter identificatur cum diuina eſſentia ſummè neceſſaria? In quibus, & alijs ſimilibus Nazar. 1. p q. 19. a. 3. non experitur tantùm ſubeſſe difficultatis, quantum alij Theologi ſentiunt. Sed nodum hūc validiore egere ad ſoluendum cuneo, quàm qui in vulgari Theologiæ officina cudi ſoleat; tum rationes dubitandi raptim indicatæ; tum multiplices Scholaſticorum de hoc ſententiæ fidem faciūt. Eas ad decadem recenſet, confutatq. prolixè P. Recupitus p. 2. de Deo, l. 2. q. 8. addita ſua vndecima pariter ab alijs confutanda. Nazar.

Non hæreo hic diutiùs in illis referendis, quia longior tractatio de diuinis decretis aliena eſt ab inſtituto meo, dicam breuiter quæ mihi viſa ſunt aptiora ad rem abſtruſam capiēdam, & ad reſponſionem argumentorū in contrariū ſanè quàm idonea.

Primò quidem ne fiat quæſtio de vocabulis, parui refert titulus quæſtionis, quem nonnul is libet ita proponere, An decretum Dei liberum compleatur per aliquid ipſi intrinſecum, an per aliquid extrinſecum: & æquiualet huic alteri per quid conſtituatur velle liberum: & vterque titulus idem eſt cum hoc tertio, quid ſit in Deo actus liber, ſeu quid dicat formaliter liberum decretum Dei diſtinctū ab eſſentia ſummè neceſſaria. Quid eſt in Deo eſt Deus & in ſe neceſſarium.

Deinde cōuenit inter omnes Theologos quicquid eſt in Deo realiter eſſe Deum, atque adeo habere eſſe neceſ-

ceſſarium, & non contingens: conſequenter cum de ratione liberi ſit eſſe poſſe, & poſſe non eſſe, oportet actũ liberum Dei inuoluere aliquid in ſuo conceptu, quod poſſit eſſe & nõ eſſe, & diſtingui aliquo modo ab eſſentia, quæ neceſſaria eſt, ac indifferens ad volendum, & nolendum; hoc autem quid ſit in controuerſia futurum eſt, donec dies illuceſcat æternæ vitæ, & appareat, quæ propius ad veritatem acceſſerint ex varijs ſententijs, quæ ad tres dicendi modos in genere reduci poſſunt, eo intacto, qui libertatem agnoſcit in iudicio indifferẽtiæ obiecti, quam radicem quidem libibertatis communiter agnoſcunt Theologi, ſed non formalem rationem libertatis, quæ in voluntate eſt.

XCIX. *Primus dicendi modus. Caiet.* Primus eſt eorum, qui actum liberum dicunt eſſe perfectionem voluntariam, quæ potuit eſſe & non eſſe, atque adeo potuit deeſſe Deo aliqua perfectio voluntaria, ait Caiet. 1. p. q. 19. a. 2. §. Ad hoc poteſt. negans oppoſitum eius dicere imperfectionem, v. g. velle mundum eſt perfectio voluntaria, neque tamen nolitio eſt imperfectio.

Reclamat turba Theologorum, vt teſtatur Medin. 3 p. q. 3. procem. & vt male ſonantem reijcit Ban. 1. p. q. 19. a. 2. Valen. ibid. p. 3. aſſert. 1. dub. 2. Mol. ibid. diſp. 2. vt parum tutam in fide. A quibus notis vendicat Naz. locis citatis, 1. p. §. & ab alijs reputatur probabilis, vt videre eſt apud Salaſ. t. 1. in 1. 2. q. 6. trac. 2. diſp. 3. ſec. 2. quicquid tamen ſit de notis, aut probaſilitate ſententiæ, non placet, tum quia poſſe habere hanc perfectionem dicit potentialitatem repugnantem actui puro: tum quia hæc perfectio adueniens facit compoſitionem cum eſſentia, quæ non ſtat cum ſimplicitate: tum quia hæc perfectio, vel eſt accidens, quod poteſt adeſſe, & abeſſe; & hoc non, quia Deus non eſt ſubiectum accidentis: vel eſt ſubſtantia; atque ita aliquid ſubſtantiale diſtinctum ab eſſentia deeſſet Deo, ex quo ſequeretur quod eſſentia nõ eſſet infinitæ perfectionis, quia deeſſet illi ſubſtantialis perfectio ordinis diuini; tum quia talis perfectio non eſt ab alio, quia nihil intrinſecum Deo eſt ab alio, quàm à Deo ipſo, quomodo enim à creatura pendeat vlla diuina perfectio? Si autem eſt à ſe, & independens, eſt etiam ens primum, ac neceſſarium; tum quia in Concilio Rhemenſi in Symbolo fidei habẽtur hæc verba, *Credimus, & confitemur ſolùm Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum æternum eſſe*, nec aliquæ omnino res, ſiue relationes, ſiue proprietates, ſiue ſingularitates, vel vnitates dicantur, vel alia huiuſmodi adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus. *Concil. Rhemen.* Acta Concilij illius magna diligentia conquiſita à ſe fatetur Vazq. 1. p. diſq. 120. c. 2. & licèt non omnia tanquam de fide ſint confirmata ab Eugenio III. omnia tamen ſunt magnæ auctoritatis, quia Pontifex præſens aderat cum multis Cardinalibus, & alijs viris doctiſsimis, inter quos S. Bernardus Abbas Clareual, vt ex hiſtoricis refert idem Vazq.

Ad hoc idem caput reducitur recentiorum aliquot placitum virtualem diſtinctionem agnoſcentium inter actum neceſſarium, & liberum Dei, eò quòd iſta diſtinctio ſufficiat ad hoc, vt eadem entitas dicatur abſoluta, & relatiua, communicabilis, & incõmunicabilis, producta, & improducta. *Alij ponunt virtualem diſtinctionẽ inter actum liberum, & eſſentiam.* Sicut enim in Patre eſt paternitas, & in Filio filiatio, & non paternitas; ita in habitudine ad creaturam eſt volitio creaturæ, quæ opponitur nolitioni, & eſt eadem ac eſſentia; ſicut vtraque relatio eſt eadem cum eſſentia: quo exemplo putat hæc ſententia ſatisfieri omnibus argumentis contrarijs per inſtantias à Trinitate petitas, in qua videntur eſſe contradictoria, quæ tamen non ſunt.

Sed diſplicet, quia communicabilitas, & incommunicabilitas, ſunt perfectiones nullam inuoluentes imperfectionem; at actus liber, ſi conſtituitur per aliquid intrinſecum, quod poſſit eſſe, & non eſſe, inuoluit imperfectionem in ſuo conceptu formali, quia poſſe non eſſe eſt defectibilitas non cadens in Deum. Deinde quæ ſeparantur realiter, non ſunt idem realiter in ſe, ſed volitio mundi ex. gr. ſeparatur realiter à nolitione, ergo non identificatur illi realiter, & tamen omnia quæ ſunt in Deo identificantur

cantur realiter illi, & omnia attributa abſoluta, quia nullam inuoluunt in ſuo conceptu imperfectionem vniuntur in vna infinita perfectione eſſentiæ, in qua non poſſunt vniri quæ formaliter inuoluunt imperfectionẽ, qualia ſunt quæ poſſunt non eſſe, & defectibilia. Tertio. Volitio mundi realiter eſt idem quod eſſentia diuina, ſed illa liberè poſita eſt, & potuit non poni, quia Deus poterat noluiſſe mundum, igitur aliquid in Deo eſt, quod potuit non eſſe, & aliquid non eſt quod potuit eſſe. Nec vitatur inconueniens per diſtinctionem virtualem, ſi diſtinctorum eſt eadem realis entitas obſtans ſeparabilitati à te admiſsæ.

Dices quod liberũ ſumi poteſt adæquatè, vt cõplectitur eſsentiã diuinã, vel actum ipſi realiter identificatũ; & formalitatem libertatis, quæ eſt perfectio virtualiter diſtincta, & inadæquatè, vt inadæquatè cadit ſuper alterutram, vel vtramque diſiunctim. Primo modo dicis eſse neceſsarium, quia illud complexum eſt realiter eſsentia ſummè neceſsaria; & ſimul eſt liberum, quia vt concipitur cum habitudine ad creaturas potuit non eſse, ſicut eſsentia adęquatè ſumpta vt complectitur paternitatem eſt communicabilis reſpectu ſui præcisè ſumptæ, & eſt ſimul incommunicabilis vt dicit paternitatem; & idem valet ſi dicatur quod Deus, vt dicit relationem non eſt intelligens, nec volens; quia ſicut non eſſe neceſsarium deſtruit eſsentiã Dei, ita non eſse intelligentem, & volentem; & tamen dicitur Deus ſecundùm rationem relationis, non eſt intelligens, citra præiudicium eſſentiæ, quia adęquatè ſumpta eſt intelligens; ita & eſse liberum ſecundùm vnam rationem, non erit contra eſsentiam, quia adæquatè ſumpta eſt neceſsariã; non autem inadæquatè, vt liberè volens.

Non valet hæc euaſio ob diſparitatem allatam; quia eſse liberum realiter eſt. poſse non eſſe, quod inuoluit imperfectionem de primo ſui conceptu, & ideo intrinſecè repugnat Deo; At vero non intelligens, non volens &c. accipiuntur non negatiuè, ita vt ſignificent negationem intelligendi, & volendi, vt ens excludunt; ſicut liberum opponitur neceſsario formaliter, cum intrinſecè inuoluat contingentiam; ſed accipiuntur præciſiuè, & ſecundùm rationem hanc pręciſiuam inuoluunt perfectionem conuenientem Deo. Propterea conſiderari poſſunt vt rationes inter ſe, & ab eſsentia conceptu diſtinctæ, & realiter cum ipſa identificatæ; non item ratio contingentiæ, quæ ex hoc præcisè dicit aliquid repugnans Deo; idque ſiue illa ratio dicatur ens, aut perfectio diminuens; ſiue præcisè, ſiue abſtractè ſumatur; breuiter quocumque modo ſumatur, defectibilitatẽ dicit, quæ non poteſt realiter identificari cum infinita perfectione, cui repugnat defectus; non ſecus ac in creatis, v.g. in Angelo, vel homine, non poteſt concipi vlla ratio præciſa, vel abſtracta, quæ deſtruat eſsentiam ipſorum; aut realiter identificetur cum aliqua perfectione ipſorum, quibus repugnans aliquid dicat in primo ſui conceptu; ſicut repugnat ratio contingentiæ, vt ſic, enti ſummè neceſſario in quocumque ſenſu ſumatur illa ratio præciſa, & quicquid ſignificet dum poſse non eſse ſignificat, & contingentiam Deo appoſitam inuoluit.

Poſse non eſſe imperfectionem inuoluit.

CL. Nouus modus à determinatione intrinſeca petitus.

Huc reuocatur aliud inuentũ præſtantium Theologorum recentiorum aſſerentium actum liberum, vt ſic addere neceſsariò denominationem intrinſecam, quæ de nouo accedit Deo; cumque ab illis petatur, an ſit hæc denominatio intrinſeca, accidens, vel ſubſtantia, reſp. eſse accidens denominatiuum abſtrahens ſecundùm ſe à perfectione, & imperfectione: ſi rurſus quæratur, an illa ratio ſit ens, vel non ens; reſpondent ſecundùm ſe præcisè conſideratam neque eſse ens, neque non ens, niſi cum addito denominatiui; neque hoc eſse contra primum principium Ariſt. in Metaph. lib.4.c.5.& 6. Quodlibet eſt, aut non eſt, quia hæc denominatio eſt, ſed ſuo modo, videlicet abſtrahẽs à perfectione, & imperfectione, accidente, & ſubſtantia, & ſecundùm ſignificatum in recto, qui eſt actus vitalis Dei identificatus realiter eſſentiæ.

Alijs doctiſſimis Thologis viſum eſt hoc inuentum difficile ad capiendum,

dum, difficilius ad defendendum, niſi luſu verborum diſputatio transfigatur. Nam denominatio intrinſeca Domini, v. g. Creatoris &c. quomodo adueniat Deo benè explicatur à Theologis; S.Bonauent. in 1. diſt. 30. conſequenter ad dicta diſt. 8. S.Th. 1. p.q.13.a.7.& alijs, non item quomodo intrinſeca ab auctore ſuo excogitata; interrogant quippè, an denominatio illa ſit ens reale, aut rationis, aut nihil; ſi nihil, ergo liber actus in Deo conſtituitur liber per nihil: & quid hoc abſurdius? ſi reale etiã denominatiuũ, vti appellas; Igitur Deo aliquid reale aduenit, quod eſt contra immutabilitatem, & ſimplicitatem eius, vt ſupra dictum eſt. Si eſt ens rationis, en ſecundus modus dicendi, qui videtur omninò neceſſarius ad explicandum actum liberum; &

S.Bona. S.Thom

Coincidit cum opinione Capr. in 1.diſt.35. q.1. a.1. quem ſequitur Hiſpal. ibid. notab.2. refertur etiam pro ea Vazq. 1.p. diſp.86. num.6. Sed aliqui ex iſtis ſolùm contendunt explicari à nobis aliter non poſſe actum liberum, quàm per reſpectum rationis; quomodo fortè intelligendum, quod habet Herice 1.p.tract.2.diſp.16 c.3. n.13. videlicet in Hiſpania communẽ eſſe hanc ſententiam, quod actus liber ſupra neceſſarium addat ſolùm reſpectum rationis, in quo ſenſu explicant S.Bonau. eius inter pr. Longus q.19. de volunt. Dei a.1. §. eſt igitur, & Trig. q.13.a.2.dub.3.concl.1. in fine, qui tamen concl.2. docet, quod Deus vult per actum à ſe indiſtinctum, vt ordinatur ad hoc, vel illud obiectum per ſeipſum, ſed infra §. tota difficultas, fatetur, quod actus liber de nouo addit reſpectum rationis, & ordinem ad creatures, qui de ſe abſtrahit à perfectione, & imperfectione, quod niſi dictum velit quoad noſtrum modum intelligendi, & explicandi, patitur difficultates allatas ſupra, & alias, quæ communiter afferuntur contra Capreolum.

Secũdus modus dicẽdi.

Herice

Longhus

Trigoſ.

Etenim per ens rationis non conſtitui actum liberũ ex eo patet, quod Deus vel non facit entia rationis in ſententia probabiliori; vel ſi facit, nihil ad præſentem difficultatem expediendam conduceret, quia libertas actualis, ac realis non conſtituitur per ens rationis. Deinde ſi Deus facit hoc ens rationis, ſupponitur fundamentũ illud faciendi à parte rei, quod hic nõ inuenitur; nam vel eſt eſſentia ipſa diuina; & hoc non, quia ipſa de ſe eſt indifferens ad volendum mundum, ex.gr. vel nolendum; per quid igitur determinatur ad volendum? Vel eſt ipſe actus volendi; & hoc non, quia hic ſupponitur reſpectui rationis ad creaturam, ac proinde non conſtituitur liber per reſpectum, quo prior eſt. Neque aliud in Deo fingi poteſt fundamentum entis huius rationis, neque reſpectum hunc rationis ſe tenere ex parte illum facientis volunt auctores iſti, ſed ex parte intellectus creati aliter concipere non valentis actum liberum, niſi per reſpectum, quia fingitur in illo concipiendo; ſed non ſufficit reſpectus iſte ad ſoluendas difficultates initio poſitas, quia actus liber eſt aliquid reale in Deo, quod conſtitui per ens rationis non poteſt, neque apparet modus, quo conſtitutiuum hoc poſſit peti ex creaturis, ſi intrinſecè actus liber eſt in Deo, vt actus vitalis identificatus eſſentiæ, & cauſa creaturæ præbẽtis de nouo fundamentum, atque adeo prior creatura, vt infra.

Per reſpectũ rationis non ſaluatur libertas actus diuini.

Quia igitur neq; per additum reale intrinſecum; neque per ens rationis ſaluatur libertas actus diuini, tertius modus eſt per recurſum ad aliquid extrinſecum, & habet varias explicationes, quæ pro totidem ſentẽtijs computantur. Suarius locis initio citatis, præſertim in Metaph. *Cum ergo, inquit, amat Deus alia à ſe, non alio actu, nec per aliquid additum actui vult; ſed illomet, quo ſe amat, & quo poſſet non amare alia ſi vellet. In hoc ergo ſolum conſiſtit eminentia huius myſterij, quod hic actus apprehenditur, vt forma quædam, quæ ſecundum totam realitatem ſuam, neceſſariò in Deo eſt, ſeu eſt ipſe Deus; & tamen non neceſſariò confert, quaſi adæquatum effectum formalem, quem conferre poteſt in ordine ad extrinſeca obiecta; ſed eſt, in manu, ac poteſtatem habentis talem actum per illum tendere, vel non tendere in talia obiecta, & cum tendit verè illa amat, & vult, & ideo nihil plus habet, quàm ſi non* CII.

Tertius modus.

Digitized by Google

ſi non amaret, &c. Itaquè hæc perfectio intrinſeca Dei quoad eſſe in ſeipſa, neceſſaria eſt, ſed quoad terminationem ad creaturas eſt libera, & propter ſuam eminentiam dat effectum adæquatum formalē ſine vila ſui mutatione; & denominat intrinſecè Deū volentem, aut nolentem iuxta diuerſam terminationem ad creaturas; quę doctrina ſi intelligatur de intrinſeca denominatione petita à poteſtate denominatiua volendi, vel nolendi creaturas vera eſt, vt infra explicabitur; ſi verò de actu ipſo volendi eſſentiæ identificato, & formaliter, ac intrinſecè denominante eſſentiam de nouo volentem non expedit difficultates præcipuas ſupra numeratas; ſemper enim reſtat quærendum per quid, & quomodo ex non volente fiat Deus volens, ſi denominatio hæc eſt intrinſeca, & de nouo adueniens. neque ſatisfacis dicendo, quod eſt noua terminatio; ſemper enim recurrit argumētum, quod hæc terminatio, ſeu tendentia ad creaturas vel eſt extrinſeca Deo, vel intrinſeca ſecundùm id, quod dicit formaliter & in recto: Non primum, quia cum volitio ſit actus vitalis, & denominet intrinſecè volentē, debet eſſe intrinſeca. Neque ſecundū, quia quicquid in Deo eſt, neceſſarium eſt, & ipſe Deus realiter; ergo non poteſt dici liberum. Deinde peto, quomodo per terminationem denominetur liber, qui realiter eſt neceſſarius actus? Si enim cogitetur Deus in primo ſigno indifferens ad volendum mundum, vel nolendum, cum vtrumque poſſet; & in ſecundo ſigno concipitur volens mundum, quæro an terminatio ad mundum, quam ponis intrinſecam realiter, ſit aliquid de nouo cōſtituens formaliter Deum volentem; vel ſit nihil: Non hoc ſecundum, quia per nihil non fit Deus ex non volente volens: Igitur effectus nouus formalis, & denominatio volentis, reſultat ex additione alicuius intrinſeci realis, quod repugnat immutabilitati, & ſimplicitati actus puriſſimi, vt etiam fatetur Suar. & idem argumentum ſemper militat in quacumque reſponſione, & diſtinctione allata à Recentioribus hanc viam ſequentibus, & vocabula ſolùm mutantibus; nam loco nouæ terminationis ad creaturas dicunt eſſe nouam habitudinem ad creaturas; nouam tendētiam; nouam extenſionem, nouum connotatum.

Sed quæritur quid ſit illa noua habitudo in Deo, vel tendentias, vel extenſio ad creaturas, quam nolunt eſſe rationis tantùm, neque ſolùm inuoluere creaturas: ſed quid intrinſecum Deo? vt concedit Fonſeca tom 3 Metaph. l. 7. c. 8. q. 1. ſect. 4. Sal. tom. 1. in 1. 2. q. 6. a. 3. tract. 3. diſp. 1. ſect. 8. & alij quidam tenentes eundem actum neceſſarium Dei erga ſe, vt tendit in creaturas eſſe liberum. Neque item explicatur ſufficienter per vocē exercitij excogitatam ab Albertino to. 1. in 6. princip. philoſophico corol. 2. n. 20. diſtinguente entitatem actus vitalis ab exercitio eius; ſi enim actus hic poneretur in oculo ſine concurſu oculi, vel in lapide, eſſet ibi tota entitas actus vitalis neceſſarij circa ſeipſum; ſed non exercitium volendi creaturas, quod intelligitur aduenire liberè, quia poterat eſſe actus neceſſarius ſine hoc exercitio, & in priori ſigno concipi indifferens ad volendum, & non volendum, & in poſteriori determinatus ad alterutrum à voluntate quadam virtualiter continenti exercitium. Fonſec. Sal. Albertin.

Quod acumen non ſcindit, neque ſoluit nodum; illa enim voluntas virtualis determinatiua in actu ſecundo ad exercitium eſt conficta ſine neceſſitate, cum ſufficiat voluntas communiter in Deo poſita ſine hac diſtinctione virtualitatis ad hoc, vt determinet ſe ad exercitium volendi. Deinde redit difficultas de hoc exercitio, in quod voluntas prodit in ſecundo ſigno: vel enim eſt quid diſtinctum ab actu neceſſario, & hoc item repugnat ſimplicitati, & immutabilitati Dei: vel non eſt diſtinctum, & ita erit neceſſarium, ſicut eſt actus neceſſarius, cum quo eſt idem realiter.

Neque paucioribus, aut minoribus difficultatibus propoſitum eſt inuentum Granadi tom. 2. 1. part. trac. 3 diſp. 5. ſect. 3. à n. 19. ponentis in Deo efficacem voluntatem vtriuſq; extremi contradictorij ſub disiunctione, v. gr. mundum eſſe futurum, vel non eſſe CII.

eſſe fururum, quæ deindè determinatur ad vnum, puta, ad volendum per productionem extrinſecam, immutatis remanentibus intrinſecis Dei. Cōtra enim eſt, quia efficax iſta voluntas contradictorij inuoluit imperfectionem indignam Deo; nimirum indeliberationem, quæ prouenit vel ex defectu cognitionis non proponentis obiectum ita perfectè, vt voluntas illud ſtatim amplectatur, aut reijciat; quod de cognitione diuina infinitè perfecta nefas eſt cogitare; ſicut neque quod illo propoſito voluntas hæreat pro ſua libertate in eligendo hoc, vel illud: deindè hæſitatio iſta bona non eſt; & eodem modo reddenda eſt ratio determinationis ad vnum, puta, ad volendum mundum; nempè quia addat iſta liberat volitio actui neceſſario Dei. Non enim poteſt eſſe productio ipſa extrinſeca creaturæ, quia hæc ſupponit in Deo volūtatem determinatam producendi mundum, tanquam cauſam ſuam; non ergo poteſt dici ratio determinatiua, quæ ſe tenet ex parte Dei, & remanet dubium, quomodo voluntas Dei indifferens in primo ſigno, determinetur in ſecundo ad volendum mundum ab æterno, cum nulla eſſet productio ad extra; nec ad intra quicquam ſit in Deo, quod non ſit Deus, & ſummè neceſſarium.

Recupit. P. Recupitus loc. cit. putat ſe deuitare prædicta incommoda concedendo, quod in Deo ſit neceſſaria complacentia, & voluntas inefficax circa omnia poſſibilia, & hanc eſſe intrinſecam, reddi verò efficacem, & liberam per poſitionē effectus extrinſeci, ita vt libertas in actu primo volendi, vel nolendi effectum, ſit perfectio intrinſeca Deo; in actu vero ſecundo ſit denominatio extrinſeca, ita vt actus liber non dicatur liber, & efficax ex inefficaci reddatur intrinſecè, ſed ſolum extrinſecè denominetur ab effectu contingente, qui poteſt poni, & non poni.

Accedit hæc doctrina ad impugnatam ab ipſo, quæ eſt Aureoli in 1. diſt. 47. a. 1. & 2. & Arrubal. diſp. 14. cap. 3. Herice loc. cit. c. 9. & aliorum, qui dicunt, actum liberum ſolùm addere connotationem termini ad actum neceſſarium; à quibus parum differt Vazq. diſp. illa 80. cit. ſed iſta vocabula terminatio, connotatio, tendentia, extenſio, habitudo, &c. inſeruiunt quoquo modo rei obſcuræ cognitionis abſtractæ, & imperfectæ; rem ipſā ſatis non explicant: hæremus quippè in principijs, & quærimus quid ſit illud nouum, quod ſignificant, quo formaliter conſtituitur Deus intrinſecè volens, ex non volente: & ex alia parte nō ſit admittenda realis intrinſeca additio in Deo, rei vllius etiam ſecundùm iſtos auctores. Quid igitur eſt iſta noua connotatio, aut à quo cauſatur? Siquidem nulla mutatio poteſt Deo accidere; neque vlla accidit creaturæ ab æterno? Præterquam quod vix vitatur circulus admiſſus in hoc caſu à Vazq. ad reſpectum rationis recurrente, & reiectus ab alijs, quia in hac via ideo eſt futurus effectus, & productio eius, quia Deus voluit ab æterno, vt produceretur; & Deus dicitur liberè voluiſſe per te, quia effectus, & productio eſt futura, ſi indifferentia ad volendum, & nolendum tollitur per productionem, & effectum futurum, & ſic valeret dicere ideo effectus eſt futurus, quia Deus vult eſſe futurum: & ideò Deus vult, ſeu determinatur ad volendum, quia effectus eſt futurus. Cum enim ex parte Dei nihil ſit intrinſecè liberum, ratione cuius dicatur volitio eius potius eſſe iſtius, quàm alterius; ratio diſparitatis ex parte creaturæ eſt attendenda; hæc autem alia eſſe non poteſt, niſi quia vna creatura futura eſt, alia non; ex quo ſequitur, quod fundamentum relationis, ex quo volitio Dei dicitur libera, eſt creatura futura ait Vazq. loc. cit. & ad argumētum factum de prioritate, & poſterioritate reſpectu eiuſdem reſpondet. *Nodus hic mea quidem ſententia inſolubilis eſt, vix enim vitare poſſumus circulum in reddenda ratione, &c.* Vazquez. Mihi verò videtur ſolui partim ex doctrina Aureoli, quæ habet multos impugnatores; partim ex communi, quæ plures, aut omnes habet defenſores: conabar olim in Scholaſticis meis prælectionibus vitare circulum, & quæſtionem difficillimam aliquot aſſertionibus enodare, quas ex ma-

nuſcriptis meis huc transferre operę pretium viſum eſt, ſi pauca quædam ex S. Bonau. præmiſero, quæ accepta in Scholis ſunt, & pro principijs conceſſis ad inferendas dictas aſſertiones inſeruiunt.

Prætermittenda ad aſſertionem.

CIV. S.Bonau. SVmo igitur primò ex S. Bonauēt. in 1. diſt. 45. a. 1. q. 1. decretum in Deo eſſe actum formalem vitalem efficacem propriè dictum, indiſtinctū ab eſſentia, quod admittunt reliqui Theologi præter Aureolum in 1. diſt. 47. a. 1. & 2. vbi propoſ. 2. habet expreſsè. *In Deo ratio efficaciæ non poteſt attribui rationi volitionis intrinſecè; eo quod in Deo non eſt aliud velle, niſi complacentiæ, &c.* Et ante dixerat; *Secundùm hoc Deitas induit rationem voluntarij ex illo connotato, quod eſt habere omnem actum exteriorem in ſua poteſtate*: Et concludit, quicquid Deus extra producit voluntariè producere non actu deſiderij, vel volitionis; ſed quia producit cum quadam dominatione, & poteſtate. quæ ſecunda pars non eſt reijcienda; ſed prima, quod videlicet non intercedat actus volitionis: & vniuerſaliter quod non ſit formalis actus in Deo, cum plenitudine poteſtatis. Quod ſi dicas diſcrimen huius ſententiæ ab alijs eſſe tantùm de modo loquendi, quia actus formalis realiter non diſtinguitur à plenitudine poteſtatis; in primis non eſt ſola de nomine quæſtio, quia licèt omnia quę ſunt in Deo, ſint realiter Deus; tamen dicitur eſſe in illo formaliter omnipotentia, ſapientia, &c. ita licèt plenitudo poteſtatis ſit realiter idem quod Deitas, actus neceſſarius, &c. tamen formaliter etiā admittitur actus in Deo formaliſſimè ſumptus: Deindè in modo loquendi ſeruari debet, qui communiter vſurpatur a Theologis, neque à communi diſcedendum ſine graui neceſſitate, quæ cum hic non appareat, in ſenſu proprio accipienda eſt Scripturæ Sacræ auctoritas huiuſmodi actus Deo tribuentis: Nam ad Epheſ. c. 1. relata à S. Bonau loc. cit. ait Apoſtolus. *In quo & prædeſtinati ſumus, ſecundùm propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundùm conſiliū voluntatis, &c.* Ideſt ſecundùm decretum, & beneplacitū ſuum, vt Cornel. ibidem; per quod ſignificatur actus formalis diuinæ voluntatis. Plures auctoritates habes in S. Thom. 1. p. q. 20. & 21. & alibi paſſim. qualis ſunt propter nimiam caritatem, qua dilexit nos Deus, &c. & Io. 3. Sic Deus dilexit mundum, &c. & tota Scriptura, ait S. Bonau eſt plena hoc nomine voluntatis: & accipitur voluntas vt dicit actum volendi, qui multiplex dicitur iuxta multitudinem volitorum, Pſal. 110. Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius. idque explicat S. Bonauent. q. 2. ſeq.

Admittēdus actus volitionis formaliter ſumptus in Deo.

Confirmat S. Bonau. auctoritate Philoſophi 12. Metaph. t. 35. dicentis, quod voluntas eſt actio ipſius Dei. Verba Ariſtotelis ſunt; *Quod mouens immotum, æternum, & ſubſtantia, & actus eſt*; Et à t 39. explicat qualis ſit actus nimirum intellectio, quę & eius vita eſt. *Cæterùm, inquit, vita quoque profectò inexiſtit, ſiquidem intellectus operatio vita eſt, ille verò eſt actus; actus verò per ſe illius vita optima, & perpetua eſt, &c.* Quod ſi actus propriiſſimæ, & optimæ intellectionis in Deo eſt, cur nō etiam volitionis propriæ? Præſertim cum intellectionem ſequatur maxima delectatio, vt ibidē Ariſtoteles, & ad perfectiſſimam felicitatem, qualem Deo tribuit, maximè pertineant actus voluntatis; quam rationem affert ibidem S. Bonauent. Additque duas ad idem probandum; alteram petitam ex iuſtitia, quæ ſine voluntate non conſiſtit; Deus autem iuſtiſſimus eſt; alteram ex liberalitate quæ ſumma in Deo eſt, at hæc ſupponit amorem, qui eſt actus voluntatis. Ariſt.

Secundò. Præmittendum ex eodem S. Bonauent. ibidem in reſolutione, quod actus liber in Deo eſt ſecundum omnes perfectiones, quæ ſunt in voluntate creata modo ſupereminentiſſimo, excluſis omnibus imperfectionibus, quas fert ſecum creatura, v. gr. imperfectio actus liberi in creatura eſt contingentia quoad eſſe, & non eſſe; compoſitio eius cum ſubiecto, ſicut eſt in alijs accidentibus: dependentia realis à potentia, à qua producitur; CV.

citur; diſtantia à fine, quem non ſemper aſſequi poteſt: & ſimilia, quæ in in actum liberum Dei non cadunt; quoniam identificatur realiter cum eſſentia, quæ eſt ſummè neceſſaria, actus puriſſimus, omnis compoſitionis expers, efficax in aſſequendo fine volito pro ſuo libito, abſque impedimento extrinſeco, iuxta illud, Voluntati eius quis reſiſtit. Et in ijs nulla eſt participatio creaturę cum creatore. Vita autem, ſeu vitalitas volitionis creatæ, immanentia in ſubiecto; efficacitas in imperio ſupra potentias ſibi ſubditas ſunt perfectiones, quæ longè excellentiori modo coliguntur in Deo, & actui eius libero conueniunt præciſis imperfectionibus.

Ad Rom 9.

Tertiò. Cum actus liber in Deo ſit idem quod volũtas actualis rei alicuius, hæc autem ſit cauſa eiuſdem, vt S. Bonauent. in 1. diſt. 45. a. 2. q. 1. *Quæritur, inquit*, ibidem ad argum. *vtrum conueniat voluntati ratio cauſalitatis propter connotatum, vel propter rem ſignificatam; & reſpondet, quod propter rem, non abſolutè; ſed ſic ſignificatam, quia ſignificatur diuina eſſentia, vt voluntas &c.* quo indicat diuerſas proprietates, quæ ſunt in Deo vnum ſimpliciſſimum ens, non poſſe ſignificari niſi per diuerſa; ac proinde nec actualem voluntatem, quæ eſt cauſa rerum; neque actum liberum, qui idem eſt, ac voluntas actualis, ſignificari poſſe, niſi per obiectum volitum; ſiue hoc nomines terminum; ſiue connotatũ; ſiue effectũ, quæ hic ſunt pura nomina. Verum quia vt in argumento ibi propoſito habetur, quicquid extrinſecus ſignificatur comparatum ad actum liberum habet rationem effectus, & conſequenter eſt poſterius cauſa, & hac libera, quæſtio adhuc viget per quid conſtituatur libera; ſiquidem connotatum, & reſpectus rationis ſolum iuuat ad explicationem conſtituentis actum liberum in actu primo; non autem ad conſtitutionem eius intrinſecam, & formalem, quæ ſtantibus principijs ſupra poſitis de ſimplicitate, & immutabilitate Dei difficile aſſignatur.

CVI. Quartò. Quandoquidem tota ferè difficultas eſt in intelligẽdo quomodo fiat tranſitus à non volente ad volentem Deum in ſecundo ſigno rationis, quo formaliter intelligitur eſſe volitio quæ antea non erat intrinſece, in primo videlicet ſigno quo intelligitur Deus indeterminatus ad volendum, vel nolendum, attollenda mens eſt, & comparandum hoc myſterium cum myſterio Trinitatis, quod difficilius ad intelligendum eſt, & nihilominus veriſſimum. Quippè Pater in primo ſigno, ſeu priori originis concipitur prior Filio, neque tamen in ſecundo ſigno quo concipitur Filius, fas eſt intelligere mutationem vllam, qua nulla cadit in Deum, apud quẽ non eſt tranſmutatio nec viciſſitudinis obumbratio Iacob. 1. Item in perſonis vna, & eadem eſt eſſentia ipſis identificata, cum ſint ipſæ realiter inter ſe diſtinctæ: quod ſane myſterium, *Mirabiliter ineffabile eſt, vel ineffabiliter mirabile*, ait S. Auguſt. lib. 15. Trin. c. 23. to. 3. poterit igitur intelligi fieri volens ex non volente ſine vlla mutatione intrinſeca, quatenus actus neceſſarius continens in ſe perfectiones omnis creatæ voluntatis, ex dominio poteſtatiuo concipitur terminari per realem cauſationem ad creaturam in tempore, cui per ſeipſum dedit eſſe futurũ ab æterno ſine acceſſu alicuius intrinſeci, & ſolum per poſitionẽ noui obiecti, quod eſt creatura accipiens eſſe futurum ex poſſibili, quæ eſt cauſalitas quædam metaphyſica, vt dicetur paulo poſt, & libera; quia agens neceſſarium quoad eſſe, liberum eſt quoad dare creaturæ eſſe tam futurũ quod decreuit ab æterno, quam præſens quod dat in tempore, & quidem in vtroque immutabiliter, vt S. Bonauent. in 1. diſt. 8. p. 1. a. 2. q. 2. Iuuat pręterea ad intelligentiam arcani profundioris, quod habet idem S. Aug. lib. 15. Trin. c. 14. *Nouit itaq. omnia Deus pater in ſeipſo; nouit in Filio. Sed in ſeipſo tanquam ſeipſum, in Filio tanquam Verbum ſuum, quod eſt de ijs omnibus quæ ſunt in ſeipſo. Omnia ſimiliter nouit & Filius in ſe ſcilicet tanquã ea quæ nata ſunt de ijs quæ Pater nouit in ſeipſo. In Patre autem tanquam ea de quibus nata ſunt, quæ ipſe Filius nouit in ſeipſo. Sciunt ergo inuicem Pater, & Filius; ſed ille gignendo; iſte naſcendo &c.* Si ergo in vno ſimpliciſſima

Comparatio actus liberi cum myſterio Trinitatis.

S. Auguſt.

eſ

Digitized by Google

eſſentia diuerſæ concipiuntur notitię & diuerſa obiecta, ſine vlla prorſus reali diſtinctione niſi perſonarum, ita vt eadem ſit notitia cum eſſentia intellecta à Patre in Filio, & vice verſa, cur nequeat dici idem actus neceſſarius libere velle creaturas? hoc enim nullam inuoluit contingentiam, ſicut inuolueret actus liber ſi poſſet eſſe, & non eſſe ſecundum id quod dicit in recto ſicut nullam inuoluit cōmunicabilitas eſſentiæ, & incōmunicabilitas Perſonæ realiter ipſi identificatæ.

Sententia propria.

CVII. His poſitis quæ communiter à Theologi admittuntur; & ſi non eodem modo ab omnibus explicentur, inferebam ſequentes aſſertiones ſub annum vigeſimum octauum currentis ſæculi, quo in Academia Mediolanenſi primam partem Doctoris Angelici interpretabar nobili, numeroſæ, ac ingenioſæ iuuentuti; dictabam quippè.

Primò. Eſſe actum liberum in Deo ſecundū perfectiones quas dicit actus liber ſupra numeratas, pręciſis imperfectionibus accidentis, inhærentiæ, contingentiæ, &c. quæ probata manent ex dictis.

Secundò. Ad perfectionem libertatis actus huius pertinere abſolutum dominium, & poteſtatem libere operandi quæcumque vult extrinſeca. Patet quia hæc poteſtas melior eſt ipſa, quàm non ipſa, & nullam inuoluit imperfectionem in ſuo conceptu igitur admittenda eſt in Deo.

Dices hanc poteſtatem tenere ſe ex parte actus primi, & aſſignandum eſſe per quid determinetur in actu ſecūndo ad volendum, vel nolendum, & hoc potius, quàm illud. Reſpodetur, & dico.

Tertiò. Non eſſe neceſſarium, nec poſſibile, quod diuina voluntas per aliquid à ſe diſtinctum determinetur intrinſece ad volendum, vel nolendum; Sed ipſam ex vi ſua dominati- determinare ſe per hoc quod per ...am neceſſarium, & ſibi identifica- ... vult creaturas ſuppoſita directio- ...e intellectus proponentis illas, vt volibiles; neque vlterius quærendum per quid intrinſece determinetur, cū nihil tale ſit ab eſſentia, & actu neceſſario diſtinctum: ſicuti dicebamus de voluntate creata hominis, vel Angeli, ſi fingeretur producere actum in ſubiectum à ſe diſtinctum, non eſſet quærendum per quid intrinſece determinetur, quia ſeipſa per ſuum dominium ſe determinaret, & nō per aliquid diſtinctum in ſe receptum, per quod fieret volens, aut nolens. Quæ fictio multum inſeruit ad intelligendum quomodo diuina voluntas immutata manens velit liberè creaturas, quas poteſt nolle; hoc enim habet ratione dominij poteſtatiui, ſeu dominatiuæ poteſtatis, non producēdi actum in ſeipſa contingentem; ſed operandi, vel non operandi extrinſecè: & ſecundum hanc poteſtatem dominatiuā dicitur liber intrinſecè non ad eſſendum, & non eſſendum cum neceſſario ſit; ſed ad operandum, vel non operandum; quo conuenit iſta perfectio cum alijs perfectionibus intrinſecis, à quibus petuntus intrinſecæ denominationis puta potentis, boni, &c.

Dices ergo libertus non eſt formaliter in actu diuino, quia de ratione libertatis eſt indifferentia ad eſſe, vel non eſſe; hæc autem non eſt in Deo, ente ſumme neceſſario. Igitur eſt denominatio extrinſeca cauſata à creatura ad quam terminatur actus volitionis. Reſp. & dico.

Quartò. Actum liberum Dei duo includere in ſuo conceptu principale ſignificatum, & eius connotatum, vt S. Bonau. ſupra. Reſpectu primi, quæ eſt diuina voluntas, denominatio liberi eſt intrinſeca, non quod indifferens ſit ad eſſe, & non eſſe; quia identificatur cum eſſentia ſumma neceſſaria; ſed quia poteſtatem denominatiuam intrinſece habet ad operandum, vel non operandum; & ſeipſam determinandi ſine nouo actu adueniente: reſpectu ſecundi habet denominationem à creatura, quam vult; vel non vult. Sicut accipit denominationē Domini, creatoris &c. ex eo quod ſua virtute, ac potentia producit creaturam.

Neque tamen cum Aureolo nego actum diuinæ voluntatis expreſ- CVIII.
ſum

ſum in ſcriptura, & Patribus ſupra, ſed illi tribuo dominatiuam poteſtatem, & libertatem in operando ad extra. Deinde aſſero contra eundem non ſolum eminenter, ſed etiam formaliter diuinam volitionem terminari ad creaturas; ipſe vero negat Deum velle intrinſece, ac formaliter obiectum creatum, ita vt ad illud terminetur ſua volitio; ſed tantum quatenus ſibi in ſeipſo complacet. in Deo, inquit, diſt. illa 57. a. 2. prop. 2. *ratio efficaciæ non poteſt attribui rationi volitionis intrinſecæ; eò quòd in Deo non eſt aliud velle, niſi complacentiæ*. Conſequenter tertiò, non admittit quod Deus ab æterno voluerit, aut noluerit. Nos cum ſcriptura, & Patribus contrarium aſſerimus, apud quos familiare eſt quod Deus ab æterno elegerit; prædeſtinauerit, decreuerit creationem mundi, Incarnationem, & ſimilia. Denique videtur Aureolus Auerroiſtam ſapere, in ijs quæ de intelligere, & velle Dei diſputat; & ideo habet aduerſarios alios Theologos; quorum tamen aliqui mutatis vocabulis, quæ habet de poteſtate dominatiua transferunt ad ſuam ſententiam declarandam, reiectis ijs quæ de velle intrinſeco propria habet diſcrepantia à communi ſententia; quæque teſte Suario in Metaph. diſp. 30. ſect. 9. num. 4. iuxta principia fidei vix poſſunt defendi. Quam notam non inurit Aureolo ob dicta de poteſtate dominatiua diuinæ voluntatis, ac eſſentiæ; Sed de negatione actus formalis in Deo, aſſerti manifeſte à ſcriptura, & Patribus. Cæterum ſatis vidit Suarius qui ſapientiſſime profundum myſterium explicat, recurrendum tandem eſſe ad poteſtate denominatiuam, cum enim conatus eſſet explicare quod diuinum velle eſt actus neceſſarius circa eſſentiam, & liber circa creaturas, num. 38. concludit in hæc verba. *Diuinum velle, quia non eſt forma informans, neque actus actuans, ſed actus puriſſimus, altiori modo intelligendum eſt conſtituere volentem, & attingere obiecta cum eminenti quadã POTeſtate ad attingendum, vel non attingendum ſecundaria obiecta nulla in ipſo acta mutatione, vel reali additione facta &c.*

Obiectiones ſoluuntur.

CIX

OBbijcies primò. Idẽ manens idẽ intrinſece, & ſecundum omnia non habet nouã vim faciendi aliquid, ſed ſolum eandem; neque habet nouam denominationem intrinſecam, quam prius non haberet. Igitur manente voluntate Dei, quæ identificatur eſſentiæ, inuariata, non poteſt dici intrinſecè volens, aut nolens, ſi antea non erat volens, hoc eſt in primo ſigno, quo concipitur indifferens ad volendum, vel nolendum; vel hoc potius quam illud, ſi nulla prorſus mutatio interuenit in terminis, volentis, ac nolentis.

Reſpondeo. Concedo antecedens, quo ad primam partem, quia in Deo ſemper eſt vis operandi immutabilis, & manens idem ſemper eſt aptus facere idem; ſed hæc aptitudo eſt omnipotentia, & voluntas ſemper libera ad volendum, & faciendum ad extra hoc, vel illud, per ſuum dominium poteſtatiuum ſine nouo actu intrinſeco: quia hæc eſt perfectio ſimplex continens perfectiones omnis voluntatis creatæ ſine imperfectionibus; atque adeo velle, & nolle ſine mutatione intrinſeca, & ſolum per extrinſecam creaturæ recipiens denominationes extrinſecas diuerſas. Ex quo patet ad alteram partem argumenti nam Deus in primo ſigno, cũ concipitur indifferens ad volendum, vel nolendum mundum, exempl. gr. intelligitur fieri volens in ſecundo ſigno, non quia velit per actum de nouo aduenientem; ſed quia per dominium ſuæ voluntatis à ſe indiſtinctum dat mundo eſſe futurum; alteri mundo poſſibili dat non eſſe futurũ. Sed tunc vrgetur adhuc magis idem argumentum, quia non quieſcit intellectus reſponſioni, quod ſit nouum velle, vel nolle, ſi intrinſece nihil de nouo volenti intelligatur aduenire, quod antea in primo ſigno in quo cõcipitur indifferens non haberet: neque extrinſece ponitur quicquam noui. Ergo.

Quam eandem poteſtatem coguntur admittere, qui recurrũt ad extrinſeca in quæ tendit actus neceſſarius, liberè.

Obijcies ſecundò. Quia tranſitus à contradictorio in contradictorium ſupponit mutationem aliquam realẽ; ſi enim

Digitized by Google

ſi enim maneant ijdem termini inuariati, & nihil prorſus mutetur in ipſis; nullum eſt fundamentum tranſitus ab vno in aliud; neque formandi nouas determinationes, quæ antea formari non poſſent; Certe videtur per ſe notum quod manentibus omnibus terminis in ſecundo ſigno, qui erant in primo, debet aſſignari quis ſic iſte tranſitus, à quo in quid, & vnde ſumatur noua denominatio volentis, quæ antea non erat: hic autem non aſſignatur, quia in Deo non eſt; neque in creatura quæ ab æterno nihil eſt, neque producitur à Deo.

Reſpondeo. Diſtinguo antecedens
CX. non fit tranſitus à contradictorio in contradictorium ſine mutatione aliqua reali concedo maiorem; ſed nego minorem, quod hic nulla eſt mutatio. pro quo nota quod mutatio eſt triplex. (Mutatio eſt triplex.) Prima eſt phyſica ſenſibus nota, à non eſſe, ad eſſe; ab eſſe calido ad eſſe frigidum &c. Secunda eſt moralis, quæ negari non poteſt; ſed plerique nolunt eam eſſe ſine mutatione phyſica, ad quam conſequatur; inter quos P. Recupitus tom. 1. de Deo l. 2. q. 9. c. 4. interim ſufficit quod detur moralis mutatio, ſiue ad eam requiratur etiam phyſica, ſiue non, vt patet ex dictis ſup. de cōdonatione offenſæ ſine mutatione phyſica offendentis. Tertia eſt mutatio metaphyſica, quæ fit ſine vlla actione phyſica formaliter, ſed non ſine conſequentia vnius ad alterum; ſiue illa ſit à principio libero, ſiue neceſſario; quod omninò eſt neceſſarium; quia non omnis conſequentia vnius ad alterū dicitur mutatio, niſi ponatur terminus conſequens, quaſi effectus à principio habente virtutem quaſi effectiuam, ſeu emanatiuam. Exemplum primi eſt res futura in tempore à decreto Dei æterno, à quo accipit vt ſit futura; nam in primo ſigno concipitur Deus vt indifferens ad volendum, vel nolendum mūdum, & in eo non concipitur mundus poſitiuè futurus. In ſecundo ſigno concipitur mūdus poſitiuè futurus ex vi decreti: hic eſt aliqua mutatio, non phyſica, quia verū eſt quod mundus ex non futuro in primo ſigno, tranſijt ad eſſe futurum in ſecundo ſigno; & cum hoc eſſe futurum non ſit terminus actionis exiſtēs ab æterno; neque dici poſſit omninò nihil, reſtat vt ſit veritas obiectiua ex vi decreti. Ex alio etiam capite dicitur mutatio metaphyſica, quia in ſecundo ſigno quo Deus concipitur velle mundum producere intelligitur ex parte intellectus repræſentari ratio motiua voluntati ad hoc volendum, quæ in primo ſigno concipitur nō mouere; ſiquidem in illo Deus concipitur indifferens ad vtrumque. Et quamuis in actibus diuinis non ſit prioritas, & poſterioritas, quia ſunt idem realiter cum eſſentia; eſt tamen in Deo fundamentum diſtinguendi hæc ſigna in ordine ad extrinſeca volita; ſi quidem eſt etiam in ordine ad proceſſiones intrinſecas, in quas tamen nō cadit nomē mutationis propter ſummam ſimplicitatem, & actualitatem; ſicut cadit in veritates ab illa manantes, quæ pertinent ad creaturas: & ideo bene dicitur mundus ex non eſſe futuro accepit ab æterno eſſe futurum vi decreti intrinſece immutati, quia ex natiuo dominio dat eſſe futurum ſine ſui mutatione, & ſine actu à ſe diſtincto; & quidem efficaciter, quia ſicut in primo ſigno intelligitur ſimplex complacentia in Deo de mundo poſſibili; ita in ſecundo concipitur voluntas efficax de mundo futuro; atque adeo ſunt duæ veritates diſtinctæ, Mundus eſt poſſibilis, & Mundus eſt futurus; & tranſitus ab vna ad alteram, dicitur mutatio metaphyſica, quæ vix alibi inueniatur, quàm in actibus diuinis terminatis ad creaturas prius poſſibiles, quàm futurus, & poſteriores poſterioritate, à quo, eſſentia diuina, quoad poſſibilitatem; priores vero, vt poſſibiles, decreto, à quo non pendent, & poſteriores eodem quoad futuritionem, quia ex virtute ipſius ſunt futuræ. Vt propterea decretum quod eſt cauſa futuritionis, & prius illa non accipiat eſſe liberum à creatura, cui ſupponitur; ſed habeat ex ſeipſo intrinſecam libertatem cauſandi, non eſſendi, vt ſupra diximus. Sed tunc.

Obijcies tertiò, quia ſi libertas iſta in Deo eſt extrinſeca, & ſolū ad cauſandum, & non cauſandum; non diceretur Deus magis velle, quàm nolle mun-

mundum, quia tam volitio, quàm nolitio in Deo ſunt idem, ſi nihil in eo aſt à quo potius dicatur velle, quàm nolle; & idem erit quoad intrinſeca Dei velle, & nolle, & proinde idem erit mundus futurus per volitionem, ac non futurus per nolitionem identificatas eſſentiæ, quę ſunt abſurda.

Reſpondeo, concedo antecedens totum, quia in infinita Dei ſubſtantia omnes nobiliores proprietates ſunt vnum, vt loquitur S.Bonau.in 1.diſt. 45.a.2.q.1. ad argum. non tamen poſſunt ſignificari, niſi per diuerſa, atque ita quoad intrinſeca idem eſt velle, & nolle realiter; quia vnus eſt actus ſimpliciſſimus, qui ratione ſui dominij dicitur velle, vel nolle; quatenus per ſeipſum immutatum terminatur ad creaturas, quas cauſare vult, vel non vult; ratione cuius cauſationis conueniunt illi denominationes volendi, & nolendi, quæ ratione principalis ſignificati in eſſendo ſunt vnum, & idem; ratione connotati ſunt diuerſę; ſed ad hanc diuerſitatem concurrit libertas, & dominium, ſeu vis poteſtatiua ad cauſandum voluntatis diuinæ: Iccircò negatur ſequela argumenti, quia actus neceſſarius Dei erga eſſentiam, eſt liber ad operandum quod vult extrinſecè ſine vlla ſui mutatione, & ſolum per mutationem extrinſecam termini voliti, vel noliti; hoc eſt cauſandi, vel nõ cauſandi, & penès hunc attenditur mutatio, ac diuerſitas ſignificationis, ac denominatio volendi, cum reſpectu tamen ad principium cauſatiuum, in quo abſolute conſiderato, & ſecundum ſuum eſſe idem ſunt realiter volitio, & nolitio; non item formaliter, vt cauſatiuum eſt ex ſuo dominio.

S.Bonau.

CXII. Obijcies quartò. Aſſignari debet aliqua cauſa determinationis diuinæ voluntatis ad volendum potius hoc, quàm illud, quia vt S.Bonau. in 1.diſt. 45.cit. a.1. q.2. Dei voluntas eſt rationalis, id eſt ab aliqua ratione mouetur: At hæc non eſt eſſentia, quia indifferenter ſe habet ad omnes creaturas: Neque poteſt eſſe motiuum aliqua creatura; quia ex poſſibilibus nulla magis poſtulat eſſe volita, quàm non eſſe volita; alioqui meliora ſemper deberent eſſe volita, quod falſum eſſe manifeſtum eſt, cum Deus non ſemper faciat meliora, vt S.Bonau.in 1. diſt. 42. 43. & vniuerſaliter voluntatis diuinæ non datur cauſa, vt S.Thom.1.p. q.19.a.5. vnde igitur prouenit determinatio ad volendum, ita vt dicatur Deus intrinſecè volens, vel nollens?

Reſpondeo cum S.Thoma ibidem, quod diuinæ voluntatis nulla eſt cauſa propriè dicta, ſed ſolum ratio. conſentit S.Bonau.in 1.diſt.41.a.1. q.2. ad argum. *Quamuis, inquit, diuina voluntas poſſit habere rationem, ex qua dicitur congruenter operari; tamen non cauſam, ſiue rationem cauſalem, cum ſit cauſa cauſarum; & maximè reſpectu voliti, quod quidem eſt ex mera Dei liberalitate, &c.* Quæ doctrina applicatur quidem prædeſtinationi, ſed eſt vniuerſalis. Idem habet S.Thom. primo cont. gent. c. 86. vbi tribus argumentis probat dari rationem diuinæ voluntatis non cauſam. & c.88. *Quãuis autem, ait, aliqua ratio diuinæ voluntatis eſſe poſſit; non tamen ſequitur, quod voluntatis eius poſſit eſſe aliqua cauſa.* Rationem autem volendi docet eſſe ſuam bonitatem; quod etiam S.Bonau. docet loc.cit.in reſolut. quæſtionis: *Dicendum, inquit, quod propoſitum illud æternum, ſicut dicit Auguſtinus, & voluntas illa eſt rationabiliſſima, & ſicut ab æterno fuit, ita ab æterno rationem habuit, non aliam præter eſſentiam, ſed per connotatum, &c.* Loquitur hic de propoſito, quoad electionem, & reprobationem; ſed & in omni alio voluntas Dei eſt rationabiliſſima, hoc eſt, habet rationem cur velit, aut nolit, & hanc non eſſe aliam ab eſſentia affirmat, vt ſcilicet habet rationem bonitatis, quod declarat infra diſt.45.a.2.q.1. *Ratio, inquit, quare voluntati attribuitur cauſalitas, hæc eſt, quia ratio cauſandi eſt bonitas, & in ratione effectiui, & in ratione finis, &c.* Igitur eſsẽtia ſub ratione bonitatis cauſat effectiuè, & finaliter in quantũ bonum eſt ſui diffuſiuum; ſed reſpectu creaturarum eſt propria cauſalitas, quia dat illi eſſe, quod in ſe continet eminenter; reſpectu perſonarum diuinarum nõ eſt propria cauſalitas, ſed communicatio eſsẽtiæ formaliter minimæ diſtinctæ realiter à perſonis.

Eadem bonitas dicitur ratio volendi

Digitized by Google

di vt finis, non quia ſit vera cauſalitas finalis, quia cauſa vltima omniũ cauſarum non habet cauſam, vt ſupra S. Bonau. notabat; ſed quia vult omnia propter ſuam bonitatem, tanquam propter rationem volendi, quæ habet ſimilitudinem cum cauſalitate propria finis, ſed non eſt propria cauſalitas, tum ob rationem allatam ex Sancto Bonau. tũ, quia propria cauſalitas habet diſtinctionem, & dependentiam effectus à cauſa, quæ nulla eſt inter actus diuinos, eſſentiam bonitatẽ, &c. tum quia eodem actu Deus vult ſuam bonitatem, & creaturas cum in cauſalitate propria finis interueniant duo actus, alter deſiderij finis, alter deſiderij mediorum, vt S. Thom. cit. q. 19. a. 5. 1. p. explicans à paritate cognitionis; quæ ſi tendat ſimul in concluſionem, & principia, non dicitur habere pro cauſa principia; ſed bene ſi ex virtute ipſorum deducat concluſionem. Atque ita manet ſolutum argumentum, quia licèt eſſentia indifferenter ſe habeat ad creaturas; tamen vt volũtas pro ſuo dominio poteſt ſe determinare ad quas voluerit, & habere pro ratione volendi ſuam bonitatem.

Sed hinc obijcies quintò, quia ſicut eſſentia; ita etiam bonitas diuina indifferenter ſe habet ad omnes creaturas, & ſiue velit, ſiue nolit Deus, ratio volendi eſt ſua bonitas; & ex alia parte oppoſitorum oppoſita eſt ratio, igitur aſſignanda eſt ratio diſtincta volendi, & nolendi.

Confirmatur, quia vt S. Bon. in 1. d. 41. a. 1. q. 2. *Si quæras quare Deus non vult omnes homines iuſtificare voluntate beneplaciti, reſpondetur dicendum, quod hoc eſt propter iuſtitiæ ſuæ oſtenſionem:* vnde Aug. Ciuit. c. 4. *Si remanerent omnes in pœna, non appareret miſericordia, & gratiæ redimentis, & rurſus ſi omnes transferrentur de tenebris ad lucem, in nullo appareret ſeueritas vltionis, &c.* Igitur non ſola bonitas eſt ratio volendi D[e]o, ſed etiam miſericordia, iuſtitia, &c. non enim propoſitum vt cadit ſuper reprobationẽ habet pro fine oſtẽſionem bonitatis, ſed iuſtitiæ, quæ eſt attributum diſtinctum.

Deinde Prou 12. dicitur, Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, ideſt propter manifeſtationem gloriæ ſuæ, ſiue ad ſuam laudem, ex vi verbi lemaanchu; vt vertit R. Salõ.

Reſpondeo ad argumentum, concedendo primam partem, & negando ſecundam, quia vbi volitio, & nolitio non cauſantur ab obiecto extrinſeco, neque ſunt actus diſtincti à ſuo principio, non tenet regula oppoſitorũ; ſed vna, & eadem poteſt eorum ratio; atque adeo ſiue dicatur Deus velle, ſiue nolle, vtriuſq; ratio eſt ſua bonitas. CXIII.

Ad confirmationẽ reſpondeo, quod illæ rationes iuſtitiæ, miſericordiæ, &c. reducuntur ad bonitatem, cuius ratio eſt, quia bonum ſiue bonitas eſt obiectum voluntatis, & dicit amabilitatem complectentem infinitam Dei perfectionem; proinde voluntas in illam, vt in proprium obiectum fertur, & dicitur moueri ab ipſa; vnde & cætera in tantum ſunt amabilia, in quantum ſunt bona, & obiectum proportionatum voluntati: & hinc eſt, quod bonitas aſſignatur pro ratione vniuerſali cur Deus amet omnia amabilia, & aſſimiletur cauſalitati finis, vt verum ſit dicere, Deus vult cætera omnia propter bonitatem ſuam, ideſt quia vult, & amat bonitatem ſuam, denotando rationem volendi, non cauſalitatem, vt cum S. Thoma Vazq. 1. p. diſp. 82. ca. 1. Et quia Deus etiam in hoc dicitur A, & Ω, Principium, & Finis, non ſolum vocatur ratio volẽdi tanquam finis, propter quam ſunt omnia, ſed etiam vt principium effectiuum, à quo ſunt omnia, quia bonũ eſt ſui diffuſiuum, vt ſupra S. Bonau. ex S. Dionyſ. Quæ veritas etiam Ethnicis ſapientibus innotuit, vt patet ex Platonis teſtimonio, qui in ſuis de Repub. libris Deum vocat Ideam bonitatis, & hanc Genitricem mundi fuiſſe confitetur: de quo plura Eugub. peren. Philoſ. lib. 5. c. 8. Dicitur autem bonum ſui diffuſiuum, quia hoc pertinet ad perfectionem, quam dicit bonitas, communicatiuum eſſe, ſeu habere potentiam, & inclinationem ad ſe communicandum, & cum Deus ſit ſumma bonitas eſſentialiter ex D. Thom. 1. p. q. 3. a. 2. c. propenſiſſimus eſt ad ſe communicandum, propẽſione videlicet ipſi identificata, ſicut & poteſtas dominatiua ad hanc commu-

nicationem liberè faciendam, abſque vlla indigentia, ſed ex ſolo amore ſuæ bonitatis deriuato in creaturas, quod indicatur à Poeta ſacro:

Boet. de con ſol.l.3.met.9 *Quem non externæ pepulere fingere cauſæ*
Materiæ fluitantis opus, verum inſita ſummi
forma boni, &c.

Ad locum Prou. 3. cum Corn. ibi explicante ad mentẽ Theolog. reſpõd. quod cum dicitur Deus creaſſe omnia ad gloriam ſuam, gloria non accipitur pro illa, quam accipit à creaturis; ſed pro increata, quam habuit ab æterno, & habet à ſemetipſo, & in ſeipſo, quæ eſt ipſe Deus: vt ſit ſenſus, Deus operatus eſt omnia hoc fine vt immẽſam ſuam gloriam, bonitatem, ſapiẽtiam patefaceret: ex qua operatione reſultat gloria creata ipſi, tam à creaturis intellectualibus, quàm rationis expertibus; ſed hæc non fuit finis Dei, quem ſcilicet ſpectarit in earum creatione, tum quia extra illum eſt, & quid exile tantæ Maieſtatis intentioni; tum quia gloriæ increatæ ex hac creata nulla fieri poteſt acceſſio: tum quia potius eſt bonum creaturarum, quàm Dei; nam Deus nos fecit, & diligit non propter vtilitatem ſuam, ſed propter bonitatem ſuam, & vtilitatem noſtram; vt ex Sancto Auguſtino refert S.Bonau. in 2. ſent. diſt. 1. p. 2. a. 2. q. 1. & habet S.Th. 1. p. q. 44. a. 4.

CXIV. Inſtabis hanc eſſe rationem genericam creationis, & conſeruationis rerum; ſed non omnium, quæ velle poteſt Deus, v.g. ſi velit deſtruere, & annihilare aliquas creaturas, ſi velit ceſſare à concurſu cum cauſis ſecundis ad generationes rerum naturalium, quæ ceſſabunt poſt diem iudicij; ſi deſinat conſeruare gratiam in peccatore; in ijs enim non cõmunicatur diuina bonitas, neque diffunditur.

Pro reſponſione dico duo: primum eſt, quod in ijs etiam diuina bonitas diffunditur, quia omnes viæ Domini miſericordia, & veritas, & iudicium; & idem ſunt cum eſſentia, & bonitate, quæ amat iudicium, & odit iniquitatem: & ideo elucet bonitas in omni opere Domini. Secundò dico, quod præter hãc rationem generalem certam. & notam, alia eſt ſpecialis ignota nobis, vt S. Bonau. docet in 1. diſt. 41. a. 1. q. 2. vbi non ſatis eſſe aſſerit, quærenti cur Deus hunc elegit, & nõ alium, repondere, quia illi placuit: ſic enim non dicerentur occulta iudicia Dei contra Scripturam: ita in propoſito ratio generica à bonitate petita nota eſt; ſed præter hãc datur alia ſpecialis occulta, vt ſtet veritas dicti Apoſtolici, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius. Hæc tamen continetur ſub illa generali bonitatis.

(Tob 2. — left margin beside "diffunditur"; Rom. 11. — right margin beside "Apoſtolici")

Aduertit autem S. Bonau. quęſt. illa ſecunda, quod licèt diuinæ voluntatis nõ detur cauſa; tamen ex parte obiectorum creatorum dari rationes aliquas tam in generali, quàm in ſpeciali, ob quas terminetur ad illas, potius quam ad alias, v. g. quod voluerit aſſumere naturam intellectiuam, & non irrationalem, quia magis decebat myſterium Incarnationis; quod humanã potius quam Angelicam, quia redimere illam voluit, non iſtam, ob rationes aſſerri ſolitas à Theologis tractantibus de cauſis Incarnationis. S.Bonauent. ibidem vocat ordinem congruitatis, quia videlicet in ordinatis eſt aliqua congruitas, cur ſic ordinẽtur; ſed nulla neceſſitas, neque congruitas ex parte Dei operantis omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, quæ cum ſit ordinatiſſima diſponit de rebus ſecundum ſapientiam ſuam infinitam; & ita operatur propter bonitatem ſuam, vt tamen amet creaturas ſecundum bonitatem ipſis communicatam, & amabilitatem, quam habent intrinſecam, & de ipſis diſponit & ordinat vnam ad aliam, quia vna reſpectu alterius ſe habet vt medium, altera vt finis, & cuncta creata ſe habent vt media reſpectu diuinę bonitatis, cum qua ſimul amantur; de quo Suar. in opuſ. de libertate voluntatis diuinæ diſp. 1. ſect. 2. à nu. 20 omninò conſentiens cum S.Bonauent. & alios plures citans.

AN, ET QVOMODO

Videantur creaturæ in diuinis Ideis.

CAP. XXII.

I. *Omiſſis varijs ſententijs de ratione Ideæ tam quoad nomen, quã quoad*

Digitized by Google

quoad rem explicatur mens S. Bonauenturæ.

II. Hic rationem Ideæ tribuit tam cognitioni diuinæ, quàm eſſentiæ cognitæ, & in quo ſenſu.

III. In diuinis Ideis cognoſcuntur creaturæ.

IV. Explicatio nonnullarum difficultatum.

CXVI. DISPVTANT de Ideis in communi Philoſophi lib. 2. Phyſicorum vbi Ariſt. agit de cauſis: Theologi in 1. ſent. diſt. 35. vbi fusè S. Bonauent. & 1. p. q. 15. vbi S. Thom. cum ſuis interpr. Suar. diſp. 25. Metaph. & lib. 3. de Attrib. Poſit. c. 5. Vazq. 1. p. diſp. 72. & alij non pauci conuenientes in hoc, quod dentur ideæ in mente diuina, quas negare perinde eſſe affirmat S. Bonauēt. in 1. diſt. 6. a. 1. q. 3. ac negare Filium Dei: ſed in quo conſiſtat earum ratio diſcrepant inter ſe Scotiſtæ, ac Thomiſtæ; & qui alterutris adhærent Recentiores, qui varios modos excogitarunt explicandi proprias ſententias, tam qui profitentur ſequi ſe D. Thomam; quàm qui Scotum, inter quos P. Arriaga tom. 1. diſp. 23. ſect. vltima, conqueſtus de nota temeritatis opinioni Scoti à nonnemine inuſta, quā ipſe cæteris probabiliorem exiſtimat: tenet autem Scotus ideas in mente diuina eſſe creaturas obiectiuè in illa exiſtentes in 1. diſt. 35. q. 1. §. ad iſta. Certè Vazq. quem ſibi ipſi aduerſariū non veretur ipſe fateri hic auctor, mihi conſtans, & ſolidus in concluſionibus ex ſuis principijs deducendis videtur, & ſententiam S. Bonauenturæ feliciter explicat in quibuſdam; ſed mihi eandem ſequenti alia via ineunda in eiuſdē probatione, quæ à paucis trita eſt, attentis Theologorum cohortibus ad premenda ſuorum Doctorum veſtigia, & parum de Seraphicis ſollicitis; ita tamen vt omiſſis quæſtionibus de vocabulis, & alijs quæſtionibus circa ideas tractari ſolitis, inſiſtam ijs quæ propoſitę dumtaxat diſputationi de cognitione creaturarū in Ideis inſeruiunt, pro qua prætermitti non poteſt, quid iſtę ſint in ſententia S. Bonauenturæ: in qua retinenda diſtinctio à neoterico innominato ab Arriaga loc. citat. acriter refutato tradita, quod idea conſiderari poteſt vel remotè, vel proximè vtcumque ab ipſo explicentur iſti termini à me declarandi verbis ipſis Seraphici Doctoris: Neque contemnenda diuiſio ſimilitudinis ex eodē collecta à Vazq. quod alia ſit ſimilitudo imitationis, & hæc modica intercedat inter eſſentiam diuinam, & creaturas, quæ participatio quædam illius ſunt: Alia ſit ſimilitudo vniuocationis, qualis eſt in indiuiduis eiuſdem ſpeciei: & huius nullum ſit veſtigium inter Deum, & creaturas infinitè diſtantes. Tertia ſit intentionalis ratione cognitionis diuinæ exprimentis creaturas: & hęc ſit maxima, quia melius exprimuntur per hanc creaturæ, quam per ſeipſas. quæ eſt mera doctrina S. Bonauenturæ ad explicandum quomodo creaturæ imitentur ideas, iuxta quas ſunt producibiles, aut productæ in mente diuina. Prima namque ſimilitudo reſpondet rationi ideæ remotè acceptæ: tertia refert eandem proximè, & completè acceptam: iuxta quam diſtinctionem conciliari poſſunt dicta aliquot S. Bonauenturæ in ſpeciem contraria; quia aliquando rationem ideæ ponit in cognitione, ſiue in conceptu formali intellectus diuini: Aliàs in eſſentia, & forma intellecta, vt in obiecto intellecto ob eā cauſam, quia ſicut cognitio inuoluit obiectum cogoitum, ſiue eſſentiam diuinam; ita hæc vt induit rationem ideæ inuoluit cognitionem formalem; quia ſine hac non eſt idea, quæ intelligenti artifici tribuitur vt directiua operis, quod mente cōceptum exterius producturus eſt, vt cōmuniter Thomiſtæ contra aſſerentes eſſentiam ipſam eſſe ideam abſque eo, quod intelligatur vt imitabilis, ſecutos Richard. in 1. diſt. 36. q. 1. a. 2.

S. Thom. Suar. Vazq. Arriaga. Opinio Scoti de ideis. Triplex ſimilitudo conſiderari poteſt inter Deum & creaturas.

Hoc igitur primò oſtendo ex locis expreſſis S. Bonau. quod ſcilicet ratio ideæ conuenit tam cognitioni, quàm eſſentiæ diuinæ vt imitabili à creaturis, ſed completè vtrique coniunctim: Ex quo patebit ſecundò creaturas cognoſci in ideis à Deo, & Beatis.

Quoad primum de cognitione diuina, quod appelletur Idea, in 1. ſent. diſt. 35. init. ait, quòd diuinæ cogni- CVXI.

tioni

tioni conuenit nomen Ideæ. *Quæritur, ait, de ratione diuinæ cognitionis, quæ idea communiter appelletur &c. Et ſtatim* a.1.q 1. *docet, quòd idea eſt ſimilitudo expreſſiua: cognitioni autem conuenit exprimere, cum ſit imago rei cognitæ*. Et paſſim toto articulo diſtinguit ideam ab ideato, ſiue à re cognita; atque ita accipit ideam pro cognitione, quam ſubinde vocat ſimilitudinem, primam veritatem, rationẽ cognoſcendi. *Similitudo, inquit*, a. 1. q.1 *eſt ratio cognoſcendi, & hæc eſt idea. Et mox. Quia ratio cognoſcendi conſiſtit in ipſa veritate prima; ideo ratio cognoſcendi in Deo eſt ſummè expreſſiua: & quoniam omne id quod ſummè exprimit, perfectiſsimè aſsimilat cognitum aſsimilatione competenti cognitioni; ideo patet, quod ipſa veritas ex hoc quod facit cognoſcere, eſt ſimilitudo expreſſiua, & idea &c.* In qua tamen cognitione inuoluitur eſſẽtia vt imitabilis à creaturis, vt infra; vt idcirco non concedã P.Arriag,tom.1.Theolog.diſp.23. cit. à nullo Scholaſticorum ideam vocari cognitionem.

Idea pro cognitione formali accipitur a S. Bonauentura.

Deinde quia diuina veritas, & cognitio vna eſt, realiter identificata eſſentiæ, vt docet eod. a.1.q.2. ideo omnes ideæ diuinæ vt ſunt in Deo, vnum ſunt; quod probat ex S.Aug.l.6.Trin. c.10. aſſerente, *Quod Filius eſt ars quædam omnipotentis Dei, plena omnium rationum viuentium, & omnia in ipſo vnum ſunt &c.* dicuntur tamen plures ideæ reſpectu connotatorum, vt habet q.3.ibidem. Cuius doctrina intelligitur adhuc clarius, ſi concipitur diuina eſſentia non abſolutè vt eſt in ſe, ſed vt eſt imitabilis à creatura, cuius eſſe participatio quædam eſt creatoris tanquam exemplaris cauſæ; & proinde habet aliquam ſimilitudinem cum illo licèt modicam, *quia in modico poteſt finitum imitari infinitum, ait idem* diſt.cit.a.1.q.1. ad arg. Eſſentia igitur ſub ratione imitabilitatis cõcepta cum reſpectu rationis poteſt dici exẽplar, & idea, ſed remotè; nam proximè, & formaliter idea inuoluit cognitionem imitabilitatis, vt expreſſiuam creaturarum tam futurarum, quàm poſsibilium fieri, quæ licèt nũquam futura ſint, tamen connotari poſsunt ab æterno; & ita dicuntur etiam ideata, vt habetur q.3. cit. quia connotantur vt factibilia per cõceptum practicum, & imitabilia eſſentiæ diuinæ, in qua continentur ſaltẽ eminenter; quod ſufficit ad ſimilitudinem inter ideam, & ideata; quia ſimilitudo hæc non eſt ſecundùm proprietatem generis, quæ vna non poteſt eſſe rerũ genere differentium; puta ſubſtantiæ, & accidentis; Sed eſt ſimilitudo ſimpliciter extra genus, & poteſt eſſe rerum genere differentium, vt S. Bonauent.q.2. explicans exemplo lucis, quæ vna ſecundùm numerum exprimit multas, & varias ſpecies colorum; multò magis diuina eſſentia, & diuina cognitio illi identificata ob infinitam perfectionem, continens in ſe vel formaliter, vel eminenter quicquid creatura habet, vel habere poteſt, ſimilitudinem habet cum illis, & iſtæ cum illa, licèt cum maxima diſſimilitudine: vt tamen dicitur idea, debet cognoſci vt talis; ſine cognitione enim non eſt idea formaliter, ſed tantum remotè eſt cognoſcibiles, quia niſi cognoſcatur non inſeruit pro exemplari propoſito ad imitandum.

Finitum in modico poteſt imitari infinitum.

Similitudo ideæ diuinæ cum ideato eſt ſimilitudo extra genus.

Sed cõtra videtur eſſe primò Quia S.Bonauentura loquens de ideis in 1. diſt.35.& 36. ait, illas eſſe Deo rationem cognoſcendi creaturas, quod videtur repugnare auctoritati S.Dionyſij c.7.de diu.nom. *Cognoſcit, inquit, diuinus intellectus, ſed ex ſeipſo, & per ſeipſum, non ſecundùm ideam ſingulis innitens, ſed ſecundùm vnam excellentiæ cauſam omnia noſcens, & continens.* CXVII.

Deinde ipſe S.Bonauentura diſt.illa 35.a.1. q.1. c. ponit diſcrimen inter noſtram, & diuinam cognitionem; quòd in illa intellectus reſpectu cogniti eſt poſſibilis, & non actus purus, ideo fit in actu per aliquid cogniti, quod eſt ſimilitudo eius: In Deo autem è conuerſo, quia ratio cognoſcẽdi eſt ipſa veritas, & cognitum eſt ſimilitudo veritatis, id eſt creatura. Non igitur idea eſt ratio cognoſcẽdi.

Denique ſummo intellectui nõ eſt opus vlla ratione cognoſcendi, quia hæc pertinet ad directionem, quæ eſt diſconueniens nobiliſsimæ, & primæ regulæ omnia dirigenti; quia ſicut nullo modo ipſa errare poteſt, ita neque dirigi, ſed dirigere tam intelligen-

Digitized by Google

gendo, quàm in operando, de quo ſupra actum eſt.

Ad S. Dionyſium reſpondet S. Bonauentura loco citato, quòd ſolùm velit, non eſſe ideas in Deo, quibus innitatur, ſicut ſunt in nobis: quæ breuis reſponſio intelligitur clariùs ex ijs quæ paſſim habet per totam diſtinctionem illam, & ſequentẽ; ideæ namque in creatura per ipſum Sanctum ſunt formę intellectę ab intellectu diſtinctæ, & neceſſariæ ad operationem ideatorum; in Deo ſunt ipſa eſſentia, & intellectus diuinus ipſi identificatus, & per noſtrum modum intelligẽdi illam cognoſcens vt imitabilem diuerſimode à creaturis; quarum idcirco rationes dicitur continere omnes ipſa in ſe vna, & ſimplex, quod eſt cõtinere ſecundùm vnam excellentiæ cauſam, vt loquitur S. Dionyſius; etiamſi de cætero ſit etiam hoc verùm de ratione cauſæ efficientis, quæ eſt infinitæ virtutis; ſed de reſponſione hac paulo poſt redibit ſermo.

Ideæ in intellectu ſũt formæ intellectæ.

Ad ſecundum S. Bonauentur. ibi pro eodem ponit ideam, ac veritatem. *Ipſa, inquit, veritas ex hoc quod facit cognoſcere, eſt ſimilitudo expreſſiua, & idea,* in Deo videlicet; quomodo autem hoc contingat, ſupra explicatum eſt. Hic ſolùm aduertendum, ſermonem eſſe de creaturis cognitis, quæ exprimuntur meliùs à cognitione diuina, quàm ſint in ſeipſis.

Duplex regula tam cognoſcendi, quàm agendi.

Ad tertium reſpondeo ex doctrina S Bonauenturæ ibidem, duplicem eſſe regulam tam cognoſcendi, quàm agẽdi; vna eſt, quæ diſtinguitur à regulato; & hæc dicitur vel neceſſaria, vel vtilis ad cognoſcendum, & agendum: Altera, quæ identificatur regulato, quæ ſola eſt in ente increato, quod eſt regula ſibi ipſi, & ratio cognoſcendi in ipſo, non eſt quid dirigens, quia errare non poteſt; ſed nos diſtinguimus in ente ſimpliciſſimo varias rationes, iuxta noſtrum modum concipiendi. Cæterùm ipſe eſt ſua intellectio, & ratio eius, quæ dicitur etiam veritas, lux &c.

CXVIII. *Secundò*. Igitur ex ijs deducitur hæc Aſſertio, quod in diuinis ideis cognoſci poſſunt creaturæ. *Poſitio.* *inquit S. Bonauentura* cit. diſt. 35. a. 1. q. 1. *& ſecundùm Sanctos, & ſecundùm Philoſophos, quod Deus cognoſcit per ideas, & habet in ſe rationes, & ſimilitudines rerum, quas cognoſcit, in quibus non tantum ipſe cognoſcit; ſed etiam aſpicientes in eum; & has rationes vocat Auguſtinus ideas, & cauſas primordiales &c.* quæ poſitio indiget explicatione ob auctoritatem S. Dionyſ. paulo ante cit. de diu. nom. c. 7. quòd diuinus intellectus cognoſcit ex ſeipſo, & per ſeipſum, non ſecũdùm ideas ſingulis innitens. Neque videtur ſatisfacere reſponſio ibi allata, quòd ſolũ S. Dionyſius excludat ideas à Deo, quales ſunt in nobis, in quibùs eſt ſimilitudo accepta ab extrinſeco; non item in Deo, qui eſt actus purus, & nõ accipit ſimilitudinem ab extrinſeco; quia per hoc quod ſubdit S. Dionyſ. quòd ſecundùm vnam excellentiæ cauſam omnia nouit, & continet, diſtinguit modum cognoſcẽdi per ideã à modo cognoſcendi per cauſam: & hunc admittit in Deo, illum excludit: proinde non negantur ſolùm ideæ, vt ſunt in nobis, ſed abſolutè per eas negat Deum cognoſcere, vt ſunt in illo; alioqui in paucis verbis eſſet æquiuocatio, & ſenſus eſſet, Deus non cognoſcit per ideas eo modo quò nos cognoſcimus; ſed per cauſam; conſequenter fatendum eſſet, alterutrum ex ijs duobus, ergo cognoſcit per ideas modo conuenienti ſuæ naturæ, & non vt nos cognoſcimus; & ſic falſum eſſet, quod ſolum cognoſcat per cauſam, & non per ideas: vel certè diceretur, non cognoſcere per ideas modo ſibi conuenienti; atque ita poſitio eſſet contra S. Bonauenturam aſſerentem cognoſcere per ideas, ſine dubio, modo ſibi conuenienti, & non quo nos cognoſcimus; ideo magis eſt declarandum, quid ſit, Deum cognoſcere per ideas, vel in ideis: Non enim exiſtimandum eſt, ideam eſſe exemplar, quod à Deo cognitum ducat in cognitionem ideatorum, vt aliquod obiectum ab ipſo diſtinctum, cuius collatione cum illis veniat in cognitionem ipſorum; tum quia idea in Deo eſt ipſe Deus; tum quia puro & ſimplici aſpectu cognoſcit omnia, vt S. Bonauentura diſt. illa 35. a. 1. q. 1. in reſol. Dicitur igitur cognoſcere per ideas

Deus cognoſcit per ideas item, & beati.

S. Dionyſ.

ideas duobus modis; primò, quia cognoſcendo ſuam eſſentiam vt participabilem à creaturis, concomitanter cognoſcit creaturas vt participatiuas illius. Secundo modo, quia cognitio eius eſt perfectiſſima expreſſio creaturarum, & cum ſit infinitè perfecta, continet in ſe omnem perfectionem poſſibilem cognitionum; ac proinde ęquiualet perfectioni cognitionis reflexæ ſine vlla imperfectione, & cognoſcit directè quicquid per cognitionem reflexam cognoſceretur. Sicut ergo ſi reflecteret ſupra ſuam cognitionem directam, qua fertur in eſſentiam vt participabilem à creaturis, diceretur cognoſcere creaturas vt participatiuas; ita cognitione directa cognoſcit eam eſſe exemplar viuum perfectiſſimè repręſentans creaturas vt habentes ſimilitudinem imitationis, ſeu participationis ab ipſo; quia vniuerſaliter omnis cognitio eſt imago repręſentatiua obiecti cogniti, atque adeo cognoſcens talem cognitionem cognoſcit obiectum, cuius illa eſt imago, & intellectus infinitus, cuius cognitio continet omnem perfectionem in genere cognitionis in ſua directa cognitione habet totum id, quod haberet per reflexam, vt dictum eſt ſupra: ideo ſi per hanc tendendo in directam, cognoſceret illam eſſe exemplar creaturarum, quas exprimit, quæ eſt perfectio quædam cognitionis, ſequitur, quod contineatur in directa, & quod Deus per illam intelligit creaturas, ſeu quod illa ſit ratio cognoſcendi creaturas. Nec S. Dionyſ. citatus negat ideas in mente diuina, quas c.5. de diu. nom. aperte concedit; ſed ſolum in eo ſenſu, quo & Aug. l.83. qq. q.46. ait: *Non enim extra ſe quicquam intuebatur vt secūdum id conſtitueret, quod conſtituebat, nam hoc opinari ſacrilegum eſt*.

Cognitio directa Dei virtualiter reflexiua.

CXIX. Dices, cognitio Dei non diſtinguitur realiter ab eſſentia Dei, ſed hæc cognita non ducit in cognitionem creaturarum, cum ſit abſoluta ab illis, vt ſupra oſtenſum eſt, ergo neq; cognitio ipſi identificata ducit in cognitionem creaturarum. Deinde ideæ diuinæ dicuntur à S. Aug. lib. 86. qq. 46. formæ æternæ, & incommutabiles, quæ in diuina intelligentia continentur: ſi ergo per ideas Deus cognoſcit, vt S. Bonauentura a.1. q.1. cit. vocans has ideas ſimilitudines rerum, quas cognoſcit, non poteſt dici cognoſcere per ſuam cognitionem tanquam per exemplar, quia hæc cognitio non eſt forma incommutabilis in Deo cōtenta, ſed quid diſtinctum, per quod Deus cognoſcit creaturas.

Ad primum reſpondeo, quod cognitio Dei diſtinguitur formaliter ab eſſentia, à qua per noſtrum modum concipiendi procedit, licèt realiter identificetur ipſi, & ſicut eſſentia abſtrahit à creaturis; ita & quicquid eſſentiæ identificatur, abſtrahit ab ijſdem; ſed formaliter vt ſignificata tali nomine relatiuo ad creaturas, nō poteſt concipi ſine illis; Talis eſt cognitio, quæ vt ſic eſt imago rei cognitę, & non abſtrahit ab ipſa, quā repręſentat eſſentialiter; talis eſt etiā idea, ſeu exemplar, quod eſt exemplati exemplar. Cognitio ergo diuina vt realiter idem eſt cum eſſentia, abſoluit à creaturis, vt formaliter diſtincta nō abſoluit. Quomodo dicebat Vazquez ſupra relatus 1.p. diſp.60. cap.3. creaturas cognoſci in Verbo, tanquā in ſpeculo, vt eſt ſpecies expreſſa ipſarum, non vt Deus eſt; & omnipotentia vt identificata eſſentiæ abſoluit à creaturis: vt autem ſignificata hoc nomine non abſoluit, quia potentia eſt alicuius factibilis potentia, de quo fuſiùs egi tom.1. diſp.1. q.1. c.4. & paulò ſupra repetij.

cognitio Dei formaliter diſtinguitur ab eſſentia.

Vazq.

Ad alterum reſpondet Sāctus Bonauentura quæſt. 2. citat. quod Sanctus Auguſtinus accipit ibi formæ nomen, vt ſignificat exemplar, non vt formam phyſicam, quæ eſt perfectio materiæ, & vtramque relatiuè dici; hanc ad materiam, illam ad exemplatum: quaſi velit per hoc exēplar cognitum cognoſci creaturas, quarum eſt ſimilitudo. Sed adhuc manet difficultas, quia hæc cognitio non eſt forma incommutabilis contenta in Deo, ergo neque eſt idea, per quam cognoſcit: deinde quia nō benè dicitur, quòd per ſuam cognitionem formalem intellectus tanquam per ideam cognoſcat aliquid, in quod directè, & immediatè per ſuam cognitionem fertur. Ideo ad explicationē reſpon-

reſponſionis S.Bonauenturę addenda ſunt dicta ſuperiùs,quod formæ incõmutabiles, ſiue exemplaria creaturarum ſunt quidem realiter idem, quod eſſentia diuina; ſed formaliter diſtinguuntur: nam eſſentia vt imitabilis à creatura diſtinguitur à ſeipſa abſolutè conſiderata: imitabilitas autem inuoluit continentiam creaturarum, quæ participatiuæ ſunt diuini eſſe, & dicitur ratio incommutabilis in Deo ab ipſo realiter indiſtincta, ſed quia hæc dicit ſimilitudinem minimam cũ creatura; idea autem cum ſit ratio cognoſcendi,inuoluit perfectam ſimilitudinem, qualis eſt expreſſiua ideati, ideo conſiſtit in cognitione formali, quæ cadit ſuper eſſentiam vt imitabilem, & dicitur ratio cognoſcendi modo paulo ante explicato, & denominatur etiam ipſa forma incommutabilis, & idea, per quam cognoſcuntur ideata, quarum eſt expreſſiua. Conſequenter negatur,quod ratio incommutabilis tam imitabilis eſſentiæ, quã expreſſiuæ ſimilitudinis ideati ſit aliquid diſtinctum à Deo; ſufficit enim diſtinctio rationis ratiocinatæ cũ fundamento in re.

CXX. Et hoc totum continet breuis diſtinctio S.Bonau. de forma phyſica, quæ perficit materiam, & de forma exemplari,quæ exprimit ideata,& negatur aſſumptum primæ obiectionis, quod hæc cognitio non ſit exemplar, & idea. Ad alteram iam dictum eſt, quod cognitio diuina eſt expreſſio creaturarum, & virtute continet totam perfectionem reflexæ, quæ tendens in ſeipſam cognoſceret ſe vt viuum exemplar creaturarum, & quod hanc perfectionem habet per ſeipſam directè tendentem in eſſentiam, vt imitabilẽ à creaturis,in quo includitur ratio vel futuritionis,vel poſſibilitatis eius; ac proinde cognitio ita terminata dicitur practica. Idem fermè do-
Suar. cet Suar.lib.2. de Attrib.negat. ca.25. n.43. aduertens, quod licèt Deus intelligatur à nobis vt formans directũ conceptum, ſeu ideam creaturarum, & quaſi reflexè cognoſcere ſe, habere in ſuo conceptu ideam creaturæ; nihilominus non intelligitur cognoſcere creaturam per hunc conceptum vt reflexum, ſed per priorem directũ, vel ſaltem non intelligitur habere diſtinctam cognitionem creaturarum per poſteriorem conceptum, niſi in quantum ſupponit priorem. Similia repetit l.3.c.2.n.17. & hanc reflexam cognitionem vniuerſaliter agnoſcit in Deo S.Thom.1.p.q.15.a.2. 2.aſſerens, Deus non ſolum intelligit multas res per eſſentiam ſuam, ſed etiam intelligit ſe intelligere multa per eſſentiam ſuã,&c.quod declarat Capr.in 1.d.36. q.1.a.1. 3. Atque ita concluſio S. Bonauenturæ art. illo & q.1. firma manet, quod Deus per ideas cognoſcit ideata, & non tantùm ipſe, ſed etiam aſpicientes in eum per eaſdem, & in ijſdem cognoſcunt. Quæ opinio placet etiam Alenſi 1.p.ſum.q.23.memb. 4.a.3. Capr.in 1.diſt.38.q.1.a.2.& alijs Thomiſt.1.p.q.14. Aluar.de auxil. diſput.14. licet in modo explicandi, & in aſſignanda definitione ideæ non conueniant; ſiquidem Suar. in Met. diſp.35.ſect.1.nu. 10. & l.3. de Attrib. 1.1. tenet, eſſentiam non habere perfectam rationem ideę; ſed ſolum vt eſt conceptus formalis, & intellectio, ſeu verbum: Nec diſſentit Vazq. 1. p. diſput.72.c.1.2. cum alijs apud ipſos. In quo aduerto Suarium non differre à S.Bonauentura iuxta noſtram explicationem; ſolùm enim vult eſſentiam præciſè non habere perfectam rationem ideæ, quod & nos concedimus requirentes præterea cognitionẽ eius vt imitabilis à creaturis; quia ſine hac non eſt, niſi remotè, ſeu fundamentaliter; ſiquidem formaliter,& completè eſt forma, quam inſpicit operans per intellectum. Alijs placet ideas eſſe creaturas, vt habent eſſe obiectiuũ in diuina cognitione practica, & prout à diuina eſſentia repræſentantur obiectiuè, vt Scot.in 1. diſt. 35. q.1. §. Ad iſta. Durand. in 1. diſtinct.36.q. Ocham, Gabr. & alij apud Recentiores aduertentes diuerſitatem illorum in explicando. Alij collocant in diuina eſſentia vt imitabili à creaturis, à quibus eſt P. Didacus Ruiz tom. de ſcientia Dei diſp. 82. ſect.6. adducens pro ſe varias Patrum auctoritates,quę fauent etiam nobis, quibus non aliud inſtitutum eſt, eo contentis, in quo maior pars Theologorum conuenit, per ideas cognoſci creaturas à diuino

S. Thom. de cognitione directa inuoluente reflexum.

Alenſ. Capr. Aluar. Suar.

Non differt Suar. à Bonau.

Scot Duran Nomin

Did Ruiz.

Digitized by Google

S.Thom. intellectu, inter quos eſt S. Thomas 1.par.5. q. 15. & alibi non diſſentiens in hoc à S. Bonauentura, licèt ponat præterea alium modum cognoſcendi futura per præſentiam in æternitate. Vbi aduerte, quod cum eſſentia ſit abſolutiſſima à creaturis, vt ſupra cum S. Bonauentura oſtendimus, illa viſa nō videntur ideæ formaliter, quæ ſine connotato creaturarum neque conſiſtunt, neque videri poſſunt, oportet addi aliquid, ratione cuius à Beatis

Quomodo eſſentia habeat ratione ideæ.

videatur eſſentia vt habet rationem ideæ, ad hoc vt in illa tanquam in idea videantur ideata, ſeu creaturæ; ſiquidem ſine ipſis abſolutè videri poteſt in hac ſententia. Quid ergo erit hoc quod additur? Lumen, & concurſus Dei ad vidēdam eſſentiam vt eſt imitabilis à creaturis, quæ eſt perfectio Deo conueniens ob ſuam infinitatem; quemadmodum ad hoc vt cognoſcatur omnipotens vt ſic, requiritur lumen & concurſus ad hanc perfectionem videndam, ſine qua abſolutè videri poteſt eſſentia, cui identificatur realiter; licet formaliter concipiatur vt attributum diſtinctum, & ſine hac formalitate ſtare poſſit conceptus eſſentiæ. Sub hac tamen formalitate neceſſariò cognoſcuntur creaturæ ex vi obiecti cogniti in hoc ſenſu, quod complexum hoc idea, & imitabilitas eſſentiæ à creaturis eſt obiectum reſpondens cognitioni; non in alio ſenſu, quod ex vi alterius cogniti cognoſcatur aliquid, ad quod dicat ordinem, qui nullus eſt in Deo ad creaturas, niſi rationis.

Idem dico de conceptu formali, ſeu de intellectione eſſentiæ, quæ realiter non diſtinguitur ab eſſentia, & vt ſic abſoluit à creatis; formaliter autem eſt viua expreſsio creaturarum, & cognitio tam fieri poſsibilium, quàm futurorum; & ideo cognoſci nequit, quin ſimul ex vi illius cognitæ etiam creaturæ cognoſcantur, ſed liberè ex parte verbi repræſentantis quas vult; quia ſicut eſſentia dicitur ſpeculum voluntarium, eò quod non neceſſariò repræſentat creaturas, ſed liberè quas vult, iuxta dicta ſuperiùs; ita intellectio diuina ab eſſentia indiſtincta realiter repræſentat liberè has, vel illas: quo cadit dictum S.Auguſtini l.13

S.Auguſt.

confeſs. c.15. *Non opus habent Angeli ſuſpicere firmamentum hoc, & legendo cognoſcere verbum tuum, vident enim faciem tuam ſemper, & ibi legunt ſine ſyllabis temporum quid velit voluntas tua, &c.* Nimirum ſi illis reueletur, quia ex vi verbi viſi non innoteſcunt illis decreta libera Dei; & idem eſt de ideis poſsibilium, quia eodem modo ſunt ideæ poſsibilium non futurorum, ſicut futurorum, quia differentia iſta non eſt, niſi per actum voluntatis diuinæ, &c. Ratio igitur futuri ſolum addit denominationem à decreto Dei determinante futuritionem.

OBIECTIONES

Contra explicationem Sententiæ S.Bonauentura de cognitione per ideas.

CAP. XXIV.

I. Ideæ ita repræſentant terminos ſimplices, vt ſint aptæ repræſentare complexionem eorum.
II. Ideæ ante decretum non repræſentant futura, niſi aptitudine.
III. Non eſt neceſſe eſſentiam referri ad creaturas, vt ſit imitabilis ab illis, & idea illarum.
IV. Creaturas connotant ideæ, & quomodo.
V. An, & cur plures ideæ ponantur in Deo.
VI. Similitudo ideæ alia eſt imitationis, alia expreſſionis.
VII. Explicantur Patres.
VIII. Diſcrimen cognoſcendi creaturas in decretis, & in ideis.

QVIDAM Recentiores reijciunt ſententiā S.Bonauent. quā putant, non differre ab illa S. Thom. 1.p.q.14.a.13. ita Faber in 1.ſent. Scoti diſp.44.à c.2. agens argumentis Scoti. Diſſentit etiam P.Recupit.tom.2.de Deo q.18. & alij plur. CXXI.

Faber.Scot.

P.Recupit.

Primum Argumentum.

ARguūt Scotiſtæ ex Scot.loc.cit. & argumentum ipſorū maximè nititur in hoc, quod ideæ ſūt rationes cognoſcēdi terminos ſimplices, quod negari nō poteſt, ergo non ſufficiunt

ad

ad cognoſcendam complexionem illorum, quæ non poteſt cognoſci ex apprehenſione ſimplici eorumdem; ac proinde cum contingentium futurorum complexio non ſit cognoſcibilis ex apprehenſione ſimplici terminorum, quia ſic non eſſet contingens, ſed neceſſaria; ſequitur, quod neque Deus, neq; beatus cognoſcit per ideas, quia iſtæ non ſunt repræſentatiuæ futurorum contingentium, quas tamen per ideas cognoſci, aſſeris.

Reſpondeo, negando antecedens; ideæ namque ita repræſentant terminos ſimplices, vt aptæ ſint repręſẽtare complexionem eorum, non per ſui mutationem, ſed per mutationem obiecti, quod de poſsibili tranſit ad eſſe futurum ex vi decreti: Sicut enim ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſine ſui mutatione tranſit ad ſcientiam viſionis, ex eo quod res poſsibilis per decretum Dei ſit futura; ita & idea eadẽ manens ex repræſentatiua poſsibilis fit repræſẽtatiua futuri per hoc, quod decreuit Deus fieri; atque ita hoc poſito repræſentat rem futuram cũ omnibus conditionibus ad exiſtentiam pertinentibus. Sic S. Bonauent. in 1. diſt. 39. a. 2. q. 3. *Deus, inquit, habet ideas præſentes, & ſimul, per quas cognoſcit res futuras ita certitudinaliter, ſicut præſentes. Et iterum ſuper omnes illas ſimul & præſenter cognoſcit. Et iterum præſens ſuæ cognitionis eſt præſens ſimpliciſſimum, quod circumplectitur omnia tempora, &c.* Quæ verba ſunt obſcura, sed explicari ita poſſũt; (Verba obſcura S. Bonau. explicantur.) non enim per iterum & iterum ſignificatur iterata cognitio Dei, quia hęc eſt vna ſimpliciſsima identificata eſſentiæ; ſed ſolùm ſignificatur diuerſitas in rebus, quæ vt ſunt futurę, ita certò cognoſcuntur â Deo, ac euidẽter, ac ſi actu omnes ſimul exiſterent. Et hoc eſt primum aſſertum à S. Bonauentura. Alterum eſt, quod iterùm ſimul omnes præſenter cognoſcit, quando actu exiſtunt per eamdem tamen cognitionem inuariatam. Tertiũ eſt illud, quod eſt præſens ſuæ cognitionis eſt præſens ſimpliciſsimum cõplectens omnia tempora; & hoc eſt æternitas, quæ menſurat omnia tempora, & à nullo ipſa menſuratur, & ei coexiſtũt pręterita, præſẽtia, & futura.

Non tamen ſecundùm eſſe actuale, ſeu in ſua actuali exiſtentia, vt cum Caiet. Thomiſtæ plures; ſed ſecundum eſſe obiectiuum, ſeu cognitum, vt alij communiter, ob id maxime, quod quę non exiſtunt, quia nunquam ſunt producta, non poſſunt alteri coexiſtere, quia coexiſtere alteri ſupponit exiſtere in ſe, ſimultas autem in cognitione non ſupponit exiſtentiam actualem rei cognitæ. Quæ eſt expreſſa doctrina S. Bonauent. in 1. diſt. 35. dub. 6. vbi ait; *Dicendum, quod non omnia dicuntur eſſe præſentia ſecundùm veritatem exiſtentia rerum, ſed ſecundũ cognitionem, quia actu cognoſcit præſẽtia, præterita, futura, & circa actu ſuæ cognitionis ſemper eſt præſentialis, ita quod nulla ſucceſsio cognitionis Dei eſt in nunc, quod complectitur omnem ſucceſsionem ſine mutatione; & ideo omnia ſunt ei præſentia. Ex hac duplici cauſa, &c.* Quæ verba clariora ſunt, quàm vt admittant ſenſum de pręſentia reali in æternitate, ad quem trahitur S. Bonauent. à recentioribus nonnullis, vt oſtendant eſſe eundem, ac D. Thomæ, vt explicatur à Caietano, quem Scotus, & maior pars Theologorum aliorum reijciunt. CXXII (S. Bonau.)

Secundum Argumentum.

SCoti eſt, quia ideæ ſunt in intellectu diuino ante omnẽ actum voluntatis, igitur non repræſentant futura contingentia, quæ futura non ſunt, niſi per decretum diuinę voluntatis, quod nullum eſt de non futuris, ac proinde non repręſentant res cum omnibus conditionibus.

Confirmatur, quia ſequeretur diuinam eſſentiam, & cognitionem mutari ſaltem in ratione repræſentandi, quia ideata mutantur pro voluntate hominis, imo & in neceſſarijs iuxta diſpoſitionem cauſarum; non poteſt autem idem exemplar penitus immutatum repræſentare exemplata contraria, cũ ſit ſimilitudo eorum, & hęc ſint etiam illi ſimilia; quomodo autẽ ſit vna ſimilitudo diſſimilium, & contrariorum?

Reſpondeo ad argumentum, quod idea in primo ſigno ante decretum non repræſentat futura contingentia niſi

niſi aptitudinaliter; poſito decreto repræſentat actualiter, non per mutationē ſui, ſed obiecti extrinſeci, quod ex poſſibili tranſit ad eſſe futurum per decretum; vt in ſimili de ſcientia ſimplicis intelligētiæ, & viſionis paulo ante diximus: quomodo autem fiat hic tranſitus à poſſibili ad futurum, & quid ſit illud eſſe futurum, latè explicaui primo tomo, nunc ſatis eſt dicere, ab eo non impediri, quin idea repræſentet naturaliter, id eſt, quin ſit apta de ſe repræſentare quæcumque repræſentat; ſed contingentia libera repræſentat, poſita conditione decreti de futuritione, & manifeſtationis huius potiùs quam alterius, vt Deo placuerit.

Similitudo in genere, & extra genus. Ad confirmationem negatur antecedens, & eius ſequela; iam enim dictum eſt, mutationem totam eſſe ex parte obiecti; & ad rationem contrariam diximus, aliam eſſe ſimilitudinē in genere, aliam extra genus. Prima eſt ſecundùm proprietatem generis, & non poteſt eſſe vna plurium genere differentium, quia cauſatur à genere determinatè. Secunda non arctatur ad hoc genus, neque ab eo determinatur; & hæc poteſt eſſe plurium inter ſe differentium; talis eſt idea diuina, vt S. Bonauentura in 1. d. 35. b. 1. q. 2. ad arg. ſupra relatus.

Tertium Argumentum.

CXXIV. Est, quia idea diuina ſecundùm ſignificatum in recto non diſtinguitur ab eſſentia diuina, quæ in ſententia S. Bonauenturæ abſoluit à creaturis, igitur non poteſt illas repræſentare. Probatur ſequela, quia reſpectu Dei non apparet, quomodo ex nō repræſentante fiat repræſentans diuino intellectui creaturarum, ad quas nullū habet ordinem in hac ſententia, conſequenter neque beatis inſeruire poteſt, vt exemplar repræſentatiuum earum rerum, à quibus abſtrahit. Cum enim ſit immutabilis, & ſimpliciſſima, per nullius rei additionem fieri poteſt repræſentatiua, ſi ex ſua naturalis non eſt.

Deinde cum decretum realiter ſit idem quod eſſentia, quomodo per illud fit idea futurorum contingentiū, & ex non repræſentante fit repræſentans ipſorum? non enim per mutationem ſui, neque per extrinſecum aliquid, quia ab æterno decreto Dei nihil actu poſitum eſt, tamen tranſitus à contradictorio in contradictorium non fit ſine aliqua reali mutatione. Si dicas, fieri mutationem in creatura, tunc eſt contra.

Secunda Confirmatio, quia connotatū creaturæ, quod ab æterno agnoſcit Sanctus Bonauentur. in ratione ideæ, non cognoſceretur per ideam, quia cognitio illa creaturæ requiritur ad ideam, quæ eſt ſimilitudo eius, & ideo nō poteſt eſſe effectus, vel quaſi effectus illius, quod præſupponitur illi; hoc eſt non poteſt cognoſci per ideam, ſi prærequiritur ad eam conſtituendam.

Reſpondeo ad argumentum, nego ſequelam. Ad probationem dico, ſatis eſſe ad rationem ideæ, quod diuina eſſentia quà eminenter, qua formaliter contineat perfectiones omnium creaturarum, & conſequenter, quòd iſtæ aſſimilentur illi, quatenus ſunt participationes illius, & ipſa eſt imitabilis ab ipſis, ad quod non eſt neceſſarius ordo ad illas in eſſentia, ſed ſufficit dependentia eſsentialis creaturarum ab eſsentia in ſe abſoluta, & cognoſcibili independenter à creaturis, vt ſupra diximus, vbi oſtendimus diuinum intellectum ob infinitam virtutem cognoſcitiuam cognoſcēdo eſſentiam cognoſcere ſimul omnia cognoſcibilia, ſed non ex vi cognitæ eſſentiæ, vt obiecti primarij, ſed ſolùm concomitanter, adeo vt cognoſcat, quod ex hypotheſi impoſsibili, quod creaturæ eſſent impoſſibiles, adhuc tamen remaneret eadem eſsentia, quę nunc eſt: atque ita tolleretur quidem denominatio ideæ, ſicut & cauſæ, quæ inuoluit in ſuo conceptu terminum, ſed res denominata remaneret eadē. CXXV.

Sed quomodo, inquis, ſi abſtrahit à creaturis, eſt illarum repræſentatiua eſsentia diuina? Iam dixi, ex eo quod creaturæ non abſtrahunt ab illa, cum qua neceſsariam habent connexionem, & dependentiam, & ideo cognita eſſentia, ſimul cognoſcitur eſſe imitabilis ab illis, non per ordinem, quē habeat ad illas, ſed propter infinitam per-

Cognita eſſentia & creaturis ſimul cognoſcitur imitabilitas ab illis.

Digitized by Google

perfectionem,ratione cuius omne ens eſt quædam participatio eius,atque vt talis cognoſcitur etiā à beatis,ſi Deus lumen infundat ad talem cognitionē.

Inſtabis,quomodo fit de nouo idea reſpectu creaturæ tā poſsibilis, quàm futuræ, ſi ante in priori naturæ, vel durationis non erat idea, quia non manifeſtabatur creatura, ſine qua nō conſiſtit ratio ideæ,vt ſic.

Reſpōdeo de intellectu diuino cognoſcente omnia ſolùm eſt difficultas reſpectu futurorum contingentium, quorum in primo ſigno ante decretū non eſt idea futurorum, cum pro illo non intelligantur futura, quomodo videlicet per decretum fiat tranſitus à non idea ad ideam, cum nulla fiat mutatio,neque in Deo,neque in creatura,vt dicebatur ſupra in argumentis. Non enim cum Nominalib.Och. Arimin. & alijs in 1. diſt. 38. recurrimus ad infinitatem diuinæ eſſentiæ attingentis omnia tam contingentia, quàm neceſsaria,ſed preterea aſſignamus modum cum SS.Bonauentura,& Thoma cognitionis per ideas; ideo reſpondeo primo per inſtantiā, quia in primo ſigno rationis concipimus, Deum indifferentem ad creandum mundum,& non creandum; & in ſecundo concipimus decretum de mūdo futuro,quod non intelligebatur in primo ſigno; & ideo nec mundus futurus, quomodo fit hic tranſitus ſine vlla mutatione reali? Secundò directè in mea ſententia quam explicaui t.1.& hic c.præc. Reſpōdeo.Deum in ſigno primo intelligi vt habētem poteſtatem dominatiuam omnium poſſibilium,& in ſecundo illam exercere ſine vlla ſui mutatione, & per mutationem ſolùm obiecti,ſeu termini voliti,qui in propoſito eſt mundus futurus, quod nouum obiectum non eſt aliqua creatura exiſtens actu, cum ab æterno nihil ſit creatum, ſed eſt veritas metaphyſica, quæ in primo ſigno non erat, cum in eo non decreuiſſet mundum creare,in ſecundo ſigno eſt, quia eſt decretum de mundo creādo.

CXXVI. Dices, in primo ſigno verum erat dicere, quod futurus erat mundus, & erat eadem veritas,quę intelligitur in ſecundo ſigno.

Reſpondeo, quod in primo ſigno abſtrahebat à futuro, & non futuro, quia quicquid poſitiuè futurum erat in tempore, intelligebatur futurum dependenter à decreto,quod cum ſit liberum, in ſecundo ſigno poterat nō eſſe. At inquies poterat non eſſe, ſed tamen erat futurum, & hoc Deo erat notū, cui nihil poteſt eſſe ignotū pro vllo ſigno. Reſpōdeo,quod hæc veritas de futuro decreto ita erat nota pro primo ſigno, vt tamen etiā notū eſſet quod decretū erat liberū, & poterat non eſſe; & ideo vi illius ita poſſe eſſe mundum,vt poſſet non eſſe,cōſequenter in illo primo ſigno erat ſolùm idea mundi poſſibilis, quæ ſine ſui mutatione poſito decreto in ſecundo ſigno tranſit in ideam repræſentatiuam mundi futuri, ſicut ſcientia ſimplicis intelligentiæ in ſciētiam viſionis, vt ſupra dicebamus. Reſpectu autem intellectus creati ſicut fit idea diuina eſſentia, ſi per lumen, & concurſum Dei repræſentetur vt imitabilis à creaturis, ita fit idea futurorum,ſi manifeſtetur vt imitabilis à futuris,ſiue ſi manifeſtentur ipſæ vt participantes diuinam eſſentiam, vt pluribus modis fieri poſſe, demonſtratum eſt.

In primo ſigno ab æterno res futura abſtrahit ab eſſe futuro,& non futuro.

Ex quo patet ad primam confirmationem. Ad tertiam reſpondeo,quod reſpectu Dei,qui à S.Bonauentura ſupra dicitur cognoſcere per ideas, facilis eſt ſolutio; per ſimplicem namque intuitum,quo ſeipſum,& omnia nouit,videt ſuam eſſentiam imitabilē à creaturis, & ipſe ſibi eſt ratio cognoſcendi tanquam prima veritas, à qua omnes aliæ dependent; reſpectu verò intellectus beati dupliciter hic poteſt per ideam diuinam cognoſcere creaturas. primo,quia per viſionē beatam oſtendatur illi eſſentia Dei,vt vt imitabilis ab illis, quo caſu eadem ratio eſt quoad hoc,quæ & de cognitione Dei, quia creatura neceſſaria quidem eſt vt connotatum,ſed hic eſt terminus, quem repræſentat idea, & non conſtitutiuus ideæ, neque prior illa. Secundò. Quia manifeſtentur illi per diſtinctam reuelationem, vel etiā per viſionem in noſtra ſententia creaturæ, vt ſunt participationes diuinæ eſſentiæ, & tunc per cognitionem directam ſunt prius cognitæ,& non per ideam;

Digitized by Google

ideam; per reflexam verò vel formaliter, vel virtualiter cognoſci dicuntur per eſſentiam,quæ cognita,vt imitabilis ab illis eſt ratio cognoſcendi modo diuerſo priùs cognitas. Sed tunc eſt.

Quartum Argumentum.

CXXVII. QVia diuina eſentia de ſe abſtrahens à creatura ſit idea ex hoc quod connotat creaturas, quæritur, quid ſit hæc connotatio: vel enim eſt ens rationis,& hoc non,quia ideæ diuinæ ſunt aliquid reale,& cauſant realiter; nullum autem ens rationis conſtituit ens,& cauſationem realē; tum quia idea in Deo eſt id quod imitatur creatura, at hæc non imitatur es rationis; Vel connotare creaturam dicit relationem realem ad illam,& neque hoc dici poteſt, quia in Deo non datur relatio realis ad creaturam; nihil autem aliud reale poteſt ſignificare in Deo ob ſummam ſimplicitatem eſentiæ, quæ eſt actus purus.

Quid ſit cōnotari creaturas per ideas.

Reſpondeo, neque ſolum ens rationis ſignificari per hoc quod eſt cōnotare, neque reſpectum, aut aliud reale in Deo ſuperadditum eſentiæ, ſed ipſam eſentiam, vt imitabilem à creatura; quæ imitabilitas eſt eadem eſentia terminata ad creaturā;quod totum reale eſt, & proinde inuoluit eſentiam in recto, & creaturam non vt conſtitutiuam, ſed vt terminum ideæ; quod autem concipiatur cum reſpectu rationis, prouenit à modo concipiendi intellectus noſtri, qui imitabilitatem eſentiæ concipit cum ordine quodam.

Hanc doctrinam explicat S Bonauent. cit.diſt.35 a.1.q.3. *Quamuis, inquit,in Deo nullus ſit reſpectus ad creaturam à parte Dei, tamen cōtingit ipſam eſſentiam ſignificari in reſpectu ad creaturam per multa nomina; nec tamen hoc nomen,ſeu vocabulum idea eſt vnū.* Intelligendū igitur eſt,quòd hoc nomen idea ſignificat diuinam eſſentiā in comparatione, ſiue in reſpectu ad creaturam. Ideo enim eſt ſimilitudo rei, quæ quamuis in Deo ſit quid abſolutum tamen ſecundùm modum intelligendi dicit reſpectum medium inter cognoſcens,& cognitum;quamuis ille reſpectus ſecundùm rem plus ſe teneat ex parte cognoſcentis, quia eſt ipſe Deus; tamen ratione intelligendi, ſiue dicendi ſimilitudo plus ſe tenet ex parte cogniti. Et quoniam cognoſcens eſt vnum, & cognita ſunt multa, ideo omnes ideæ in Deo ſunt vnum ſecundùm rem, ſed tamen plures ſecundùm rationem intelligendi, ſeu dicendi:vnde concordæ ſunt omnes rationes in Deo eſſe vnum quid; ſed non vnam rationem, ſiue ideā &c. Ex quibus verbis habentur. Primò, quod in Deo non eſt reſpectus realis ad creaturam. Secundò, quod multa nomina,quæ dicuntur de Deo, inuoluunt aliquem reſpectum ad creaturā, inter quæ eſt nomen ideæ. Tertiò, quòd hic reſpectus eſt quod medium inter cognoſcentem, & cognitum, & conſurgit ex modo dicendi,& intelligendi. Quartò, quod abſolutè non eſt quid reale, licèt vt ſe tenet ex parte Dei, ſit quid vnum, ſicut & ideæ ſunt vnum. Vt autem ſe tenet ex parte creaturæ,eſt multiplex,quia craturæ ſunt multæ. Et quia hoc prouenit ex imperfectione intellectus creati, nō admittitur in Deo, qui ſine reſpectu rationis intelligit omnia perfectiſſimè; & idem eſt de intellectu beati, qui non eget ijs reſpectibus, ſed res intuetur, ac penetrat veritates vt in ſe ſunt,v.g eſſentiam diuinam vt imitabilem ab homine habere rationem diuerſam à ſeipſa,vt imitabili ab equo ſine reſpectu medio, ac proinde plures in ipſa ideas diſtinctas.

Ideæ in Deo ſunt vnum, ſed non vna ratio.

Sed tunc quæres, cur conſtituantur plures ideæ plurium ideatorum, & non plures ſcientiæ, aut plures potentiæ, &c.

Deinde an ſint plures ideæ pluriū vniuerſalium, an plurium ſingulariū.

Ad primum reſpondeo, quædam nomina dici de Deo, quæ inuoluunt diſtinctionem ſignificatorum vnius ab alio, v.g. prædeſtinatio, reprobatio &c. quæ variātur iuxta diſtinctionem prædeſtinatorum, aut reproborum, v.g. B.Virginis, & aliorum Sanctorum, Iudæ,& mali latronis;& horum datur diſtinctio, & non poſſunt vno nomine explicari. Inter hæc eſt idea, quæ dicitur multiplex, quia ſignificat exemplar ideati, cuius ita eſt

ſimi-

ſimilitudo, vt diſtinguitur ab alio. Nomen autem ſcientiæ, potentiæ &c. non ſignificant vnam rem, vt diſtinguitur ab alia, ſed abſolutè vt eſt ſcibilis, poſſibilis &c. Ita S. Bonauentura loc. cit. q. 3. ad arg. conſonat S. Th. q. 3. de ver. a. 2. & alibi.

Dãtur ideæ tam vniuerſalium, quã particulariũ

Pariter ad alterum reſpondet idē S. Bonauent. loc. cit. q. 4. ex S. Auguſt. dari ideas tam vniuerſalium, quàm ſingularium; ex quo confirmatur noſtra doctrina de rationibus, ſeu veritatibus æternis diſtinctis à ſingularibus, vt fuſiùs tom. 1. Et quia hæc ſunt plura, ideo & ideæ dicuntur plures iuxta numerum connotatorum penes quæ attenditur pluralitas, ex a. 1. q. 2. cit.

Quintum Argumentum eſt.

CXXVIII. Quia ſi diuina eſſentia vt imitabilis à creatura dicitur idea; igitur vt eſt intellectio, non habet rationem ideæ, quod pluribus auctoritatibus Scholaſticorum, & Patrum, imò & ipſius S. Bonauenturæ probare nititur P. Didacus Ruiz de ſcientia Dei diſp. 82. cit. ſect. 6. eò quod in 1. diſt. 35. a. 1. q. 1. dicat, quod ipſa veritas ex hoc quod facit cognoſcere, eſt ſimilitudo expreſſiua, & idea, & q. 2. Idea eſt ſimilitudo, quæ eſt ratio cognoſcendi. Accipit autem ſimilitudinem expreſſiuam pro obiecto formali, quod eſt ratio perfectè determinans ad cognoſcendas creaturas.

Reſponſio petenda ex dictis à Sancto Bonauentura ſupra, quòd ſimilitudo, quam dicit idea, eſt duplex, alia eſt imitationis, & hęc eſt modica, quia maior eſt diſſimilitudo creaturæ ad Deum, quàm ſimilitudo. Alia eſt ſimilitudo expreſſionis, & hæc eſt perfectiſſima; illa eſt reſpectu eſſentiæ, quam participant creaturæ infinitè à Deo diſtantes; hæc eſt intellectionis, quæ ita exprimit, vt perfectiùs exprimi nequeant creaturæ cognitæ. Vtraque ſimilitudo dicitur idea à S. Bonauentura locis citatis, & diſertè a. 1. q. 2. ad argum. Vbi cum dixiſſet, quod idea eſt ſimilitudo exprimens ſummè ſecundùm omnes conditiones ſubdit. Et rurſus ex hoc quod nõ eſt expreſſa, ideo non eſt arctata, nec limitata, ſed extendit ſe ad omnia, ſicut diuina eſſentia &c. quis non videt ideã cõpletã hic cõtradiſtingui à diuina eſſẽtia, & cõparari cum illa quoad amplitudinem, & illimitationem. Atque hoc ſuppoſito toto illo articulo ex dictis quæſtione prima, vbi tribuit ideæ ex eo quod ſummè exprimit, perfectiſſimè aſſimilare cognitum aſſimilatione competenti cognitioni: quæ videlicet eſt ſimilitudo expreſſionis diſtincta à ſimilitudine imitationis, quam vocat minimam; & nihilominus ſufficit ad hoc, quod eſſentia dicatur idea remotè, vt ſcilicet imitabilis eſt à creatura, & pro tali habetur q. 3. cit. quæ diſtinctio eſt notanda ad ſaluãda varia dicta de ideis in ſpeciẽ cõtraria, niſi aliquando accipiatur idea eſt obiectum cognitionis, qua videlicet cognoſcitur eſſentia vt imitabilis, & qua cognoſcitur quaſi reflexè ipſa cognitio directa vt expreſſiua creaturarum: & quod idea ſummè repræſentat, quia nimirum eſt perfectiſſima ſimilitudo creaturarum, quod conuenit ideæ vt expreſſiuæ, hoc eſt cognitioni: & quod modica ſimilitudinem habet cum creatura: quod verum eſt reſpectu eſſentiæ, quam imitatur creatura, ſed modicè, ob exiguam ſimilitudinem, & vniuerſaliter per hanc diſtinctionem intelligitur, de qua idea verificentur vocabula, quibus illam appellat S. Bonauentura tota diſtinct. 35. & 36. puta quod ſit prima veritas, ſimilitudo, ratio cognoſcendi, forma exemplaris, ratio æterna &c. aliqua enim conueniunt ideæ, vt dicit eſſentiam, alia vt intellectionem. Et ſic in forma ad argumentum negatur ſequela, quia non ſolùm eſſentia, ſed etiam intellectio idea appellatur, licet S. Thomas tribuat nomen hoc eſſentiæ, quia ipſa vt imitabilis, eſt fundamentum, cur cognitio illam exprimens habeat totum id quod habet ipſa, quæ cognoſcitur, & quia virtualiter eſt reflexa, videt ſeipſam vt viuam imaginem, & exemplar creaturarum tam poſſibilium, quàm futurarum, quarum eſt ſimilitudo imitationis, in quantum eſt eſſentia; expreſſionis, in quantum eſt intellectio.

Ideæ ratio aliquando tribuitur eſſentiæ, aliquando cognitioni a S. Bonauent.

Ad

Digitized by Google

CXIX. Ad Patres in contrarium citatos,in primis aliqui ponunt rationem ideæ in intellectione, & in eſſent a;ſic Clemens Alexandrinus lib. 5. ſtrom. paulo poſt init. *Illa, inquit, eſt Dei intelligētia, ſeu quod à mente diuina intelligitur, &c.* Et S. Dionyſ. de diu. nom. c. 5. exemplaria vocat effectrices rationes, *quas diuina, inquit, ſcripta prædeſtinationes appellant, diuinaſque ac bonas voluntates, quæ conſtituunt, & faciunt omnia, &c.* Quis dubitat, quin in ijs includatur intellectio? Siquidem per intellectum,& voluntatem Deus omnia operatur? Deinde Reſpondeo, à Patribus, præſertim à S. Auguſt. ſupra citato à S. Bonauent. ideas vocari rationes æternas, & incommutabiles, quæ ſunt in Deo, & vnum cum ipſo, non autem eſſe aliquid ad extra, ad quod reſpiciat Deus operans; quas rationes alij conſtituunt in intellectione, ratione cuius dicuntur creaturæ in Deo eſſe vita Dei: Alij ponunt in eſſentia vt imitabili; ſed tam illi in intellectione inuoluunt eſſentiam ipſi identificatam; quàm iſti in eſſentia includunt intellectionem, quia eſſentia ſecundùm ſe non eſt idea creaturarum completa, ſed vt cognita imitabilis à creaturis. Sic S. Tho. de ver. q. 3. a. 2. c. Eſſentia, inquit, ſua eſt idea rerum, non quidem vt eſſentia, ſed vt eſt intellecta: nimirum imitabilis à creatura; & hanc eandem eſſe mentē S. Bonauent. teſtatur Trig. in S. Bonauenturam 1. p. q. 11. a. 3. dub. 2. cōcl. 1. Et pro ea ſunt Valent. Molina, & alij apud Faſol. 1 p. q. 14. a. 1. n. 7. Ideo diximus ſupra, eſſentiam eſſe ideam, remotè, & incompletè, quia proximè eſt per intellectionem, ſine qua non eſt cauſa exemplaris, ſeu idealis; neq; eſt connotatio creaturæ requiſita à S. Bonauent. ad rationem ideæ; quo modo intelligitur, quod habet in 1. diſt. 35. a. 1. Idea ſignificat diuinam eſſentiam in comparatione, ſiue in reſpectu ad creaturam,&c. qui reſpectus non eſt aliquid in Deo,quē apertè negat; ſed eſt ipſa eſſentia non ſimpliciter, ſed vt imitabilis à creaturis, quod eſt connotare creaturas.

Clem. Alex.

S. Dionyſ.

S. Thom.

CXXX.

Sextum Argumentum.

SI per ideas cognoſcit Deus, & Beati creaturas tam poſſibiles, quàm futuras, vt S. Bonnu. diſtinc. 35. cit. a. 1. q. 1. ergo etiam tam ipſe, quàm Beati futura contingentia nouiſſe dicendi ſunt in decretis. Conſequentia patet à paritate rationis; tum quia ſicut ideæ ſunt cauſæ exemplares effectum, ita & decreta ſunt cauſæ efficientes, tum quia ſicut ideæ inuoluūt cognitionem eſſentiæ vt imitabilis, ita decreta inuoluunt determinationem actus futuri; & ſicut cognitio intellectionis diuinæ cadentis ſupra creaturas vt participatiuas eſſentiæ repræſentat creaturas, vt terminos eiuſdem intellectionis; ita cognitio decreti, ſeu volitionis diuinæ repræſentat rem volitam; tum quia prima veritas vt eſt ratio cognoſcendi creaturas, quatenus dicit ſimilitudinem earum reſpectu imitationis imperfectæ, quà illę referunt eſſentiam, & perfectæ quatenus exprimuntur ab intellectione diuina, vt dictum eſt; ita quatenus dicitur de decreto cum eſſentia identificato, poteſt eſſe ratio cognoſcendi id, quod ad ipſum dicit ordinem, & virtute eius eſt futurum: Denique propter quod vnumquodque tale & illud magis; ſed propter decretum diuina eſſentia fit repræſentatiua futurorum ex dictis ſupra; ergo & ipſum decretum magis eſt repræſentatiuum. Falſitas autem conſequentis probatur primò, quia decretum efficax Dei vel accipitur pro prædefinitione, vt dicit intentionem operis alicuius, ſeu volitionem finis, præſcindendo in illo ſigno ab hoc, vel illo medio, quod in alio ſigno per decretum executionis eligitur, de quo Suar. in lib. 2. de concurſu Dei c. 7. n. 5. & alibi non ſemel. Suar. Vel accipitur abſolutè pro efficaci voluntate, qua Deus prædeterminauit omnes actus futuros, vt cenſent, qui tollere nituntur ſcientiam mediam, & prędeterminationē phyſicam tuentur, ac proinde efficax Dei decretum prædeterminandi voluntatem ad ſuos actus. In neutro decreto cognoſci poſſunt futura contingentia, ergo. Probatur minor, quia decretum tam

con-

conditionatum, quàm abſolutum, & cuiuſcumque modi ponatur in Deo ex ijs, quos recenſui primo tom. diſp. 4 nihil dicit reale in Deo præter eſſētiam, cum qua omnia identificantur; in hac autem non poſſunt videri futura libera, cum quicquid in illa eſt, ſummè ſit neceſſarium, igitur contingentia tota ſe tenet ex parte creaturarum. Quando ergo aſſeris futura cognoſci in decreto libero, vel pro decreto libero intelligis id, quod dicit in recto, & hæc eſt eſſentia ſummè neceſſaria, ac proinde non repræſentans contingentia; vel accipis, quod connotatur in obliquo, ideſt creaturas, & hoc non, quia ridiculè diceretur creaturas cognoſci in decreto, hoc eſt in ſeipſis: vel tertiò pro decreto intelligis complexum ex eſſentia & creaturis, & redit difficultas; tum quia eſſentia eſt ſummè neceſſaria; tum quia connotatum, id eſt creatura, diceretur cognoſci in ſeipſa: neque aliquid complexum habet, in quo dici poſſint vide i futura contingentia.

CXXXI. Deinde, ſi pro decreto intelligatur complexum ex actu diuinæ voluntatis, & creatura, ad quam terminatur, vt per illud dicantur creaturę cognoſci, debet ipſum eſſe cognitum, & proinde creaturæ, ſine quibus non conſtituitur formaliter; non ergo illæ per decretum cognoſcuntur, quæ ſupponuntur cognitæ, vt dicatur decretum cognoſci.

Confirmatur, quia decretum abſolutum quodcumque illud ſit, neceſſariò debet impleri; voluntati enim Dei quis reſiſtat? quomodo ergo in illo cognoſci poſſunt futura contingentia, quæ non neceſſariò, ſed liberè fiunt?

Accedit auctoritas S. Bonauenturæ in 1. diſt. 47. a. 1. q. 1. in reſol. *Sicut præſcientia, inquit, quia neceſſariò infert effectum, non poteſt falli, ſic voluntas abſoluta, quia neceſſariò infert, non poteſt impediri, imò eam neceſſarium eſt impleri, &c.* Siue igitur ſupponatur voluntati prædefinitiuæ ſcientia conditionata in noſtra ſententia, ſiue non ſupponatur in aliena tuente prædeterminationem ante vllam ſcientiam futuri, cum vtraq; ſit voluntas abſoluta, non poteſt impediri.

Tertiò. Vel futurum contingens videtur in decreto vniuerſali concurrendi cum omnibus cauſis ſecundis, ac proinde cum liberis iuxta earum exigentiam; & hoc non, quia decretū generale non eſt potius de vno, quàm de altero, vt Suar. l. 1. de ſcientia Dei c. 6. n. 9. & ita non poteſt in eo cognoſci vna pars potiùs quàm alia; vel videtur in decreto particulari de tali effectu, talique concurſu; & neque hoc dici poteſt, quia aut eſt antecedenter ad præuiſionem effectus à cauſa libera dependenter futuri; & ita non eſſet contingens, quia cauſa libera per decretum inuiolabile determinata eſſet ad vnum: aut conſequenter ad præuiſionem cauſæ ſe determinantis ad vnum, atque ita non in decreto cognoſceretur, quod pro illo ſigno nondum intelligitur eſſe; ſed in ſeipſo, vel in cauſa. Omiſſis, quæ hic tanguntur de diuinis decretis, ac prędefinitionibus, de ſcientia conditionatorum, concordia libertatis cum illis, quæ proprias habent quæſtiones.

Ad argumentū in forma vt reſpondeatur, quædam prænotanda ſunt. CXXXII. Primò, quod in nullo decreto generali concurrendi cum cauſa libera, iuxta eius exigentiam cognoſci poteſt futurum contingens: Ita fermè omnes negantes prædeterminationē phyſicam, qua tolli libertatem arbitrantur. Ratio potiſsima eſt, quia decretum concurrendi cum cauſa libera eſt proportionatum naturæ eius, quæ exigit poſſe operari ad vtramque partem; & proinde voluntas diuina generalis concurrendi cum illa eſt indeterminata ad vtramque; non igitur cognoſci in ipſa poteſt vna pars potiùs quàm alia, quia voluntas ipſa indifferens eſt ad vtramque, & decretum diuinum eſt conditionatum concurrēdi ad hanc partem, ſi voluntas ad illam ſe determinet. Quod ſi poſt decretum generale daretur aliud particulare concurrendi determinatè ad vnā partem, ad quam præuidit diuinus intellectus ob infinitam perfectionem ſuā attingentem omne ſcibile, creatam voluntatem ſe determinaturam; pariter eius decreti auctores, quo primo tom. diſput. 4. citaui dicunt, non poſſe in eo cognoſci futura con-

tingentia ob eamdem rationem, quia cum non tollat libertatem, relinquit potentiam indifferentem ad vtrumlibet, & ſic ex vi eius non poteſt certo cognoſci, quid ſit futurum; & quidem hoc decretum non eſſe neceſſarium ſimpliciter, imò & vniuerſaliter fruſtra poni, & reſpectu mali eſſe impoſſibile, ibidem oſtendi, ſed ſi daretur, tunc

CXXXIII. Secundò. Notandum, quod decretum abſolutum, & efficax poteſt eſſe ratio diuino intellectui, & beatorum cognoſcendi futura contingentia certò & infallibiliter. Eſt communis non ſolùm auctorum phyſicæ prædeterminationis; ſed etiam multorũ, quos citat Suar. ſupra lib. 1. de ſcientia futurorum conting. c. 6. Faſol. in 1. p. q. 14. a. 13. dubio 11. vbi Scotum ex collatione locorum variorum negat, huius fuiſſe ſententiæ, quæ illi tribuitur in 1. diſt. 39. q. vnica. Sed hic variè explicatur à ſuis, vt videre eſt apud Fabrũ ibi diſp. 44. c. 4. & Smiſing. tom. 1. tract. 3. diſp. 2. q. 4. Certè in quodl. q. 14 §. Hic intelligendum, habet hæc verba; *Intellectus diuinus videns determinationem voluntatis infallibilem, cognoſcit hoc eſſe futurum, &c.* Et iiſdem fermè verbis vtitur in ſententiis; nam diſt. illa 39. §. viſo de contingentia ait. *Per hoc, quod intellectus diuinus videt determinationem voluntatis diuinæ, videlicet illud fore pro A, quia voluntas ita illud determinauit fore pro A, ſcit illam voluntatem eſſe immutabilem, & non impedibilem.* Et in 4. diſt. 47. q. 2. §. contra iſtam: *Deus, inquit, non habet ſcientiam de futuris contingentibus, niſi quia certitudinaliter nouit determinationem voluntatis ſuæ reſpectu eorum, ad quæ voluntas ſua eſt immutabilis, & impedibilis.* Quæ verba vniuerſalia ſunt, atque vt ex contextu patet, non ſunt reſtringenda ad ea futura contingentia, quæ à ſola Dei voluntate pendent, & non à creatura, ne videlicet cogamur ſecundum Scoti opinionem, neceſſitatem inducere voluntati; nam apertè in 2. diſt. 25. q. 5. §. Dico ergo, admittit in voluntate libertatẽ determinandi ſe ad vnam partem, dũ contingenter operatur, vt proinde conſtet, non determinari à Deo ad vnum, ſed cum diuina determinatione non immutante intrinſecè voluntatem creatam remanere potentiam ad vtrumlibet, & conſequenter contingentiam operationis. Idem ſentit Ricchard. in 1. diſt. 38. a. 1. q. 5. & alij apud eoſdem recent. præſertim interpretes S. Bon. Trigoſus 1. p. q. 10. ar. 4. dub. 1. concl. 3. & alij agnoſcentes cõtingentiam in infallibit. effectus.

Faſol. Faber. Smiſing.

Imò & Suar. l. 1. de ſcientia futurorum paulo ante relatus de prædefinitione loquens c. 6. num. 4. *docet, quod actus liberi boni prædefiniti à Deo, ſuppoſita tali prædefinitione euidenter cognoſcuntur futuri in illa, & ex vi illius, &c.* Et quamuis non ſit talis prædefinitio adæquata ratio cognoſcendi futura libera, ſed neceſſariò aliam ſupponat, vel includat, quia videlicet ſupponit in Deo potentiam faciendi, vt actus infallibiliter ſequatur, & ſcientiam cõditionatam, qua nouerit, quid opus ſit in voluntate creata, vt liberè, & infallibiliter operetur. Igitur iuxta hanc doctrinam ſuppoſita ſcientia cõditionata poteſt cognoſci in prædefinitione actus prædefinitus, liberè tamen futurus in tempore. In quem ſenſum ait S. Hilarius l. 9. de Trinitate S. Hilar. apud eundem Suar. *Quæ Deus facere decreuit, in ſua voluntate cognouit.* Idem docet Fonſeca 6. Metaph. c. 2. q. 4. ſec. 5. Fonſ. poſſe ſcilicet cognoſci aliquos actus futuros liberè in actu abſoluto, & determinato diuinæ voluntatis, quæ Deus decreuit ab æterno, vt fierent; prærequirit tamen ſcientiam conditionatam tale decretum, vt ſaluetur libertas. Ratio eſt, quia nouit Deus quicquid efficacitèr vult eſſe futurum cum ſit omnipotens, & idem norunt Beati, quibus reuelatur decretum efficax.

Obijcit ſibi Suarius argumenta aliquot ex ſupra poſitis contra cognitionem hanc in decreto, & ſoluit iuxta CXXXIV. ſua principia: nos iuxta noſtra conformia doctrinæ Seraphicæ, alia ratione ſoluemus, pro quo aduerte.

Tertiò. Futura contingentia, quæ cognoſcuntur in ſe immediatè, quia vera ſunt ab intellectu diuino ob eminentiam ſuam omnia vera, & intelligibilia penetrantem, & medio extra ſe ad intelligendum non indigentem, cognoſcuntur etiam in eſſentia, vt eſt fons,

Digitized by Google

ſons, & principium continens eminenter omne ens creabile, & vt eſt formaliter volitio à ſe indiſtincta realiter, ſeu vt concipitur actus volendi futurum contingens efficaciter; qui actus dicitur decretum.

Pro explicatione recolẽdum, quod dictum eſt ſupra ex S. Bonau. in 1. diſt. 45. a. 2. q. 1. quod diuina eſſentia licet ſit vnum quid ſimpliciſſimum; eſt tamen pelagus infinitum perfectionum continens in ſe per omnimodam idẽtitatem, & perfectionem, quæ diſperſa & diuerſa in creaturis reperiuntur. Sed quia intellectus noſter non poteſt infinitatem illius ſubſtantiæ comprehendere; ideo multis modis concipit Deum, & diuerſis nominibus exprimit, & enunciat: ſic diſtinguit bonitatem ab æternitate, & dicitur ſe diffundere, vt bonus eſt, non vt æternus, & cauſare per voluntatem, non per immenſitatem. Et in ipſa voluntate diſtinguit actum ſecundum à primo, & vtrumque ab intellectu, cum tamen omnia ſint vnum ens ſimpliciſſimum, & purus actus; quod non impedit, ne diuerſas propoſitiones formet de illo cum fundamento diſtinctionis in re, ob infinitam perfectionem, & virtualem diſtinctionem attributorum. Si ergo concipiamus volitionem formaliter in Deo, vel decretum efficax, quodcumq; illud ſit, poteſt eſſe ratio cognoſcendi omne id, quod efficaciter vult tam ipſi Deo, quàm creaturę rationali, cui reuelatur; idque dupliciter primò quaſi remotè, & mediatè, quia poſito decreto, & eius notitia, apparet in eſſentia veritas futuri in ea contenti. Secundò immediatè, & formaliter, quia nimirum ipſa volitio formaliter accepta eſt eſſentialiter talis rei volitio; cõſequenter ex vi ipſius cognitæ cognoſcitur obiectum, quodcumque illud ſit, ſiue neceſſariò, ſiue contingenter futurum. Cui explicationi fauet Scotus in 1. diſt. 38. cit. *Intellectus, inquit, diuinus complexionem terminorum cõtingentium offert vt neutram, & voluntas eligens vnam partẽ, ſcilicet coniunctionem iſtorum pro aliquo nunc in re facit illud determinatè verum; hoc autem exiſtente determinatè verò, eſſentia eſt ratio intellectui diuino intelligendi iſtud verum, &c.* qui primus eſt modus, quo per decretum cognoſcitur futurum. Alter modus aſſeritur in 4. ſent. & in quodlib. paulò ante recitatis, quibus ſcientiam Dei de futuris contingentibus refert in determinationem voluntatis ſuæ, qua cognita præcisè cognoſcitur in ipſa futurum contingens.

Verùm, quia decreta libera Dei nõ videntur à Beatis, niſi reuelentur, ad hoc, vt ſint ipſis ratio cognoſcendi futura contingentia, reuelatione opus eſt, de qua ſi quæras, in quod obiectũ per ſe primò tendat, quia in Deo decretum nihil dicit diſtinctum ab eſſẽtia ſummè neceſſaria; & intellectus ſi non poteſt intelligi decretum ſine creatura, non tendit per decretum prius cognitum, ſed ſimul, atque ita non cognoſcitur per illud. CXXXV.

Reſponſio petit explicationem difficultatis nunquam ſatis explicatæ, vel intelligibilis in hac vita, annuentibus Suario, Vazque, Molina, & alijs, quid addat decretum, ſiue actus liber in Deo ſupra eſſentiam, intrinſecamne perfectionem, vel extrinſecum connotatum, vel ens rationis; & quicquid hactenus dictum à Theologis fuit, vt ſit ingenioſè, dictum, ſciendi potius ſitim auget, quàm extinguit. Conuenit inter omnes, Deum eſſe actum puriſſimum, & quod in eo eſt, totum eſſe Deum, licèt in plures perfectiones per noſtrum intelligendi modum diſtinguibile; totum item eſſe neceſſarium, & liberum actũ non dici liberũ, quia realiter ſit indifferens ad eſſe, & non eſſe; cum identificetur eſſentiæ: Proinde quando cognoſcitur decretũ, cognitio tendit realiter in eſſentiam, ſed debet explicari, quid addat eſſentia cognita, vt dicit decretum.

Reſpondeo, iuxta dicta ſuperius de decreto libero, diuinam eſſentiam cõcipi cum dominio poteſtatiuo faciẽdi quæcũque fieri non implicat; quod eſt eſſe omnipotentem, & reducere ad actum ſecundum dominium per imperium voluntatis ſine vlla intrinſeca mutatione, quod eſt certũ, quia Deus eſt immutabilis; quod declarabam exemplo voluntatis creatæ, ſi volendo produceret actum ſuum in ſubiectum à ſe diſtinctum; diceretur enim velle, & operari, ſed non intrin-

ſecè mutari, quia nihil reciperet in ſe, dum vellet; quod in caſu impoſſibili creaturæ nou contingit, de facto in Deo eſt, vt ſine ſui mutatione libere velit, quia continet omnes perfectiones creaturarum modo eminentiori, pręciſis imperfectionibus; atque adeo quicquid habet perfectionis volitio ſine imperfectionibus contingentiæ, mutationis, compoſitionis &c. cum quo ſtat, vt dicatur actus liber non in eſſendo, ita vt poſſit eſſe, & non eſſe; ſed in cauſando, quia pro libito cauſat. Quando ergo quæritur, in quid tendit cognitio, quando ex vi decreti cogniti cognoſcitur futurum contingens, reſpondeo, quod tendit in eſſentiam, vt habet rationem volitionis, quæ illi non eſt deneganda, ſicut neque intellectionis, ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, viſionis, approbationis, vt tenet communis ſententia contra Aureolum negantem huiuſmodi actum liberum in Deo: tendit autem in eſſentiam vt terminatam ad talē futurum, quod vult per actum neceſſarium ſibi identificatum, qui ſine vllo addito reali intrinſeco ex infinita virtute ſui dominij poteſtatiui cauſat futurum, ſeu verum futuri; quod eſt dicere cum Scoto ſupra, poſito decreto, verum eſt, rem eſſe futuram, quæ illo præciſo non erat futura; ita vt decreto reſpondeat extrinſecè nouum obiectum ab æterno rei futuræ in tempore exiſtentis; quicquid deinde ſit de ente diminuto in ſententia Scoti, de quo in præſentia non diſputo. Quomodo autem illa veritas æterna non ſit exiſtentia rei productæ ab æterno, aliàs explicaui; nunc non eſt cura de obiecto decreti, ſed de ipſo decreto, quod difficile eſt intelligere, quid ſit formaliter, & quomodo eſſentia induat rationem eius, & prorſus immutata ſit ratio cognoſcēdi futurum contingens, quod ante decretum non repræſentabat, ſi decretum nihil addit intrinſecum, & ſi adderet, illud non eſſet ratio cognoſcendi, neque conſtitueret eſſentiam in ratione cognoſcendi.

Poſito decreto verū eſt rem eſſe futurum.

CXXXVI. Sed hoc eſt myſterium, in cuius intellectione laborat intellectus humanus; nihilominus, vt aduertit Suar. l. 1. cit. de ſcient. futur. conting. hîc nō ingerit nouam difficultatem, & alioqui negari non poteſt, quin Deus cognoſcat in ſeipſo ſuum decretum, & per illud idem beati, ſi reuelatur, prius ratione cognitum cognoſcant futura. Quid ergo videt Deus videns decretum ſuum, ſi ipſe, eius intellectio, volitio, decretum ſunt vnum, & idem ens ſimpliciſſimum: & tamen propoſitio enuncians, quòd Deus videt decretum ſuum, non eſt identica, & inutilis? nimirum ab infinita Dei perfectione habet fundamentū diſtinguendi formaliter decretum ab eſſentia intellectus noſter, & ideo de vtriſque format diuerſas propoſitiones, vt S. Bonau. ſupra: diuinus autem ſimplici intuitu videt quicquid diſtinguibile eſt cognitione infinitè perfectiore, & modo à nobis non intelligibili, cum idem ſit videns, viſio, & decretum viſum realiter. Quod æque certum, ac mirabile eſt, ſed nō magis quàm quod intellectus, intellectio, & eſſentia ſint vna entitas ſimpliciſs. & quod Deus verus procedat de Deo vero, nec tamen ſint plures Dei; ſi nimirum dicatur, quòd Deus videndo decretum ſuum; videt ſe, ſiue ſuam eſſentiā, quatenus dat eſſe futurum cōtingens per volitionem identificatam ſibi realiter, & formaliter, ſiue virtualiter diſtinctam; & hoc eſſe dare intelligitur in ſecundo ſigno rationis, quod non intelligebatur in primo ſine vlla ſui mutatione ob dominium poteſtatiuum, quod ob infinitam perfectionē, ratione cuius poteſt immutatum cauſare quod creatura non poteſt ſine mutatione: & hoc idem vident beati, quibus decreta reuelantur. Ad quod nullo opus eſt reſpectu rationis, etiāſi ad hæc arcana vtcumque percipienda illo vtamur. Atque ita patet ſolutio argumenti ſupra poſiti probantis non videri in decreto futura, quia decretum vt dicit eſſentiam diuinam, non eſt liberum, ſed neceſſarium: vt dicit terminum, in quem tendit, non eſt ratio cognoſcendi, quia terminus eſt cognitus; reſpondetur enim decretum dicere actum, qui neceſſarius eſt, quoad eſſe, liber autem quoad cauſare, & vtrumque videri, quando videtur decretum, & ex vi ipſius viſi videri futurum quod probatur.

Quid videt Deus videns decretum ſuum.

Decretum dicit actum neceſſariū quoad eſſe, liberum quo ad operari.

Pri-

Digitized by Google

Primò. Quia formaliter loquendo
CXXXVII. decretum eſt volitio talis effectus, ergo vt ſic nõ poteſt videri, quin videatur effectus. Antecedens ſupponitur, vt notum: Conſequentia patet, quia alioqui non videretur decretum, nec videretur volitio huius effectus.

Secundò. A paritate ideæ, quæ eſt regula ad dirigendum in cognoſcendo, & regulandum in operando; ſed in Deo idem ſunt regula, regulatum, & idea, vt S. Bonauentura in 1. d. 35. a. 1 q. 1. ad vltimum, & tamen ibidem dicitur Deus cognoſcere per ideas ſine vitioſo circulo, quo affirmetur idẽ per idem, & rurſus idem per idem per diuerſa tantùm nomina, quia verè, & propriè Deus intelligit per ideas, vt formaliter diſtinctas ab eſſentia ſecũdùm ſe conſiderata. Idem igitur de decreto affirmari poteſt, quod magis explicatur ex dictis ſupra de cognitione eſſentiæ ſub ratione ideæ.

Terio. Quamuis eſſentia, & idea ſint vnum & idem in Deo, tamen formaliter diſtinguuntur, quia idea dicit eſſentiam non ſimpliciter, ſed vt imitabilem à creaturis; quæ ratio imitabilitatis intrinſecè inuoluit eſſentiam, imò eſt ipſamet eſſentia; extrinſecè autem connotat creaturam, quæ imitari poteſt eſſentiam, cuius omne ens participatio quædam eſt, vt ſup. S. Bonauent. & quidem poſſibilium, quæ ſciẽtia ſimplicis intelligentiæ cognoſcuntur, eſt neceſſariò idea; at futurorum, quæ ſupponunt decretum, per quod accipiunt eſſe futurum contingenter, eſt idea, quia poterant non eſſe futura & carere decreto; hæc autẽ fiunt ſine mutatione intrinſeca, ita vt decretum nullam dicat mutationem, per quam eſſentia fiat idea futurorũ, cum eſſet ſolùm poſſibilium ante decretum, neque eſſentia, vt ſtat ſub ratione decreti eſt diuerſa à ſe ſine decreto; ſed ſolùm extrinſecè connotat effectum qui futurus eſt per imperiũ à ſe indiſtinctum: Deus ergo cognoſcendo eſſentiam ſuam ſub ratione volititionis cognoſcit futurum contingens volitum, quia volitio vt ſic eſt voliti volitio; beatus autem non poteſt ſub hac ratione volitionis eſſentiam intueri, niſi perfuſus lumine illã oſtendẽte, vel reuelatione, qua poſita, videt ex vi eius effectum, quia efficax voluntas ideo efficax dicitur, quòd trahat ſecum neceſſariò effectum neceſſitate, vel antecedente, vel conſequente.

Eſſentia fit idea futurorum ſine ſui mutatione.

Quartò. Per hunc modum explicandi intelligitur, quod ſit futurum contingens videri in decreto, ſiue ex vi decreti tam in ſententia concedẽtium cognitionem hãc, quàm negantium, omnes enim admittunt decreta diuina ob auctoritatem ſacræ Scripturæ ſæpe de illis loquentis; & cum hæc ſint intrinſeca Deo, & eſſentiæ identificata, & ſint cauſa futurorum, non poſſunt conſtitui ab illis; oportet ergo aſſignare quod ſignificatum ſubſit huic voci, decretum, vt intelligatur quid ſit illud in quo, vel per quod futurum cognoſcitur, aut non cognoſcitur ab vtraque ſententia negante videlicet vel affirmante certò, & infallibiliter in eo cognoſci; hoc autem non poteſt eſſentia ſimpliciter conſiderata; neque effectus futurus, neque compoſitum ab vtroque, vt probatũ eſt, ergo ab eſſentia vt volẽte, ſeu ſub ratione volituri conſiderata; quæ volitio ſi ſit efficax, dicitur cauſa libera in cauſando, & eligẽdo vnam partem determinatam; ſed ex ſuppoſitione quod elegerit, non ſtat determinatio ſine effectu, & ideo qui nouit illam, etiam nouit & iſtum non ſolùm quia terminus eſt, vt contingit in relatiuis, ſed vt effectus, qui per virtutem illius habet eſſe futurum.

SOLVTIO PRINCIPALIS ARG.

Iuxta diſtinctionem S. Bonauenturæ.

CAP. XXV.

I. Admittenda diſtinctio neceſſitatis conſequentiæ, & conſequentis.

II. Quomodo præfinitio non officiat libertati creatæ.

III. In cauſa proxima indeterminata non eſt cognoſcibilis effectus contingens.

IV. In cauſa determinata poteſt cognoſci.

IN-

Digitized by Google

CXXXVIII. INSTABIS, quia poſito decreto, vel effectus poteſt nõ eſſe futurus, aut non poteſt nõ eſſe futurus. Si primũ, igitur cum decreto efficaci poteſt non eſſe effectus, & ſic decretũ nõ eſt efficax; quia poſſibili poſito in eſſe, nullum ſequitur abſurdum. Si ſecundum, igitur neceſſariò erit, & non dicetur futurum contingens contra ſuppoſitionem, qua ponitur quod ſit contingẽs.

Rurſus ſi effectus eſt contingens, & poteſt eſſe, ac non eſſe, igitur in decreto efficaci non poteſt infallibiliter cognoſci, quia non eſt determinatio ad vnam partem, quod requiritur ad infallibilitatem, nam ſi admittatur determinatio, ſequuntur incommoda, quæ prædeterminationi phyſicæ opponuntur.

Pro ſolutione inſeruit doctrina S. Bonauenturæ cõmuniter à noſtris recepta, ab aduerſarijs variè explicata, ne Damaſcenum, à quo deſumpta eſt, ſtare contra ſe concedant. Verba S. Bonauenturæ diſtinguentis neceſſitatem conſequentiæ, & conſequentis hæc ſunt. *Voluntas Dei abſoluta connotat euentum rei; & ideo eſt ibi neceſſitas conſequentiæ, ſed non conſequentis, quia non mutat euentum rei, imò vult Deus quod eueniat conſequẽs contingens. Vnde ſicut præſcientia quia neceſſario infert effectum, non poteſt falli, ſic voluntas abſoluta quia neceſſariò infert, non poteſt impediri, imò eam neceſſarium eſt impleri &c.* Quę diſtinctio recepta communiter à Theologis diſplicet hæreticis negantibus libertatem arbitrij; ſed ſolida eſt, & apta ad conciliandam libertatem hanc cum diuinis decretis non deſtruentibus, ſed perficientibus illam; ideo ad confirmandã illam, reſpondeo, quod effectus præfinitus à Deo non poteſt non eſſe in tẽpore præfinito; ſed hæc eſt neceſſitas conſequentiæ, quæ non tollit libertatem, & contingentiã, quia ſupponit ſcientiam conditionatam ante decretum abſolutum, quod neceſſariò ſecum trahit effectum; ſed ſupponit libere futurũ tam ex parte creatæ voluntatis, quę intrinſecè non mutatur per decretum extrinſecum, quàm ex parte Dei ita determinantis concurrere ad vnam partem, ad quã præuidit voluntatem ſe determinaturam, vt tamen paratum habeat concurſum ad alteram, ſi contra ſuppoſitionem voluntas ſe ad illam applicaret, atque ita ſemper effectus dicetur contingens, licet neceſſarius ex ſuppoſitione quòd ſit futurus, quia vt ſic non poteſt non eſſe futurus; ſicut ex ſuppoſitione, quòd ſit, non poteſt non eſſe, quæ eſt neceſſitas conſequentiæ libertatem non lædens; ideo poſſibile non eſt, non poni effectum præfinitũ; ſed hæc eſt neceſſitas conſequentiæ, qua poſita, non eſt poſſibile poni cõtrarium, & ſi poneretur hoc, maximũ ſequeretur abſurdum, quod impoſſibile ex ſuppoſitione poneretur actu, atque adeo eſſet poſſibile, & impoſſibile, quod non minus abſurdum eſt quoad hoc, quàm ſi antecedenter impoſſibile ad actum reduceretur; in terminis enim metaphyſicis tam impoſſibile conſequenter, quàm antecedenter excludunt poſſibilitatem exiſtẽtiæ rei impoſſibilis, licet ex diuerſis capitibus attẽdatur impoſſibilitas, & cum vno ſtet contingentia, quia nihil ponit determinãs intrinſecè voluntatem, neque determinans extrinſecè, niſi ſuppoſita ſcientia conditionali, quid factura eſſet volũtas in talibus circumſtantijs, præciſo quolibet decreto antecedente particulari de concurſu ad certam partem, & relicto vniuerſali de concurſu cum omnibus cauſis ſecundis iuxta earum exigentiam.

Neceſſitas conſequentiæ, & conſequentis.

Neceſſitas ſequẽtiæ nõ lædit libertatem.

Ex quo patet ad confirmationem, nam præfinitio ſupponit rem futurã CXXXIX. ſub conditione præuiſam, & adueniens non mutat voluntatem, ne cõtingenter operetur, nec ponit in ea determinatiuum intrinſecum; ideo ſemper voluntas manet libera, & libere ſe determinat, quod autem nõ poſſit eſſe vana, neceſſitas eſt conſequentiæ in ea tamen cognoſcitur effectus, quia Deus nouit naturã eius eſſe talem, vt infallibiliter trahat ſecũ quod præfinitũ eſt efficaciter; & licèt concurſum exhibeat ad vtrumque paratum, tamen prædefinit actus bonos, quos per ſcientiam mediam futuros præuidit determinante ſe voluntate cum concurſu vniuerſali, quem de

indi-

indifferenti facit particularem, & viſa prædefinitione abſoluta effectus præuiſi ſub conditione futuri, inſeparabilia ſunt hæc duo, decretum Dei, & actus bonus. Igitur viſa prædefinitione, videtur inſeparabilitas ab effectu præfinito, quod eſt videri effectum per decretum.

Inſtabis, quia ſi in decreto cognoſcitur effectus, multò magis poterit cognoſci in cauſa proxima, & immediata, quod communiter negatur à patronis ſcientiæ mediæ, ex eo quod talis cauſa etiam poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poteſt operari, & non operari, & proinde ex vi eius cognitæ non poteſt cognoſci determinatè alterutra pars oppoſitorum certò, & infallibiliter.

Reſpondeo, hanc eſſe quæſtionem celebrem, an effectus contingentes cognoſcibiles ſint in cauſa proxima, & immediata, in qua Thomiſtæ defendunt, poſſe cognoſci conſequenter ad ſua principia de phyſica prædeterminatione: noſtris placet, omnibus ad agēdum poſitis, quæ neceſſaria ſunt in actu primo, adhuc voluntatem liberam eſſe ad agendum, & non eſſe cognoſcibilem effectum determinatum in cauſa indeterminata, qualis eſt voluntas creata, contendunt. Ego verò quid ſentiam, duabus propoſitionibus pronuncio.

Prima Propoſitio.

CXXXX. IN cauſa proxima omnino indeterminata non eſt cognoſcibilis effectus contingens certò, & infallibiliter, quod idem eſt ac dicere, in voluntate creata relicta in ſua indifferentia ad operandum, & munita concurſu primæ cauſæ in actu primo parato ad vtramque partem, ad quam illa ſe determinauerit, non poteſt certò cognoſci, cui ſe illa applicauerit. In propoſitione conueniunt noſtri omnes Suar. Vazq. Val. Mol. & alij citati à Faſol. in 1. p. q. 14. art. 13. à num. 100. & S. Thomas eo articulo primæ partis habet, *quod quicumque cognoſcit effectum contingentem in cauſa ſua tantùm, non habet de eo niſi coniecturalem cognitionem &c.* quæ cognitio non admittitur in Deo, qui nouit contingentia futura, prout vnumquodque eorum eſt in actu, & in ſeipſo. Et 2. 2. quæſt. 171. art. 6. 1. *Quamuis futura contingentia, prout ſunt in ſeipſis, ſint determinata ad vnum tamen prout ſunt in ſuis cauſis, non ſunt determinata, quia poſſunt aliter euenire.* Quæ verba, & alia ſimilia ſaltem de cauſa penitus indeterminata intelligenda ſunt, licèt vniuerſaliter de omni voluntate quomodolibet affecta alij interpretentur, ſed nos de primo ſenſu nunc loquimur.

Suar. Vazq. Val. Mol. Faſol. S. Tom.

Potiſſima ratio, ad quam omnes illæ reducuntur eſt, quia voluntas penitus indeterminata poteſt ex innata libertate vtramuis partem eligere, ergo ex vi eius cognitæ non poteſt haberi certitudo effectus, quia non potius eſt ratio cognoſcendi vnum, quàm alterum. Verum quidem eſt, quòd diuinus intellectus cognoſcens determinatè omne futurum, nouit etiam omnes cōditiones eius, & proinde à qua cauſa ſit futurus. Vt enim S. Auguſt. lib. 5. de Ciu. cap. 9. voluntates noſtræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præſciuit, & ideo quicquid valent, & quod facturæ ſunt ipſæ, omnino facturæ ſunt, quia valituras, atque facturas illas. præſciuit, cuius præſcientia falli non poteſt &c. Sed hoc non eſt ex vi cauſæ cognitæ, ſed ex virtute infinitæ comprehēſionis attingentis, perfectè omnia cognoſcibilia, atque adeo futura contingentia cum cauſis ſuis, at non in cauſis indeterminatis. Itaque nouit Deus, quid factura ſit voluntas, proinde quodlibet contingens ab illa futurum, quia eſt infinitè ſciens, nec aliquid ſcibile eſt, quod ipſum lateat, ſed quod ex vi cauſæ cognitæ indifferentis aliquid cognoſcat, non eſt ſcibile: & ſicut ex vi cauſæ determinatæ tam neceſſariè, quàm liberæ cognitæ cognoſcitur effectus, quia antecedenter non poteſt non ſequi; ita ex vi cognitionis cauſæ indeterminatæ non poteſt cognoſci effectus, quia antecedenter poteſt non ſequi; & ideo ex hoc capite non eſt fundamentum cognitionis certę, & infallibilis in cauſa prorſus indifferente. Dixi, prorſus indifferente, nam quæri inſuper poteſt

S. Auguſtin.

ſi cau-

ſi cauſa ſit aliquo modo determinata, licèt non phyſica prędeterminatione.

AN IN TALI CAVSA
proxima cognoſci poſſit effectus contingens.

CAP. XXVI.

I. *Quid phyſica, quid moralis ſit determinatio.*
II. *In cauſa moraliter determinata cognoſcitur infallibilitas effectus.*
III. *Paobatur auctoritate Scholaſtitorum.*
IV. *Suarij in primis, ac Bellarmini.*
V. *Fauet Scriptura, S.Auguſtinus, & S.Thomas.*

VIDEO communiter negari ab Auctoribus ſcientiæ mediæ; ſed nihil huic ſcientiæ obſtare cognitionē hanc aduerto, & alioqui eſſe conformem principijs S.Auguſtini, & S.Bonauenturæ non dubito, & pro ea ſtare pleroſque ex noſtris Scriptoribus, ex ſequentibus oſtēdo, ideo connecto primæ propoſitioni capitis præcedentis, hanc ſecundam. Igitur ſit,

Secunda Propoſitio.

CXXXXI. IN cauſa moraliter determinata cognoſci poteſt certò, & infallibiliter effectus contingenter futurus. Moralis prædeterminatio differt à phyſica, quod hæc vt explicatur à ſuis auctoribus, eſt motio actualis, qua Deus efficienter facit, vt liberum arbitrium operetur actum, vt ipſi volunt, liberum, vt nos probamus impugnantes prædeterminationem hanc, neceſſarium, quia promotio hæc prouenit à Deo independenter à volūtate creata; & talis naturæ eſt, vt non ſit in voluntatis poteſtate ſeparare ab ipſa conſenſum, vel diſſenſum eſſentialiter adnexum; proinde non eſt libera ad vtrumlibet, ſi prædeterminatio eſt ad vnū, quod prolixè iuxta, ac validè à noſtris oſtenſū eſt. Moralis verò determinatio fermè in perſuaſione, & affectioue conſiſtit, quę phyſicè nō trahit voluntatem, vel determinat ad vnam tantum partem, ſed relinquit eam liberam ad vtramque. *Quomodo, ait S.Auguſtinus, viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt velimus ſiue extrinſecùs per euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonet hominem infirmitatis ſuæ, vt ad gratiam iuſtificantem credendo confugiat, &c.* Quò pertinent exhortationes, increpationes, minæ, & cætera, quæ allicere voluntatem delectatione apta & terrere triſtium timore queūt. Dico igitur, nō ſolùm in phyſica prædeterminatione, ſi daretur, cognoſci poſſe liberos euentus certò, & infallibiliter, vt de facto concedunt eius auctores, ſed etiam in morali, quod à pluribus noſtrorum negatur: non diſputo, an ſit neceſſaria talis prędeterminatio, neque vtrum pro tali ſit habenda quæcumque habet effectum, ad quem voluntatem impellit; ſed ſolum intendo dari poſſe in tali gradu, & excellentia, in qua ſit certitudo, & infallibilis connexio effectus per ipſā cogniti. Ita apertè Suarius l.3. de auxilijs diuinæ gratiæ c. 10. n.7. *Dicendum, inquit, cenſeo, poſſe perueniri in hac determinatione ad moralem infallibilitatem, quæ ſimpliciter dici poſſit, nunquam deficere; non tamen ad metaphyſicam, vt ſic dicam, infallibilitatem, id eſt, ita exactam, vt repugnet deficere.*

Aluar. de auxil. diſ. 23. De ſpir. & lit. c. 23. to. 3. Suar.

Ratio eſt, quia Deus comprehendit capacitatem, & inclinationem humanæ voluntatis, & omnes vias, & modos, quibus ad conſenſum inclinari poteſt, vel impediri, ergo poteſt ita illam præparare, diſponendo ad conſenſum, aperiendo, quæ latebant; bona, & reddendo ita delectabilia, quæ videbantur aſpera; vt ſinat ſe infallibiliter trahi ad conſenſum, & hoc totum nouit Deus. Confirmatur, quia etiam Dæmon, cui nota eſt natura, propenſio, fragilitas hominis, ita ſuggeſtione, ac tentatione ſe illi accommodat, vt certo ſciat, illum ceſſurum, niſi diuinitus adiuuetur, & Deus, vel Angelus, cui Deus reuelet, ſcit, ſe non daturum gratiam peculiarem, ſed ſolum ſufficientem, cum qua non ſtabit, ſed præuaricabitur; aut etiam, ſi velit relinquere poteſt viribus arbitrij inferioribus tentationis vehementiæ; quo caſu ex vi cognitæ tentationis cogno-

Digitized by Google

cognoſcit lapſum infallibilem, quia licet phyſicè maneat potentia libera; moraliter tamen non valet reſiſtere in ijs circumſtantijs, & hoc notum eſt Deo: Exemplum eſt in primis parentibus, Euæ namque prçuaricationem cognouit Dominus in callida ſerpentis circumuentione abſolutè futura ex ſua permiſſione; ſicut & ſeductionem ſub conditione futuram mulierum Moabiditarum, & Amonitidarũ, de quibus 3. Reg. c. 11. & Exod. 34. *Non ingrediemini ad eas; certiſſimè enim auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos earum*. Multò magis nouit Deus vim cauſæ, & motionis ſuæ ad trahendum cor in quamcumque velit partem ſalua libertate ſine vlla phyſica prædeterminatione, ſiue terrere velit hominem; ſiue voluptate trahere; quem modum, & infallibilitatem
S.Aug. tract. 16. in Ioan. explicans S. Auguſtinus: *Ramum, inquit, viridem oſtendis oui, & trahis illam; nuces puero demonſtrantur, & trahitur, & quod currit, trahitur, amãdo trahitur, ſine læſione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur, &c.* Si ergo Pater trahat amore nimirum delectatione, quæ vinculum cordis eſt, ſine dubio in illa tractione certò cognoſcit effectum liberum, id eſt acceſſum ad Chriſtum, ad quem nemo non venit, qui trahitur.

Eadem eſt ſentẽtia Cardinalis Bel-
CXXXXII larmini lib. 4. de grat. & lib. arb. ca. 15.
Card. Bellar. *Deus igitur, inquit, quia perfectè cognoſcit omnes propenſiones, & totum ingenium animi noſtri, & rurſum non ignorat omnia, quæ illi poſſunt occurrere in ſingulis deliberationibus, & denique perſpectum habet, quid magis congruum & aptum ſit, vt moueat talem animum tali propenſione, & ingenio præditum, infallibiliter colligit, quam in partem ſit animus inclinaturus*. Et mox: *Si quis coniungat cum cauſa contingente, vel libera omnia, quæ poſſunt occurrere, & impedire, & videat propenſionem, & aptitudines tum ipſius cauſæ, tum omnium obiectorum, & circumſtantiarum, quod ſolus Deus facere poteſt, exiſtit inde aliqua determinatio, & ratione illius verum erit dicere, hoc erit tali tẽpore, &c.* Et teneri hanc ſententiam à recentioribus aliis Theologis fatetur Leſſ. de Grat. c. 16.

De S. Thomæ ſententia diſputant Thomiſtæ, & noſtri proferentes varia eius loca quique pro ſe, quæ ſic conciliari poſſunt, vt vbi negat cognoſci poſſe futurum contingens in cauſa, intelligatur de cauſa prorſus indeterminata, vel non ita determinata, vt cognoſci poſſit infallibiliter operatura voluntas, vt intelligitur 1. p. q. 14. a. 13. & q. 16. de malo a. 7. & 1. 2. q. 10. a. 4. c. Vbi autem concedit, in ea cognoſci effectum liberum, loquatur de cauſa determinata moraliter, quæ videlicet in talibus circumſtantiis libera quidem ſemper maneat, ſed ſemper tamen infallibiliter vnam partem ſit electura. Et 1. contr. gent. c. 66. poſt 6. rationem, ait; *Quod Deus cognoſcit futura, ſecundum quod ſunt in potentia ſua, & in proprijs cauſis, & in ſeipſis*. Idem repetit c. 68. & 2. 2. q. 171. art. 6. quæ & ſimilia recentiores Thomiſtæ Bagn. 1. p. cit. Aluarez de auxil. diſp. 9. & alii interpretantur de cauſa determinata phyſicè. Certè de morali determinatione intellecta carent incommodis prædeterminationis phyſicæ, & ſaluatur commodè libertas illi aduerſa, præſertim quia S. Thomas 1. p. cit. a. 13. q. 14. apertè habet: *Deus autem cognoſcit omnia futura contingentia, non ſolum vt ſunt in ſuis cauſis, ſed etiam prout vnumquodque eorum eſt in actu in ſeipſo, &c.* Et diſtinguit hanc cognitionem à cognitione aliorum intellectuum, quorum cognitio reſpectu effectuum cõtingentium in cauſis eſt tãtùm coniecturalis. Durand. etiam in 1 diſt. 38. q. 3. n. 9. *Cognita, inquit, cauſa indifferente, ſi cum ea cognoſcantur omnia, quæ eam determinare poſſunt, & determinabunt, poteſt infallibiliter cognoſci, quis effectus eueniet*: Quomodo etiã loquitur Val. 1. p. q. 14. p. 3. q. 2. aſſert. 3 Sed ex omnibus apertè huic ſententiæ fauet Auguſtinus pluribus locis non ſolùm vbi agit de Gratia, ſed vbi in vniuerſum agit de efficaci voluntate in efficiendo quæcumque vult; nã quoad hoc par eſt de actibus naturalibus, vt quando mouet corda Regum ad bella, ad vindictam malorum, &c. Et ideo auctoritas Sancti, quæ tangit gratiam ſolùm aſſumitur ad probandam cauſalitatem moralem, & cognitio-

Conciliantur loca S. T.

S. Thom.

Durão.

Valen.

tionem certã in ea ; omiſsis quæ propria ſunt auxi iorum diuinæ gratiæ; Prou c.21. de omnibus enim ſcriptum eſt; *Cor Regis in manu Dei, ſicut diuiſiones aquarum, quocumque voluerit, vertet illud, &c.* Siue ad vindictam malefactorum, ſiue ad laudem, & præmium bonorum. Ita cor Regis Aſſueri vertit, de quo S. Auguſt. l.contra duas epiſt. Pelag.c.20. *Qui cor Regis, antequam mulieris, Heſter, ſermonem poſcentis audiſset, occultiſſima, & efficaciſſima poteſtate conuertit, & tranſtulit ab indignatione ad lenitatem; hoc eſt de voluntate lædendi ad voluntatem fauendi, &c.* vt hinc intelligas ſermonem eſſe vniuerſalem, & non de gratia ſola, &c.

PROBATVR

Propoſitio auctoritatibus S. Auguſtini.

CAP. XXVII.

I. In vocatione alta, atque ſecreta mirabili, ineffabili ex S.Auguſt. cognoſcit Deus conſenſum futurum.

II. Duplex adiutorium Adæ, alterum ante lapſum, alterũ poſt lapſum.

III. In morali determinatione videt Deus effectum futurum liberè, & infallibiliter.

IV. Differt ſuaſio Dei, à ſuaſione creaturæ.

V. Vniuerſaliter in donis gratiæ præparantibus voluntatem, & vocatione ſecundum propoſitũ cognoſcitur effectus futurus à Deo.

CXXXXIII. EPIST. 107. ad Vital. appellat vocationem altã, atque ſecretam, *qua ſic Deus regit arbitrij ſenſum, vt doctrinæ præſtet aſſenſum.* Certè Deus in hoc regimine videt aſſenſum, quem in vocatione vulgari ſecuturum minimè videt; eo nãq; fine dat vt aſſentiatur, & talem, vt infallibiliter quidem, ſed liberè aſſentiatur; *Cur autem illi ita ſuadeatur, vt perſuadeatur (en vocatio congrua) non in prædeterminatione phyſica, ſed morali, quæ ſufficit ad perſuadendum, imò quæ eſt ipſa perſuaſio) illi autem non (quæ ſcilicet eſt ſufficiens ad perſuadendum, ſed actu non ſuadet) duo ſolùm occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placet. O altitudo diuitiarum, &c.* Numquid in ſuaſione ita accommodata arbitrio, vt perſuadeat, non cognoſcit futurum conſenſum Deus? qui etiamſi multos vocet, *ait Auguſtinus, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quo modo eos vocari aptum eſt, vt ſequantur, &c.* Ad ſimplic. l.1.q.2.to.4. Scit autem Deus modũ, quem adhibet, infallibilem eſſe, & nunquam ſui effectus vacuum, idque ex vi talis medij cogniti. Eadem epiſtola ait Deum omnipotentiſſima facilitate conuertere, ac volentes ex nolentibus facere, in eo videlicet ſenſu, quo loquitur de correptione, & gratia c.14. *Sine dubio habens humanorum cordium quò placeret inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.* Et mox: *Si ergo cum voluerit* Deus *Reges in terra conſtituere, magis habet in poteſtate voluntates, hominum, quam ipſi ſuas, &c.* Hæc pariter poteſtas extendit ſe ad operationes extra gratiam, & iuſtificationem. & de prædeſtinatione Sanctorum c.20. *Quod ſi Deus ad regna terrena obtinenda potuit inclinare voluntates, ad regnum cæleſte obtinendum, non inclinare poterit, quorum voluerit, voluntates?*

Alta vocatio & ſecreta.

De ſpir. & lit.c 22.to.3

Omnipotentiſſima facilitate conuertit Deus.

Secundò. Item vocatur occulta, mirabilis, & ineffabilis poteſtas, qua operatur Deus in cordibus hominum non ſolùm veras reuelationes, ſed etiã bonas voluntates, c.24.fin. lib. contra Pelag. & Cœleſt.t.7. Profecto nõ eſſet mirabilis, & ineffabilis, ſi nõ traheret ſecũ ineffabiliter conſenſũ ex ſua virtute: neq; mirabilis intellectus, qui in ea non videret connexionẽ infallibilẽ effectus. Et c.19.contra duas epiſt.Pelag. *Trahitur ergo miris modis, vt velit, ab illo qui nouit intus in ipſis hominum cordibus operari, &c.* quos modos ad duo capita vniuerſim vocat, oſtenſionis videlicet eius, quod latebat; & delectationis eius, quod non delectabat: Sic de Spiritu, & litera c. 25. *Eſſet autem, inquit, tanta voluntas, ſcilicet operandi, ſi ita nihil eorum, quæ pertinent ad iuſtitiam, nos lateret, & ea ſic delectarent animum, vt quicquid aliud voluptas, ſiue dolor impedit, delectatio illa ſuperaret.* Et l.2. contra Pelagianos c. 17. t.7. *Nolunt homines facere, quod iuſtum*

Mirabilis, & ineffabilis poteſtas.

iuſtum eſt, ſiue quia latet, an iuſtum ſit, ſiue quia non delectat. Et mox. *Vt autem innoteſcat quod latebat, & ſuaue ſiat, quod non delectabat, gratia Dei eſt, quæ hominum adiuuat voluntates, quæ vt non adiuuentur, in ipſis itidem cauſa eſt, & non in Deo, &c.* & l. 2. de pecc. merit. & remiſs. c. 17. *Nolunt homines facere quod iuſtum eſt, ſiue quia lateat quod iuſtum eſt, ſiue quia non delectat*. Hic nulla prædeterminationis phyſicæ mentio; aperta autem moralis, nimirũ manifeſtationis eius, quod iuſtum eſt, quæ pertinet ad intellectum; & delectationis, ſiue ſuauitatis, quæ pertinet ad voluntatem. In hac autem determinatione morali cognoſcitur effectus futurus infallibiliter, quia omnes, qui efficaciter vocantur per illuſtrationem mentis, & delectationem volũtatis vocationem ſequũtur; vt idem S. Auguſt. in l. 1. ad Simplic. q. 2. ab illis verbis. *Sed ſi vocatio iſta ita eſt effectrix bonæ voluntatis, vt omnis eam vocatus ſequatur, quomodo verum erit, Multi vocati, pauci electi?* Et cum multa pro reſponſione dicat, tãdem concludit. *Item verum eſt non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia etiamſi multos vocet, eorũ tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eos vocari aptum eſt, vt ſequuntur, &c.* quæ prouidentia neceſſaria non eſt, ſi prædeterminantur phyſicè, ſed ſola voluntas prædeterminandi ſufficit, vt ſequantur ſine reſpectu ad aliam aptitudinem, vt ſequantur; benè autem morali opus eſt, quæ ita ſuadeat, vt perſuadeat, quod ſine reſpectu ad diſpoſitionem audientis fieri non poteſt.

Vocatio effectrix bonæ voluntatis.

CXXXXIV. Iam verò, quod in hac vocatione cognoſcatur infallibilis ſequela, patet ex eodem Auguſtino lib. de Gratia Chriſti contra Pelag. & Cæleſt cap. 13 vbi declarat verba Ioann. cap. 7. omnis qui audiuit à Patre meo, & didicit, venite ad me; *non eſt autem conſequens ait, vt qui poteſt etiam venire, veniat, niſi id voluerit, atq; fecerit, ſed omnis qui didicit à patre, non ſolum poteſt venire, ſed venit &c.* Igitur infallibilis eſt cõnexio vocationis cum ſequela, & acceſſu ad Chriſtum, qui ergo cognoſcit vocationem habentem vim perſuadendi actu, nouit & effectum eius.

tom. 7.

Confirmatur ex dictis de prædeſtinatione Sanctorum c. 8. *Abſit ergo, vt quiſquam non veniat qui audiuit à patre &c.* Sunt enim infallibiliter ſe comitantia, auditio, & ſecutio.

Tertiò. Dicitur efficaciſſima S. Auguſt. de Grat. & lib. arb. c. 5. *Vt autem de cælo vocaretur, & tam magna & efficaciſſima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat ſola.* Et c. 16. *certum eſt, nos facere cum facimus, ſed ille facit, vt faciamus; præbendo vires efficaciſſimas voluntati*. Profectò in vocatione efficaciſſima conuerſionem Pauli; & in viribus efficaciſſimis conſenſum voluntatis nouit Deus; illas enim tales dedit vt cauſas, & media potenter, & infallibiliter operatura finem; & quia non fallitur Deus, & ſcit, ſe falli non poſſe, in illis certiſſimè nouit effectum.

Efficaciſſima vocatio.

Fateor miris modis trahi vocatum, vt velit ab illo, qui nouit intus in ipſis hominum cordibus operari, non vt homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed vt volentes ex nolentibus fiant, vt docet l. cont. duas epiſt. Pelag. c. 19. ſed vt accommodatè faciat ad naturã ijs qui intellectu, & voluntate reguntur, vires efficaciſſimæ per illuminationem, & affectionem tribuuntur, iuxta doctrinam eiuſdem ſupra, quæ affectio complectitur varios motus cordis, quos operatur Deus; ſic de Corrept. & Gratia c. 1. *Aguntur enim, inquit, vt agant, non vt ipſi nihil agant, & ad hoc eis oſtenditur, quid agere debeant, vt quando id agunt, ſicut agendum eſt, id eſt cum dilectione, & delectatione iuſtitiæ ſuauitatem, quam dedit Dominus, vt terra eius daret fructum ſuum, accepiſſe ſe gaudeant, &c.* Certe in hac dilectione, & delectatione iuſtitiæ, qua voluntas præparatur, nouit Dominus, quam partem voluntas ſit amplexura, vbi aduertit S. Auguſt. de Spirit. & Lit. c. 35. quod cognitum eſt appetendum, non ſtatim appeti, niſi tantum delectet, quantum diligendum eſt; atque ita non quælibet illuminatio, neque delectatio quælibet ſufficit, ſed quanta ab eo declaratur: *Ecce, inquit, quemadmodum ſine exemplo, & in hominibus perfecta, & tamen impoſſibilis non eſt. Fieret autem, ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei. Eſſet*

CXXXXV.

Miris modis trahit Deus.

tom. 7.

tom. 7.

tom. 7.

Digitized by Google

autem ſanta, ſi & nihil eorum, quæ pertinent ad iuſtitiam, non latent, & ea ſic delectarent animum, vt quicquid aliud voluptas, ſiue dolor impedit, delectatio illa ſuperaret. Eadem habet in Enchir. c. 81. & lib. de Gratia Chriſti c. 14.

CXXXXVI. Quartò. De Corrept. & Grat. c. 11. duplicis adiutorij meminit his verbis: *Tale quippe erat adiutorium Adæ, videlicet, quod deſereret, cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, vt vellet. Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam. Prima eſt enim, qua fit, vt haberet homo iuſtitiam, ſi vellet; ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit, vt velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntatē ſpiritus vincat*. Et paulo poſt: *Eſt quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeueranter tenendo, non ſolum poſſe quod volumus, verum etiam velle quod poſſumus, &c.* Igitur Deus diſcrimen vtriuſq; agnoſcens in altero, cognoſcit effectum, quia tale eſt, vt faciat velle: in altero non agnoſcit; quia licet ſine illo manere non poſſimus, non tamen facit, vt actu maneamus. Et in vtroq; ſaluatur libertas; *Sic enim, inquit* c. 14 *velle, vel nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem, &c.* quia nimirum Deus ita ſuadet, vt perſuadeat, & non cogat voluntatem, ſed indeclinabiliter, & inſeparabiliter trahat, quò vult, & in ſuaſione conſenſum agnoſcat ab illa moraliter inſeparabilem. Porrò quæ c. illo 11. addit S. Auguſt. Prima ergo libertas erat poſſe nō peccare, nouiſſima erit, multò magis non poſſe peccare, intelligitur de non poſſe in patria.

Adiutorium Adæ.

Duplex adiutorium.

Cum vtroq adiutorio ſtat libertas.

Quintò. Adiutorium, cum quo homo nō ſolùm velle poteſt, ſed vult, vocat victricem delectationem, & lucem lib. 2. de Pecc. mer. & remiſſ. c. 19. ait, Deum aliquando Sanctis ſuis alicuius operis iuſtitiam non tribuere, vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, vt cognoſcant non à ſeipſis, ſed ab illo ſibi eſſe lucem, qua illuminantur tenebræ eorum, & ſuauitatem, qua det fructum ſuum terra eorum, &c. Profectò cognita victrice delectatione cognoſcitur victoria, & perſpecta natura lucis intelligitur vis eius ad tenebras expellendas.

victrix delectatio.

Secundò. Huius ſcientiæ duæ radices, ſeu fundamenta ſunt. Primum eſt infinita ſapientia Dei ſcientis aptare media infallibilia ad fines ſuos aſſequendos, eaque accommodata naturæ irrationali. *Cuius autem miſeretur, ait* lib. 1. ad Simplic. q. 2. *ſic eū vocat, quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non ſpernat*. Quo verbo notatatur libertas in acceptando, vel ſpernendo vocationem cum infallibilitate acceptationis. Alterum eſt potentia item infinita. Domine Deus Rex omnipotens in ditione tua cuncta sūt poſita, & non eſt, qui poſſit reſiſtere tuæ voluntati. Heſter 13. Voluntati eius quis reſiſtit? Rom. 9. Et S. Aug. de Corrept. & Grat. c. 14. *Non eſt itaq; dubitandum, ait, voluntati Dei, qui in cælo, & in terra omnia quæcumque voluit, fecit, & qui etiam illa, quæ futura ſunt, fecit, humanas voluntates nō poſſe reſiſtere, quò minùs faciat, quod vult, &c.* Non ergo in ſola ſua voluntate nouit futura libera, ſed etiam in medijs ad ea adhibitis, quæ per ſapiētiam adhibet ſuauia, & per potentiam efficacia, id eſt habitura effectum infallibilem; ac proinde non eſt, cur denegetur huius cognitio in cauſa ſic præuenta, & ita determinata moraliter. CXXXXVII.

Hiſtor. 13.

Dices cum S. Thoma q. 3. de malo art. 3. c. nulla perſuaſio ex neceſſitate mouet hominem ad agendum efficaciter, & infallibiliter; ergo in ea cognoſci non poteſt infallibilis effectus. Reſpondeo, hanc auctoritatem fauere mihi aſſerenti Deum mouere ſuadendo, ita vt perſuadeat, quia hic eſt modus faciendi, vt voluntas liberè operetur, & tamen infallibiliter. Gloſſa autem contraria adhibetur gratis verbis S. Thomæ, quia infallibilitas diſtinguitur à neceſſitate. CXXXXVIII.

Septimò. Expreſsè S Auguſtin. de Prædeſtin. Sanctorum c. 17. *Electi, inquit, ſunt ante mundi conſtitutionem ex prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſciuit; electi ſunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id, quod prædeſtinauit, impleuit*. Quod ſi prædeſtinatio eſt donorum gratiæ, præ-

tom. 7.

para-

Digitized by Google

paratio, vt ibidem c.10. præmiſerat, & de bono perſeu. c.14. in ijs donis futura facta prænouiſſe, conſequens eſt, ac proinde in vocatione, quæ inter beneficia numeratur, de quibus idem Auguſtinus. *Prædeſtinatio Sanctorum nihil eſt aliud, quàm præſcientia, & præparatio beneficiorum, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur*, quis neget hanc mediorum efficacitatem, vnde certitudo liberationis oritur à Deo cognoſci; imò disertè id habet ibi Auguſt. *quæ vtique ſi præſciuit, profectò benefica ſua, quibus nos dignatur liberare, præſciuit, &c.* Et vniuerſim l.11. Conf. c.18. *Cum ergo videri dicuntur futura non ipſa, quæ nondum ſunt, id eſt quæ futura ſunt, ſed eorum cauſæ, vel ſigna forſitan videntur quæ ita ſunt, ideo non futura, ſed præſentia ſunt iam videntibus, ex quibus futura prædicuntur animo concepta, &c.*

CXXXXIX Octauò. Moralis hæc determinatio, & cognitio futuri effectus in ea aptiſſima eſt ad conciliandam omnipotentiam cum libero arbitrio, in qua conciliatione fuiſſe ſibi negotium, & curam fatetur S. Aug. l.3. aduerſus Pelagianos: *Egone, inquit, tollo liberum arbitrium, qui in tota diſputatione mea nihil aliud egi, niſi vt omnipotentiam Dei cum libero arbitrio conſeruarem!* Omnipotentia exercetur, quia de voluntate creata facit quæcumq; vult in Cælo, & in terra. *Neque enim, ait Auguſt. veraciter ob aliud vocatur omnipotens, niſi quia quicquid vult, poteſt; nec voluntate cuiuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Elucet etiam in hoc omnipotentia vt illud quod voluntas creata vult, etiãſi diuinæ reſiſtere nequeat volũtariè, ac liberè velit, vt S. Thom. in 2. diſt. 25. q.1. a.2. 1. Cum autem multis modis exerceri omnipotentia poſſit, ille eſt accommodatus ad faciendum, vt voluntas liberè operetur, ſi perſuaſione vtatur, proponendo obiectum vt bonum, & motiua ad illud amplectendũ tam vehementia, vt intellectus formet iudicium pract cum de ipſo proſequendo, & voluntas non ſolùm illi adhærere deliberet, ſed ſummo ardore in ipſum feratur, vt ſupra ex Sancto Auguſtino retulimus; qui eſt modus valdè conſentaneus naturæ rationali, quæ propoſitis omnibus motiuis extrinſecis adhuc manet intrinſecè libera ad eligendum quod vult. Si dicas, quod Angelus idem poteſt facere, hoc eſt proponere bonitatẽ obiecti, ac perſuadere, vt ſupra dictum eſt de Dæmone deceptore Euæ, & peculiare aliquid Deo trahenti eſſe concedendum.

Reſpondeo, eſſe magnum diſcrimẽ inter Angeli perſuaſionem & Dei. Primò, quia locutio Dei ſine comparatione aptior, & efficacior eſt ad perſuadendum, atque vt ſubſtat voluntati eius inducendi ad finem aliquem, eſt infallibilis, quia illi reſiſti non poteſt, cum ſit omnipotens; quod non competit vlli creaturæ erga aliam. Secundò, quia licet Angelus poſſit illuminare Angelum, vel hominem, non tamen efficienter cauſare actum voluntatis cõcurrendo vt cauſa ſuperior cum ipſa, ſicut concurrit Deus, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incepit, ait S. Auguſt. de grat & lib. arb. c.17. quomodo interpretari licet, quod præmiſerat c. 14. Deum inclinaſſe voluntatem Semei vitio ſuo iam malam, vt malediceret Dauid; nam & permiſit, vt malediceret, & cooperatus eſt actioni malæ, quoad materiale vt prima cauſa concurrens cum omnibus ſecũdis. Tertiò, quia non poteſt Aug. tollere impedimenta omnia, quæ remorari poſſunt voluntatem, ne amplectatur finem, vel eligat media, quæ proponit, quia non habet dominium in illam: quæ eſt doctrina S. Thomæ q 3. de malo a.4. *Intellectus, inquit, humanus, poteſt adiuuari ab intellectu Angelico ad aliquid cognoſcendum per modum illuminationis cuiuſdam, vt Dionyſ. dicit. Quamuis enim Angelus non poſſit directè cauſare actum voluntatis, eo quod actus voluntatis nihil eſt quàm inclinatio quædam ab interiori procedens; poteſt tamen imprimere in intellectu, cuius actus conſiſtit in recipiendo ab exteriori; vnde dicitur, quod intellectus eſt quodaam pati, &c.* Et 1. p.q. 105. a.4. c. ait, quod Angelus inclinare poteſt ad amorẽ creaturæ, vel Dei per modum ſuadentis. Vbi aduerte, quod hęc Dei operatio non eſt prædeterminatio phyſica, neque illã requi-

CL. Diſcrimen perſuaſionis à Deo, & ab Angelo.

requirit, ſed eſt cooperatio cum voluntate creata, cui paratus eſt diuinus concurſus ad vtramque partem, propter quæ (perſuaſionē ſcilicet, ac cooperationem) dicitur operari in nobis velle, & perficere, quod tam ſæpe inculcat S. Auguſtinus tanquam Pauli effatum, ad Dei miſericordiam commendandā, & hominis impotētiā declarandam, qui ſine illo nihil poteſt facere. Sed in hoc non prædeterminatione, ſed ſuaſione vti Deum cum S. Aug. ſupra docet S. Proſper Auguſtin. alter L. contra collat. c. 8. *Qui enim, inquit, vocatum ad filium trahit non reſiſtentem, inuitumque compellit, ſed ex animo volētem facit, & quibuslibet modis infidelitatem reſiſtentis inclinat, vt cor audientis obediendi in ſe delectatione generata, ibi ſurgat, vbi premebatur, ibi diſcat, vbi ignorabat, inde fidat; vnde diffidebat, inde velit, vnde nolebat &c.* Quæ omnia operatur Dominus ſimul cum ſeruo, ille ſuadendo, & audientem ſimul iuuando ad delectabiliter obediendum, hic cooperando, & vocem loquentis ſequendo. Quam obedientiam ſecuturam Dominus in locutione ſua nouit, cuius virtutem non nouiſſe is potuit, qui liberè, & infallibiliter per eam tradere ſtatuerat, non nihil agendo poſt locutionem, ſed coagendo, & cō currendo ad motum vitalem, & conſenſum formalem. Omnipotens, ait Aug. de grat. & lib. arb. c. 21. *In cordibus hominum agit etiam motus volūtatis eorum, vt per eos agat quod per eos agere ipſe voluerit.* Et l. de grat. Chriſti c. 3. expreſsè meminit tam ſuaſionis, quàm cooperationis ſequentis ad ſuaſionem; ait enim Deum non ſolùm adiuuare voluntatem, oſtendendo, quid fieri debeat; ſed inſuper cooperando, & dilectionem inſpirando, vt id quod faciendum eſſe cognouerint homines faciant. Quare cum ad Simplic. l. 1. q. 2. ait, quod vt velimus ſuum eſſe voluit, & noſtrum; ſuū vocando; noſtrum ſequendo, non excludit hanc cooperationem, quam aliàs ſæpe docet; ſed ſupponit vt quid annexum vocationi. Dices rurſus etiā Pelagius hæc admittebat, nam lib. de grat. 1 1 c. 7. refert Auguſt. doctrinam eius ijs verbis; Adiuuat nos Deus per doctrinam, & reuelationem ſuam, dū cordis noſtri oculos aperit, dum nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat, dum diaboli pandit inſidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat, &c. Et ne quid deſiderari videatur, addit explicationem verborum Apoſtoli, operatur in nobis. Operatur, inquit, Pelagius, velle quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos mutorum more animantium tantummodo præſentia diligentes, & futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccēdit, dum reuelatione ſapientiæ in deſideriū Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem, dum nobis ſuadet omne, quod bonum eſt; ſed nos eam gratiam nolumus. Iſtam aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur, & ſperatur; non ſolùm reuelatur ſapientia, verùm etiā ſuadetur nec ſolùm omne quod bonum eſt ſuadetur, verùm etiam & perſuadetur &c. Et ita ſoluitur obiectio, quia in illis omnibus Pelagius nunquam diſceſſit à lege, & doctrina preter quam gratia admitti debet, vt S. Auguſt. notat.

Suadet, & cooperatur Deus.

S. Proſper.

CLI.

Doctrina Pelagij a S. Auguſt. confutata.

CLII.

Nonò. Datur gratia vocationis ſecundùm propoſitum, Rom. 8. Eph. 1. & alibi, id eſt ſecundùm beneplacitū, & liberale conſilium Dei decernentis vocare ad fidem nullis meritis præcedentibus, vt Auguſt. lib. 2. cont. duas epiſt. Pelag. c. 9. & de corrept. & grat. c. 7. *& hæc à nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippe tribuitur,* ait de prædeſt. Sanct. lib. 8. *vt cordis duritia primitus auferatur &c.* nimirum datur à Deo ex propoſito, vt accipiatur, & proinde eo modo quo nunquam non accipitur, nec impediri poteſt à voluntate humana, ne accipitur, vt S. Aug. ibid.

Gratia vocationis ſecundum propoſitum.

Rurſus datur alia vocatio non ſecundū propoſitum, de qua Matt. 20. multi ſunt vocati, pauci verò electi, qualis fuit eorum, qui vocati fuerunt ad nuptias, & venire noluerunt, Matth. 22. Sic S. Aug. de Prædeſt. Sanct. c. 16. *Vocat enim Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, vt eos faciat membra prædeſtinati vnici filij ſui, non ea vocatione qua vocati ſunt, qui noluerunt venire ad nuptias; illa quippe vocatione,*

Digitized by Google

ne, & Iudæi vocati ſunt, quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum eſt, & Gentes, quibus Chriſtus crucifixus ſtultitia eſt, ſed ea vocatione prædeſtinatos vocat, quam diſtinxit Apoſtolus dicens ipſis vocatis Iudæis, & Græcis prædicare ſe Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam &c. Et hanc eſſe ait, certam vocationem ſecundum propoſitum. In hac igitur, quam ſcit Deus falli non poſſe, quia ſcit à nulla voluntate hominum, aut Angelorum impediri poſſe ſuum decretum, cur non dicatur futurum cõtingens infallibiliter agnoſcere, cui cauſam contingentem præparauit, vt loquitur S. Thom 1. p. q. 19. a. 8. c. vt enim S. Leo ſerm. 7. de Paſſione Domini cum qualitates actionũ noſtrarum, & effectus omnium voluntatum ſcientia diuina præueniat, quãtò magis nota ſunt Deo opera ſua?

Decimò, Cauſa contingens indeterminata nõ operatur, vel quia igno-
CLIII. rat, cum voluntas non feratur in incognitum, vel quia impeditur aliqua paſſione, quæ reducitur ad voluptatem, & dolorem. Vel tertio, quia ablatis impedimentis, adhuc libera manet, & poteſt tam in alterutram partem ſe conuertere, quàm neutram eligere, negatiuè ſe habendo ad vtramque. Sed quod attinet ad prima duo. *Ignorantia, inquit* Auguſtin. de Pecc. mer. & remiſſ. c. 17. *& infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum. Vt autem innoteſcat, quod latebat, & ſuaue fiat, quod non delectabat, gratia Dei eſt, quæ adiuuat hominum voluntates &c.* quia ſcilicet illuminatio eius pellit tenebras ignoratiæ, & victrix delectatio, vt ibidem vocatur c. 19. ſuperat omnis impedimentum paſsionis. Et in voluntate ſic affecta videt Deus, quod ſecuturũ eſt, lõgè meliùs, quàm qui in vehementi propenſione ad diuitias, vel voluptates, videt hic & nunc, quid facturus ſit auarus, vel intemperans, qui velut puer currit ad nuces, & velut ouis ad ramum viridem, quia voluptate trahitur.

Intemperãs ab incontinente differt.

Confirmatur ex differentia, quam inter intemperantem, & incontinentem ponit Ariſt. lib. 2. magn mor. c. 4.

Ariſt.

Nempe intemperans, inquit, eiuſmodi eſt, vt quæ agit, eadem & optima, & commodiſſima ſibi eſſe arbitretur, nec vllam habet rationem, quæ eius videatur aduerſari voluptatibus. At incontinens habet rationem quæ aduerſatur ei, quatenus cupiditate agitur &c. Cui igitur perſpecta eſt intemperantis diſpoſitio, nota etiam eſſe poteſt in ea electio futura hic & nũc propoſito obiecto delectabili: & non poterit cognoſci à Deo electio honeſti, ſi illud reuelet homini ſancto, immiſſa delectatione omnium impedimentorũ victrice?

Neque obſtat tertium caput, quia ablatis omnibus impedimentis, vel non poteſt amplecti partem contra- CLIV.
riam apprehenſam vt minùs bonam, vt cenſet Vazq. atque ita non eſt libera libertate cõtrarietatis, ſed ſolùm contradictionis, quia poteſt omittere; vel quia in ijs circumſtantijs numeratis infallibiliter non omittet; & hoc videt Deus in determinatiuis moralibus.

Dices, voluntas cum ijs determinatiuis eſt cauſa contingens, quæ ſe habet ad oppoſita, ergo in ea non poteſt cognoſci infallibiliter effectus, ſed ſolum coniecturaliter, vt docet S. Th. 1. p. q. 14. a. 13. c. Reſpondeo; tunc voluntatem eſſe determinatam moraliter, quod ſufficit ad cognitionem certam effectus infallibiliter futuri in ipſa cognita, vt infra magis patebit; interim dico non requiri neceſſitatem futuritionis ex cauſa ad cognitionem hanc, ſed ſufficere infallibilitatem.

Vndecimò. Regula vniuerſalis eſt à S. Auguſtino ſæpius vſurpata, quòd nihil fit, niſi volente Deo, aut permittente. Et præterea quod vtitur creatura tam ſpirituali, quàm corporali ad fines à ſe intentos. Sic lib. 3. de Trin. c. 4. *Deus, inquit, vtitur omnibus ſuis creaturis ad immutabile arbitrium ſententiæ ſuæ, ſiue incorporeis, ſiue corporeis rebus, ſiue rationalibus, ſiue irrationalibus ſpiritibus, ſiue per eius gratiam, ſiue malis per propriam voluntatem &c.* qua auctoritate abuſi hæretici malis ęquè ac bonis vti Deum ad ſuos fines aſſequendos garriunt, & malas, ac bonas voluntates formare intus agendo abſque peccato vllo; nos blaſphemias huiuſmodi exoſi Deum fatemur omnium dominum vti creaturis ad fines ſuos

Deus vtitur creaturas ad ſuos fines ac commodate earum naturis.

ſuos neceſſario agentibus, ac liberis; ſed vtraſque ita regere, vt exigit earũ natura; ac proinde liberis permittere male agere, ſi velint, & iuuare ad bene faciendum modis ſupra numeratis; qui quoniam ſubiacent immutabili arbitrio ſuæ ſententiæ, fruſtrari non poſſunt, vt ſic, effectis ab illo intentis; & ideo in ipſis infallibiliter futuri præuidentur.

SOLVVNTVR

Argumenta contraria.

CAP. XXVIII.

I. Cur determinatio moralis non opponatur libertati.
II. Variæ reſponſiones reijciuntur.
III. In noſtris principijs de ſcientia conditionata ſaluatur libertas cum determinatione morali.
IV. Et hæc ſupponitur probata à noſtris, præſertim à Suar. in opuſc. & libris de Gratia.

PRæcipuum eſt, quia prædeterminatio moralis ita
CLV tollit libertatem, ſicut phyſica. Patet hoc, quia in hanc cadit propoſitũ, & decretum Dei, quod violari nequit, cadunt vires efficaciſsimæ, quæ fruſtrari non poſſunt ſuo effectu, qui eſt vincere difficultates, & præſtare id, quod ſubminiſtratur à Deo.

Confirmatur, quia tam neceſſariũ eſt, effectum ſequi, quam Deum non falli, ſed impoſſibile eſt Deum falli, ergo etiam impoſſibile eſt, effectum non ſequi, igitur neceſſariò ſequitur, & non eſt in creatæ voluntatis poteſtate facere, vt non ſequatur. Et ne dicas eſſe neceſſitatem conſequentiæ, quia vnum ſequitur, ex alio, non conſequentis. Contra eſt; quia omnia determinatiua numerata ſupponuntur, vt antecedentia ſaltem natura determinationem voluntatis ab ipſis cauſatam, & propoſitum Dei antecedit æternitate reliqua, & illud impleri neceſsè eſt, vt patet ex citatis ſcripturæ locis ab Auguſtino: ex quo ſequitur, non contingenter, ſed neceſſariò fieri quæ fiunt; quia ſi Deus volens præſcit, æterna eſt, & immobilis voluntas; ſi præſciens vult, æterna eſt, & immutabilis ſcientia; quod eſt argumentum liberum arbitrium euertere conantium.

Reſpondent aliqui, negandum aſſumptum, quia neceſſitas ex ſuppoſi-
tione finis non tollit libertatem, v.g. CLVI
ex ſuppoſitione, quòd velis iter agere per mare, neceſſarium eſt nauigium; ſed hoc libere eligi dicitur, quia ſolùm eligitur ex ſuppoſitione voluntatis nauigandi, iuxta doctrinam S.Th. 1. q. 82. a.1. c. Cum ergo voluntas finis cauſetur à Deo, neceſſariò eligit media ad illum conſequendum; ſed hæc eſt neceſſitas ex ſuppoſitione voluntatis finis, & ideo ſtat cum libertate.

Non ſatisfacit hæc reſponſio, ſed auget difficultatem; primo, quia ſi voluntas finis cauſatur in nobis à Deo ſine nobis, & hæc affert ſecum neceſſariò electionem mediorum, non apparet, in quo ſit libertas; non in volendo, quia per te hoc fit à Deo ſine nobis; non in eligendo, quia hoc ſequitur neceſſariò ad velle per te. Deinde quia quamuis primi motus bonę voluntatis fiant à Deo in nobis ſine nobis; cooperantibus tamen ijs excitata voluntas exercet libertatem amplectendo, vel reijciendo id, ad quod excitatur, at poſito decreto vnius partis, non poteſt amplecti contrariam, quia decretum Dei violari nõ poteſt, igitur determinatur ad vnam, & non per modum ſuaſionis, ſed per modũ decreti ſuaſionem præcedentis tam duratione, quàm ordine, quia ſcilicet Deus ab æterno decretum habuit in primo ſigno, in ſecundo elegit ex varijs modis ſuaſionem. Decretum autem fuit efficax, & ideo neceſſariò trahit ſecum effectum, quam neceſſitatem non aufert modus inducendi ad illum producendum per ſuaſionẽ.

Reſpondent alij, etiam poſito decreto, libere, fieri id quod ſtatutum ab illo eſt, quia fit libenter: Deus enim facit, vt delectet obiectum, ad quod inducit, & voluntas cum voluptate illud amplectitur. Hinc ſumptũ dictũ ex S.Aug. *Præceptum, inquit, liber facit, qui libens facit*, Pſalm. 124. & de grat. ac lib. arb. c. 14. & de Nupt. & con-

Digitized by Google

concup. c.30. *Ibi veraciter liberi, vbi non delectantur inuiti. Et alibi.*

At in hoc non conſiſtit ratio libertatis, neque ab Auguſtino in eo ponitur; ſed ſolùm vt ſignum adducitur, quod vt plurimùm illum comitatur; alioqui beati in patria ſumma cum delectatione actus beatitudinis exercent, & libentiſſimè ibi manent, nec tamen libere; & in hac vita multa non libenter fiunt, quæ libere fiunt.

CLVII. Multò minùs ſatisfacit iudicium de indifferētia obiecti, quaſi illud ſatis ſit ad libertatem, quia illud pertinet ad intellectum, & eſt tantùm radix libertatis, quæ formaliter eſt in voluntate, vt fuſiùs qui de libertate tractāt. Deinde adhuc vrget difficultas, quod decretum Dei impleri debet, quodcumque deinde ſit iudicium. Reſponſio expedita eſt, decretum fieri, ſuppoſita ſcientia conditionata, qua præuidit Deus, quid eſſet factura voluntas in talibus circumſtantijs poſita, & iuxta hanc ſcientiam decreuiſſe, quod ab illa fieri vellet, atque adeo decretum non inducere neceſsitatem, quia iam ſupponit libertatem; & tamen non poſſe violari, ſed neceſſariò implendum neceſſitate ex ſuppoſitione, qua id quod futurum eſt, non poteſt vt ſic non eſſe futurum; ſicut neque id quod eſt, ex ſuppoſitione quod ſit, non poteſt non eſſe, licèt ſimpliciter poſſit non eſſe. Quæ doctrina tam ardenter impugnata ab aduerſarijs defenſa generosè, piè, iuxta, & ſolidè à noſtris apta eſt ad conciliandam arbitrij libertatem ab hæreticis expunctam; & ad declarandam neceſſitatem diuini auxilij non prædeterminantis, ſed comitatis operationes arbitrij, neque vnquam excluſi ab obiecto ſcientiæ mediæ, ſed neceſſariò incluſi in circumſtantijs, quia eſt vna principalis, & omnibus præſuppoſita non vt antecedens, ac determinans voluntatem, ſed liberam relinquēs, & eā comitans in quacunq. operatione.

Decretum Dei non inducit neceſſitatum quia fit ſuppoſita ſcientia media.

Et ita patet ad confirmationem, quia hac poſita ſcientia, neque Deus fallitur, neque violatur decretum, quia neceſſariò ſequitur præuiſus futurus libere, & præfinitus poſt præuiſionem; quæ neceſſitas eſt ſuppoſitionis explicatæ ſtantis cum libertate, & inferentis effectus infallibilitatē. Quā doctrinam eſſe cognatam Scripturæ ſacrę, & SS. Patribus, Suar. Vazq. Ruiz. Mol. Leſs. & plures alij ex noſtris egregiè demonſtrarunt.

ALTERA RESPONSIO

Ex dictis S. Auguſtini, & S. Bonauenturæ afferri poteſt.

CAP. XXIX.

I. *Media comparata ad diuinam voluntatem habent infallibilitatem effectus, & neceſſitatem conſequentiæ, cum qua ſtat libertas.*

II. *Quomodo ſaluetur libertas arbitrij cum infallibilitate euentus.*

III. *Quæ nam ſit vocatio ſecundum propoſitum.*

IV. *In ijs quæ pertinent ad liberum arbitriū Deus exercet ſuā prouidentiam habito reſpectu ad illud.*

V. *Deus ſe habet permiſſiue ad mala moralia licet concurrat poſitiue ad entitatem materialem.*

NOTA primò. Voluntas conſiderari poteſt vel vt ſubſtat decreto Dei extrinſeco intēdenti talē effectum; vel vt præuenta talibus medijs in ordine ad executionem. Primò modo non poteſt illi reſiſtere. Secundo modo poteſt phyſicè, quia media ferme pertinēt ad ſuaſionem in actu primo, vt ſupra explicatum eſt, quæ ita commouēt voluntatem, vt infallibiliter conſenſum trahant non ab inuita, ſed à ſponte, & libenter id quod ſuadetur amplectente; & ideo non determinat phyſice imprimēdo aliquid, à quo non ſit inſeparabilis conſenſus; ſed proponendo motiua talia, & tali modo, quæ infallibiliter perſuadeant; quòd eſt gratiæ efficacis; atque ita cum diuina voluntate comparata neceſſitatem habent, quæ ab ipſa definita ſunt; cum creata verò nequaquam, ſed libere fiunt; cum quo tamen ſtat, vt habeant certitudinem infallibilitatis, & neceſſitatem conſequentiæ, & ex ſuppoſitione ſupra explicata. Simili diſtinctione vſus, Boet. lib. 5. de conſolat. CLVIII.

Comparatio voluntatis cum decreto Dei & cum medijs in ordine ad executionē.

Digitized by Google

c. 4. *Hæc igitur, inquit, ad intuitum relata diuinum neceſſaria ſiunt per conditionem diuinæ notionis; per ſe autem conſiderata ab abſoluta natura ſuæ libertate non deſinunt &c.* & quod de Præſcientia tradit Boet. ad voluntatem trahitur ex Auguſtin. cap. 20. de Prædeſtin. Sanct. *Cum Deus, inquit, vult fieri, quod non niſi volentibus hominibus oportet fieri, &c.* vbi duo connectit, & voluntatem Dei volentis fieri, & voluntatem hominis volentis facere; quæ vtraque voluntas libera eſt, licèt complexum vtraque inducat neceſſitatem compatibilem cum libertate, quia Deus vult fieri libere ab homine quod ipſe libere vult; & ſicut ille dicitur libere velle, quia potuit non velle, ita volūtas creata ſic vult, vt quantum eſt in ſe, poſſit non velle; licet in ijs circumſtantijs moraliter determinatiuis dicatur nō poſſe non velle, quia infallibiliter eſt volitura. Eadem eſt doctrina S. Bonauenturæ in 1. diſt. 47. ar. 1. q. 1. in reſol. & ad argum. *Sicut diuina voluntas, inquit, ſiue diuinum velle connotat effectum, ita connotat efficientiam cauſæ particularis. Cum enim dicitur, Deus vult iſtum ſaluari, etiā vult iſtum velle. Vnde ſicut diuina volūtas connotat iſtū effectum euenire, & ideò neceſſariò ſequitur effectus ad ipſam; ita connotat cauſam creatam concurrere, & ideo neceſſariò ſequitur, ſi Deus vult iſtum ſaluari, quòd iſte etiam velit &c.* Similia habet diſt. 40. a. 2. q. 2. iuxta dicta diſt. 38. a. 2. q. 1.

Boetius.

S. Bonauen.

Nota ſecundò, quod ratio à priori eſt, quam affert S.Th. 1.p.q.19. a.8.c. quia cum voluntas diuina ſit efficaciſſima, non ſolùm ſequitur, quòd ea fiāt,
CLIX quæ Deus vult fieri; ſed quod eo modo fiant, quo fieri vult. Vult autem quædam fieri neceſſariò, quædam cō tingēter; vt ſit ordo in rebus ad complementum vniuerſi; & ideo quibuſdam effectibus aptauit cauſas neceſſarias, quæ deficere non poſſunt, ex quibus effectus de neceſſitate proueniunt; quibuſdam autem aptauit cauſas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingētes eueniūt. Non igitur propterea effectus voliti à Deo eueniunt contingenter, quia cauſæ proximæ ſunt contingētes, ſed propterea quia Deus voluit eos contingenter euenire, contingentes cauſas ad eos præparauit. Idem repetit q.24.a.2. Proinde valet inferre, Deus hoc voluit, ergo neceſſariò fiet habito reſpectu ad eius voluntatem, ſed valet inſuper; Deus voluit libere fieri, ergo libere fiet, conſiderata natura humana, cui conuenit liberè operari, id eſt ita vnam partem amplecti, vt poſſit contrariam, vel neutram. Cui non obſtat, quod infallibiliter vnam ſit amplexura; licèt modus hic explicandi diſpliceat Vaxq. 1.p. diſp. 99. c. 2 Fatetur tamen, eſſe antiquorum Scholaſticorum.

S. Thom.

Deus vult quædam fieri neceſſario quædā contingenter.

Nota tertiò, quod ad hanc infallibilitatem nō eſt neceſſe poni aliquid CLX.
antecedenter in voluntate, qua determinetur ad vnam partem phyſicè; hoc enim poſito non valet dicere, voluntatem libere operari, quia Deus ita vult; nam velle, vt libere operetur, & ponere intrinſecum determinatiuum ad vnam partem, eſt velle contradictoria; quod repugnat Deo, quia voluntas ita determinata intrinſecè ad vnum, non poteſt hoc alterū eligere; eſſet enim indeterminata ex eo quod poteſt contrarium: Neque ſatisfacit diſtinctio vulgaris de ſenſu compoſito, & diuiſo mille iam modis explicata, at totidem impugnata; quia poſito intrinſeco prædeterminatiuo, vt vltimo complemento potentiæ ad operādum, implicat contradictionem non poni conſenſū, ad quem prædeterminat; ergo non eſt in poteſtate voluntatis illum impedire, & diſſenſum elicere: quomodo igitur libere conſenſum elicit, qui eſſentialiter connectitur cum principio prædeterminatiuo, quo afficitur? At S. Auguſt. totus eſt in hoc, vt oſtendat ſeruari libertatem arbitrij contra imponētes ſibi, quòd eam tolleret; quòd incommodum vitatur per moralem prædeterminationem includentē auxilia ſupra numerata manifeſtationis eius quod latebat, delectationis eius, quod non delectabat &c. vocationis congruæ, &c. ijs enim ita voluntas agitur, hoc eſt ita mouetur, & impellitur, vt maneat domina ſuorum actuū, licèt ad vnum infallibiliter ſe determinet, ad quem inducit diuina perſuaſio,

Digitized by Google

ſuaſio, quæ ſit rationum, ac motiuo-
rum propoſitione, ac intelligentia.
Nota quartò. Quod induci homi-
nes perſuaſione, quæ eſt moralis quæ-
CLXI. dam determinatio, docet nos Scriptu-
ra tum alibi ſæpiùs, tum Ioan. 6. Om-
nis, qui audiuit à Patre, & didicit, ve-
nit ad me; ſic enim (ait Auguſt. lib. de
Grat. Chriſt. c. 14.) docet Deus eos,
qui ſecundùm propoſitum vocati ſũt,
ſimul donans, & quod agunt ſcire; &
quod ſciunt agere, &c. & hoc eſt adiu-
torium, quo aliquid fit, de corrept. &
grat. c. 11. & 12. diſtinctum ab illo, ſi-
ne quo aliquid non fit; quomodo au-
tem illud exhibeatur, patet ex verbis
ipſis, quibus exprimitur; nam qui au-
dit à patre, proculdubio aures loquẽ-
ti adhibet, & qui didicit, à magiſtro
docente, didicit, & venit ad Filium.
Quomodo ergo Pater intus auditur,
ait Auguſt. de prædeſtin. Sanctorum
c. 8 & docet, vt veniatur ad Filium?
auſert cor lapideum, & dat cor car-
neum. Audire ergo, & diſcere indi-
cant gratiam loquentis & docentis
Dei, & hoc adiutorio trahentis, quo
ita docet, ac ſuadet, vt perſuadeat,
hoc eſt faciat audientem diſcere,
& venire ad Chriſtum infallibiliter
diſcipulum ita doctum, ac perſua-
ſum, quod eſt moraliter eſſe præ-
determinatum, retenta ſemper liber-
tate non veniendi, quia cum tali per-
ſuaſione iunctus eſt infallibilis con-
ſenſus; ſed connexio non eſt eſſentia-
lis, nec implicat, Petrum eſſe perſua-
ſum, id eſt cedere rationibus, & effici
delectatione obiecti propoſiti; & ta-
men illud non amplecti, ſicut impli-
caret, poſita prædeterminatione phy-
ſica, cui eſt eſſentialis nexus cum con-
ſenſu, idque habito reſpectu ad po-
tentiam liberam, vt ſubſtat huiuſmo-
di determinatiuo morali, quę eſt per-
ſuaſio ex auditione creata; nam com-
paratione decreti diuini neceſſitatem
habet operandi iuxta naturam ſuam.
Idem docet Sanctus Bonauentura in
4. diſtinct. 17 art. 1. quæſt. 2. ad argu-
S. Bonau. ment. Ad illud, inquit, quod obiici-
tur, quod Deus trahit, dicendum,
quod eſt trahi per coactionem, & ſic
non trahit; & eſt trahi per inductio-
nem, & ſubleuationem; & ſic trahit,
quia inducit

Nota quintò, quod per hanc per- CLXII.
ſuaſionẽ Deus operatur velle, & per-
ficere, & non per phyſicam prędeter-
minationem. Sic S. Auguſt. de Præ-
deſt. & Grat. c. 10. Ab ipſo, inquit, ha-
bemus velle, quia vocat, & illuminat,
ab ipſo perficere, quoniam ad nos
pertinet conari bona, quæ & velle
donauit. Et lib. 83. qq. 68. t. 4. & quo-
niam nec velle quiſquam poteſt, niſi
admonitus, & vocatus ſiue extrinſecùs
per ſermonem ſonantem, aut per ali-
qua ſigna viſibilia, efficitur vt etiam
ipſum velle Deus operetur in nobis,
&c. operatur igitur vocando, voca-
tione videlicet ſecundum propoſitũ,
quæ ſemper eſt cum perſuaſione, &
agit moraliter; non autem phyſicè
prædeterminat. Clariùs etiam de ſpi-
ritu, & lit. c. 23. t. 3. His ergo modis,
inquit, quando Deus agit cum anima
rationali, vt ei credat: neque enim
credere poteſt quolibet libero arbi-
trio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio, cui
credat, profectò & ipſum velle crede-
re Deus operatur in homine: Idem
habet in pſal. 77. t. 8. & alias ſæpe. Hęc
autem eſt vocatio alta & ſecreta, &
ſecundùm propoſitum, qua Deus pręe-
parat voluntatem, vt docet ep. 107.
t. 21. & qua diſcernuntur electi à voca-
tis. Et ne dicas opus eſſe ad hanc vo-
cationem, quæ perſuadet, & trahit aſ-
ſenſum, phyſicam prædeterminationẽ.
Nota ſeptimò, à S. Auguſtino re- CLXIII.
ferri diuerſum modum vocandi, &
docendi, quo Deus vtitur electos vo-
cando, & docendo, ſic de grat. Chri-
ſti contra Pelag. & Celeſt. c. 12. tom. 7.
[*Qua gratia agitur non ſolum, vt*
facienda nouerimus, verum etiam vt
cognita faciamus; nec ſolùm vt dili-
genda credamus, verum etiam vt cre-
dita diligamus. Hæc autem ſi doctri-
na dicenda eſt, certè ſic dicatur, vt al-
tiùs, & interiùs eam Deus cum ineffa-
bili ſuauitate credatur infundere, nõ
ſolùm per eos, qui plantant, & rigant
extrinſecùs; ſed etiam per ſeipſum,
qui incrementum ſuum miniſtrat oc-
cultus, ita vt non oſtendat tantum-
modo veritatem, verum etiam im-
pertiat caritatem. Sic enim docet
eos, qui ſecundum propoſitum vo-
cati ſunt, ſimul donans, & quid
agant ſcire, & quod ſciunt agere, &c.]

Eſt ergo talis inſpiratio, ſeu illuminatio, vel reuelatio, breuiter vocatio ſecundùm propoſitum, quæ altiùs, & intimiùs à Deo infuſa tangit cor, vt (Conc. Trid.) loquitur Tridentinum, & delectabiliter ita afficit, vt eam vocatus ſequatur, & voluntas ita illa agatur, vt etiã agat, & varios motus eliciat ſimul (S. Auguſt.) cooperante Deo. Agit enim, ait Auguſtinus de Grat. & lib. arb. c. 21. omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, &c. ſed hęc eſt cooperatio, non prædeterminatio; vt patet ex verbis antecedentibus. Vt ergo velimus, ſine nobis operatur, ſcilicet vocãdo; cum autem volumus, & ſic volumus, vt faciamus nobiſcum cooperatur, &c. Et de Verbis Domini ſerm. 13. to. 10. Si non eſſes operator, ille non eſſet cooperator. Idem habet l. 2. contra Pelag. c. 6. & ſæpe alibi; cooperatio autem non eſt prædeterminatio phyſica; multo minùs vocatio; quæ tamen moraliter dicitur determinare, quia ſic afficitur ea voluntas, vt ſemper infallibiliter eam ſequatur, quamuis liberè, quia Deus per illam ita agit cum natura rationali, vt conuenit naturæ liberæ, quæ poſtulat cum libertate operari.

CLXIV Ex quibus patet ſolutio argumenti ex diſcrimine inter prædeterminationem phyſicam, & moralem; cum prima ponat aliquid in voluntate, quę non habet facultatem impediendi, ne ponatur; neque faciendi eo poſito cõtrarium eius, ad quod determinat. Secunda, nihil ponit intrinſecum in voluntate ipſam determinans, ſed dicit ſolam locutionem Dei, & perſuaſionem, per quam inclinatur volũtas, & liberè ſe determinat ad vnam partem remanens libera, quantum eſt de ſe ad alteram, ad quam tamen nunquam ſe determinabit.

Inſtabis, quia tam neceſſarium eſt, voluntatem adhærere vni parti, quàm Deum non falli; at Deum falli implicat, ergo & voluntatem non adhærere vni parti, ergo impoſsibile eſt, adhæreat alteri; non igitur manet libera.

Reſpondeo, hanc eſſe neceſsitatem conſequentiæ, vt dictum eſt cum Sancto Bonau. de præſcientia, contra quam impoſsibile eſt aliquid euenire; & tamen voluntas liberè operatur, quod præſcitum eſt liberè operandũ: ſic enim decretum à Deo eſt operandum, ſed liberè relicta voluntate ſuæ naturæ; quod dicere nequeunt requirentes in ipſa prædeterminationem ad vnũ, cum quo inintelligibile videtur, quomodo maneat facultas ad oppoſitum illa durante. Duplex igitur hic eſt neceſsitas, altera complementi diuinæ voluntatis, quoad effectum (Duplex hic eſt neceſſitas.) præfinitum; altera modi illam complendi reſpectu voluntatis creatæ, quam vult liberè operari; libertatem autem deſtruit phyſicum prædeterminatiuum; iuuat verò determinatio, & ſuaſio inducens, non cogens operari; atque ita ſtant ſimul neceſsitas, & libertas reſpectu diuerſorum, quod affirmat S. Anſelm. lib. de con- (S. Anſelmus.) cord. præſc. et prædeſt. c. 1. quoniam enim, inquit, quod Deus vult, non poteſt non eſſe, cum vult hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi neceſſitate ad volendum, vel ad non volendum, & vult effectum ſequi voluntatem; tunc neceſſe eſt voluntatem eſſe liberam, & eſſe quod vult. Qua auctoritate vtuntur prædeterminatores, ad probandum, quod Deus prędeterminauerit actus bonos, quos voluit liberè fieri; ſed conſequenter oporteret relinqui liberam voluntatem, & non affigi ad vnum. Quod in noſtra ſententia facilè explicatur, tum quia per ſcientiam mediam cognoſcitur, quid voluntas ſit operatura prius ratione, quàm determinetur effectus ab ea manaturus; tum quia nihil intrinſecum in ea ponitur, quo determinetur ad vnum; & proinde intrinſecè ſemper eſt libera ad vtrumlibet; non item in cõtraria ponente intrinſecum determinatiuum, cum quo nõ componit oppoſitum, quicquid illud ſit, aut quomodocumq; appelletur, ſiue per modum qualitatis inhæreat, ſiue per modum complementi faciẽtis actu operari, ſiue per modum intentionis, ſiue aliter, dummodo illo poſito, implicet ab eo ſeparari conſenſum voluntatis.

Sed adhuc inſtabis, quia in ſententia S. Auguſtini, omnia quæ fiunt à CLXV. voluntate creata determinata, à Deo ſunt, etiam mala, vt dicunt entitatem

phy-

Digitized by Google

phyſicam. Sic lib. cont. Iulian. cap. 3. *Operatur, inquit, Deus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit, ſiue ad bona pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorum, &c.* In vtriſque autem ſi voluntati Dei reſiſti non poteſt, tollitur libertas arbitrii non minùs quàm per determinationem phyſicam.

Hæc inſtantia petit multas quæſtiones graues; ſed quod attinet ad præſentem de determinatione morali, & cognitionem effectus ab illa infallibiliter ſecuturi abſq; læſione libertatis reſpondeo, & dico.

Primò: In iis, quæ pendent ab hominis arbitrio Deum operari, habito reſpectu ad illud, vt ſuauiùs exerceat prouidentiam ſuam, quam abſolute ſine hoc reſpectu poſſet exercere. Huc pertinent, quæ copioſè diſſeruntur de ſcientia media à noſtris, cuius diſputatio non eſt huius loci; ideò ſolùm afferam aliquot Auguſtini teſtimonia ad probandam hanc diuinæ prouidentiæ ſuauitatem, qua cõmendatur eius ſapientia, & potentia in multiplicitate modorum regendi hominum voluntates.

Quædã vult Deus habito reſpectu ad voluntatem creatam.

Secundò: Dico ex mente S. Auguſtini diuinam prouidentiam non extendi ad prædeterminationem vllam phyſicam, vel moralem actionum malarum, etiam ſecundùm entitatẽ materialem peccati; ſed ſolùm permiſſiuè ſe habere, ac proinde non eſſe cognoſcibilem in decreto diuino, vel concurſu eius materiale peccati, multò minus formale malitiæ. Ordior à primo.

P R O B A N T V R

Hæc duo dicta auctoritate S. Auguſtini.

C A P. X X X.

I. Multi ſunt vocati, pauci vero electi declaratur à S. Auguſt.

II. Liberum arbitrium habet à gratia, quod conſentiat.

III. Varij modi diuinæ vocationis.

IV. Intrinſecùs, & extrinſecùs viſorũ ſuaſionibus agit Deus.

V. Poteſt Deus ita vocare, vt reſpõdeatur vocationi à quolibet vocato.

VI. Cur non omnes ita vocentur, profundi eſt myſterij.

INSERVIVNT ad hoc illæ omnes, quæ afferuntur ad probandam ſcientiam cõditionatam, & quidem validè ad mentem Auguſtini; ſed quia de illa in præſentia non diſputo, ſolũ contendo iuxta ſuauem prouidentiæ diuinæ morem non cogi voluntates hominum à Deo, ſed de illis diſponere habito reſpectu ad illarum naturas aptas regi diuerſo modo, ſiue deinde in hoc reſpectu præcedat conditionatum, aut abſolutum decretum ante omnem ſcientiã effectus futuri, quod non credo; ſiue non præcedat, ſed comitetur, aut ſequatur hunc reſpectum; quod conſormius eſt doctrinæ de ſciẽtia media ex eod. L. 1. ad Simplic. q. 2 [*Sed ſi vocatio iſta, inquit, ita eſt* effectrix bonæ voluntatis, vt omnis eam vocatus ſequatur, quomodo verum erit, multi vocati, pauci electi. Quod ſi verum eſt, & non conſequẽter vocationi vocatus obtemperat, atque vt obtemperet, in eius poſitum eſt voluntate, rectè etiam dici poteſt, igitur non miſerentis Dei, ſed volentis, atque currentis eſt hominis, quia miſericordia vocantis non ſufficit, niſi vocati obedientia conſequatur. An fortè illi, qui hoc modo vocati non conſentiunt, poſſent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, vt & verum illud ſit; Multi vocati, pauci electi; vt quamuis multi vno modo vocati ſint; tamen quia non omnes vno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei, & illud non minus verum ſit, igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, qui hoc modo vocauit, quo modo aptum erat eis, qui ſequuti ſunt vocationem: ad alios autem vocatio quidem peruenit; ſed quia talis fuit, qua moueri non poſſent, nec eam capere apti eſſent, vocati quidem dici potuerant, ſed non electi; & non iam ſimiliter verum eſt; igitur non miſerentis Dei, ſed volentis, atque currentis eſt hominis, quoniam non poteſt effectus miſe- CLXVI.

S. Auguſt.

Vocatio congrua.

Google

miſericordię Dei eſſe in hominis poteſtate, vt fruſtra ille miſereatur, ſi homo nolit, quia ſi vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quomodo illis aptum eſſet, vt mouerentur, & intelligerent, & ſequerentur. Et mox: Item verum eſt, non volentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia etiamſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo vocari aptum eſt, vt ſequantur?]

Dices, in iis ſupponi decretũ Dei ſtatuentis, vt ſic affecti reciperent vocationem, alij diuerſo modo affecti non reciperent. Ita impugnatores ſcientiæ mediæ. Aſt ego ſolum contendo ex hoc loco probare Deum decreta ſua facere de voluntatibus humanis habito reſpectu ad illas, ſecundum earũ naturas regendas; quod manifeſtè hic docet Auguſtinus, neq; retractauit, vbi fatetur diligentiùs ſe de hoc tractaſſe l. de ſex quæſtionibus paganorum c. 6. q. 2. & de prædeſtin. S. ſ. c. 9. Neque tamen plus arrogandũ libero arbitrio, quaſi non ſit Dei miſerentis opus, quã gratiæ, quia licet ſit illius cõſentire, vel diſſentire; hoc tamen etiam habet à gratia, vt patet in ſequentibus verbis Sancti Auguſtini: [*Quis habet in poteſtate tali viſo attingi* mentem ſuam, quo eius voluntas moueatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectet? Aut quis habet poteſtatem, vt vel occurrat, quod eum delectare poſſit, vel delectet cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inſpiratur hoc, & præbetur gratia Dei non nutu noſtro, & induſtria, aut operum meritis comparatur, quia vt ſit nutus voluntatis, vt ſit induſtria ſtudij, vt ſint opera caritate feruentia ille tribuit, ille largitur.]

Alter locus eſt de bono Perſeu. c. 14. [*Ex quo apparet habere quoſdam in* ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant; & tamen ſi Dei altiore iudicio à perditionis maſſa non ſunt gratię prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhibeãtur vel dicta diuina, vel facta, per quæ poſſint credere, ſi audirent vtiq; talia, vel viderent, &c. Subdit autem: Cur autem illi habeant aures audiendi, alij non habeant, hoc eſt, cur illis datum ſit à patre, vt veniant ad filiũ, illis autem nõ ſit datum, quis cognouit ſenſum Domini, aut quis eius Cõciliarius fuit, &c.] Sed hinc non poteſt inferri, quod in decreto dandi nõ ſeruet modum ſuauem prouidentiæ, iuxta dicta q. illa 2. ad Simplic.

Tertius eſt epiſtola 49. quæſt. 2. [*Hoc ſolùm eis breuitatis gratia in* huius quæſtionis diſputatione dicamus, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & & vbi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri. His enim temporibus, & his locis, quibus Euangelium eius nõ eſt prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros eſſe præſciebat, quales nõ quidem omnes; ſed tamen multi in eius corporali præſentia fuerunt, qui in eum nec ſuſcitatis ab eo mortuis credere noluerunt epiſt. 49. q. 2.]

[Ac per hoc, quibus omninò annunciata non eſt non credituri præſciebantur, & quibus non credituris tamen annunciata eſt, in illorũ exemplo demonſtrantur. Quibus autem credituris annunciatur, hi regno cęlorum, & Sanctorum Angelorum Societati præparantur. Ibid. in fin. & lib. 83. q. 68. & de prædeſt. SS. c. 10. & c. 9. t. 7. explicat id fieri ſine pręiudicio aliarum cauſarum, & latentis conſilij Dei: ex quo loco probant auctores prædeterminationis decretum prædeterminandi, ſed non oſtendunt quomodo Dei conſiliũ, prædeterminandi ſit decretum: quicquid tamen dicant, negare nõ poſſunt quod auctoritas hæc apertiſſimè teſtatur, reſpicere ad diſpoſitionem voluntatis humanæ, quãdo ad fidem, & gratiam vult illam trahere.

Quartus locus reſpectum hunc ad varias diſpoſitiones hominum explicat S. Auguſt. in pſal. 132. ad illa verba, Miſerator, & miſericors Dominus; [*Vocat, inquit, vndique ad correctionẽ,* vocat vndique ad pœnitentiam, vocat beneficijs creaturæ, vocat impertiendo tempus viuendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per

Vocat Deus varijs modis

Digitized by Google

per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per miſericordiam conſolatoris, &c.] Nimirum cęleſtis medicus ſalutis medicamenta vnicuique exhibet, prout malis expellendis apta ſunt, quod fieri nequit, niſi comparatione illorum cum malis. Indicant hoc exempla ab eodem S. Auguſtino allata in quæſt. 2. ad Simplic. paulò antè citata.

[*Videmus alios aliter iiſdem rebus* demonſtratis, vel ſignificatis ad credendum moueri, ſicut verbi gratia Simeon in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum adhuc infantem paruulum credidit, ſpiritu ei reuelante cognoſcens. Nathanael ad vnam ſententiã, quam ab illo audiuit: Priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub arbore fici, vidi te, reſpondit; Rabbi tu

Ioan. 1. es filius Dei, tu es Rex Iſrael; quod tantò poſt, quia confeſſus eſt Petrus, meruit audire, quod beatus eſſet, & quod ei darentur claues regni cęlorum. Miraculo facto in Chana Gali-

Ioan. 2. leæ (quod initium ſignorum Ieſu Ioãnes Euangeliſta commemorat) aqua in vinum conuerſa, crediderunt in eum diſcipuli eius. Cum autem alius ſic, alius autem ſic moueatur ad fidẽ; eademque res ſæpè alio modo dicta moueat, alio modo dicta non moueat; aliumque moueat, alium nõ moueat; quis audeat dicere, defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatẽque coniungeret, in qua Iacob iuſtificatus eſt] Confirmat S. Auguſtinus, docetque quid agere debeat vocatus

Viſorum ſuaſionibus agit Deus. de Spiritu, & lit. c. 23. [Attendat, & videat, non ideo tantùm iſtam voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt; verum etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt velimus, ſiue extrinſecùs per euangelicas exhortationes, vbi & mãdata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, vt ad gratiam iuſtificantem credendo confugiat: ſiue intrinſecùs vbi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem; ſed conſentire, & diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat; neque enim credere poteſt quolibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio, cui credat, profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, &c.] Idem in pſal. 77. t. 8. & infra ſæpè. Et mox: [*Iam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſpiam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur, vt perſuadeatur; illi autem non, ita duo, ſolum occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat. O altitudo diuitiarum! Et nunquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caueat, ne inueniat prę ſūptores, vide tract. 26. c. 6. in Euang. Ioan. t. 9.

AVCTORITATES

S. Auguſtini pro ſecundo dicto.

Quod Deus non prædeterminet voluntatem ad actionem malam.

CAP. XXXI.

I. Voluntas mala non eſt à Deo.
II. Neque prædeterminatur ad materiale peccatum ab eodem.
III. Diſcrimen inter concurſum ſimultaneum, & prædeterminantem.
IV. Explicatur auctoritate S. Bonau. & S. Thomæ.

PRIMO de Spir. & Lit. c. 31. ait; [*Nuſquam* legimus in Sanctis Scripturis; Non eſt voluntas, niſi à Deo, & rectè non ſcriptum eſt, quia verum non eſt; alioquin etiam peccatorum (quod abſit) auctor eſt Deus, ſi non eſt voluntas, niſi ab illo, quoniã mala voluntas iam ſola peccatum eſt, etiãſi deſit effectus] Item lib. de articulis falsò ſibi impoſitis art. 10. [*Deteſtanda*, & abominanda, inquit, opinio eſt, quę Deum cuiuſque malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem, cuius prædeſtinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra iuſtitiam eſt; vniuerſæ enim viæ Domini miſericordiæ, & veritas. Adulterina enim matronarum, & corruptelas virginũ non inſtituere nouit ſancta Diuinitas, ſed damnare, nec diſponere, ſed punire. Et mox. Non ergo caſus ruentium, CLXV. I.

tium, nec malignitatem iniquorum, nec cupiditates peccantium prędeſtinatio Dei, aut excitauit, aut ſuaſit, aut impulit] Similibus verbis vtitur S. Proſper ad 10. obiect. vincen. Et ar. 6. inquit: *Sicut præuaricatoribus Angelis Deus non intendit illam, qua in veritate nō ſteterunt, voluntatem; nec etiam hominibus pari ratione hunc affectum, quo Diabolum imitantur, inſeruit; & ar. 11. Si Diabolo, inquit, obijceretur, quod talium facinorum ipſe auctor, ipſe eſſet inuētor, hac ſe poſſet exonerare inuidia, & talium ſcelerum patratorem de ipſorū voluntate vinceret; quia etſi delectatus ſit de furore peccantium, probaret tamen non intuliſſe vim criminū. Qua ergo inſipientia, quaue dementia definiatur, ad Dei referendum eſſe conſilium, quod nec Diabolo in toto adſcribi poteſt?*

S. Proſper. Deus non eſt auctor, au ſuaſor malorum.

Dices, has auctoritates intelligendas eſſe de malitia formali peccati, quæ eſt à cauſa defectibili, non de entitate materiali, quæ ab efficiente. Deinde eadem diſtinctione opus eſſe admittentibus concurſum ſimultaneū Dei ad actionem peccaminoſam.

Reſpondeo ad primum, non poſſe diſtinctionem hanc ſtare cum doctrina de decreto prædeterminante; ſi enim hoc antecedit omnem actionē, & determinat eam cum omnibus circumſtantijs, vt ponunt aduerſarij, ſequitur, quod vbi non præcedit tale decretum, deeſt aliquid voluntati ad potentiam operandi; igitur non poteſt operari actum oppoſitū entitati materiali furti, vel odij, v.g. ad quam prędeterminata eſt æterno decreto, neq; poteſt nō operari actionem materialem; quia neque reſiſtere voluntati Dei, quomodo igitur non eſt cauſa malitiæ, quæ inſeparabilis eſt ab actione materiali cum omnibus circūſtantijs? Sequeretur igitur, Deum eſſe cauſam peccati, qui prædeterminat ad actionem materialem, cui annexa eſt neceſſariò malitia in talibus circircumſtantijs, & ita non valeret reſponſio, quòd voluntas eſt cauſa deficiens, Deus autem efficiens, quia argumentum probat oppoſitum.

Confirmatur, quia Deus non poteſt dici cauſa moralis peccati ſecundum materiale; ex. gr. non poteſt ſuadere odium ſui, blaſphemiam proditionem Iudæ, &c. ergo multò minùs poteſt eſſe cauſa phyſica prędeterminans ad materiale, iuxta illud, Deus intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat. Et intelligi de materiali patet ex ſequentibus: Vnuſquiſque tentatur à ſua concupiſcentia abſtractus, & illectus: Non illicitur autem voluntas ad malum formaliter, ſed ad materiale delectationis, à qua peccator potius vellet abeſſe malitiam, & pluſquā tentator diceretur Deus, ſi ante omnium præſcientiam futuri conſenſus decerneret ab æterno efficaciter prędeterminare, & in tempore prędeterminaret, & vt cauſa efficiens faceret hoc materiale ſtupri, adulterij, &c. à qua actione hic, & nunc in talibus circumſtantijs inſeparabilis eſt malitia, quam dicis, non intendi à Deo, ſed dicam, neque intendi à peccatore. Iacob. 1.

Ad alteram inſtantiam, reſpondeo ex S. Bonauent. in 2. diſt. 37. a. 1. q. 1. ad vltimum, aſſerente, *quod Deus eſt principale mouēs in actione, quæ eſt ſubſtrata peccato; attamen non ſequitur ex hoc, quod excitet liberum arbitrium ad faciendam illam operationem; ſed ibi eſt ſola cooperatio diuinæ virtutis, non præuentio, &c.* Cooperatio autem decet Deum vt cauſam vniuerſalem cōcurrentem cum particularibus, iuxta exigentiam ipſarum, ac proinde etiā cum libero arbitrio, quod poſtulat liberè operari, & non prædeterminari ad vnam partem, præſertim coniunctam cum malitia, & quia non poteſt operari, quin cooperetur Deus, paratum habet concurſum Dei ad materiale peccati, quin habeat ad formale; quod totum eſt ab arbitrio deficiente, & abutente libertate ſua; at conqueri de Deo poſſet, ſi ante vllā præuiſionem ſui conſenſus efficaciter decreuiſſet prædeterminare ipſum merito inuitum ad turpitudinem materialem, quam vitare nequit, quia nec violare decretum Dei, cui vt illa ſubſtat, ineuitabilis eſt. Iam vero nulla eſt cauſa querimoniæ, quia vt S. Tho. 1. 2. q. 80. a. 2. 3. *Deus eſt vniuerſale principium omnis interioris motus humani, ſed quod determinetur ad malum conſilium voluntas humana, hoc directè* S. Bonau.

qui-

Digitized by Google

quidem eſt ex voluntate humana, & à Diabolo per modum perſuadentis, vel appetibilia proponentis, &c. Diabolus autem non proponit malitiam, imò excuſat, tegit, imminuit, ſed maximè appetibilem delectationem materialẽ proponit: quis autẽ inducatur, vt credat, Deũ non ſolùm proponere, quod præſtat Diabolus; ſed etiam decernat abſolutè actionem delectabilem cum malitia connexam, & ad eam prædeterminet miſeram voluntatem fatali impulſui ſubiectam?

Quæ obiter, & veluti per tranſennam attigiſſe licuit occaſione ſoluendi argumenti, & oſtendendi, quod in tali decreto antecedente neque materialis actio peccati videri poteſt, ſed ad ſummum in decreto permittendi, ſuppoſita ſcientia media, quid voluntas eſſet factura in talibus circumſtantijs. Nec mens eſt ex profeſſo de ijs agere, quæ ad miraculum eruditè diſputata à noſtris ſunt: Quamuis alioqui millies ea repeti par ſit, vt cenſet Suar.tom.1.de Grat.prolegom.2.c.29 fortè quia Catholicorum intereſt, Dei qui ſumma puritas eſt, decreta ab omni ſpecie mali quam longiſſimè arcere, ac proinde materialem turpitudinem omnis maculæ leuiſſimæ, ne dum ſcelerum deteſtandorum in illa referre. mundi ſunt oculi tui, ne videant malum, Habacu.1. vide Suar.in opuſ. l.2.de concurſ.Dei c.4. Vazq.1.p.diſp. 99. Didac. Ruiz. de Volunt. Dei diſp. 26. ſect.4. vbi probat in nullo coram generis cauſæ moralis poſſe Deum dici, vel eſſe cauſam peccati.

CONFIRMATVR

Reſponſio auctoritate S. Bonauent.

CAP. XXXII.

I. Qui vult aliquid vult etiam illi adnexum quomodo intelligendũ.

II. Deus permiſſiuè ſe habet ad peccatum.

III. Non poteſt eadem actio ſimul eſſe probibita, & præcepta.

IV. Explicatio Scripturæ ſacræ de permiſſione, & non de præcepto actionis malæ, etiam ſecundum materiale.

V. Voluntas antecedens, & conſequens ex S. Damaſ.

VI. Ne actionem quidem materialem peccati per ſe intendit Deus.

VII. Illationes ex dictis.

SVFFICERE poſſet vna, vel altera ad oſtẽdendam eius ſententiam; ſed quia in alijs continetur aliquid peculiare accommodatum ad ſoluendas difficultates aduerſariorum, operæpretium eſt, plures ex præcipuis hic referre. CLXVIII.

Primò igitur in 1. ſent.diſt. 45.a.1. q 2. ad argumentum, quod qui vult aliquid, vult etiam quod illi annexum eſt. Reſpondet, hoc verum eſſe de illo, qui vult voluntate antecedente, non de illo, qui vult voluntate conſequente: Quam diſtinctionem ponit primo loco, licet alias duas non improbet; ſed voluntas antecedenter ad omnem præſcientiam determinatiua ad malum, eſt voluntas antecedens, ergo ſi vult efficaciter, & abſolutè entitatem materialem peccati, cum qua connexa eſt malitia, vul etiam malitiam; quod impium eſt ſentire de Deo.

Deinde tota illa quæſtio ſecunda inſtituitur à S. Bonauent. ad probandum, quod Deus antecedente voluntate, non vult malum, & loquitur de malo, vt complectitur entitatem materialem actionis, & malitiam, vt apparet ex rationibus præmiſſis ad reſolutionem, præſertim ex auctoritate S. Auguſtini lib. 83. qq. q. 3. idem eſt fieri Deo volente, & Deo auctore, ſed malum non fit Deo auctore, ergo neque Deo volente, neq; vice verſa; fieri autem propriè dicitur actio. S. Auguſt. Idem eſt fieri Deo volente, & Deo auctore.

Idem repetit in 2. diſt. 34. a. 1. q. 3. *Qui intendit aliquid per conſequens videtur intendere quod eſt illi vnitum inſeparabiliter, &c.* Malitia autem hic, & nunc eſt inſeparabilis ab actione turpi, nec diſtinctio per intellectum materialis, & formalis facit, vt ſit ſeparabilis.

Secundò. Ad idem facit doctrina communis tradita in Tridentino ſeſſ. 6.can. 10. de iuſtific. quod Deus permiſſiuè ſe habet ad opera mala, & nõ propriè, & per ſe illa operetur: hanc eandem doctrinam S. Bonauẽt. habet CLXIX

in 1. diſt. 47. a. 1. q. 2. & alibi ſæpe de permiſſione peccati; quando enim Theologi cum S. Auguſtino aſſerunt, Deum ſatius habuiſſe permittere mala, ex quibus elicit bona, quàm omnia mala impedire; v. g. permittere lapſum Adæ, ex quo occaſionem ſumpſit Incarnatio, non loquuntur ſolum de malitia formali, ſed de toto complexo peccati; & in propoſito quando Deus dixit, de ligno autem ne comedas, nō non ſolùm vetuit malitiam, ſed materialem comeſtionem, quis hoc neget? ergo materialis comeſtio fuit contra præceptum.

In Enchir. c. 27. tom. 3.

Ex quo manifeſtè patet, quòd Deus non ſtatuit æterno decreto prędeterminare voluntatem miſeri Adami ad comeſtionem materialem, quæ non poterat non eſſe in ijs circumſtantijs contra præceptum Dei, ne dicatur voluiſſe, & noluiſſe ſimul & ſemel actionem illam. Neque tolerabile videtur, quod ad illam exercendam decreuerit media, & prædeterminauerit voluntatem Diaboli ad Euam decipiendam, neque voluntatem deceptæ ad virum tentandum. Scilicet Deus præcepit Adæ, & Euæ, ne comederent, & prędeterminauit voluntatem vtriuſque ad comedendum, & Diaboli ad peruertendum. Quod perſuaderi nobis nimium quàm difficile.

Tertiò. Confirmatur ex eodem S. Bonauentura in 2. diſt. 41. a. 1. q. 2. ad arg. *Vnde impoſsibile eſt, inquit, quod vna, & eadem actio ſit ſimul, & ſemel in prohibitione, & præcepto:* nimirum reſpectu eiuſdem ne dixeris, à Deo prohibitam primis Parentibus, ſed nō ſibi; ac proinde eſt impoſsibile, quòd ſit prædeterminata ab æterno, & prohibita in tempore; quia prædeterminare aliquid, eſt velle illud; prohibere eſt nolle. In quo ſatisfacere non videtur diſtinctio de materiali peccati, & formali; & eſt perpetua fallacia accidentis à modo intelligēdi ad modum eſſendi; ex eo enim quod intellectus diſtinguit materiale à formali in peccato, infertur, ergo Deus prædeterminat ad materiale, & non ad formale; tum quia hic & nunc comeſtio pomi materialis fuit prohibita; tum quia non poteſt eſſe ſine tranſgreſſione, atque vt talis à Deo punita eſt, qui dum illam prohibet, ridiculū eſt dicere, prohibuit formale peccati, non materiale, conſequenter non poteſt dici prædeterminaſſe ad materiale, quod prohibuit.

Quartò. Cōfirmatur ex ijs, quę in 1 ſent. diſt. 21. a. 1. q. 3. habet de proceſſu tentationis in primis Parentibus, vbi docet Euam nullam habuiſſe pronitatem ad peccatum, ſed non æqualē habuiſſe cum viro ſtabilitatem, & potuiſſe faciliùs decipi à Diabolo, qui propterea Deo permittēte illam primò aggreſſus eſt, vt ea ſeducta faciliùs Adamum in ruinam cum ipſa traheret. In illa igitur tentatione primùm Eua reſtitit ſerpenti ſuadenti eſum pomi, ſed ad illum inducta eſt moraliter aſtutia Diaboli, & quod deterius eſt prædeterminatione diuina phyſica ad illum impellentis, & efficaciter ab æterno determinare volentis. Infelix Eua, quæ reſiſtere incipiens tandem cedere coacta eſt duobus inuictis oppugnationibus ſuæ voluntatis bonæ; alteri cæleſti prædeterminanti phyſicè, alteri inferę verſutia ſupra fœmineam ſapientiam arcem arbitrij inuadenti. Certè parum iuuit inſipientem, quòd Diabolus ſolùm attenderet formale peccati, dum perſuadere conaretur materiale; Deus verò ſūmè bonus ſolùm materiale decerneret, ſi neque formale iſtud ſeparari à materiali poterat; neque materiale hic & nunc; eſus videlicet pomi vetiti, abſque formali traſgreſſione præcepti conſiſtere quibat. Dæmonum eſt, ait Bernard., malas ſuggeſtiones ingerere &c. & ſic Dei erit, ad illas ingerendas, Dæmones prędeterminare; ſiquidem per te egent prædeterminatione ad omnes operationes; ex quo rurſus ſequitur, quòd cum ſint obſtinati in malo, & careant gratia, poſita illa prædeterminatione neceſſariò operentur malum, quia nō poſſunt bonum; & alioqui ad prædeterminationem ſequitur operatio, quæ non poteſt in Dæmonibus eſſe bona.

CLXX.

S. Bernard.

Quintò. Tom. 6. opuſc. par. 1. Centiloq. cap. 3. varias affert definitiones peccati ex Patribus, & omnes continent materiale, & formale, quia vtroque conſtat peccatum, inter quæ illa celebris ex S. Auguſt. lib. 22. contra

CLXXI.

Fau-

Fauſtum Manich. c. 27. t. 6. *Peccatum eſt factum, vel dictum, vel concupitum contra legem*; quaſi lex non ſolùm prohibeat formale; quod eſt quid priuatiuum, ſed etiã materiale actionis formali annexum. Et in varijs Patrum ſentẽtijs de peccato, quas refert eod. tomo l. 2. Pharet. c. 2. includitur ſemper materiale, & formale; quia cõplexum ex vtroque peccatum propriè, & communiter appellatur; & eſt illud, quod prohibetur, & odio habetur à Deo, & non ſolùm formale, ſed etiam materiale ab eo vitiatum. pro quo facit illud Hierem. cap. 19. *Aedificauerunt excelſa, quæ non præcepi, nec loquutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum &c.* igitur nõ decreuit prædeterminare ad illa ædificia materialia.

... eſt factum, vel concupitum contra legem.

CLXXI. Sextò. In 2. diſt. 37. a. 2. q. 1. ad arg. ex 3. Reg. 22. quis decipiet nobis Regem Iſrael, & ſubiungit, quod Dominus dixit ſpiritui mendaci, Egredere & fac; igitur deceptio tribuitur Deo præcipienti, vt deciperet. Reſpõſio S. Bonauenturæ eſt [*Quod egredere*, & fac, non intelligitur imperatiuè, ſed permiſsiuè, quia verbum imperatiui modi multipliciter accipitur in Scriptura, aliquando præceptoriè, aliquando conſultoriè, aliquando inſinuatoriè per inſinuationem voluntatis à ſuperiore factam oſtendente, ſibi gratum eſſe aliquid fieri; quod tamen non præcipit, aliquando permiſsiuè &c.] poterat reſpondere, quòd Dominus præcepit materiale deceptionis; ſed quia illud eſt indignum, quòd præcipiatur à Deo, ideo dicitur tantùm permiſsum. Multò minùs debet dici decretum efficaciter ab æterno, & in tempore prędeterminare; nec hæretici abutentes ſcriptura, ex ſimilibus modis loquendi illius probare poſſunt, Deum omnia mala prædeterminaſſe; multo minùs irridere doctrinã Catholicam de diuina permiſſione, quæ illis Scripturæ locis indicatur: quod ſi admitteret S. Bonau. prædeterminandi decretum, poterat vti facili diſtinctione de materiali, & formali mendacij ſicut admittũt Aduerſarij de Aſſur, Hier. 10. *ad gentem fallacem mittam illum &c.* dicũt enim æterno decreto prædeterminatã pœnam Iudæorum, & voluntatem Aſſur ad eam inferendam. Alu. diſp. 22. de auxil. ſed valde S. Bonauentura diſplicet talis prædeterminatio, & ideo alia vſus eſt reſponſione.

Septimò. Ibidem S. Bonauentura reſpondens argumento ex Philoſopho aſſerente, quòd ſi aliquid per ſui præſentiã eſt cauſa alicuius effectus, per ſui abſentiam eſt cauſa oppoſiti, vt patet in Nauta, cuius præſentia ſaluat nauim, abſentia cauſat ſubmerſionem; ex quo arguitur [*quod ſi Deus* per ſui præſentiam eſt cauſa actionis iuſtæ, per abſentiam, id eſt negationem auxilij efficacis dicetur cauſa actionis iniuſtæ. Reſpondet, eſſe verum de cauſa, quæ volũtariè ſe abſentat, ita quod principaliter abſentatio eſt ab ipſa, quod non eſt in propoſito, quia Deus nemini ſe abſentat; imò paratus eſt, omnes adiuuare, & omnibus dare gratiam &c.] Quod ſi ab æterno decreuit prædeterminare ad actionem malam ſecundùm materiale, nõ ſolùm ſe abſentat in tempore, ſed ſua præſentia impellit ad ſubmerſionem, prædeterminando ad actionem, cum qua coniuncta eſt ſubmerſio, & cum qua non ſtat actio oppoſita ſaluationis, quia de illa nihil ſtatuit ab æterno Deus, imò ſtatuit, non fore ex eo quòd decreuit oppoſitam per ſe. Quod etiam magis apparet in Dæmonibus, quorũ actiones materiales trahunt ſecum neceſſariò malitiã, cuius cauſa diceretur Deus, ſi prædeterminaret materiale, neceſſariò cum illa hic, & nunc coniuctum: & idem eſt de peccatis contra primã tabulam, quæ intrinſecè, & eſſentialiter ſunt mala, & indiſpenſabilia in ſententia S. Bonauenturæ in 1. diſt. 47. a. 1. q. 4. & ex eo quod oppoſita illis ſunt ſecundùm ſe mala, non cadit diſpenſatio, neque præceptum in illa. Quòd ſi valet diſtinctio, dicam, quòd diſpẽſatio cadit ſuper materiale, quod eſt ens, & bonum; ſed quia hoc materiale eſt ſecundùm ſe malum, ideo neque diſpenſari, neque præcipi poteſt, multò minus prędeterminari voluntas ad illud. Quæ reſponſio Sancti Bonauenturæ ſupponit doctrinam ibidem traditam de diſparitate inter concurſum ſimultaneum, & prędetermi- CLXXII. 2. Phyſ. t. 3.

minationem antecedentem ordine, & cauſalitate conſenſum voluntatis, vt appareat, illum conuenire Deo, vt primæ cauſæ concurrenti ad omnem entitatem creaturarum; iſtam verò nequaquam ob incõmoda repugnantia libertati creatę, & sẽctitati increatæ. Reſpondens enim S. Bonauentura argumento à ſe propoſito: [*qui iuuat furem* ſcienter ad actionem furti, ſiue velit ipſum iuuare ſiue non, nihilominus dicitur currere cum fure, & culpa furis ipſi attribuitur: *Sic* ſi Deus concurrit ad actionem iniuſtam, videtur, quòd illi culpa tribuatur,] negat paritatem. Primò inquit,

Matth.5. [*quia decet diuinam* liberalitem, vt ſolem ſuum oriri faciat ſuper bonos, & malos, nec debet influentiam virtutis ſuæ ſubtrahere nec bonis, nec malis, maximè ſecundum illam influentiam, quæ reſpicit primum eſse. Secundò verò, quia decet diuinã prouidentiam ſic res, quas condidit, adminiſtrare, vt eas agere proprios motus ſinat. Tertiò, quia ipſe nouit & ſcit inde bonum elicere, & ideo cum cooperatur peccatori in actione, laudabiliter facit &c.] Prima ratio ſumitur ex ſcriptura Matth. 5. & nititur rationi gubernationis eius vt cauſæ vniuerſalis, quę dat & conſeruat eſſe rerum omnium, nec deeſt in neceſſarijs; quę eſt ſumma eius bonitas, & potentia. Secunda, & tertia ex Auguſtino: vtraque eſt contra decretum prædeterminandi, & prędeterminationẽ, quæ non ſinunt creaturas agere motus proprios, ſed determinant ad vnum, & non ſolùm inuoluunt cooperationem Dei cum creatura, ſed prędeterminationem ad operandum priorem ipſa operatione ſaltem natura, & ordine, & inſeparabilem ab ipſa operatione.

Octauò. Sed manifeſtiſſimè negat

CLXXIII. S Bonauentura tale decretum prędeterminandi, & prędeterminationem in tempore ead. diſt. a. 1. q. 1. ad argum. Quod ſi Deus concurrit ad actionem malam, concurrat, oportet tanquam cauſa principalis, quia liberum arbitrium ſimul agens nõ poteſt dici cauſa principalis; ex quo ſequitur, quòd excitetur à Deo tanquam mouẽs motum, ergo [*cum adulter, inquit,* luxuriatur, & latro furatur, ad tales actiones à Deo excitantur; quod omninò abſurdum eſt. Reſpõdet autem, quòd verum eſt, Deum eſſe cauſam principalem, attamen, inquit, non ſequitur ex hoc quòd excitet liberum arbitriũ ad faciendam illam operationem; excitatio enim dicit aliquem effectum gratiæ præuenientem ipſam voluntatem. Hæc autem requiritur in bonis meritorijs, in alijs verò operibus indifferentibus, vel etiam malis non eſt niſi ſola cooperatio diuinæ virtutis, quæ exiſtens in creatura potentialiter, eſſentialiter, & præſentialiter, ſicut conſeruat eam in eſſendo, ſic adiuuat in operando; propter quod conceditur ibi eſſe cooperatio, non præuentio, vel ſubſecutio &c.] vt paulo ſupra innuimus; ſed hic explicatur, cur Deus ſit motor vniuerſalis, & principalis cauſa non tamen excitat voluntatem, quia ſufficit intima præſentia, & potentia eius ad hoc vt creatura dependenter ab illo cooperante operetur abſque vlla excitatione voluntatis, præterquam in operibus gratiæ; in reliquis enim indifferentibus ſuperflua eſt; in malis verò indigna Deo illa auerſantis; alioqui ſi conueniret ſolutioni argumenti diſtinctio mali, vel ſecundùm entitatem materialem, vel ſecundùm formalem malitiam, poterat S. Bonauentura ita illam vſurpare in executione, & prædeterminatione, ſicut vſurpat in cooperatione, ſed meritò non habere in illa locum, exiſtimat, quia nulla ex tribus rationibus allatis pro cooperatione locum habet. De cætero cum S. Auguſtino l. 2. de lib. arb. c. 19. agnoſcit in peccato mortale, & formale, ſed prædeterminatiuum decretũ ad neutrum, ideo in tempore habet paratum concurſum ad concurrendum indifferenter ad vtramque partem; licet actu cõcurrat ad illam, ad quam voluntas ſe determinat, abſque eo quòd voluntas dicatur primum agẽs, vel primum principium determinans Deum, quia in illa determinatione eget concurſu Dei coagentis, & ab eo dependet, non item ab illa Deus.

Deus non excitat liberũ arbitriũ ad materiale malæ operationis.

S.Auguſt.

Ex quo ſimul reſponſum eſt ad varias auctoritates Patrum, ac S. Thomæ in primis, cum quibus concedit CLXXIV

S.Bo-

S. Bonauentura. Deum concurrere ad entitatem poſitiuam actionis malæ concurſu ſimultaneo; negat prædeterminatam æterno decreto, & concurſu antecedente determinãte phyſicè volũtatem ad vnam partem, quod non niſi per conſequentias deducitur ab aduerſarijs, quibus alias congruẽtiores opponimus, & rationibu validis contendimus.

Nono. In primo ſent. diſt. 40. a. 4. q. 2. habet argumenta ſimilia ijs, quæ relata ſunt ex 2. ſent. diſt. 37. & in particulari de obduratione, quæ videtur eſſe à Deo, quia vt dicitur ad Rom. 9. cuius vult, miſeretur, & quem vult, indurat. Et Exod. 4. Ego indurabo cor eius, &c. Auguſt. Indurauit Deus Pharaonem iuſto iudicio, &c. quod ſi indurare eſt nolle miſereri, vt gloſs. in cit. cap. 9. Rom. Deus eſt, qui nõ vult miſereri, & erit cauſa obdurationis: Reſpondet S. Bonauentura, & ait; *Illæ tres auctoritates Apoſtoli, Auguſtini, & Gloſs. & conſimiles, quæ dicunt, Deum obduraſſe aliquem, intelliguntur quantum ad rationem ordinis, non quantum ad rationem defectus, quia per comparationem ad defectum ſolum comparantur in ratione permittentis, non efficientis, &c.* Quibus ſignificatur id, quod benè ſupra dicebat, in malis Deum ſe habere ſolùm permiſſiuè; permiſſio autem benè ſtat cum ſimultaneo concurſu, qui ſemper habet paratam voluntatem Dei ad oppoſitum, vt ibidẽ docet S. Bonauent. ex Ioan. 6. Omnis qui venit ad me, non eijciam eum; Et Apoc. 3. Ego ſto ad oſtium, & pulſo; ſed decretum efficax prædeterminandi ad vnam partem cum ſit abſolutum, independenter ab vlla præſcientia non ſtat cum præparatione concurſus ad oppoſitum; atque ita eſt cauſa obdurationis, à qua voluntas creata non poteſt auferre defectum.

Quomodo Deus dicatur indurare

CLXXIII. Decimò. Quò pertinent, quæ habet de voluntate beneplaciti Dei in 1. diſt. 47. a. 1. q. 1. & diſt. 47. a. 1. quæſt. 1. quæ diuiditur ex S. Damaſceno lib. 2. de fid. Orthod. c. 9. in antecedentem, ſiue conditionalem, qua vult, quantũ in ſe eſt, omnium ſalutem; & in abſolutam ſiue conſequentem, *qua determinatè, inquit, vult aliquid, quod nouit certitudinaliter euenire.* Primam poſſibile eſt impediri, ſecundam neceſſe eſt impleri; quam neceſſitatem docet eſſe conſequentiæ, non conſequentis, *quia connotat, inquit, euentũ rei; imò vult Deus quòd eueniat conſequens contingens, vnde ſicut præſcientia, quia neceſſariò infert effectum, non poteſt falli; ſic voluntas abſoluta, quia neceſſariò infert effectum, non poteſt impediri. Voluntatem autem conditionatã non eſt neceſſe impleri, nec neceſſitate conſequentis, nec neceſſitate conſequentiæ, quia non connotat effectum rei, &c.* Quæ diſtinctio variè explicatur ab Auctoribus prædeterminationis, & à Patronis ſcientiæ mediæ, quibus egregiè fauet; ſed quod attinet ad præſentem Aſſertionem negãtem decretum prędeterminatiuum ad actionem materialem peccati, ſi illud datur, eſt valdè imperfecta diſtinctio iſta omittens membrum principale voluntatis beneplaciti, quod eſt decretum non conditionatum, ſed efficax, & abſolutum, non contentum ſub conditionali voluntate, neque ſub abſoluta, quia hęc eſt conſequens, illud verò antecedẽs, & meritò quoad prædeterminationẽ ad materiale peccati non continetur, quia Scriptura, & Patres toti in eo ſunt, vt doceant, quoniam Deus non eſt volens iniquitatem, ac proinde nec prædeterminare voluntatem ad actionem iniquam, quia ſic diceretur eam velle abſolutè, non item ſi ſimul concurrat, vt rector vniuerſalis ad exigentiam creaturæ.

S. Damaſc.

Quod docuit S. Auguſtinus ſupra relatus lib. de articulis falsò ſibi impoſitis art. 6. *Sicut præuaricatoribus Angelis Deus non intendit illam, qua in veritate non ſteterunt, voluntatem; nec etiam hominibus pari ratione hunc affectum, quo Diabolum imitantur, inſeruit, &c.* Affectus hic eſt quid poſitiuum, ſicut & voluntas, quam Deus non intendit; nam de formali malitiæ non erat, quod diceret, non eſſe inſertum à Deo; quis enim dubitet, impoſſibile eſſe inſeri à Deo formale malitiæ, quæ eſt priuatio quædam? Igitur materiale eſt, quod negat inſertum in Angelis, & in hominibus à Deo; quod multò magis negaſſet Auguſtinus, eſſe prædeterminatum à Deo. Confer diſtinctionem materialis, CLXXIV.

Digitized by Google

lis, & formalis cum prædeterminatione ad omnia mala materialia Angelorum præuaricatorum, & hominũ prauorum à principio exorta, & per totam æternitatem futura, eſtne credibile, quod Deus ab æterno decreuerit,& poſt creationem Angelorum, & hominum cæperit prædeterminare voluntates ipſorum ad materiale peccati, & quod in æternum ſit perædeterminaturus per ſingula momenta ad actus odij Dei, blaſphemias,& omnia peccata, quæ perpetuò admittũt, & admittent ſine fine? Ergone Lucifer, & Angeli eius peccare non poterant, niſi prædeterminati ad peccãdũ fuiſſent? hoc eſt ad actionem malam, quam exercere impotentes erant ſine decreto prædeterminatiuo æterno,& prædeterminatiuo voluntatis in tempore. Ita enim dici poſſent prędeterminati ad malum, quia ſine vlla antecedente culpa, & ſine vlla preuiſione ſaltem cõditionata, Deus abſolutè decreuit per te prædeterminare illos nõ ſolum ad infinita peccata, quæ per totam æternitatem facturi ſunt, quorum vnum eſſet pœna alterius; ſed etiam ad primum peccatum, hoc eſt ad actionem illam materialem,cui annexa erat inſeparabiliter hic & nunc malitia moralis. Certè Conc. Arauiſic.2. can. 23. obſtat dicens: *Aliquos verò ad malum diuina poteſtate prædeſtin atos eſſe, non ſolum non credimus, ſed etiam ſi ſunt, qui tantum malum credere velint cum omni deteſtatione anathema dicimus, &c.* Diſtinctio autem de entitate phyſica, & malitia morali tantundem valet, ac ſi quis de interficiente hominem, aut belluam diceret; voluiſſe quidem vulnus infligere, & actionem materialem feriendi; ſed non mortem, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè irrogatam; ridiculè hic diſtingueret; quia ſicut mors neceſſariò ſequitur ad illam actionem,ita & malitia moralis inſeparabilis eſt ab actione phyſica, ad quã dicis prædeterminari voluntatem; neque diſparitas inter mortem, & malitiam, quod illa neceſſariò ſequatur, hæc verò liberè, hic valet,ſiue quia cum predeterminatione non ſtat libertas; ſiue quia ſi ſtaret, tamen etiam per te infallibiliter ſemper ſequitur effectus; & qui per ſe intendit cauſam, ad quam infallibiliter ſequitur effectus preuiſus; intendit etiam effectum; & idem eſt de proditione Iudæ, quã vetat dici proprium opus Dei Trid.ſeſſ.6.can.10.de Iuſtific.cõtra hęreticos aſſerentes,tam eſſe opus Dei proditionem Iudę, quã vocationem Pauli; qui tamen negãt, à Deo intendi peccatum formaliter, aut peccare, cum ſit ſummè bonus,& proinde facientes Deum auctorem omnis actionis bonæ, & malæ, ad quam prædeterminat volũtates creatas, fatentur, malitiam ipſis tribuendam,non Deo; entitatem autem phyſicam, ad quam ſequitur, Deo tribuẽdam, qui operatur omnia in omnibus tanquam primus motor, à quo pendent omnia in eſſe, & operari. Concilium autem vult, Deum ſolum permiſſiuè ſe habere in malis, & non poſitiuè prædeterminare ad actiones in ſenſu hæreticorum, à quo diſcedunt catholici loquentes de peccato ſecũdum eſſe materiale, ad quod concurrere Deum docent communiter contra Durandum,& alios paucos negantes concurſum cauſæ primæ immediatum cum creaturis, quos tomo 1. ſingulari diſputatione confutauimus. Verum quidem eſt, quod hæretici habent alios errores, puta quod voluntas neceſſitetur ad actiones ſuas; quod paſſiuè ſe habeat, & ſimiles; ſed illos ſingillatim diuerſis Canonibus damnat Concilium; nos inſiſtimus in hoc quòd damnauerit propoſitionem, quod Deus mala operetur in ſenſu hæreticorum, qui erat de actione phyſica, non de malitia morali, quam refundunt in voluntatem creatam,ne impij videantur, quicquid deinde inconſtanter loquantur, & ex eorum effatis deducantur abſurda, & illud in primis, quod Deus peccaret, vel intenderet peccatum formaliter, quod disertè negant. Conci. Trid.

Vndecimò. Confirmant aſſertione principalem, quæ habet S. Bonau. de Prædeſt. in 1. diſt. 40. paſſim docens principale ſignificatum eius eſſe actũ diuinum identificatum eſſentiæ, ſed cum connotato meritorum, vt conſtet in eius ſententia non dari decretum abſolutum ab omni præuiſione voluntatis creatæ, vbi illa futura eſt CLXXVII

con-

concauſa Deo cooperans, idque in bonis pertinentibus ad gratiam, & gloriam, multò minùs concedit S. Bonauentura decretum prædeterminatiuum in iis, quæ pertinent ad damnationem independẽter ab omni prẹuiſione voluntatis creatẹ. Sed hoc ſit obiter dictũ, ad innuendam ſentẽtiam S. Bonauenturẹ, quia de Prædeſtinatione agere non eſt prẹſentis loci; eſt enim celebris controuerſia, an fiat independenter à meritis, vel poſt prẹuiſa merita.

Doctrina S. Bonauenturæ concors eſt auctoritati multiplici Patrũ, quorum verba, & mentem oſtendũt fusè & ſapienter noſtri Theologi intelligenda eſſe in ſenſu explicato de permiſſione Dei, & de concurſu ſimultaneo, & non de prẹdeterminatione ad malum materiale; pro qua opponunt illi quidem alias auctoritates, ſed nulla ex illis probat decretum abſolutũ, & efficax prẹdeterminatiuum, vt explicatur ab Aduerſarijs; ne Auguſtini quidem, vt patet ex ſupradictis.

Argumentum à paritate concurſus ſimultanei ad malum materiale, ex quo inferunt antecedens decretum, & prẹdeterminationem, non habere maius incommodum ſoluit ſupra S. Bonauentura.

Ratio illa, quod alioqui voluntas
CLXXVI. eſſet prima cauſa ſe ipsã mouens niſi prẹmoueatur, & conſequenter prẹcedat decretum prẹmouendi, facilè ſoluitur, negando ſequelam; vt enim S. Bonauentura in 1. diſt. 45. a. 2. q. 2. in reſol. & ad argum. Cauſa prima concurrit abſque indigentia ſecundẹ, & independenter ab ipſa, non viceuerſa, atque adeo voluntas indiget concurſu primẹ in eſſe, conſeruari, & operari, at non concurſu prẹdeterminãte, ſed ſemper parato iuxta exigentiam, & indigentiam voluntatis potentis ſe determinare, & exigentis nõ prẹdeterminari ad vnum, propter innatam libertatem, quam exercet dependenter à concurſu primẹ cauſẹ comitanter cum ipſa operante. Et quia non eſt hic concurſus, ſicut duorum trahentium nauim, quorum virtus eſt ita propropria vtriuſque, vt neutra pendeat ab altera, & vna eſt alteri extrinſeca; ſed virtus diuina, eſt intima virtuti creaturæ, & magis influit, & hæc dependet ab illa quoad eſſe, & operari, ideo, inquit, in reſponſione ad primum totus effectus eſt à cauſa creata, & totus à voluntate infinita increata.

Citantur plures Scholaſtici à recẽtioribur pro hac ſententia, præſertim à P. Hier. Faſol. tom. 2. in 1. p. q. 14. a. 13. à num. 396. ſed illa inſignis Diui Thomæ 1. 2. q. 80. a. 1. 3. *Deus, inquit, eſt vniuerſale principium omnis interioris motus hominis, ſed quod determinetur ad malum conſilium voluntas humana hoc directè quidem eſt ex voluntate humana, & à Diabolo per modum perſuadentis, vel appetibilia proponentis.* Nec contrarium probant auctoritates S. Doctoris aggeratæ à ſuis Doctoribus; quia ſolum vult, quod Deus cõcurrat vt motor vniuerſalis ad entitatem peccati, non ad malitiam; non autem quod prædeterminet ad illam, licet interdum moueat ad bonum determinatè volendum 1. 2. q. 9. a. 6. 3. Alijs autem ita videtur horridum, & Deo indignum non ſolum prædeterminare ad actum malum, ſed etiã concurrere concomitanter cum voluntate ad illum, vt propterea negauerint Deum agere immediatè cum voluntate creata, ſed ſolùm dediſſe illi virtutem operandi, eamque conſeruare, vt Dur. Armac. & alij latè à nobis confutat 1. tomo diſp. vlt.

Ex dictis ſequitur, quod peccatum CLXXVII formaliter, vt dicit malitiam non habet cauſam efficientem, ſed deficientem, vt S. Bonau. & S. Thom. ſæpius citati aſſerunt; vt autem dicit actionem materialem pendet à ſimultaneo concurſu Dei, ſicut omnia entia poſitiua creata, & ſecundum hanc entitatem cognoſcitur in decreto permittendi illam, & idea ipſius, non autem ſecundum malitiam, cuius nulla cauſa in Deo eſt, & proinde neque cognoſcibilis in eo vllo ex modis quo cognoſcuntur creaturæ ſupra numeratis ſicut neque priuationes niſi per oppoſitas formas.

Sequitur deinde quod in voluntate creata moraliter determinata poſit cognoſci peccatum. Patet ex locus Scripturæ in quibus Deus monet vitandas occaſiones peccatorum prædicens

dicens

Digitized by Google

dicens certum lapſum in illa, niſi vitentur. Attulimus ſupra exemplum ex lib.3. Reg. c.11. certiſſimuè auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos earum. Si videlicet ingrediamini ad eas Moabitidas, Ammonitidas, &c. & l.1. Reg c.23. nouerat Dominus in prauis voluntatibus Ceilitarum pro ditionem Dauid. & in odio, ac malignitate Iudæorum paſſionem Chriſti, à qua molienda poterant deſiſtere, ſed infallibiliter molituros etiam Angeli nouerant in ferina rabie ipſorum.

Secundò, quia poteſt eſſe tã vehemens apprehenſio obiecti diſconuenientis rationi, & tantus impulſus cõcupiſcentiæ, vel iræ, vt accedente Dęmonis tentatione, & malo habitu, moraliter ſit impoſſibile fragilem voluntatem non cedere teutationi, præſertim ſi ex incontinente qui peccat ex paſſione, fiat intemperans, qui peccat ex habitu, vt ſupra referebamus ex Ariſt. aſſerente, quod optimè etiam ſe agere exiſtimat; & ideo dicitur à S. Thoma errare circa vltimum finem, 1.2.quæſt.78. art. 4. c. & 2. 2. quæſt. 156. a.3. c. Propterea ſicut in auxilijs gratiæ ſupra probauimus cognoſci cõſenſũ futurum in bonum; ita in voluntate poſitis circumſtantijs prædictis motiuorum peccati cognoſcitur conſenſus futurus in malum. Idque non rarò nouerunt homines in quibuſdam caſibus humanæ vitæ, cognita propenſione, & propoſitione obiecti ad talem voluntatem.

CLXXVIII. Obijcies cum Albertino Coroll. 1. Theologico ex quarto principio philoſophico puncto 2. quia iudicium Dei eſt ita certum, & infallibile, vt oppoſitum implicet contradictionem; ſed vbi determinatio eſt moralis oppoſitum non implicat contradictionem, quia voluntas materialiter determinata poteſt non operari, cum maneat libera, ſecus quàm maneret, ſi phyſicè determinaretur; ergo non implicat cõtradictionẽ, quod nõ operetur, alioqui eſſet impoſſibile, quod nõ operaretur; atque neceſſarium, quod operaretur; quæ neceſſitas tolłit libertatem: proinde effectus non eſſet contingens.

Confirmatur, quia ſicut poſitis omnibus requiſitis ad agendum in actu primo, adhuc voluntas remanet libera, & poteſt agere, & non agere; ita ſublatis omnibus impedimentis; imo licet impediretur intellectus vel diuinitus, vel naturaliter, vt contingere in intemperato dicebamus, ne aduerteret ad aliam rationem, niſi ad eã, quę proponitur iucundi, aut vtilis, adhuc poſſet voluntas ſuſpendere aſſenſum, ne dicatur carere libertate contradictionis; ergo in nullo caſu poteſt ita moraliter determinari, vt implicet non ſequi effectum; conſequenter nõ poteſt in illa infallibiliter cognoſci, niſi fortè prædeterminetur phyſicè.

Ad Argumentum, reſpondeo primò per inſtantiam. Verum eſt enim S. Auguſt. dictum; Qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te, id eſt ſine tua cooperatione ad gratiam; quæ cooperatio eſt libera, & non implicat cõtradictionem, quod non ſit; & nihilominus Dei iudiciũ, quod Petrus cooperabitur gratiæ eſt certum, & infallibile; ſicut & quod ſaluabitur; ergo poteſt eſſe iudicium Dei certum, & infallibile de re futura contingenter, quam non implicat contradictionem non poni à parte rei; vel ſi implicat, & neceſſe ſit poni, neceſſitas ſolum erit ex ſuppoſitione, quæ ſtat cũ an antecedente libertate ad vtrumlibet: ex quo reſpondeo ſecundò directè ad argumentum negando maiorem, quia ad iudicium certum ſufficit, vt poſita commenſuratione obiecti ad potentiam ſic affectam vti diximus, effectus ex vi ipſius ſit infallibiliter futurus; etiamſi abſolutè poſſit non eſſe futurus: quod non contingit in potentia nullam habente determinationẽ, quia cum omnimoda indifferentia, & indeterminatione cauſæ non ſtat determinatio, & certitudo effectus; qui ſi ſit ſecuturus hoc Deus nouit ex infinita perfectione ſui intellectus cognoſcentis effectum ſecuturum ex hac cauſa; ſed non videt determinationẽ in cauſa prorſus indeterminata, ac proinde nec effectum certum in illa; videt autem ſi determinata ſit moraliter ad illum. Ex quo patet ad confirmationem, quia ſicut poſitis requiſitis ad agendum voluntas, poteſt quidem agere, & non agere; & ideo dicitur liberè agere; ſed tamen infallibili-

biliter eſt actura,& hoc ſufficit, vt Dei iudicium dicatur certum, & infallibile; quod manifeſtum eſt in gratia cõgrua, ſuaſione quæ perſuadet, & ſimilibus ſupra numeratis ex S.Auguſtino. Ita poſitis talibus circũſtantijs trahẽtibus voluntatem ex indifferentia ad vnam partem determinate, fit iudiciũ certum, & infallibile, quod voluntas conſentiet, vel diſſentiet; quod Iudas, ex gr.immiſſa Diaboli tentatione in cor eius auaritia captum, tradet magiſtrum ſuum. Quod Holofernes vino medidus, & ad Iudithæ pulchritudinis aſpectum æſtuans libidine, ſtupro conſentiet; & ſimilia quæ in voluntate penitus indifferente ſine vllo ex ijs impellentibus cognoſci nequeunt.

Et quamuis ſit verum quod manet ſemper potentia ſuſpendendi,& omittendi actum; tamen non eſt maior difficultas de illa,quam de potentia contrarij; poteſt quippe voluntas non minus actum omittere, quàm contrarium eligere; ſed neutrum præſtabit, & infallibiliter illud eliget, ad quod moraliter determinatur.

Obijcies ſecundò, quia cognitio in cauſa moraliter determinata eſt cognitio abſtractiua, quæ non conuenit Deo cognoſcẽti omnia vera cognitione intuitiua perfectiſſima, nam intuitiua fertur in rem præſentem in ſeipſa, & non in alio, igitur futura, & in alio eſt abſtractiua, ſicut quando Aſtrologus cognoſcit Eclypſim futurã.

Reſpondeo, nego aſſumptum, quia cognitio Dei infinitè perfecta, & fertur in rem ſecũdam omnem modum exiſtentiæ,& cognoſcibilitatis,quã habet in ſe;ideo præſens,præteritũ,& futurũ ſunt quid extrinſecũ comprehẽſũ à Deo,ſicut ſi eſſet præſẽs ob excellentiam cognitionis diuinæ attingentis omnia ab æterno; vnde & dicuntur eſſe præſentia in æternitate obiectiuè: de quo Theologi vbi de ſcientia Dei, de qua nos hic ex profeſſò nõ agimus alia argumenta contra moralem determinationem ſupra ſunt ſoluta.

DISPVTATIO TERTIA DE INFINITO.

LECTOR.

SISTE tantiſper tuum iudicium, ſi fortè in cenſuram noſtri procliue ſentias, improbeſque veſtem ex lana, linoq; contexi, hoc eſt Philoſophicas quæſtiones Theologicis immiſceri, quod in ipſo priori Tomi limine interdixeramus. Non ita eſt. De Infinito diſſertatio non ſolius eſt Philoſophiæ. Habet in ea ſuas Theologia partes; & ferè præcipuas, quippe quę circa Infiniti increati contemplationem occupata, quid de creato ſit ſentiendum, dijudicare melius poteſt, quàm Philoſophia naturali duntaxat inſtructa lumine, quo illa non contenta ſupernaturalis ductum quærit, & propius ad veritatis penetrale peruadit. Ego ſanè ius ab illa ſuis conceſſum amatoribus eatenus vſurpo, vt S. Bonauenturæ aſſertionem ſuſtineā Infinitum negantis, ob id maximè, quod numero, ponderi, ac menſuræ aduerſetur, quibus vniuerſa Dei opera conſtare neceſſe est, vt à fonte ſapientiæ, ac bonitatis manantia, à qua inordinati nihil, inconditiuè expectandum est. Itaq; planè Theologica noſtra diſputatio est, quæ principio ex ſacris deprompto litteris innititur, ternas iſtiuſmodi conditiones in Altiſſimi operibus agnoſcentibus ita debitas, inſitaſq; vt in manu eius omnipotentiſſima non ſit, hoc est eſſe nequeat, quod vel vnius earum minimè ſit capax. Præterquam quod, vt initio monere licuit, mancam, mutilamq; fore oporteat diſſertationem, quæ partem hanc relinquat intactam, ex cuius conſideratione Doctor Seraphicus rerum poſſibilitatem, vel repugnantiam ſæpè metitur, & Potentiæ obedientiali, quam tractamus ancillantem inducit. Cęterum à prolixioribus de Infinito diſputationibus calamum haud illibens abstineo, quas recentiores Theologi ſuis commentationibus inſerere fas eſſe duxere; & ſuper vnius duntaxat propoſitionis veluti baſe columnam erigo, quam Seraphicus Doctor è ſacris oraculis deſumpſit. In binas autem partes diſputationem diuido, quarum altera de Infiniti natura, ac proprietatibus diſſerit ea gratia, vt à poſſibilium claſſe merito eliminari à S. Bonauentura commonstret. Altera ex hac theſi deducendis corollarijs aliquot inſiſtet, quę quoniam ſine Infinitate non constant, extrà terminos Potentię Obedientialis ableganda ſunt.

Digitized by Google

PRIMA PARS
CAPITIBVS SEQVENTIBVS ABSOLVITVR.

AN INFINITVM
Sit poſſibile in creaturis.

CAP. I.

I. *Definitio infiniti ex Ariſt.*
II. *Infinitum aliud categorematicum, aliud ſyncategorematicum, quid vtrumque ſit, & quale.*
III. *Quomodo differt à toto.*
IV. *In eo non datur primum, & vltimum.*
V. *Continet infinities infinita.*

I. RESPONDET S. Bonauentura vniuerſaliter loquẽdo implicare actu infininitum in creaturis. Probat pluribus rationibus in 1.d.43. a. 1.q.3. quæ validas habẽt inſtantias, & vix ab vllo ſuorum Interpretum defenduntur. Nos duas, quas habet in corpore quæſtionis tanquam magis à Sancto probatas explicare conabimur in primis, & probabilitatem ipſarum oſtendemus, Aſſertionis deinde veritatem alijs argumentis roborabimus: ſi prius ad intelligentiam dicendorum quædam præmiſerimus partim admiſſa à communi ſententia; partim in propria valde probabilia ob rationes, & auctoritates, licèt improbata ab Auctoribus infiniti; contra quos nõ profitebatur Sanctus Doctor demonſtrationibus agere; ſed argumentis longè validis.

Hæc igitur præmittenda ſunt.

PRimò. Infinitum eſt id, cuius ſecundùm quantitatem accipientibus ſemper aliquid accipere extra eſt; id eſt cuius quæcumque pars accipiatur, ſemper reſtat alia accipienda extra illam. Ita definit Ariſt. 3. phyſ. à t.62. & recipitur communiter Definitio à Philoſophis, & Theologis; inter quos tamen non conuenit, an cõueniat infinito categorematico, an ſyncategorematico: Dur. enim in 1. diſt. 43. q. 2. num. 18. quem ſequuntur quidem recentiores putat conuenire ſyncategorematico, alij verò categorematico, quibus adhæret Vazq. 1 par. diſt. 26. num. 20. Faſ. 1. p. q 7. ar. 1. diſt. 2. Sed videtur vtrique tribuendam, vt ex decurſu capitis huius patebit quia infinitum ex vi vocabuli eſt quod caret fine, & ideo qualecumque ſit, in eo ſemper reſtat aliquid extra accipere. dico vtrique ex ſuppoſitione quod daretur categorematicum: nam abſolutè non datur, vt infra patebit; ſed quia contrarium habet magnos patronos, propterea oportet prænouiſſe, quid ijs vocibus denotetur, quę communiter iam vſurpantur in Scholis.

Secundò. Igitur accipiendum vt certum, infinitum aliud dici categorematicum, aliud ſyncategorematicũ; pro quo ex Logicis recolendum, categorema, ſeu terminum categorematicum illum eſſe, qui ita per ſe ſignificat, vt ſolus poſſit ſubijci in propoſitione, & ſolus prædicari, v.g homo eſt

animal vterque terminus eſt categorematicus quia importat rem abſolutè circa ſuppoſitum. Syncategorema verò, ſeu dictio ſyncategorematica eſt quæ non per ſe ſignificat, ſed adiuncta ſubiecto, ad quem propterea dicit habitudinem, vt ſunt omnis, nullus, aliquis, quæ nihil per ſe ſignificant, ſed modificant terminum, cui adiunguntur, vt D.Th.1.p q.31.a.3.c. quare cum dicitur infinitum ſyncategorematicum, ſumitur infinitũ aduerbialiter pro infinitè, ſeu infinitum, non adiectiuè pro re infinita: cum verò categorematicum, ſumitur pro re infinita, vt notat Palat.in 1.d.16. diſp.7. concl.2.

S.Thom.

II. Quoad rem ipſam, infinitum categorematicum eſt id ex quo actu ſimul exiſtente accipientibus reſtat ſemper aliquid extra accipere, vt Ariſt.ſupra. Iſta verò acceptio fit ſecundum conſiderationem noſtram de facto, quia non datur tale infinitum in creatis; Cæterũ abſolutè ſi daretur, tale eſſet vt ex eo accipi ſemper plura, & plura poſſent; & quidem æqualia, & maiora ſine fine, vt non oporteat limitare quoad intellectum noſtrum acceptionem hanc, niſi quia de facto nullum datur tale infinitum, etiamſi aliqui abſolutè limitent. Syncategorematicum verò eſt ex quo nunquam actu exiſtẽte toto ſimul, ſumi poſſunt partes in infinitum, ſed ſemper finitę, ſiue æquales, ſiue inæquales, ſiue cõmunicantes, ſiue non; dummodo plures, & plures in infinitum; quod addo propter diuiſionem continui in partes minores in infinitum, in quo tamen numerus, & diuiſio ſemper ſumi poteſt maior ex partibus ſemper minoribus. Et quoad hoc conuenit cum categorematico, ſed differt, quod illud eſt actu infinitum, hoc tantùm potentia, quod eſt eſſe finitum actu, infinitum potentia, quia ſemper reſtat alterum, & alterum, vt Ariſt.3. phyſ. à t.57. & propterea eſſentialiter inuoluit potentialitatem, vt S.Bonau.in 1. d.43. a.2. q. 3. & repugnat reduci ad actum collectiuè ſumptum, licèt nullum in eo diſtributiuè acceptum ſit, quod repugnet poni, vel ſucceſſiuè, vel permanenter, ſed ſemper cum finitis in infinitum. Quare ſi intelligatur tota illa collectio, vt poſſibilis exiſtere ſimul actu, iam non eſt infinita ſyncategorematicè, ſed categorematicè, quia ſyncategorematicum excludit totalem actualitatem, & admittit ſolùm ſecundum partes finitas in infinitum, alioqui ſi habet aliquam infinitatem actualem, ex vna parte erit categorematicum, ex alia nõ erit, quia de ratione categorematici non eſt vt includat potentialitatem, ſed vt ſit totum actu; in quo differt à ſyncategorematico, quod non attingit intrinſecè infinitatem actu, ſed tendit ad illã, vt Albertin in Prædicam. Quant. diſp. 4. q.3.concl.3. cuicquid contra illum recent. nam hanc tendentiam indicant finitum in infinitum, nõ tot quin plura &c. vt patet in numero creaturarum poſſibilium, quæ dicuntur eſſe plures in infinitum, etiamſi admitterentur actu infinitæ, quia nullus eſſet finis infinitatum, ſed eſſent finitæ in infinitum in diuiſione continui, quæ nunquam exhauriri poteſt; & in motu locali, qui velocior eſſe poteſt in infinitum, & hæc cognoſcuntur à Deo, vt ſunt, id eſt finita in infinitum: ideo Ariſt.3. phyſ. comparat ludis Olympicis, ac diebus, qui ſunt in quadam ſucceſſione.

Tertiò. Infinitum ſyncategorematicum eſt complexum quoddam ex finito determinato, & habitudine ad indeterminatum, à quo augeri poteſt per continuam additionem, vel minui per continuam detractionem, vt in diuiſione continui; quæ habitudo eſt rationis conſiderata formaliter, & fundamentum habet in numero, vel alia re certa augmentabili: terminum verò habet incertum, quia quolibet aſſignato, poteſt aſſignari vlterior in infinitum, ſed ſemper poſſibilis, cum in categorematico aſſignetur actualis. Ex quo apparet, quod infinitas ſyncategorematica eſt quid mixtum ex actu, & potentialitate, ſeu tendentia ad plus, & plus in infinitum, non quia detur potentia ad terminum indeterminatum collectiuè ſumptum, quaſi tota reduci poſſit ad actum, ita vt nihil maneat vltra ponendum, ſed quia datur diſtributiuè ad quemlibet determinatum, & eo poſito, conſurgit noua habitudo ad alterum item deter-

III.

Infinitas ſyncategorematica eſt quid mixtum ex actu, & potentialitate,

ter-

terminatum, v. g. poſito ternario ad quaternarium, & hinc ad quinarium, vel poſita diuiſione medietatis conſurgit potentia diuiſionis ad aliam medietatem, & ſic in infinitum, quæ potentia nō dicitur eſſe fruſtra, etiāſi nunquam reduci poſſit ad actum tota diuiſio,aut tota augmentatio in additione, quia ſufficit, vt quocunq;indi uiduo poſito,vel ſpecie,poſſit vlterior additio fieri, abſque eo, quod detur ſtatus in aliquo, quia eo admiſſo tolleretur infinitas hæc,de cuius ratione eſt, vt nunquam conſiſtat;ſed ſemper tendat vlteriùs, quod eſt habere eſſe potentiale: & hæc eſt paſſio quædam Metaphyſica entis creati realiter idētificata cum ipſo, & formaliter ſolum diſtincta penes diuerſam conſiderabilitatem eius, vel abſolutam, & ſecundum ea, quæ dicit intrinſecè; vel reſpectiuam, prout comparabilis eſt cū altero, & cum eo augmentum facere, atque adeo infinitas eſt intrinſeca enti creato non huic, vel illi determinato; ſed indeterminatè toti collectioni, quia nihil aliud eſt, quam res ipſę cum prædicta habitudine ad plura, & plura indiſtinctè vt poſſibilia actu augere quodlibet finitum ſui generis.

IV. *Infinitū,ſiue categorematicum, ſiue ſyncategorematicum caret termino & fine.*

Quartò. Conſequenter infinitum caret termino, & fine: ideo enim appellatur infinitum, ideſt ſine fine,&c. ſiue ſit categorematicum, ſiue ſincategorematicum. Sic Ariſt.3. Phyſ.à t. 65. docet habere potius rationē partis, quàm totius,quia totum ſignificat aliquid comprehenſum, ac terminatum; at infinitum non eſt actu totum, ſed potentia modo explicato, id eſt eſſentialiter, ita vt ratio potentiæ ſit ipſi eſſentialis, ſicut tendentia ad aliud, & aliud, quæ eſt potentia quædam diſtinctæ rationis à potentia materiæ, quæ eſt receptiua formæ; nam infinitum ſyncategorematicum nullam formam recipit à potentia efficientis; hoc enim infinitum nihil efficit, ſed dicitur mixtum potentiæ, ſeu potentialitati, quæ eſt ratio quædam metaphyſica, ſeu formalitas, ſeu cōceptibilitas,quæ realiter nihil aliud eſt, quàm res phyſica, quatenus augeri poteſt ſine fine, ſiue cui poteſt fieri additio maior, & maior in infinitum, ſiue quoad numerū, ſiue quoad magnitudinem, vel perfectionem, ita vt in ſuo conceptu complectatur finita determinata cum habitudine ad indeterminata, quod explicamus per hos terminos, non tot quin plura; vt propterea Ariſtoteles loco citato dixerit;Infinitum eſſe indeterminatum, & habere rationem partis, ſeu materiæ, & non totius; & quia totum eſt, cuius nihil eſt extra,infinitum autem, cuius ſemper eſt aliquid extra accipere, id eſt ex quo ſemper ſumi poſſunt partes extra partes;nam particula extrà accipitur intranſitiuè pro ijs, quibus conſtat infinitum, non tranſitiuè pro ijs, quæ extranea illi ſunt. Quæ acceptio fieri poteſt vel per intellectum ſucceſſiuè cognoſcentem vnum poſt alterum, & nunquam deuenientem ad finem,vel ſimul cognoſcentem quicquid eſt cognoſcibile, vt cognoſcit Deus. Primo modo ſemper remanet aliquid intelligendum. Secundo modo nequaquam, quia cōprehenditur, & finitur cognitione infinita, & adæquata, quod in ſe caret fine, quomodo à S. Thom. 1. p. q.14. a.3. dicitur Deus cognoſcere ſe per modum finiti. Sed & varijs alijs modis acceptio iſta partium contingere poteſt, puta per diuiſionem, per diſtinctionem, per deſignationem, & in ijs omnibus ſemper reſtat aliam partē accipere extra acceptam in infinitū. *S.Thom.*

Quintò. In infinito non dari primum, & vltimum, quia quod clauditur terminis iſtis finitum eſt: item nulla detractione finita vnquam finiri, nec additione augeri, vt infinitum eſt, neque vt ſic dari vnum maius altero ſecundùm communiorem ſententiam, & magis accommodatam definitioni Ariſtotelis ſupra, cum qua vix cohærent vltimum,vel exceſſus vnius Infiniti ſupra aliud, quia ijs poſitis, non eſt ſemper accipere partes extra acceptas, licèt non deſint qui diſſentiant, vt infra latiùs. V.

Sextò. Infinito contineri infinities infinita, v.g. infinitas vnitates, infinitos binarios, tenarios,&c. probatur, quia ſi iſti numeri eſſent finiti, iam conſtaret infinitum numeris finitis,& eſſet finitum, quia finita quantumuis repetita non faciant infinitum,& ideo non datur tranſitus immediatus à fi-

nito

nito ad infinitum. Et quia hinc ſequitur, partem eſſe æqualem toti, quod plura ſint infinita in infinito: item quod idem eſſet finitum, & infinitum, & ſimilia abſurda, vt infra, propterea negamus infinitum categorematicum admiſſo ſyncategorematico, à quo abſunt hæc incommoda, cum eſſentia eius conſiſtat in potentialitate excludente actualitatem infiniti, vt ſupra diximus, & infra melius declarabitur.

QVOMODO

Probet ſuam Aſſertionem S. Bonauentura.

CAP. II.

I. Omnia opera Dei in numero, pondere, & menſura fiant oportet.
II. Explicatur hoc ex Patribus, & Philoſopho.
III. Affertur exemplum corporis, & oſtenditur repugnantia infiniti in illo.
IV. Idque ex varijs caſibus, qui fingi in tali corpore poſſunt.
V. Impugnantur reſponſiones variæ contra dicta de repugnantia corporis infiniti.

VI. INFINITVM, inquit, loc. cit. a. 1. q. 3. in actu non poteſt facere, nec facit Deus. [*Non poteſt*, inquam, facere, quia nec conuenit ſibi, nec conuenit creaturæ. Sibi non conuenit, cum enim ſumme bonus ſit, non poteſt aliquid facere, niſi bonum, & ita non poteſt facere, niſi rem ad ſe ordinatam. Quoniam ergo ordo præſupponit numerum, & numerus preſupponit menſuram, quia non ordinantur ad aliud, niſi menſurata, & non menſurantur, niſi limitata, ideo neceſſe eſt Deum facere omnia in numero, pondere, & menſura, nec aliter facere potuit, nec poteſt, nec infinitũ, nec infinita in actu, &c.] Quæ ratio ex parte Dei petita nititur auctoritati Scripturæ, Sap. 11. Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti. In numero, ait S. Bonauentur. in 1. diſtinct. 3. dub. 3. text. intelligitur principiorum diſtinctio: in pondere propria ipſorum inclinatio: in menſura eorum ad inuicem proportio. Et S. Auguſtinus lib. 4. de Gen. ad lit. c. 5. *Fateamur, inquit, ita dictum eſſe, omnia menſura, numero, &* S. Auguſt.
pondere diſpoſuiſti, tanquam ita dictum eſſet, ita diſpoſita, vt haberent proprias menſuras ſuas, & proprios numeros, & propriũ pondus, quæ in eis pro ſui cuiuſq; generis mutabilitate mutarẽtur augmẽtis, & diminutionibus, multitudine, & paucitate, leuitate, & grauitate ſecundũ diſpoſitionem Dei, &c. Hoc autem non ſolùm de rebus corporeis, & ſenſibilibus dictum vult c. 3. ſed etiam de ſpiritualibus de animis, affectionibus, actionibus, in quibus ſua menſura eſt, & pondus.

Iam verò poſito Infinito, tollerentur hæc omnia; ergo poni non poteſt Infinitum. Probatur quoad primum poſitum à S. Auguſtino, nam menſura, & menſurabile ſunt correlatiua mutuò ſe inferentia; ita vt vno dato, detur alterum; ſed ſi daretur actu infinitum vel in magnitudine, vel in multitudine, non eſſet menſurabile, neque numerabile, quia nulla creatura æquari poſſet quantumuis repetita creatori, ergo eius non eſſet menſura, nec numerus.

Quò pertinent rationes aliorum ex D. Th. 1. p. q. 7. a. 4. & quodl 9. q. 1. a. 1. omnem quantitatem ſpecificari per terminationem quantitatis, v. gr. per bicubitum, tricubitum; & in numero per duo, tria, & ſic de alijs; quæ per vnum menſurari debent: Infinitum autem terminari non poteſt, nec numerari, imò nec numerus eſt ex 5. Met. t. 18. vbi numerus dicitur multitudo finita; quod ſi ſit infinita, non eſt numerus, vt ibid. S. Th. Si ergo infinitum caret mẽſura, & numero; & Deus nil facit ſine menſura, & numero, nec facere poteſt, conſequenter infinitũ.

Confirmatur ex 3. Phyſ. t. 41. *At verò, ait, nec numerus ſic eſt vt ſepara-* Ariſt.
tus, aut infinitus; numerabile enim eſt numerus, aut habens numerum; Si ergo numerabile poteſt numerari, & pertranſiri, vtique erit finitum. Ratio à priori eſt, quia menſura conſiſtit in hoc, vt per eam ſciatur, quanta ſit determinata moles aliqua ſecundum ali-

Digitized by Google

aliquam dimenſionem: Infiniti verò nulla eſt vera dimenſio, quæ ſciatur, alioqui eſſet finitum,& conſequenter nulla poteſt eſſe menſura. Vide S.Th. q.2. ver. a.9. 10.

Si enim aſsignentur in eo millia palmorum, non eſt menſuratum, neque ſi centum millia, neque ſi milliones millionum, & ſic in infinitum.

Quātitatis diſcretæ menſura eſt vnitas.

Et idem eſt de Quantitate diſcreta, cuius menſura eſt vnitas, vt D.Th. 1.p. q. 11.a. 21. Infinitum autem per vnitatem quantumuis repetitam mēſurari non poteſt, quia ſemper ſuperat quemlibet numerum aſſignatum. Ex quo etiam ſumitur argumentum contra infinitum, quia proprium vnitatis eſt conſtituere numerum determinatum, ergo non poteſt conſtituere indeterminatum. Certum eſt autem, quod infinitum ſi daretur, eſſet aggregatum ex vnitatibus.

Idem eſt de pondere, & leuitate; ſi enim corpus eſſet infinitum, careret centro, quia centrum eſt, à quo duci poſſunt lineæ ad circumſerentiā, vel æquales ſi ſit ſphæricum, vel cum certa proportione, ſi non ſphæricum: in corpore autem infinito nullæ huiuſmodi lineæ duci poſſent, quia omnes eſſent infinitæ ſine vlla æqualitate, vel inæqualitate propriè dicta, quia nec vlla eſſet terminatio, nec medium, igitur careret pondere, & leuitate; omnia enim ponderoſa mouentur ad centrum, ſublato autē centro, quid ad illud, vel ab illo moueatur? Et ex alia parte eſſet graue, pura ſi crearetur terreum infinitum, vel leue ſi aereum corpus, aut igneum, neque tamen daretur terminus ad quem moueretur.

Rurſus eſſet mobile, quia eſſet corpus naturale, cuius prima paſſio eſt mobilitas; & non eſſet mobile, quia vt Ariſtoteles 3. phyſ. t. 48. & 1. cæl. t.38. Impoſſibile eſt infinitum moueri omnino quod Ricard.in 1.43.a.1.q.5. §. ſed hæc ratio, tenet vniuerſaliter de omni motu tam recto, quàm obliquo. Et D.Thom. 1. p.q. 7. a.3. licèt Greg.in 1.d.42. q.4.a.3.concl.1. contra Philoſophum ſe dicat opinari de motu circulari quo moueri à Deo poſſet, non item recto, ſi vndique eſſet infinitum.

Probatur autem, non poſſe moueri rectà, quia motus localis rectus eſt à termino à quo ad terminum ad quē, per illum quippe mobile relinquit vnum terminum, à quo diſcedit, & acquirit alterum, ad quem tendit, ergo corpus huiuſmodi habet duos terminos, quibus concluditur: non ergo eſt infinitum, quod valet de quolibet infinito corpore. Si verò eſſet vndequaque infinitum, multò magis concludit argumentum, quia occuparet omnia loca, neque tamen eſſet in vllo loco, quia à nullo contineretur, & ita non ſupereſſet locus, quem acquireret per motum alioqui ex ea parte eſſet finitum, ac terminatum.

Infinitum in nullo eſſet loco

Dices, tale corpus fore mobile in actu primo haberet enim potentiam motiuam, quæ fluit ex eſſentia corporis materialis, ſed impeditam quoad actum ſecundum qui nō ſtat cum infinitate, ſicut ignis Babylonicus fuit combuſtiuus, ſed non combuſsit tres pueros impediente Deo.

Contra ex hoc colligo impoſſibilitatem infiniti corporis, quia infinitas non eſt paſsio, vel proprietas ſupernaturalis corpori conceſſa, vt ſunt dotes corporis glorioſi, ex.gr. vel dona gratiæ animæ, ſed eſt quid naturale; omnis autem paſſio naturalis habet ſibi conueniens, & proportionatū ſubiectum, quale nullam habet infinitas corporea, alioqui duæ proprietates inuicem repugnantes conuenirent eidem ſubiecto, nimirum mobilitas, & immobilitas; idque per ſe, & non per accidens; nam infinitas conuenit per ſe ſubiecto ſibi proportionato, ergo & immobilitas, quæ neceſſariò, & eſſentialiter comitatur infinitatem, quandoquidem infinitum corpus implicat moueri; imò magis conuenit, quàm motus deorſum corpori graui, quod non implicat moueri ſurſum ab extrinſeco. Aut ergo infinitas eſt contra naturam corporum, & ita nullum habebit ſubiectum, cui conueniat, quod eſt inconueniens, quia omnis paſſio corporea habet aliquod ſubiectum ſibi proportionatum, quod eſt commune omnibus accidētibus, quæ ſunt entis entia, & proinde alicui ſubiecto conuenientia: vel eſt cōnaturalis corporibus, atque ita aliquid connaturale

le ſubiecto erit ſimul innaturale, quia trahit ſecum impedimẽtum effectus, ad quem naturaliter inclinatur ſubiectum, nimirum motus, ad quem propendent omnia corpora naturalia. Dices, mobilitas eſt paſſio quantitatis ſecundùm partes tantùm diſtributiuè ſumptas, vt abſtrahit à finita, & infinita. collectiuè autem eſt paſſio quãtitatis finitæ, ſicut tenẽtes creaturam poſſe eſſe ab æterno ſine motu, tamen dicunt, mobilitatem eſſe paſſionem eius tranſacta æternitate. Sic Albertinus tom. 2. diſp. 4. de Infinito Quantitatis q. 4. n. 3.

Addi poſſet exemplum elementorum, quæ non agent poſt diem iudicij, vt Theologi in 4. diſt. 48. & Palud. in 2. diſt. 7. quia tunc nulla futura eſt generatio, propter quam à Deo ſunt condita, atque ita Deus negabit concurſum ſine miraculo; ſic ſi fieret infinitum.

Contra primum eſt, quia mobilitas eſt paſſio corporis, qua corpus naturale eſt, ex lib. 1. de Cęlo à t. 57. ſed infinitum tam ſecundùm partes collectiuè ſumptas, quàm diſtributiuè eſt corpus, ergo in vtroque ſenſu eſt mobile. Et tamen ibidem tex 62. docet Ariſt. Infinitum moueri non poſſe.

VII. Deinde ſi valet diſtinctio infiniti ſecundum partes diſtributiuè conſiderati, vel collectiuè vt eſt totum, idem dici poterit de grauitate, leuitate, & alijs paſſionibus, quod videlicet illi conueniant ſecundum partes diſtributiuè, non item collectiuè; atque ita ſi crearetur terra infinita in magnitudine ſecundum partes diſtributiuè ſumptas eſſet grauis; & tamen ratio, & experientia docet, quod grauius redditur corpus ex additione partium grauium; & cum conueniat corpori graui ex natura rei, ſi infinitas cauſat oppoſitũ, infinitas deſtruit naturam corporis grauis&, inferrentur contradictoria; nimirum quod terra eſſet infinita ex ſuppoſitione, & quod non eſſet terra; ac proinde nec infinita, quia careret proprietate debita ſibi, ſicut ex negatione rationalitatis, ſequitur, quod animal illa carens non eſt homo.

Neque obſtat exemplum creaturæ ſi poteſt eſſe ab æterno ſine motu, quæ tranſacta ęternitate poteſt habere motum: primò, quia in mea ſententia petitur hinc argumentum ad probandum impoſsibilitatem creaturæ illius ab æterno. Deinde dato, & non conceſſo, quod creatura poſſet eſſe ab æterno, non diceretur immobilis, vel non motiua ſecundùm naturam ſuã, ſed ratione æternitatis, quæ eſt menſura extrinſeca incompatibilis cum motione coæterna in hac ſententia; at verò immobilitas eſt paſsio intrinſeca infiniti in magnitudine; & ideo non poteſt conuenire corpori, de cuius ratione eſt mobilitas, ſicut & grauitas, aut leuitas propria eſt corporum elementarium, ac proinde inſeparabilis eſt naturaliter ab illis, nec infinitas, ſi daretur illorum, impediret, ne grauia, aut leuia eſſent, niſi inuertendo naturam ab eo datam, qui fecit omnia in menſura, & pondere; quod eſt infinitum in magnitudine eſſe deſtructiuum corporum, atq; adeo ſui ipſius in corporibus.

VIII. Atque, vt appareat, non valere diſtinctionem adhiberi ſolitam ab infiniti Patronis in vniuerſum negantibus proprietates corporum naturalium, & quantitatis corporeæ traditas à Philoſophis eſſe intelligendas de infinito in vtriſque poſsibili per ipſos, conſiderandũ eſt, quod quando quæritur de aliquo corpore, v.g. de terra, vel aqua, an poſsit fieri infinitæ molis ſupponitur, quod remaneat terra, vel aqua, & quod ſicut per augmentum finitum non deſtruitur natura eius; ita neque per infinitum, quia hoc fit per partes eiuſdem ſpeciei cum primis, quibus fit acceſsio. Ex alia parte ſi mobilitas, grauitas, leuitas, raritas, denſitas, & cæterę proprietates traditæ à Philoſophis non conueniunt elementis, niſi vt ſunt corpora finita, ſequitur, quod ſi augeantur infinitè, illis non conuenient, atque ita erunt corpora diuerſa ab iis, quæ de facto ſunt contra ſuppoſitionem quæſiti, an terra, v.g. quę modo eſt, augeri poſsit infinitè; nam corpora, quibus non debentur aliquæ propietates, diuerſa ſunt ab iis, quibus debentur. Quod ſi dicas, aliquas deberi, alias non deberi, quæ infinito in mole repugnant, quia ſicut illa, ita & iſtæ conueniunt cor-

Digitized by Google

corpori finito, v. g. grauitas, quæ eſt ad motum deorſum; leuitas, quæ ad ſurſum; ac proinde infinito corpori motus incapaci nullam iſtarum competere; quæ tamen præcipuæ ſunt corporis naturalis, atque adeo infinitatem eſſe deſtructiuam corporum, quibus illæ debētur, & eadē difficultas erit circa alias proprietates actiuas, vel paſsiuas, puta calefactiuam, frigefactiuam, & ſimiles, quas conuenire videmus corporibus finitis, quę agunt, & patiuntur inuicem; poſito autem infinito corpore, ſicut dicitur immobile, quia non eſt locus vlterior, quem occupet, aut ad quem moueatur; ita non eſt aliud corpus, in quod agat, cum nō remaneat locus pro alio corpore, & ponere penetrationem perinde eſt ac tollere mobilitatem, & multiplicare incommoda, quia ſi agat in corpus, cum quo penetratur, pone hoc eſſe lignum impoſitum in igne infinito, ſi conuertatur in ignem, augebit ignem, vel rurſus opus eſt miraculo, ne augeatur, & multiplicantur miracula, ſatius eſt dicere, quod quemadmodum mobilitas aufertur ab infinito corpore: ita etiam aufertur actiuitas, & ecce iam corpus diuerſum ab eo, quod ſupponitur fieri infinitum; quia ſi dicatur aqua, ignis &c. aucta infinitè, iam non erit idem corpus infinitum eiuſdem ſpeciei cum finito, quia non habet eaſdem proprietates, quas repugnare aſſeris infinito. Et ecce turbatio, & inuerſio in creatura ſine ſuo pondere, & menſura, ac proinde impoſſibili, vt cum S. Bonauentura fuſiùs explicaturi ſumus.

IX. Poſt diem iudicij ceſſabit actio, & paſſio elemētorum. S. Bonau.

Ad alteram inſtantiam de elementis poſt diem iudicij reſpondeo, hoc fore per accidens elemētis, quòd ceſſatura ſint ab actione, & paſſione; quia vt docet S. Bonau. in 4. d. 48. a. 2. q. 2. cum alijs Scholaſticis ibidem, omnis motus eſt propter finem, quo aſſecuto ceſſat. Cum igitur motus & actio elementorum, imò & corporum cæleſtium ſit propter generationem, & hæc propter multiplicationem hominum, & rurſus propter perfectionem ſupernę Ciuitatis, & numerum electorum eo completo poſt iudicij diem, ceſſabit finis generationum inferiorum; & ita elementorum actio, & paſſio negante Deo ſuum concurſum ad illas; ſed hoc eſt per accidens naturæ illorum, quæ quantū pertinet ad pręſentiam in actu primo, non priuantur illa, ſicut tu dicis priuari potentia motiua corpus infinitum; quia de ratione infiniti dicis eſſe immobilitatē.

X. Sed neque moueri poſſet motu recto corpus non vndequaque, ſed vna tantùm ex parte infinitum, v.g. à puncto A. extenſum verſus Orientem infinitè; nam ſi moueretur verſus Occidentem occupato loco palmari, ex. gr. tantumdem ſpatij relinqueret verſus Orientem vltra illud eſſet ſpatiū palmare antea occupatum, & in Occidente totum illud ſpatium, quod ſucceſſiuè occupat.

Non apparet implicantia, cur non poſſit à Deo moueri corpus infinitū.

Ex alia parte non apparet implicantia, cur moueri non poſſit à Deo, nam poſſet illud deſtruere, & rurſus producere, vno palmo, vel milliari propius Occidentē, quàm antea fuerat, & tunc idem abſurdum ſequeretur, quod nimirū vtrinque finiretur; quia ex vna parte eſt palmus ſpatij, in quod non protenditur; ex alia eſt totum ſpatium Occidentem verſus, quo concluditur: hæc autem reproductio eſt virtualiter motus, qua collocat corpus vbi collocatum fuiſſet per motum ſi moueri potuiſſet.

Dices, peti aliquid contradictoriū eius, quod ponitur, nimirum vt ex infinito ſpatio detrahatur vnus palmus, ſiue vt corpus infinitum relinquat vnum palmum ex parte qua eſt infinitum, quod non poteſt conuenire niſi corpori finito, alioqui etiam deduceretur, finitum fieri infinitum per detractionem eiuſdem.

Reſpondeo. Peti aliquid impoſſibile ſimpliciter, quod ſequitur expoſitione Aduerſarij tenentis infinitum, vt inde oſtendatur huius implicantia: dato enim corpore infinito Orientem verſus, quod dari poſſe contendit, petitur quod negari nō debet, vt reproducatur propius vno palmo Occidētem verſus ad inferendum contradictorium, ſcilicèt quod eſſet infinitum ex ſuppoſitione, quam impoſſibilem oſtendo ex illatione quod ſimul eſſet finitum, quia clauderetur duobus terminis, aut quod ex additione vnius palmi redderetur infinitum ex finito,

aut detractione finitum ex infinito; ad quod vitandum incommodum, intrudis te in anguſtias, & negas poſſe deſtructum corpus illud à Deo reproduci vicinius occidenti vno palmo.

XI. Sed cur non poteſt? quia, inquis linea incipiens à puncto A. & tendens in orientem habet eſſentialem neceſſitatem incipiendi à puncto A. & idẽ eſt de alijs punctis, in medio, quorum vnumquodque ita reſpondet puncto ſpatij imaginarij, vt implicet reſpondere alteri priori, vel poſteriori; & ideo ex ſuppoſitione quod reproduceretur, deberet reproduci in eodem ſitu, & eadem reſpondentia ad prædicta puncta, & non poſſet aliter.

Hæc ſola reſponſio, ſi non ſuppetit alia melior, infinitum quod ſaluũ vult, iugulat: mallem etenim illud negare, quàm quod Deus non poſſit reproducere idem corpus in diuerſo ſitu. Primò, quia ſi noluiſſet à puncto A. extendere verſus occidentem, cur non potuiſſet, ſicut verſus orientem? Non igitur eſſet eſſentialis correſpõdentia partium eius, vel punctorum lineæ ad partes, vel puncta ſpatij verſus Orientem.

XII. Deinde potuiſſet Deus producere vnam partem eiuſdem corporis, aut lineæ ſeparatam in occidente; aut certè ſicut à puncto extendit illam verſus orientem infinitè, potuiſſet ab eodem puncto extendere verſus occidentem; non ergo habet eſſentialẽ correſpondentiam ad partes, vel puncta Orientis.

Tertiò. Totum illud corpus, vel ſaltem omnes eius partes diſtributiuè poſſent per diuinam potentiam coexiſtere vni puncto ambientis extrinſeci, vel ſpatii imaginarij, quin reſponderent pluribus, vt antea; non igitur habent eſſentialem connexionem cum illis.

Nullum corpus, vel ſpiritus de facto habet conuexionẽ cum ſpatio imaginario, vel realis.

Quartò. De nullo corpore, vel ſpiritu de facto creatis dici poteſt, quod habeant hanc coenexionem cum ſpatio imaginario, vel reali; poſſunt enim mutari ab vno in alium locum, imò mundus ipſe totus transferri in aliam partem, cur ergo habeat corpus infinitum? Certum eſt enim etiam per te, quod eſſet eiuſdem ſpeciei cũ finito, quod non habet hanc connexionẽ.

Quintò. Idem corpus infinitum ſecundum longitudinem poſſet Deus in altum tollere, vel infra deprimere, cur enim hoc nõ poſſit? igitur & mutare reſpondentiam prædictã ad puncta, vel partes ſpatij determinatas. Et idem eſt, ſi columnam infinitam verſus cælum hærentem terræ, vel attolleret, vel deprimeret, aut ſi gratis id neges, in gyrum verteret.

Et ſanè mirum eſt denegari diuinę potentiæ, quod virtuti motiuæ per ſe deberetur. Finge n. columnã ferreã, vel marmoream infinitam ſecundùm longitudinem verſus cælum, & finitã verſus aerem, numquid illa non peteret centrum mundi ſicut cætera grauia? Negas, quia ſequeretur eſſe finitam intra duos terminos longitudinis; at hoc eſt abſurdum quod infertur conſiderata rerum natura, vel Diuina potentia; illa ſiquidem motum grauibus tribuit, & indifferentiam corporibus ad occupandum ſpatium hoc vel illud quantum eſt de ratione quantitatis: hæc quia poteſt producere corpora, locare, deſtruere & rurſũ eadẽ reproducere vbi vult ad libitũ, & proinde ſi daretur infinitum corpus clauderetur intra terminus, & ſic non eſſet infinitum. XIII.

Funis infinitus verſus orientẽ moueri poſſet ab aliqua virtute infinita verſus occidentem

Confirmatur, quia ſi daretur funis infinitè longus verſus orientem, mirũ eſt, quòd infiniti gigantes, vel alia infinita virtus motiua non poſſet illum trahere verſus occidentem, aut quod non rumperetur ad conatum illius, ſi moueri non poſſet. Vel ſi Deus crearet infinitam aquam, & in ea diſponeret infinitam lineam piſcium, aut aerem infinitum, & in eo diſponeret infinitam lineam volucrum, quis dicat, piſcem quemlibet, aut auem habere connexionem neceſſariam cum tali parte aquæ, vel ſpatij, vt inde moueri non poſſit? aut aquam ipſam, vel aerem immobiles eſſe, quia quælibet illorum pars eſſentialiter connectitur cum tali parte eiuſdem ſpatij?

Sextò. Poſſet idem corpus rareſieri, & condenſari ſecundùm totum, vel ſecundùm partes, & iſtæ omnes tunc mutarent reſpondentiam ad ſpatium. XIV.

Septimò. Spatium imaginarium nihil eſt, quia nec creatum à Deo, nõ igi-

Digitized by Google

igitur partes, vel puncta corporis realis nõ habent cõnexionẽ cum illo, niſi etiam cum nihilo habeãt: quis autem dixerit inter nihil, & ens reale eſſe cõnexionem realem? aut à nihilo pendere ens reale? nam neque aſſertores vbi intrinſeci, per quod putãt conſtitui res in determinata parte ſpatij imaginarij, concedere audent connexionem cum ſpatio, vt nihil eſt, ſed recurrunt ad alia vbi poſſibilia, & ad reales reſpectus præſentiæ, quia ſatis peruident, fictam eſſe connexionem inter ens, & nihil.

Octauò. Poſſet fieri alia columna, quæ ſe intimè penetraret ſecundùm totum cum hac infinita; & quidem ſecundum quamlibet combinationem partium, ita vt partibus A. B. C. vnius responderent partes A. B. C. vel D. E. F. alterius pro volũtate Dei: cur enim non poſſit hoc Deus? ergo nulla eſt certa connexio partiũ columnæ huius cum partibus vel punctis ſpatij, ergo nec alterius prioris, quia nõ eſt maior ratio de vna, quàm de altera.

Nonò. Abſcindat Angelus vnam, vel plures partes huius columnæ, & transferat aliò, hoc enim fieri poſſe facile dabis, de infiniti tãtùm translatione ſollicitus: igitur nulla pars illius columnæ habet eſſentialem connexionem cũ partibus ſpatij huius potius, quàm alterius; & ratio omnium horum à priori eſt, quia inter locabile, & locum non eſt alia connexio, quàm proportionis cuiuſdam in hoc poſitæ, quòd illud quidem occupare poſſit, hic verò occupari, hæc autem eſt in toto ſpatio, quia non magis poſtulat, aut poteſt occupari in vna parte, quàm in alia proportionatè ad rem locabilem: ſic corpus quod eſt in ſpatio A. quantum eſt de ſe aptum eſt eſſe in ſpatio B. eiuſdem dimenſionis &c.

Neque ratio infiniti tollit hanc indifferentiam, quia ſi non ſit infinitum ex omni parte, non apparet, cur magis poſtulet occupare ſpatium verſus Orientem, quàm verſus Auſtrum, aut Boream.

Confirmatur, quia ſi daretur infinitus ordo lapidum in longum diſpoſitus, vt eſt columna, vel poſſet Deus illos mutare à loco in quo ſunt, vel non poſſet. Si primum ergo & partes columnæ, quia non habent maiorem connexionem cum ſpatio, quàm lapides, qui ſunt contigui inter ſe: vel ſi, continuitas partium columnæ obſtat mutationi, diſcontinuetur, ita vt vnaquæque pars reſpondeat vnicuique lapidi, tunc non habebunt connexionem hanc, ſicut neque lapides, ergo poterunt mutari, & reproduci in alio ſpatio: reproducantur ergo vno palmo propius Occidentem, ſequetur priùs abſurdum.

Si ſecundũ, igitur nõ poterat Deus illos lapides alibi creare, & proinde neque mundum in alia parte ſpatij condere, quàm vbi nunc eſt, ſi decreuiſset creare infinitos mundos, vt potuiſset; data hypotheſi infiniti poſſibilis; hæc autem ſunt incredibilia: nam Deus non ſolùm mutationes iſtas ſituum facere poteſt, ſed etiam idem corpus ponere in pluribus locis, non tantum ſacramentaliter, ſed etiam localiter, quia non habet eſsentialem, vel neceſsariam connexionem cum vllo ſpatio.

Idem corpus numero poteſt diuinitus reperiri localiter in pluribus locis.

XV.

Ad idem pertinet argumentum cõmune de lapidibus infinitis alternatim albis & nigris: poteſt enim Deus deſtructis omnibus albis vnire omnes nigros, ita vt ſint contigui, & tunc ex vtraque parte relinquitur ſpatium, & erit infinitum lapidum nigrorum intra duos terminos.

Decimò. Omne corpus ſolidum ſiue ſecundùm omnem dimenſionem, ſiuè ſecundùm vnam ſit infinitum, & ſiue ex vna parte finitum, ſiue ex vtraque poteſt illud Deus in puluerẽ reducere, & rurſus ita cogere, & durare, vt nulla pars corporis illius ſit vbi erat antea, ergo non eſt connexa eſſentialiter cum partibus ſpatij.

Hæc, & alia plurima incommoda adigunt aduerſarios, vt negent eſſe poſſibilia Dei; quæ ratio, & communis ſenſus ſapientum reformidat denegare.

Verùm opponunt, quia hoc non eſt magis inconueniens, quàm quòd hodierna circulatio cæli reſpondeat hodierno tempori imaginario, quod tamen fatendum eſt in ſententia Ariſtotelis de facto aſſerentis mundum eſſe æternum, & S. Thom. poſſibile fa-

tentis cum alijs pluribus: nam ſi non reſponderet, ſequeretur, quòd totus motus continuus circularis infinitus à parte ante vel procederet vltra tẽpus imaginarium infinitum à parte ante, vel non occuparet totum illud.

Secundò. Si crearentur infiniti Angeli hoc ordine, vt primus haberet vnum gradum gratiæ, ſecundus duos, tertius tres, & ſic de cæteris in infinitum, & creetur vnus ſine gratia, non poſſet Deus in eo ponere illum gradum gratiæ, qui erat in primo, & in primo ſecundum qui erat in ſecundo, & in ſecundo gradum, qui erat in tertio, & ſic deinceps, quia ſic daretur tãdem vnus Angelus ſine gratia qui eſſet vltimus, quod implicat in infinito, conſequenter aſſerendum primũ gradum exigere eſſentialiter eſſe in primo Angelo, & ſecundum in ſecundo, non ergo [illegible] um eſt, quod pariter in linea infinita detur iſta neceſſaria cõnexio, & correſpondentia punctorum eius ad puncta ſpatij imaginarij, alioqui non eſſet infinita contra ſuppoſitionem.

XVI. Reſpondeo in primis, ſi illud eſſet impoſſibile, argueretur etiam impoſſibilitas mundi ab æterno, quam tenet S. Bonauentura, vt infra videbimus; ſed gratis aſſumitur, & aliunde probanda eſt hæc impoſſibilitas, quia data poſſibilitate, nulla dies eſt, vel circulatio habens eſſentialem connexionẽ cum aliqua parte temporis imaginarij, & quælibet potuiſſet per diuinam potentiam eſſe prior, & poſterior: Ecquid enim eſt tempus imaginarium, vt poſtulet eius vna pars hanc potiùs circulationem ſibi reſpondere, quàm alteram? aut quid habet vna circulatio per deſignationem numerata, & indiſtincta ab alijs continuans ſibi, vt reſpiciat hanc partem nihili potiùs quàm aliam? Et idem eſt de punctis lineæ infinitæ reſpectu ſpatij imaginarij; neque vlla ratio euincit intentum niſi abſurdum, quod infero infinitam fore, & finitam, quia moueri poſſet à ſitu, in quo eſt, vel formali motu, vel virtuali per reproductionem, aut aliam mutationem ex ſupra enumeratis.

Ad ſecundum. Si quid probaret, ad hominem valeret admittentem infinitatem Angelorum poſſibilem actu, ego illam nego cum S. Bonauentura, ſed neque ad hominem vrgeret: nam in tota illa collectione Angelorum nõ poſſent ita mutari gradus gratiæ ab vno in alium, vt veniretur ad vltimũ, ſicut neque ſi vnuſquiſque haberet vnam roſam, vno excepto, poſſet ſucceſſiuè deuenire ad vltimum, ſi illi daret primus ſuam, & huic ſecundus ſuã, & ſic in infinitum, quia infinitũ pertranſiri nõ poteſt; poſſet tamen Deus ſimul omnes illas roſas mutare ab vno in aliam ſecundùm eam combinationem quam vellet.

Imò hinc arguo contra placitum illud de connexione eſſentiali inter puncta lineæ infinitæ cum pũctis ſpatij, nam ſicut quilibet Angelus, vel homo poſſet tradere ſuã roſam cuilibet alteri, quia inter roſas, & homines, vel Angelos non eſt eſſentialis connexio, etiamſi eſſent infiniti; ita & quælibet pars lineæ poſſet reſpondere cuilibet parti ſpatij imaginarij, & nõ huic potius, quam alteri, quia infinitas quoad hoc non mutaret eſſentiam quantitatis, neque locabilitatem partium; alioqui ſi darentur infiniti homines, nullus poſſet ſe, vel manum ſuam mouere loco, neque ſi infiniti lapilli in longũ diſpoſiti, poſſet Deus aliter illos diſponere quam de facto diſpoſuerit cõtra ſuperiùs dicta, quia haberent connexionem eſſentialem cum talibus partibus ſpatij. Quãtitas infinita non mutaret ſuã eſſentiam, neque locabilitatẽ partium ſuarũ.

Maneat igitur, quod initio dixit S. Bonauentura Seraph. infinitum corpus, ſi daretur, futurum ſine pondere, id eſt ſine inclinatione ad locum debitũ corporibus, vt talis naturæ ſunt, quia tamen inclinatur ad eam partem ſpatij, cum qua habet eſſentialem connexionem, & non poſſet etiam per diuinam potentiam in alia collocari in hac ſententia, vel ſi poſſet, non euitatur incommodum, quòd ſimul eſſet finitum, & infinitum. Quæcumque autem reſponſio adhibeatur, ſi mutari loco poteſt infinitum ex vna parte, iam ſequitur claudi terminis; ſi non poteſt, neque habet pondus etiam in actu primo, quia nihil dicitur inclinari in actu primo, ad id, quod ipſi repugnat, aũt ex quo ſequitur contradictorium ipſius, ac proinde neque corpus XVII.

pus

pus infinitum dicitur inclinari ad motum in actu primo, quia ſic haberet terminum à quo, & ad quem; illum amitteret, & hunc acquireret, quod eſt contra rationem eius. Neque dicas, quòd infinitum vniuerſaliter excludit terminos, vt patet in quantitate continua, quæ ſecundùm opinionẽ probabilem habet actu partes diſtinctas, & proinde infinitas: nam argumentum procedit de infinito, ſecundùm aliquam dimenſionem, ex qua poſſint accipi partes æquales non cõmunicantes infinitæ; huic enim repugnat terminatio, quia terminari idem eſt, ac finiri; at verò infinitum ſi finiretur, eſſet finitum, vt intra cõtra admittentes infinitum duobus terminis poſſe claudi.

Ideo alij concedunt, moueri infinitum, & mutare vbi ſecundùm partes, non ſecundùm totum, vt Maior in 1. d.44.q.5. ad tertium contra ſecundam & tertiam concluſionem, ſed cum totum nihil aliud ſit, quam partes, ſi omnes partes mutant vbi, quid remanet in infinito, quod ſit in eodem vbi?

Totum nihil eſt aliud quã partes.

AX DICTIS ADVERSARIORVM

Probatur, quòd cum infinito non ſtat pondus, in quo Deus diſponit creaturas.

CAP. III.

I. Infinitum locus nullus capere poteſt.
II. Occuritur varijs euaſionibus.
III. In infinito corpore non eſſet inclinatio ad operationes.
IV. Infinitum ergo corpus ex dictis careret pondere.

XVIII. NVLLVM infinitum qua infinitum eſſe poteſt in loco, igitur non inclinatur ad vllum locum. Antecedens patet, quia locus continet locatum, & eſt eius terminus ex 4. phyſ. t.41. Infinitum autem vt ſic neque continetur, neque terminatur. Conſequentia patet, quia nulla res inclinatur ad impoſſibile ſibi, ergo neque infinitum ad eſſendum in loco. Quo ſenſu ſimpliciter (ait Ariſt. 3.phyſ. t.55.) ſi impoſſibile eſt, locum eſſe infinitum, in loco autem eſt omne corpus, impoſſibile eſt, infinitum eſſe corpus aliquod, at verò quod alicubi eſt, in loco eſt, & quod in loco, alicubi.

Infinitum, vt ſic, in nullo loco poteſt eſſe.

Ariſt.

Et t.54. omne corpus ſenſibile in loco eſt: loci verò ſpecies, & differentiæ ſunt ſurſum, & deorſum, ante, & retro, dextrum, & ſiniſtrum: impoſſibile autem eſt in infinito hoc eſſe.

Et ex alia parte eſſet graue, vel leue, & conſequenter inclinaretur ad locũ deorſum, vel ſurſum; pondus enim propenſio eſt rerum ad bonum ſibi conueniens.

Pondus eſt rerum propenſio ad bonũ ſibi conueniens.

Imò & eſſe poſſet in loco; creentur enim infiniti homines diſpoſiti per lineam à puncto A. verſus orientem, licet deneges ei locum ſecundum longitudinem infinitam, ſi tamen capilli eorum ſinguli ex omnibus conijciuntur in cumulum, erunt in loco; nam minus ſpatium occuparent, quam ſi cum illis ab eodem puncto verſus occidentem creati fuiſſent item infiniti, & conſequẽter omnes ſimul in maiori ſpatio eſſent, quam capilli infiniti reciſi ab infinitis verſus orientem, & in cumulum redacti; ambiri ergo poſſent a minore ſpatio, quam ambiretur tota collectio infinitorum hominum, & proinde reliquum ſpatij non occupati clauderet intra ſe cumulũ infinitum; quod idem eſt ac dicere, infinitum ibi finiri; vnde non extenditur vlteriùs; quæ ratio vim habet ad hominem negantem infinitum claudi poſſe terminis, & moueri qua infinitum eſt, & idcirco vt ſic non poteſt dici habere pondus, ſiue inclinationẽ etiam in actu primo, quia nulla res habet actum primum ad actum ſecundum ſibi contradictorium.

Contra illos autem, qui dicunt, infinitum moueri poſſe, & vnum eſſe poſſe maius altero, ſunt alia argumẽta partim allata, partim afferenda. XIX.

Confirmatur, quod infinitum eſſet in loco: nam ſpatium per te eſt inadæquabile cuilibet infinitæ multitudini partium determinatarum, v. gr. mundorũ, montium, &c. quia non poteſt aſſignari vlla infinitas, qua maior, & maior occupare nequeat ſpatium maius, ſicut non poteſt aſſignari tantus

tus

tus numerus partium proportionaliũ continui, quo maior & maior non ſit aſſignabilis, neque tam parua pars, qua non poſſit alia minor: igitur datur terminus vltra quem infinitum non occupat ſpatium, & ſic eo clauditur, & finitur: cur igitur non poſſit per motum nouum ſpatium occupare, vt aſſeris, vel ſi poteſt, quomodo non clauditur terminus, & finitur quod negas? nam ſicut quælibet pars continui habet ſub ſe alias partes infinities infinitas ſemper minores, in quibus poſſunt eſſe corpora infinities infinita ſemper minora: poſito ſic vno mundo, ex.gr. infinito, adhuc poſſunt locari alij infinities infiniti, & proinde qui poſitus eſt, ambitur, & clauditur ſpatio, in quo alij infiniti poni poſſent, conſequenter moueri per illud poſſet, ſaltẽ motu extrinſecus impreſſo, & non poſsent in eo moueri naturaliter grauia, & leuia, quia neque eſſet centrum, neque circumferentia, ad quæ mouerentur, & ita non haberent inclinationem, ſeu pondus; ſi enim creetur aer infinitus, ex.gr. & in eo ponatur lapis grauiſsimus, quonã deſcendet, ſi non eſt centrum? ſi enim dicas deſcendere, vt ſit infra graue, contra eſt, quia nunquam poteſt eſſe infra graue, etiamſi per totam æternitatem mouetur, alioqui vbi inciperet eſse infra, ibi terminaretur aer, & eſset finitus contra ſuppoſitionem, & infinitum pertranſiretur cõtra Ariſt. paulo poſt citandum, & contra rationem, quia in infinito ſemper reſtat aliquid vltra accipiendum tam in commoratione, quam in tranſitu.

Infinitum pertrãſiri nõ poteſt ex Ariſt.

Dices, hoc eſse per accidens illi corpori ratione infinitatis, ſicut eſt per accidens corpori Chriſti, vt eſt in Euchariſtia, moueri non poſse localiter, & circumſcriptiuè.

XX. Contra, quia hoc conuenit Chriſti corpori ſupernaturaliter, & per potentiam obedientialem, quatenus cõtinetur ſacramẽtaliter ſub ſpeciebus: non eſt autem inconueniens aliquod accidens ſupra naturam, & eius exigentiã aduenire rei creatæ, vt eſt ſubiecta potentiæ Creatoris: at verò dato corpore infinito, conueniret ei naturaliter immobilitas, quæ eſt contra aliam proprietatem naturalem, id eſt contra mobilitatem. Aut ergo dicendum eſt, corpori naturali non conuenire magis mobilitatem, quàm immobilitatem, ſed indifferenter alterutrã, prout erit finitum, vel infinitum; aut certè ſi vna cõſequitur naturam eius tanquam prima paſſio, altera erit cõtra naturam; ſcilicet immobilitas. Neque dici poterit, eſſe præter, aut ſupra naturam, quia ſupponitur, nihil eſſe miraculoſum intrinſecè in infinito, ſed tantùm extrinſecè in actione eius creatiua, ſicut eſt in creatione mundi, & proinde paſſionem, quæ ad illud ſequitur, & inſeparabiliter illud comitatur, eſſe naturalem; quomodo autẽ corpori naturali conueniat immobilitas, quæ eſt paſſio naturalis contraria mobilitati; aut quomodo conueniat mobilitas, ſiue potentia ad motũ in actu primo, cui repugnat motio in actu ſecundo? non enim valet dicere, quòd per accidẽs, quia infinitum corpus quà infinitum eſt, per te repugnat moueri, igitur non per accidens; ſicut homini quà rationalis eſt, conuenit riſibilitas, & non per accidens dicitur riſibilis.

Si verò dixeris, diſiunctiuè conuenire mobilitatem, vel immobilitatem corpori naturali, prout eſt finitum, vel infinitum, in primis eſt contra Ariſt 3.phyſ.t. præſertim t. 48. qui cũ 1.phyſ.t.24. dixerat, infinitum poſſe moueri, loquebatur ad hominem cõtra Meliſſum, non ex proprio ſenſu. Quòd autem omninò impoſſibile ſit, eſſe corpus infinitum ſenſibile, ex dictis manifeſtum eſt. Aptum eſt enim, omne ſenſibile alicubi eſſe, atque locus eſt aliquis vniuſcuiuſque, & idem eſt partis, & totius, vt totius terræ, & vnius glebæ, & ignis, atque ſcintillæ. Quare ſi ſit eiuſdem ſpeciei, aut immobile erit, aut ſemper mouebitur, atqui impoſſibile eſt: cur enim magis deorſum, quã ſurſum, aut quouis &c. Cenſet ergo Philoſophus, infinito repugnare motum, & proinde etiam mobilitatem ſecundùm quòd infinitum eſt, igitur non eſt indifferens ad mobilitatem, & immobilitatem, ſicut animal, ex. gr. ad rationale, & irrationale.

Deinde Ariſt. eandem docet eſſe rationem partis, ac totius, quoad locũ, & mo-

& motum, per quem acquiritur, non ergo peripateticum eſt dicere, quod infinitum vt ſic, eſt immobile, partes autem eius ſunt mobiles.

XXI. Denique mobilitas, & immobilitas ſunt paſſiones contrariæ, illa enim eſt inclinatio ad motum, hęc ad quietem cum repugnãtia poſitiua motus; quomodo igitur eidem naturæ ſecundùm ſpeciem conuenire poteſt vtraque v.g. terræ, aut aeri, quæ eiuſdem ſpeciei ſunt, tam cum finita, quàm cum infinita mole? neque enim infinitas mutat ſpeciem rei finitæ, cui aduenit, ſed ſolùm addit negationem poſitiuo, vt S. Bonauentura in 1. d. 43. a. q. 2.

Præterea concedunt, qui infinitum defendunt, corpus ſphæricum, ſi daretur, circulariter non poſſe moueri, quod etiam docet S. Thom. 1. p. q. 7. a 3. nam alioqui tranſiretur infinitũ, quod fieri non poſſe, vt certum aſſerit communis opinio cum Ariſt. 3. phyſ. t. 41. & 6. phyſ. t. 19. & 9. phyſ. à t. 67. quicquid Maior. in 1. d. 44. q. 4. cõcl. 1. quia ſicut in numeratione partium infiniti ſemper eſt accipere partẽ poſt partem ſine fine, ta & in tranſitu ſemper partes tranſeundæ ſine fine. Iam verò dato corpore ſphærico infinito, ſi protrahantur à quouis puncto medij duæ lineæ, quantum poſſunt protrahi in infinitum, diſtarent ab inuicem, quia quanto magis elongantur à communi puncto, eò magis diſtant, & proinde infinitè, quia infinitè protrahuntur, & diſtant. Igitur vna nunquam perueniet ad locum alterius, quia erit diſtantia infinita, per quam oportet fieri motum eodem tempore, quo peragitur diſtantia breuior inter eaſdem lineas eò ſemper minùs diſtãtes, quò magis propinquant centro. Igitur non ſolum corpus infinitum motu recto moueri non poteſt, quia nec locum acquirere per poſitiuam inclinationem ad illum; ſed neque per paſſiuam aptitudinem ad recipiẽdum motũ ab extrinſeco, dato, quod ab eo tantùm moueri poſset, & non ab intrinſeco principio corpus circulare; nam ſi poteſt etiam à propria forma, vt multi de Cœlis autumant, magis etiam appareret inconueniens, quia illa immobilitas repugnaret naturæ corporis illius vt principio motus. Quare cum infinito corpore non ſtat pondus, in quo Deus diſponit omnia.

S. Tom. Ariſt.

Dices, etiam ſublata inclinatione ad motum localem, adhuc diceretur facta in pondere creatura infinita reſpectu inclinationis ad alias actiones.

Contra oſtendo, quòd in infinito corpore non eſſet põdus ad alias operationes. Detur enim magnitudo corporis alicuius vndequaque infinita, v.g. ignis, vel augeri poteſt, vel non per additionem partium eiuſdem naturæ: ſi poteſt. Contra, ergo non fuit vndequaque infinita, contra ſuppoſitionem, quia infinitum vndequaque nõ poteſt excedi, nec magis creſcere, alioqui non haberet omnem magnitudinem; ſi non poteſt, ſequitur, quod infinitus ignis non combureret ſtupam, quam illi Deus iuxta vel infra crearet; nam ſic augeretur, & tamen hoc deuorãdum eſt ex tuis principijs, quod infinitum tale non poteſt augeri. Certè ignis à parte ſua ſecundùm extenſionem non habet ſtatum, ſed tantum à combuſtibili. XXII.

Infinitum vndequaque excedi, nec augeri poteſt.

Dices, poteſt creari ſtuppa, & alia combuſtibilia non extra prædictum corpus, ſed intra penetratiuè ſe cum illo habentia, vt Mayron. in 1. d. 43. quæſt. 1. & Arim. q. 4. a. 2. 4. quos ſequitur Faſ. 1. p. q. 7. a. 3. dub. 4. num. 10. quia vt Dur. in 1. d 43. q. 2. nu. 16. & in 2. d. 1. q. 3. num. 21. idem corpus per additionem debet excreſcere; quid enim aliud eſt, fieri maius quantitatiuè, niſi quantitatem addi quantitati, ita vt vna ſit extra aliam? In dato autẽ caſu vel ſtuppa penetratiuè ſe habens cum igne infinito cõburitur, & in ignem vertitur, & ita ignis augetur; vel non comburitur, & ita ignis ob infinitatem amittit vim combuſtiuam, ſeu calefactiuam, quæ ſi naturalis eſt igni, & ab infinitate impeditur, infinitas eſt contra naturam ignis. Dicere autem, quòd tũc combureretur ſtuppa ſine incremento ignis, eſt miraculum adſtruere nõ minus quam quod in medio ignis infiniti, intacta, & frigida permaneant. Miraculum item eſſet, quod noua quantitas, quæ acquireretur, eo caſu penetraret ſe cum antiqua ignis conuertentis in ſe ſtuppam; hæc enim penetratio naturaliter

Arimin. Duran. Faſol.

ter impoſſibilis eſt non minus cum corpore infinito, quam cum finito, quia in vtroque eſt eadem ratio impenetrabilitatis, corpus videlicèt quantum, preterquam quod gratis videtur fingi talis penetratio ad vitanda incōmoda infiniti, vt infra videbimus.

Interim ex hoc eodē placito, quod dato ſemel vno corpore vndique infinito, non poſſent alia creari finita, vel infinita, niſi penetratiuè cum illo, probo intentum principale ablatum iri pondus, ſeu inclinationem naturalem rerum corporearum, & proinde eſſe impoſſibile; nam dato aere infinito ex.gratia, ſi crearetur infinitus ignis, & infinita aqua ſe penetrantia, in primis non mouerentur localiter, quia non daretur ſupra, vel infra ſurſum, & deorſum, ad quæ tenderent; ſi enim ſupra infinitum aliquid eſſet, vel infra illud, daretur terminus infiniti, ad quem perueniret mobile, etiā infinitum clauderetur, & pertranſiretur contra ſuperiùs dicta. Deinde neque exercerent vllas operationes alias naturales calefaciendi, frigefaciendi, &c. quia illud elementum, quod fortiùs ageret, tandem debiliùs in ſe conuerteret, vel augeretur ſecundùm molem, vel minueretur; non hoc ſecundum; tum quia quod aliud in ſe tranſmutat, non minuitur, tum quia quod vndequaque minuitur, relinquit ſpatium, quod antea occupabat ſub maiori mole, & eo clauditur, ac finitur. Sed neque augeri poteſt, quia ſupponitur corpus vndequaque infinitum augeri non poſſe, neq; fieri additio ipſi, niſi penetratiuè. Ponere autem actionem ſine rarefactione, vel condenſatione corporum agentiū in ſe per contrarias qualitates, eſt ponere actiones miraculoſas, & auferre natuuales, & inclinationes agentium.

XXIII. Simile inconueniens ſequitur, ſi ponatur, quod creata magnitudine infinita vndequaque, aere, verbi gratia, Deus illam deſtruat, & tot animalia, vel plantas creet occupantes illud idem ſpatium, quod occupabat aer, moueri enim non poſſunt, neque augeri, vel creſcere; nam ſi creſcant, occupabunt ſpatium maius, & tamen ex ſuppoſitione fuit illud ſpatium maximum; ſi moueantur motu progreſſiuo, ita vt nullum ex illis ſit, quod quieſcat, perueniēt ad terminum, in quo non erant; & tamen ſupponitur nullus extare locus, aut terminus, qui poſſit acquiri.

Neque valet dicere, hoc eſſe per accidens ratione infinitatis, cum per ſe corpora illa retineant in actu primo virtutem operatiuam, & inclinationem licet impeditam; nam hinc potius infertur impoſſibilitas infiniti in corporibus, non ſolùm quia repugnat ipſorum naturæ; ſed etiam, quia trahit ſecum contradictoria, quod videlicèt eſſent infinita ex ſuppoſitione, & finita ex eo, quod terminis clauderentur, quia corpora quantumuis multiplicata retinent ſuam inclinationem naturalem, & operationes aliquas, ex quibus deducitur, non eſſe infinita, vt ſupponuntur, vt patet ex dictis. Corpora quātumuis multiplicentur ſuam retinēt naturalē inclinationē.

Et confirmatur adhuc; nam per te dari poteſt magnitudo infinita nō occupans omne ſpatiū imaginabile, verbi gr. ſi dentur infiniti homines, minus ſpatium occupant manus infinitæ, quam reliqua corpora, cuius ſunt partes, igitur vnum corpus infinitum acquirere poteſt, & relinquere ſpatium per motum; clauditur ergo hinc inde terminis, v.g. ſemipalmo, quem relinquit, & ſemipalmo, quem acquirit.

Dices, non poſſe creari infinitam multitudinem rerum materialium ſimul exiſtentium, niſi penetratiuè ſe habentium, licèt poſſit quęlibet multitudo finita maior, & maior.

Sed contra, quia res materiales nō repugnant inter ſe, neque deeſt capacitas ſpatij imaginarij, in quo poni poſſint res materiales infinities infinitæ, ergo. Sed de hoc etiam infra agetur.

Atque ita patet, quod infinitum corpus eſſet ſine pondere, ac proinde repugnans potentiæ, ac ſapientiæ Dei, qui omnia facit in pondere.

Pro maiori autem dictorum explicatione reſumenda probatio eſt, & oſtendendum, quod infinito repugnet menſura, & numerus, & proinde, quod ſit impoſſibile.

QVOD

QVOD INFINITO

Repugnet menſura.

CAP. IV.

I. Menſura, & menſurabile relatiuè dicuntur, ſed non mutuo.

II. Oſtenditur, quod infinitum menſuræ non eſt capax ex auctoritate, & ratione ex varijs caſibus petita.

III. Aeternitati infinitas aliqua reſpondet.

IV. Infinitum caret figura, & ex alia parte probatur, quod eſſet menſurabile, & terminabile carens termino.

XXIV. MENSVRA, & menſurabile ſunt relatiua, non quidem mutua, vt patet ex S. Bonau. 1. ſent. d. 30. a. vn. q. 3. ad argum. & ex Ariſt. 5. Metaph. c. 15. ſed tamen mutuò ſe inferentia; menſura enim alicuius menſura eſt, & menſurabile per aliquam menſuram, eſt menſurabile: ratio autem menſuræ in hoc cōſiſtit, vt per eam ſciatur, quanta ſit, vel determinata moles, vel determinatus numerus, vel determinata virtus. Mēſurabile verò, quod per eam innoteſcere poteſt, quantum ſit. Iam verò infiniti nulla poteſt dari certa dimenſio: ſi enim in quantitate continua infinita aſſignentur centum palmi, vel mille, vel milliones, non eſt menſurata, neque ſi rurſus in infinitum quælibet alia menſura, & idem eſt de diſcreta, cuius menſura eſt vnitas, vt S. Th. 1. p. q. 11. a. 2. 1. quantumuis enim replicetur vnitas, nunquam menſuratur infinitus numerus, quia quolibet aſſignato poteſt aſſignari maior; vnde etiam ſumitur argumentū contra infinitum in multitudine, quia proprium vnitatis eſt conſtituere numerum certum, ac determinatū, cuius menſura ſit, non ergo poteſt indeterminatum, qualis eſſet multitudo infinita, ſi daretur.

S. Bonau. Ariſt.

S. Thom.

Quo pertinent rationes aliorum ex D. Th. 1. p. q. 7. a. 4. & quodl. 9. q. 1. ar. 1. omnem quantitatem ſpecificari per terminationem, v. g. per bicubitum, tricubitum, & diſcretam per duo, tria, & ſic de alijs per vnum menſurabilibus; infinitum autem terminari non poteſt, nec numerari qua infinitum eſt; vnde nec numerus eſt ex 5. Met. t. 18. vbi numerus dicitur multitudo finita: numerabile enim eſt numerus, aut habens numerum 3. Phyſ. t. 41. Ariſt.

Si ergo Deus nihil poteſt facere ſine menſura, & numero, nec poteſt infinitum, de cuius ratione eſſet carentia numeri, & menſuræ.

Secundò. Ex vna parte infinitum ſi daretur, eſſet ſine menſura, ex alia eſſet menſuratum, & limitatum, ergo implicat; & de numero quidem patet ex dictis, quod eſſet limitatus, & illimitatus, ſi admittatur infinitus, & proinde non eſſet numerus, quia hic ſupponit menſuram, vt S. Bonauent. loco cit. de magnitudine verò probatur: dentur enim infiniti mundi, in quorum ſingulis ſit granum millij, certum eſt, ſi aggregentur in vnum cumulum, omnia hæc grana facere infinitam molem, quia ſunt infinita, atque longè inferior eſt in magnitudine, quam omnes mundi infiniti ſimul, ergo cumulus infinitus ex granis limitatus eſt, & habet menſuram certam, ſecundùm quam exceditur a mole infinita mundorum illorum; & tamen de ratione infiniti eſt non excedi, quia in quo exceditur, finitur, & non eſt in eo plura accipere ſine fine; igitur menſuratur, & non menſuratur; & certū eſt, quod in tanta proportione excedit, quantus eſt exceſſus magnitudinis mundi ſupra magnitudinem grani milij. Et idem eſt de infinitis aquæ guttis, ſi comparentur infinitis dolijs vaſtæ capacitatis; ſi enim illæ omnes coaleſcant in vnum aquæ corpus longè minus ſemper hoc erit vaſtitate doliorum ſimul ſumptorum; & proinde ab illo nō poterit repleri.

Numerus menſuram ſupponit.

Et nihilominus argumentum videtur conuincere, quod ſi aqua illa ſit infinitæ molis menſura carere debeat, & proinde potens replere omnia dolia; nam ponamus, quod ſingula capiant mille, vel centum, vel centum millia guttarum aquæ, infinitæ guttæ ontinent infinita millia guttarum quæ, & infinita centena millia earū- XXV.

Digitized by Google

dem; ergo in infinitis guttis aquæ sũt infinita dolia aquæ. Sic ferè arguunt Aegid. in 2.d.1.p.1.q.2.§.ſed huic deceptioni, Maior. in 1. d. 44. q. 3. cit. Nec diſſentit Greg. ſupra cit. concedens, quod corruptis alternatim infinitis lapidibus in linea infinita, qui remanent, cum ſint infiniti, tantumdem ſpatij poſſunt occupare: concedit id Vazq. d.26.c.3.n.22.ex infinito verſus vnam partem poſſe fieri aliud infinitum ex alia parte, & ex vtraque vnum infinitum, neq; hinc ſequi vnũ infinitum ſeipſo fieri maius, aut maius ſpatium occupare, quia maius, aut minus non conuenit infinito; neq; quod fieri poſſit infinitum ex omni parte in circuitu, quia additio ſolum fieri poſſet, diuiſione facta, ſecundum proportionem ex ſingulis quantitatibus, quæ non poſſet fieri in infinitum, ita vt omne ſpatium repleretur: quod vltimum dictum verum eſt; ſed non conſequenter ad prius, cur enim poſſit hinc inde fieri infinitum, & occupare infinitam longitudinem ex eo quod infinitum eſt, quod diuiditur, & nunquam finiri poteſt diuiſio partium æqualium, & non poſſit in circuitu? Sed & primum nimis durum videtur alijs, & repugnans lumini naturali iudicanti ex ablatione quantitatis ab aliquo corpore fieri illud minus, quàm eſſet antea, & occupatiuum minoris ſpatij, & non ita augeri corpus per additionem partium paruarum, quam per additionem magnarum, ſiue finitum illud ſit, ſiue infinitum: quis enim credat infinitatem mundorum non magis creſcere, aut minui additione, aut detractione vnius millionis mundorum integrorum, quàm vnius ſtellæ ex ijs, quæ in ipſis ſunt; & quamuis dictis auctoribus videatur in his, & ſimilibus figmentis ſtandum ab intellectu imaginatione ringente; nihilominus alijs viſum eſt conuenire in hoc potentiã vtramq; quod ſit ſupra captũ; & verum eſſe, quod deuorant iſti in gratiam infiniti: reſpondentque ipſimet in infinitis vnitatibus guttarum contineri infinitos millenarios; ſed ſemel, & inadæquatè infinitos, & contentos in vna tantum infinitudine; cũ tamen ad replenda dolia infinita requirantur infiniti millenarij nõ ſemel, ſed millies, vel centies millies infiniti: Ita enim ſe habent infinita dolia reſpectu infinitarum guttarum, ſicut ſe habent infiniti millenarij reſpectu vnitatum infinitarum.

Aegid. Maior. Gregor.

Vazq.

XXVI. Sed neque hæc reſponſio ſatisfacit, quia in quolibet infinito continentur infinitæ infinitates binariorum, denariorum, centenorum, &c. & ideo argumentum euincit, tantum ſemper ſupereſſe aquę, quantum neceſſarium eſt ad omnia dolia implenda; nam ablatis infinitis millenis guttarum aquæ ex corpore illo, adhuc remanẽt infiniti centeni millium; idque etiamſi in infinitum auferantur, igitur non ſemel tantum continentur milleni. Antecedens patet, nam non poſſunt eſſe infiniti milleni, quin ſimul ſint infiniti milliones; igitur ablatis millenis infinitis, non auferuntur omnes guttæ; ſicut neque ablatis decem a mille, auferuntur omnes mille.

Probatur antecedens, quia quodlibet infinitum continet milliones non finitos, ergo infinitos, non poſſunt ergo eſſe infiniti milleni etiam ſemel, quin ſimul ſint in ea multitudine infiniti milliones; imo & infiniti milliones millionum, quia neque milliones millionum in infinita multitudine sũt finiti, alioqui infinitum componeretur ex finitis determinatis; igitur ablatis millenis infinitis guttis ex infinito corpore aquæ conſtante infinitis millionibus millionum guttarum, remanent millenæ millies infinitæ ad replenda dolia, & negandum, quod in infinitis vnitatibus guttarum contineantur ſemel tantum, & inadæquatè infiniti millenarij, & quod infinita dolia ita ſe habent reſpectu infinitarũ guttarum, ſicut ſe habent infiniti millenarij reſpectu vnitatum infinitarũ, quia in qualibet infinitate vnitatum continentur non ſemel, ſed millies, & centies millies in infinitum millenarij; quæ quia portentoſa ſunt, portentum habent, à quo manant, infinitum. Neque in hoc exemplo locum habet reſponſio cum diſtinctione recentiorum quorundam aſſerentium in duobus huiuſmodi infinitis vnum quidem habere plura reſpectu correſpondentiæ, quia in aſſignandis partibus, vel vnitatibus totidem reſpondent inuicem

cem infiniti maioris, & minoris, non valet (inquam) hæc diſtinctio, quia ſiue correſpondeant guttæ dolijs, ſiue non, infinitæ cum ſint, non tot partes habent continentiæ, quia infinitũ doliorum habet plures, & eſt maius, igitur ſi Deus deſtructa aqua infinitorum doliorum transferat guttarum infinitatem in dolia, replebuntur ab illa, ſicut ab aqua deſtructa replebantur, ac proinde quælibet gutta replebit dolium.

XXVII. Tertiò. Locus eſt menſura locati, quia ſicut per menſuram determinatur, & innoteſcit certa quãtitas menſurati propter ęqualitatẽ vtriuſq; indicatam menſura, ita & per locum determinatur quoad nos, & innoteſcit magnitudo locati corporis, quatenus continetur à loco, & vltra illum non extenditur. Impoſſibile enim eſt (ait Ariſt. 3. Phyſ. t. 49.) non æquari locum & corpus; neque enim locus omnis maior eſt, quàm quantum contingit corpus ſimul eſſe: ſimul autem neque infinitum erit corpus, neque corpus maius, quàm locus; quæ ratio peculiaris eſt de corpore infinito, quod poſſibile dicunt Auctores iſti; ſed applicari poteſt cuilibet infinito; nam menſuræ in vniuerſum conuenit, vt vel ſimpliciter, vel multoties replicata adæquet menſuratum; ad hoc enim adhibetur, vt cognoſcatur, quantum illud ſit; infinitum autem non eſt tantum, quin ſit adhuc maius; neq; iccirco cognoſci poteſt, quantum ſit, quod eſt eſſe immenſurabile, ſeu inadæquabile per menſuram.

Ex Ariſt. eſt impoſſibile non æquari locum, & corpus locatum.

Confirmatur ex tex. 41. excluſerat infinitum à loco, quia locus eſt terminus continens locatum: Infinitum autem nec terminari, nec contineri ab alio poteſt; conſequenter neque figuram habere poteſt, quia de ratione figuræ eſt, vt terminet quantitatem: Infinitum ergo eſſet, & finitum terminis, quod implicat: quare Ariſt. 1. cęli t. 39. docet impoſſibile eſſe dari quadrangulum infinitum, aut circulum, aut ſphæram, &c.

Ideo Auctores infiniti docent, mũdum quidem potuiſſe eſſe ab æterno; ſed nõ potuiſſe Deum ſingulis diebus creaſſe vnum quadrangulum, aut orbem ſemper maiorem altero, quia iam eſſent infiniti, & infinita multa figurata, id eſt terminata; quia qualibet die aſſignabili ante, & ante orbis ille eſſet infinitus; & tamen ſẽper adderetur maior & maior cõtra rationẽ infiniti, vt Greg. in 2. d. 1. quæſt. 3. a. 2. 8.

Verumtamen admiſſa ſemel poſſibilitate infiniti, & æternitatis mundi, ægrè vitantur incommoda ex hoc etiam capite petita, quæ figuratum, & menſuratum oſtendunt, quod quia repugnat infinito, ideo Ariſt. impoſſibile dixit eſſe infinitum in magnitudine, quod in aliqua ſpecie quantitatis eſſe deberet bicubiti, tricubiti, pedalis, quæ tollunt infinitatem.

Cæterùm ſi potuit mundus condi ab æterno, cur non potuit etiam ſingulis diebus creari ſphæra ſemper maior & maior? quia inquis, iam eſſent infinitæ, vel ſaltem aliqua ſphæra infinita; & nihilominus figurata & terminum haberet, Atqui hoc eſt abſurdum, quod ex infinito deduco, & tu pro ratione vteris: non enim apparet, cur non potuerit Deus ſingulis diebus, vel horis creare orbem ſẽper maiorem, ſicut potuit rem quamlibet creabilem, niſi quia infinitum implicat, & proinde etiam æternitas creaturarum, cui neceſſario aliqua infinitas eſt annexa. Sanè ſi ſingulis diebus potuiſſet creare Angelos, cur non potuiſſet etiam aſſignare ſingulis orbem ſemper maiorem, aut ſimul concedere bicubitum, vel tricubitum ſemper maius? Propterea enim ſolum ob id negant, quia eſſent corpora illa infinita, & tamen terminata figuris, quod pro abſurdo inferimus ad negãdum infinitum corpus. XXVIII.

Aeternitati creaturarũ neceſſario aliqua infinitas eſt annexa.

Sed vlterius quæro ab iis, ſi non potuiſſet Deus ſingulis diebus creare orbem, ſicut & Angelũ, poſito quod ab æterno creaſſet vnum, quantum temporis intercedere oportuiſſet à creatione primi ad creationem ſecũdi? non menſis, non annus, aut quodlibet aliud finitum interuallum; quia inter incæptionẽ rei æternæ, & quodlibet creatum intercesſiſſet menſis, vel annus; quod implicat, quia de eo, quod incæpit ab æterno, nunquam verum eſt dicere, quod incæpit aute menſem; ſic enim æternitas haberet

principium, & idem eſt de quolibet finito tempore; igitur à prima creatione ad ſecundam oportet intercesſiſſe æternitatem: debuiſſet ergo neceſſariò expectare per æternitatem, antequam crearet ſecundam rem poſt primam æternam; idque non defectu potentiæ creatiuæ, ſed creaturæ, quã ſine interruptione dierum per totam æternitatem implicat produci; neque tamen alia repugnantia aſſignatur, quam quæ impugnat infinitum, quia ſcilicèt inde manifeſtè deducitur, idẽ ſimul infinitum fore, & finitum, quia terminatum. At ſatius eſſet negare rẽ aliquam produci poſſe ab æterno, & infinitum eſſe poſſibile, quod æternitas, & infinitas ſint proprietates incommunicabiles creaturæ, vt cum S.Bonau. infra dicemus, quam illis admiſſis diuinam potentiam quodammodo arctare ne per æternitatem producere quicquam valeat ex ijs, quæ ab æterno produxit, lapſa verò æternitate poſſit, licèt prius & prius in infinitum potuerit; quæ enim mutatio fieri intelligatur, aut in Deo incommutabili, aut in creatura mutabili quidem, ſed per æternitatem à Deo non mutata, vt quæ per infinitam durationem de ſuo nihilo extrahi minimè potuerit, poſt illam durationem poſſit, ſiquidem ante illam ab æterno per te potuit?

XXIX. Præterea ſi potuit ab æterno produci linea, potuit & triangulum hac ratione vt duæ lineæ ab vno puncto ductæ, & ab eodem ſemper magis diſtantes; & proinde nunc infinitæ iungantur linea tranſuerſa; ſi enim illæ duæ recta produci potuerunt, cur nõ etiam hæc tertia, quæ vtramq; coniũgat, & compleat triangulum? atque ita dabitur infinitum triangulum contra Philoſophum ſupra negantem infinito figuram, & contra rationem, quia omnis figura eſt terminus quantitatis, cum tamen infinitum termino careat, atque ita ſit immenſurabile, ſeu inadæquabile menſura vlla.

Data autem hypotheſi infiniti triãguli, in eo ſunt infinitæ lineæ, & infinitæ à latere ad latus; Inter finitas verò aliqua eſt omnium maxima, qua nulla maior eſt autẽ inter illã; & infinitam non datur diſtantia, niſi duorum punctorum; ergo non eſt infinita, quia diſtantia finita addita finitæ, non reddit infinitam, neque immenſurabilem.

Neque valet dicere, quod datur aliqua maxima, ſed indeterminata, quia quælibet aſſignata in particulari eſt minor illa, & nulla eſt aſſignabilis determinata; quæ immediatè excedat illam infinitè; nam de illa indeterminata verum eſt, quod ſit omnium finitarum maxima, quia in triangulo nullæ finitæ ſunt æquales ductæ à latere ad latus; & ideò inter finitas vna eſt maior cæteris; & rurſus non fit tranſitus ab angulo, ſeu puncto, quo deducuntur latera ad baſem in lineis tranſuerſalibus à minore ad maiorem niſi per diſtantiam finitam; igitur ab vna maxima finita quæcumque illa ſit determinata, vel indeterminata non deſcenditur ad infinitatem, niſi per finitam diſtantiam, quæcumq; & vbicumque ſit infinita poſt finitam maximam: Cui argumento non ſatisfit per diſtinctionem determinatæ, & indeterminatæ lineæ finitæ maximæ & infinitæ non aſſignabili determinatæ; quia ſi aliqua eſt, vt eſſe debet in tota collectione maxima, ſine dubio videtur à Deo, qui etiam videt inter maximam, & infinitam poſt maximã non dari infinitam diſtantiam; quare infinitæ eſſent lineæ poſt maximam finitam, & nulla eſſet infinita, quia nulla in particulari habet infinitam diſtantiam: ſi enim aliqua, vel erit immediatè poſt finitam, & hoc non, quia diſtantia immediata finitæ finita eſt, vel mediatè, & neq. hoc dici poteſt, quia mediata diſtantia continet lineas infinitas ſecundum numerum, & nulla ex ipſis poteſt eſſe infinita ſecundum longitudinem, quia diſtantia, quæ ſequitur ad maximam finitam versùs baſim non eſt infinita: Si enim linea A. indeterminata maxima finitarum, immediatè poſt illam aſſignetur diſtantia aliqua, v. gr. palmaris, quam Deus videt, in ea nulla linea eſt infinita: & idem eſt de omnibus alijs diſtantijs vſque ad baſim, quia ſemper aſſignatur finita diſtantia inter punctum A. & alia puncta, puta duorum, trium, quatuor palmorum, & parum refert, quod indeterminatorum, quia

inde-

indeterminatio non tollit finitatem,& ideo ſic licet arguere. A puncto indeterminato lineæ infinitæ verſus baſim ad determinatum punctum in eadem,nõ eſt diſtantia infinita, ſed finita, v. gr. centum mille palmorum; ergo à pũcto A. indeterminato lineæ maximæ ad determinatum quodlibet versùs baſim diſtantia eſt finita.

Antecedens patet, quia inter duo puncta non clauditur infinitum per ſe, & non refert, quod ſit indeterminatum,quia realiter finis eſt, vel principium, & ipſi reſpondet alterum punctum ſimiliter claudens lineam intermediam, ergo iſta finita eſt; & proinde cum diſtantia iſta linearum inter duo puncta linearum lateralium in tranſuerſum ductarum eſt finita, lineæ etiam ipſæ poſt punctum A. deductæ ad latera finitæ ſũt, & eò maiores, quò magis propinquant baſi,ergo linea à puncto A. non eſt maxima omnium finitarum contra ſuppoſitionem; nulla igitur inter finitas erit omnium maxima: Et tamen,quia omnes eò ſunt longiores, quò magis recedunt à puncto contactus, & propinquant baſi, non poſſunt eſſe pares, neque omnes infinitæ, ſed oportet partem earum eſſe finitam, & inter iſtas maximam: At hoc etiam impoſſibile eſt, quia poſt illam etiam indeterminatè ſumptam non ſequitur versùs baſim diſtantia infinita in lateralibus, & iccircò neque vlla infinita inter ipſas comprehenſa, ſed finitæ in infinitum ſemper maiores, quia habet poſt ſe maiores & maiores licèt indeterminatas.

XXX. Ex qua eadem hypotheſi ſequitur, infinitas fore tranſuerſales maiores & minores, quia non tot ſunt aſſignabiles poſt baſim, quin plures poſſint in infinitum aſſignari versùs punctum concurrentiæ ſemper minores, atque ita daretur infinitum maius, & minus; quia quò propinquior eſt baſi linea inter duo latera conſtituta, eò maior eſt, & quò remotior, eò minor, quia ſemper minuitur latitudo versùs punctum prædictum; & quia vna comparari poteſt ad alteram lineam ſecundũ exceſſum, quem habet ſupra illam, menſura illius eſſe poteſt, & indicare exceſſum, vel defectum ipſius ab alijs

Quo eſt linea propinquior baſi inter duo latera cõſtituta & maior eſt & quo remotior eo minor.

lineis tam ſuperioribus, quàm inferioribus; tantò enim exceditur longitudine linea A. C. à linea B. D. quantò proportionaliter excluditur linea eadem A. C. à linea A. C. C. D. proinde linea B D. erit duplò maior, ex. gr. quàm linea A. C. atque omnes lineæ versùs baſim menſurabunt ſuperiores versùs D. & vice verſa ſuperiores replicatę menſurabunt inferiores etiam infinitas, & ſic infinitum erit menſurabile, quia per comparationem cum alio infinito innoteſcet quanto ſuperetur,vel deficiat ab illo; & rurſus erit immenſurabile, quia de ratione infiniti vt ſic eſt carere menſura, & termino.

Et quod dico de infinito in magnitudine, idem dico de infinito in multitudine; nam in palmis finitis lineæ D.F. infinitæ oportet eſſe numerum maximum finitum reſpondentem magnitudini maximæ finitæ,qua nulla eſt maior, & inter hunc, & infinitum nõ datur diſtantia numerorum, niſi finita, & quidem per vnitates conflata, quarum duæ, tres, quatuor, &c. additæ maximo numero, non reddunt illũ infinitum, ſed tantum maiorem contra ſuppoſitionem, quod eſſet maximus finitorum, atque ita hæc ſequuntur incommoda; primò dari numerũ maximum finitorum palmorum: Secundò,hunc rurſus non eſſe maximũ, quia augetur in infinitum: Tertiò, à finito tranſiri ad infinitum per augmentum finitum: Quartò, ſuperari infinitum ab infinito quà infinitum eſt: ſunt enim lineæ infinitæ longitudinis ſecundùm numerum infinitæ in triangulo infinito,& ſunt etiam numeri infiniti, & tam iſti, quàm illæ maiores, & minores, ſecundùm diſtantiam à puncto D. & baſi F. G. quæ cum ſint impoſſibilia, & contra rationem infiniti aſſerendum eſt potiùs infinitum implicare, quam admiſſa poſſibilitate negare,quod poſſint produci illæ lineæ infinitæ, vel totæ ſimul, vel per partes ab æterno aucta ſingulis diebus longitudine vnius, vel decem palmorum in vtraque linea laterali, & ducta tranſuerſali ab vno ad alterum punctum ipſarum.

Eadem ratio militat in magnitudine, quam de infinito in multitudine

Neque hic locum haberet reſponſio, quod non ſunt concipiendæ lineę infi

infinitæ ordinatæ vna poſt aliam, nec diſtinctæ vna ab alia; nec proinde vt ſeparabiles; ſed veluti intermiſtæ partibus maioribus, & minoribus indeterminatis, & infinitis, & inaſſignabiliter; ac propterea nec poſſe aſſignari terminum; ſicut & in infinitate partium proportionalium continui finiti eſt multitudo partium indeterminatarum in minoritate, ideſt minorum, & minorum ſemper inaſſignabiliter, hoc inquam, non valet in propoſito, quia lineæ omnes tranſuerſales ſunt diſtinctæ, & impermiſtæ, & vna ſeparata ab alia, & habent certum exceſſum inter ſe, & nihilominus terminātur hinc inde à duabus lateralibus.

Et hæc argumenta non ſolùm probant à Deo cōditore facta eſſe omnia in numero, pondere, & menſura, quia ſcilicet de facto creaturas omnes tam corporales, quàm ſpirituales in certo numero produxit cum determinata virtute, & proportione vnius ad alteram, vel ſupra alteram, tam partis ad partem, quàm totius ad totum, vel eiuſdem ſpeciei, vel differentis; ſed oſtendunt etiam ex parte creaturarū repugnare infinitum tam in magnitudine, quàm in numero, & proinde etiam in intenſione, ſeu perfectaione, tam accidentis, quàm ſubſtantiæ, pro cuius explicatione maiori.

COROLLARIA

Præcedentis doctrinæ ex S. Bonauentura.

CAP. V.

I. *Implicat, quod omne poſſibile ſimul actu exiſtat.*

II. *Neque tamen eſſet exhauſta potentia Dei ex productione omnis poſſibilis, & adhuc infinitè diſtaret à Creatore.*

III. *In tali ſuppoſitione adhuc remaneret in diuino exemplari aliquid imitabile.*

IV. *In quacumque ſuppoſitione creaturarum producibilium, vel productarum, nunquam eſſet adæquatio cum Creatore.*

PRIMVM eſt. Omne poſſibile ſimul actu exiſtere implicat contradictionem. Eſt S. Bonauēt. in 1.d.43.a.1.q.3. ad penultimum, Alenſ. 1.p.q.21. memb.2. S.Thom.1.cont.gent.c.69.n.4.& in 1. ſent.d.44.q.1.a.3. 4. Suar.to.1. in 3.p. diſp.32.ſect.1. & aliorum etiam, qui infinitum admittunt, Greg.in 1.d.17. q.6. 1.Mayr.in 1.d.43.q.10.a.1.& aliorum apud rec. contra Vazq. 1.p.diſp. 26.c.3. & alios paucos; & quidem in ijs, quorum eſſentia potentialitatem exigit, clarum eſt; motus enim localis ex.gr. & tempus ſucceſſiua ſunt, & ideo tota ſimul eſſe non poſſunt, & continuum diuiſibile eſt in partes proportionales ſemper minores in infinitum; ideo nunquam poſſunt omnes ſimul eſſe actu diuiſæ, quia vel eſſent indiuiſibiles, & quantitas reſolueretur in indiuiſibilia; vel adhuc indiuiſibiles, & ita non eſſent omnes actu diuiſæ. In alijs, quæ non inuoluunt ſucceſſionem, non eadem ratione omnes probant. XXXI. S.Bonau. S.Thom. Alenſ. Suar. Greg. Mayr. Vazq.

Aliqui probant à diſtantia entitatis & participabilitatis diuinę à re creata quæ diſtantia fundatur in eminentiſſima perfectione diuinæ naturæ, quæ infinitè ſuperat effectum illum, & ideo ab alijs etiam eſt imitabilis, & participabilis; hanc autem diſtantiam implicat adæquari à quibuſcumq; creatis, ergo implicat etiam eſſe actu omnia creabilia: quę ratio habet fundamentum in S.Th.2.cont.gent c.26.aſſerentem infinitum ſecundum eſſentiā, qui eſt ſolus Deus, quantalibet additione finitorum facta adæquari non poſſe, &c. vnde infert eſſe poſſe rationem plurium effectuum ſemper in infinitum, & lib.1. c.69 n.4. diuinum exēplar adæquari non poſſe, & ſemper aliquid remanere, quod imitari poſſit ipſum exemplatum creaturæ. Si ergo implicat eſſentiam diuinam adæquari quibuslibet effectis creatis, implicat etiam fieri omne creabile, & hoc eſt, quod dicunt Theologi, non poſſe exhauriri diuinam omnipotentiam; & quod habet S. Bonauentura loco citato in ratione quarta, quod ſi producerentur infinita actu, Deus redderetur impotens ad plura producen- S Thom.

Digitized by Google

ducenda, quod eſt inconueniens.

XXXII. Verùm hæc ratio in via S. Bonauẽturæ explicata, quod diuina eſſentia ſit quid abſolutũ a creaturis, & quod eadem remaneret, etiamſi eſſent impoſſibiles creaturæ, non concludit, quia ſicut ſi nulla creatura eſſet producibilis, remaneret idem Deus potens producere, ſi non implicaret; ita poſito quod nulla amplius eſſet producibilis, multò magis idem remaneret potens ſicut prius, quia eius potentia in re abſoluit à creatura, cum ſit idem, quod eſſentia abſoluta; etiãſi per noſtrum modum concipiendi imperfectum non agnoſcatur; niſi relatiuè ad terminum.

Secundò. In rigore ſermonis non ſequitur Deus produxt actu omne producibile, ergo exhauſta eſt eius potentia; nam etiam tunc conſeruaret omnia, & exerceret ſuam omnipotentiam, poſſet annihilare, & reproducere quæ ſunt opera omnipotẽtiæ, poſſet nouo modo conſeruare, tranſubſtantiare, &c. & dato quod etiam omne poſſibile omnibus modis produxiſſet, non diceretur exhauſta eius potentia, quia adæquatum terminum haberet, ſicut non dicitur exhauſta potentia generatiua Patris, vel ſpiratiua Patris, & Filij, quod vtraque habeat terminum ſibi adæquatum Filiũ, & Spiritum Sanctum, vltra quem non eſt alius generabilis, neque ſpirabilis. Neque quoad hoc refert, quod iſti termini ſint eiuſdem perfectionis, & infinitatis, qualis nunquam eſſet omne creabile, quod ſemper in infinitum diſtat à Creatore, & eſt illi inadęquabile; nam ad hoc, vt dicatur adæquari potentia actiua à ſuo termino, non eſt neceſſe, vt is ſit eiuſdem naturæ, & perfectionis cum illa, ſed vt tantus ſit in ratione producibilis, quanta eſt illa in virtute producendi, ver. gr. ad hoc, vt motus, ſit terminus adæquatus potentiæ motiuæ, ſufficit, vt ſit tantæ velocitatis, quantam illa cauſare poteſt; etiamſi deinde ſpecie differant motus, & principium motus; & hoc ſit nobilius motu; nam quoad velocitatem attinet, non poteſt ab illo produci maior, & in hoc dicitur adæquari tantum ſuo principio, quod tanta eſt, quanta & virtus, à qua producitur, ſic diceretur adæquari creatura quoad hoc Creatoris virtuti, quod vltra eã nõ ſe extenderet virtus illius data hypotheſi impoſſibili, quod totũ creabile produxiſſet: Neque tamen ſimpliciter adæquaretur, quia adhuc infinitè diſtaret totũ creatum à Creatore, eiuſque eſſentia tantæ perfectionis eſt, vt ſi per impoſſibile aliquid aliud eſſet poſſibile, totum in ea contineretur, vt in exemplari infinitæ perfectionis nuſquam adæquabilis: ſed quia impoſſibile eſt tot produci creaturas, quin adhuc pluriũ rationes ſint in Deo, ideo dixit S. Thom ſemper remanere aliquid imitabile in diuino S. Thom. exemplari etiam remanſurum, ſi per impoſſibile produceretur totum creabile, quia remaneret idem Deus imitabilis à pluribus creaturis, ſi plures produci poſſent. Itaque defectus eſſet in creatura non vlterius multiplicabili, non in Deo manente cum ſua potentia inuariata, ſicut manet poſita implicantia multorum, quæ nos fingimus, & non ſunt factibilia.

Omne quod eſt creabile ſemper infinitè diſtat à creatore, & eſt illi inadæquabile.

Tertiò. Si per impoſſibile crearetur omne poſſibile, vel tolleretur infinita diſtantia inter Deum, vt dicit XXXIII. eſſentiam diuinam, & creaturas: & hoc non, quia enti primo independẽti, puro actui, vni trino nihil quod nõ ſit ens primum independens purus actus, &c. adæquari poteſt, quantũuis multiplicetur: vel tolleretur diſtantia ſecundùm aliquam aliam rationem; & hoc non implicat; nam in ſententia probabili S. Thomæ potuit mundus eſſe ab æterno, & proinde aliqua creatura Deo coæterna, id eſt æqualis in æternitate, & in ratione termini factibilis non poteſt fieri quid nobiliùs Chriſti humanitate vnita Verbo; nepue Mater nobilior Beata Virgine, aut gloria maior beata; vt D. Thomas 1. par. quæſt. 25. a. 6. 4. & 3. p. quæſt. 7. ar. 12. 2.

Et ita quoad hoc æquatur terminus potentiæ, quin tollatur diſtantia inter Creatorem, & creaturam: cur ergo non poſſet idem dici de toto creabili, poſito quod daretur actu, non ſublatam iri diſtantiam hanc infinitam, & ex hoc capite non implicare? Quod enim præter illa tria in ſuo genere ſumma, poſſit alia in infinitum

nitum

Digitized by Google

nitum creare Deus, nō obſtat quo minus dicatur quoad illa æquatum eſſe potentiæ terminum: quia hic non poteſt fieri maior, etiamſi poſſint fieri alij æquales, & minores in infinitum: Sicut igitur nihil detrahitur de diuina potentia, quæ maximè potiùs in illis tribus eluceſcit; quia poſſibile maius implicat; ita nihil detraharetur ex ſuppoſitione, quod illi adæquatè reſponderet terminus extrinſecus; imò in eo vehementer eluceret, nec tamen illo diceretur finiri diuina omnipotentia. Et ſi quis argueret non poſſe dari infinitam grauitatem, quia æquaretur virtus motiua diuinę, quia moueret in inſtanti, non concluderet ſecundùm Gregorium in 1. d. 44. q. 4. a. 2. ad 7. quia virtus Dei motiua infinita, alia poteſt, quæ non poteſt virtus motiua creaturæ, etiamſi in velocitate æquarentur, & in hoc etiam eſſet inferior, quia penderet in eſſe, & operari ab increata; ſic & in propoſitione, &c.

XXXIV. Confirmatur, quia quoad hoc par eſt ratio ſapientiæ, & potentiæ diuinæ: ſicut enim illa non dicitur exhauriri ex eo, quod omnia comprehendit, ita vt plura ſcire non poſſit, quàm quæ actualiter ſemper ſciuit; ſed in eo apparet eius ſublimitas, & infinitas; ita ſi hæc omne creabile produceret, nō diceretur exhauriri, ſed exerceri in termino adæquato, quoad hoc quòd maior eſſe non poteſt, quia eſt maximus, & ſupra quam cogitari poteſt infinities infinitus, ergo ratio sūpta à diſtantia infinita inter Creatorē, & creaturam non concludit; quia ad hoc vt ſit inadæquabilis ab effectis ſufficit vt ſemper maneat inæqualitas ſecundum eſſe inter Deum, & creaturam quantumuis multiplicatam numero, & nobilitate; hæc autem sēper eſsęt infinita, quod autem in ratione termini adæquetur, quia vel nō poſſit aliquis terminus fieri vel perfectior, vel numeroſior, non magis eſſet inconueniens, data poſſibilitate infiniti, quam quod non poſſit plures creaturas ſcire quam ſint ſcibiles, aut magis amare quam ſint amabiles, aut eſse in maiori ſpatio, quam debeatur immenſitati, aut magis durare, quam petat æternitas; ſic enim neque plura poteſt creare, quam ſint creabilia; neque tamen aut finita eſset, vel exhauſta omnipotentia, ſi omnia crearet ſimul, ita vt vltra nihil remaneret creabile, ſi poteſt infinita: quod ſi non poteſt, quia implicant omnia ſimul, peto, quot cognoſcit Deus ſimul creabilia; reſpondebunt, non tot, quin plura, quia non eſt determinatus numerus creabilium ſimul, ſed quolibet aſſignato, poteſt maior & maior in infinitum produci; ergo idem dicam negando infinitum poſſibile interroganti quot cognoſcat Deus vel ſimpliciter, vel poſſibilia actu produci: & argumentum potiſſimum, quo vrgent aduerſarij dari poſſe infinitum actu, quia illud cognoſcatur à Deo, & in eſſe obiectiuo habet eadem incommoda fermè, quæ & in actuali exiſtentia locum habet in cognitione creabiliū à Deo, & quæ illi reſpondebunt, commodabunt nobis.

Interim verum eſt diuinum exemplar, quæ eſt eſſentia diuina, nunquā adæquari poſſe à creaturis, quantumuis perfectis etiam infinitis, quia nunquam tot poſſunt produci, quin plurium in ea exiſtat ratio, & imitabilitas in infinitum, ideoque repugnat hæc adæquatio; ſed ſi per impoſſibile non repugnaret poni actu ſimul omne creabile; adhuc non poneretur adæquatio, quia remaneret diſtantia infinita inter creatum, & increatum, & tanta perfectio in Deo, vt ſi quid amplius eſſet poſſibile in infinitum contra ſuppoſitionem, adhuc eius eſſet exemplar in diuina eſſentia nunquam adæquabili à creatura, quantumuis perfecta, & numeroſa; quod autem in dato caſu impoſſibili nihil reſtaret, ad quod ſe extenderet non adæquatam diuinam eſſentiam argueret, neque exhauſtam eius potentiam, ſed completam potentialitatem creaturæ, qua redacta in actum totaliter, implicaret vlterior actualitus ex parte termini non imminuta potentia ex parte Dei. Itaque non videtur efficax probatio petita ab infinita diſtantia inter Deum, eiuſque participabilitatem & creaturam; quia poſito quod nihil reſtaret, quod eam imitaretur, ſeu participaret, limitatio eſſet termini in illa infinitate limites creatos nō

exce-

Digitized by Google

excedentis, non defectus, vel limitatio eſſentiæ in infinitum infinities ſine proportione creaturæ præcellentis.

EXPLICATVR

Alia Ratio S. Bonauenturæ cum Corollarijs.

CAP. VI.

I. Si Deus produceret infinita actu non poſſet plura producere, quomodo intelligendum.

II. Non poſſunt produci tot indiuidua materialia, quin plura ſemper ſint producibilia, atque adeo tot animæ ſpirituales, quin humana corpora totidem.

III. Nec poſſunt conſequenter eſſe actu infinitæ ſpecies.

IV. Non eſt poſſibilis ſubſtantia infinitæ perfectionis creatæ.

V. Non poteſt produci accidens infinitè perfectum.

XXXV. VERVM quia S. Bonauētura loco cit. in 4. argum. habet, quod ſi Deus produceret infinita, non poſſet plura producere, quia plura infinitis non dantur, & proinde eſſet impotens, prædicta ratio, quæ eſt multorum Theologorum, & in primis D. Thom. de ver. q. 20. a. 5. 4. alio modo formari poteſt. ſi poneretur actu ſimul totum eſſe creabile, impotentia vlterioris productionis non proueniret ex parte creaturæ; ergo ex parte creatoris. Sequela patet, quia non eſt aliud caput, ex quo proueniat hæc impotentia. Antecedens probatur, quia materia eſſet eiuſdem rationis, cuius nūc eſt, & virtus actiua creaturæ pariter eſſet eadem; ergo applicata materiæ poſſet agere, & producere nouum effectum; non ergo defectus eſt ex parte creaturæ, demus enim, productos eſſe in illa infinitate totius creati infinitos mundos tam amplos, & perfectos, quam de facto eſt is, qui creatus eſt, nonne ibi eſſent elementa, & miſta, tam animata, quàm inanimata cū ſuis qualitatibus? nonne actiua applicata paſſiuis, ſicut modo ſunt? Cur ergo non inuicem agerent, ac paterentur cur non producerent ſibi ſimile? cur non generarent, ſi eiuſdem prorſus virtutis eſſent? Et ex alia parte ſi hæc contingerent, iam non fuiſſet creatum ſimul totum creabile, quia plurima, imò infinita in dies producerentur in infinitis mundis: oporteret igitur dicere, quod ſimili poſita creatione defectus potentiæ productionis plurium proueniret extrinsecùs, & nonniſi à Deo non potente concurrere cum creaturis habentibus cætera requiſita ad agendum, quod eſt abſurdum. Neque valet dicere, quod ſupra dicebamus de eſſentia, quod ſcilicet implicantia eſſet ex parte creaturæ manente ſemper inuariata potentia Dei; nam argumentum conuincit ex parte creaturæ non repugnare, & iccirco impotentiam prouenturam ex parte Dei, quod cum ſit abſurdum, conſtat vis argumenti S. Bonauent. quod dato infinito actu argueretur impotentia Dei, cuius rationis vis infra patebit.

S. Thom: — Poſito actu infinito, argueretur im potētia Dei.

Secundum Corollarium.

EX eadem ratione ſequitur, non poſſe produci tot indiuidua vnius ſpeciei materialis, quin ſemper plura & plura in infinitum produci poſſint. Patet, quia ex parte materiæ, & virtutis creatæ non repugnat; illa enim eſſentialiter eſt tranſmutabilis in varias formas; hæc verò tranſmutatiua; ex parte verò Dei eius potentia ſemper eſt eadem, igitur nunquam exhauriri poteſt tota producibilitas effectuum materialium. ſed & reſpectu cuiuslibet ſpeciei hoc verum eſt, dato quod illa ſpecies ſit multiplicabilis in indiuiduis: ſicut enim in rebus materialibus poſſibilis eſt multiplicatio, quia materia eſt pura potentia ſemper capax formarum; ita in ſpiritualibus eſſentia ſecundùm ſe eſt capax cuiuſcumque indiuiduationis, ſiue indifferens ad exiſtendum in quolibet indiuiduo ſuæ ſpeciei, ſecundùm opinionem probabilem; & hanc indifferentiam non amittit ex quacumque multiplicatione indiuiduorum: ſi ergo daretur aliqua multitudo, vltra quam non poſſent plura produci, impotentia refunderetur in virtutem XXXVI.

Potētia Dei eſt inuariabilis, & nunquam exhauriri poteſt.

productiuam, non in producibilitatē paſſiuam indiuiduorum.

Præterea poſito quod indiuidua corpora humanæ ſpeciei ſemper ſint multiplicabilia, cur non etiam animę ipſam informantes, ſicut & formæ cæterorum corporum, quæ educuntur de materia? nam qui concurrit cum agentibus naturalibus ad iſtas educendas poſitis diſpoſitionibus in materia, poteſt illas ſeipſo producere vt debitas embrionibus organizatis.

Tertiò. In continuo ſunt partes in potentia diuiſibiles in infinitum, & nunquam tam multæ poſſunt actu diuidi, quin aliæ ſemper reſtent diuidendæ: cuilibet autem parti reſponderent partes ſpirituales in ſententia cōſtituente Angelum in loco per vbi ſpirituale, quam ſequuntur graues Auctores. Et idem eſt de vnione animæ ad corpus, ſi datur in ipſa anima ſpiritualis conſtituens eam in toto corpore, & totam in qualibet partę corporis.

Anima ſpiritualis eſt in toto corpore tota, & tota in qualibet corporis parte.

Dices, omnis potentia reduci poteſt ad actum, vt Commentat. ex Ariſtot. 3. Phyſ. com. 69. ſed potentia multiplicitatis, ſeu multiplicabilitatis indiuiduorum in ſpecie eſt vna, ſicut & vna ſpecies, ergo reduci poteſt ad actum; ita vt non reſtet potentia actui contradiſtincta.

Secundò. Huius propoſitionis vniuerſalis, omnes animæ creabiles poſſunt eſſe creatæ, quælibet ſingularis eſt vera; ergo de omnibus collectiuè verum eſt, quod poſſunt eſſe creatæ. Patet ſequela, quia quælibet propoſitio ſingularis de poſſibili affirmatiua, cuius ſubiectum eſt Pronomen demonſtratiuū, ſi eſt vera, in ſenſu cōpoſito vera eſt, v.g. ſi demonſtratis decem hominibus, qui poſſunt currere, verū eſt dicere, iſti, & iſti poſſunt currere, ergo & omnes collectiuè, igitur ſi iſtæ & iſtæ Animæ poſſunt eſſe creatæ, poterunt pariter omnes collectiuè.

XXXVII. Ad primum Greg. in 1. d. 17. q. 6. a. 1 ad 1. contra primam concluſionem reſpondet auctoritatem Philoſophi, & Commentatoris in hoc non eſſe recipiendam.

Sed ibi Ariſtoteles ſolùm vult, quod in magnitudine quantum contingit potentia eſſe, tantum & contingit eſſe actu, quia ſcilicet nullum corpus eſt infinitum, ſed quodlibet eſt determinatæ magnitudinis, & nullum cælo maius: In quo differt numero a magnitudine, quia data qualibet multitudine ſemper dari poteſt maior, etiam in partitione partium quantitatis continuæ, ita vt in ea detur maxima, qua nulla eſt maior; non autem minima, qua nulla poſſit eſſe minor, quia diuiſibilis eſt in infinitum. Hinc autem non poteſt inferri, quod abſolutè loquendo totū creabile ſit creabile ſimul actu, & ad rationem textus quæcumq; inde formetur, reſpondēdum eſt, quod omnis potentia reduci poteſt ad actum eo modo, quo eſt potentia, & ad actum reſpondentem potentiæ, quæ non eſt ad totum ſimul collectiuè, ſed diſtributiuè, ſiue deinde illa ſit vna potentia, ſiue multiplex, quod melius patebit ex reſponſione.

Ad ſecundum, variè reſpondit Gregor ibidem, breuiter nego ſequelam, & ad probationem, nego aſſumptum vniuerſaliter loquendo, quia illa regala non habet locum in illis propoſitionibus ſingularibus, quarum ſubiectum eſt pronomen demonſtratiuum pluralis numeri, v.g. de duabus contradictorijs contingentibus, ſi dicatur iſtæ poſſunt eſſe veræ, quod ſcilicet Petrus curret, & Petrus non curret, concedendum eſt in ſenſu diuiſo, ſecus ſi in ſenſu compoſito accipiantur, quia idem non poteſt ſimul currere, & non currere. Ita in propoſito ſi dicatur iſtæ & iſtæ animæ creabiles poſsūt eſſe creatæ, conceditur, non autē ergo omnes collectiuæ, quia à diſtributiuo ad collectiuum non tenet illatio, de quo infra c. 12.

A ſenſu diſtributiuo ad collectiuum non valeret conſequētia

Diſtingui ergo poteſt antecedens: Omnes animæ creabiles poſſunt eſſe actu creatæ, concedo in ſenſu diuiſo, nego in compoſito; ſeu quod idē eſt, concedo diſtributiuè, nego collectiuè, quia ſic nullæ animæ creabiles ſunt omnes animæ ſimul creabiles, nec proinde omnes animæ, quarum quælibet eſt creabilis, & poteſt eſſe creata; non tamen poſſunt omnes ſimul eſſe creatæ. Exemplum eſt in partibus continui, quarum quælibet in particulari demōſtrata poteſt eſſe actu diuiſa, non tamen omnes collectiuè.

Ergo

Digitized by Google

Ergo inquies, Animæ poſſibiles nõ ſunt poſſibiles, quia poſſibilitas attenditur penes actum, ita vt dicatur poſſibile quod poteſt eſſe actu: tota autem collectio animarum non poteſt eſſe actu, ſicut neque omnium poſſibilium.

Reſpondeo, nego ſequelam, quia omnes animæ diſtributiuè ſunt poſſibiles, & poni poſſunt actu, collectiuè autem nullæ ſunt omnes actu ſimul creabiles, quia plures & plures in infinitum, & ſucceſſiuè, quod ſatis eſt, vt dicantur poſſibiles.

Tertium Corollarium.

XXXVIII Multò minus dari poſſunt actu infinitæ ſpecies: Patet ex cõmunibus incommodis infiniti, & ex ratione particulari ſpecierum; nam vel ſunt ita inter ſe ordinatæ, vt vna ſemper ſit altera perfectior, atque ita in infinita multitudine daretur vna ſpecies infinitæ perfectionis, quod eſt abſurdum, vt infra: ita argumentatur Durand. in 1. d. 43. q. 2. à n. 17. vel non ſunt eſſentialiter ſubordinatæ inter ſe, ſed omnes ſubordinãtur tantum Deo per ſe, & immediatè non mediatè vna per aliam, neque neceſſariò vna perfectior altera, ſed poſſunt eſſe æquales, & tunc tam in æqualibus, quã inæqualibus vna erit infinita vt prius.

Conceſſis infinitis ſpeciebus, ſequuntur plura incõmoda.

Durand.

Neque valet inſtantia de homine, qui eſt perfectior infinitis animãtibus poſſibilibus, neque tamen eſt infinitè perfectus, quaſi idem dici poſſit de illa ſpecie perfectiore infinitis ſpeciebus, neque tamen infinita; nam argumentum non probat ratione calculationis; ſic enim non concluderet, ſicut neque quod homo ſit infinitè perfectus, quia perfectior eſt omnibus animantibus irrationalibus in infinitũ poſſibilibus, quia ad hoc ſufficit perfectio alterius ordinis finita; ſed argumentum valet ex hoc, quod ſpecies infinitè perfecta, ſi daretur, haberet intrinſecè gradus, ex quibus aſſumenti ſemper reſtarent accipiendi in infinitum perfectiores, & non ſolùm per ordinem ad extrinſeca imperfectiora: Deinde per te infinitum non implicat in quantitate, cur ergo implicet in alijs ſpeciebus entis? aut cur ſi fieri poſſunt ſpecies actu infinitæ, non poſſit earum vna infinita?

XXXIX. Neque item valet, quod Deus ſit ſemper participabilis à perfectioribus in infinitum, & ideo nulla poſſit dari infinita, quia adæquaretur diſtantia perfectionis infinita inter Deum & creaturam; nam vt ſupra diximus, hæc ratio non vrget, & fieri poteſt de quolibet infinito, v. g. de magnitudine: vel enim hæc ſi ſit infinita adæquat diſtantiam perfectionis infinitam, & ita non poteſt fieri: vel non adæquat, quia data qualibet magnitudine, fieri poteſt maior, ſicut & dato quolibet numero, poteſt augeri, & idem dicam de ſpecie infinita, & ſemper erit diſtantia infinita inadæquabilis inter ipſam, & eſſentiam diuinam, quæ eſt exemplar: Et ſi dixeris augmentum in magnitudine, & numero eſſe materiale, & non infiniti, vt ſic, idem dicam de ſpecie infinita, quod ſcilicet fieri poſſit perfectior illa, non qua infinita eſt, ſed quatenus ens quoddam creatum eſt, cui ſemper additio materialis fieri poteſt. Et ſicut in diuiſione continui nulla datur pars, qua maior dari non poſſit, ita in productione ſpecierum nulla datur ita perfecta, qua perfectior dari non poſſit in infinitum. Et rurſus oſtendi debet, cur ex hoc capite repugnet, eò quòd videlicet adæquaretur diſtãtia, & æquaretur imitabilitas eſſẽtię Dei, ſi hæc eſt partialis adęquatio; quandoquidẽ ab infinitis alijs rebus reſtaret imitabilis diuina eſſentia, etiãſi daretur vna ſpecies infinita Angelorũ, ex. gr. Et vniuerſaliter ſemper eſſet diſtantia à Creatore, quia ab illo dependeret illa creatura in eſſe, & operari. Ideo conſequenter ad noſtra principia, nego dari poſſe infinitatem ſpecierum actu, & proinde nec vnã ſpeciem infinitè perfectam.

In productione ſpecierũ nulla detur ita perfecta, qua perfectior dari nõ poſſit.

Vbi maximè valet alia ratio S. Bonauenturæ confutata à Vazq. locis citatis; quod videlicet infinitum ſi daretur, eſſet actus purus, quia non ſolùm haberet totam perfectionem illius ſpeciei, v. g. Angelicæ, ſi produceretur Angelus infinitè perfectus, ſed etiam additus alteri Angelo non faceret complexum perfectiùs, quod proprium eſt Dei, qui cum ſit infini-

tus in genere entis, inuoluit intrinſecè omnem perfectionem entis, & additus creaturæ non reddit complexũ perfectius, nec habet intrinſecam potentialitatem ad hoc, quia eſt actus purus, & ob hanc rationem ſequeretur, quod ille etiam Angelus eſſet actus purus, ſi eſſet infinitus, quod ſufficit ad validitatem argumenti S. Bonauenturæ.

Quartum Corollarium.

XL. IMplicat dari actu vnam ſpeciem ſubſtantiæ infinitæ perfectionis. Probat Duran. & alij, quia hæc eſſet Deus, eo quod haberet perfectionem propriam Dei, ſcilicet eſſentialem infinitam.

Reſpondent alij communiter negando ſequelam, nam illa ſpecies eſſet dependens à Deo, & ab eo poſſet annihilari, & infinitas eius eſſet tantum ſecundum quid, & non ſimpliciter in omni genere perfectionis, qualis eſt diuina. Probant alij, quia iſta ſubſtãtia deberet eſſe in aliqua ſpecie; non enim haberet omnem perfectionem entis, vt habet Deus, & ex alia parte, ſi eſt infinita, caret omni arctatione, & eſt inſpecificata, & interminata. Simile eſt argumentum S. Thom. 1. p. q. 7 ad improbandam infinitam multitudinem; quia quælibet multitudo debet eſſe in aliqua ſpecie multitudinis; ſpecies autem multitudinis ſunt tantum ſpecies numerorum, nulla autem ſpecies numeri eſt infinita, quia quilibet numerus eſt multitudo menſurata per vnum, & conſtituitur per vltimã vnitatem. Quæ ratio varias habet inſtantias apud Scholaſticos, vt videre eſt apud Greg. & recentiores negantes omnem multitudinem eſſe ſpeciem numeri; ſed potius è contra multitudinem diuidi in finitam, quæ eſt numerus, & infinitam, quæ non eſt numerus, ſed aggregatio plurium quæ poteſt eſſe ſine menſura. In ſubſtantia tamen videtur omnino concedendum, quod debeat eſſe in aliqua ſpecie entis creati.

Quælibet multitudo debet eſſe in aliqua ſpecie multitudinis.

Probat Aur. in 1. d. 44. à q. 1. ſed eius argumenta ſoluuntur à Greg. & recentioribus.

Aureo.

Probari poteſt primò. Si poſſibilis eſt ſpecies ſubſtantiæ infinitè perfecta, hæc erit ſpiritualis, & Angelica; diſtaret igitur illa infinitè ab infimo Angelo, & à ſupremo, qui de facto eſt; nam ſi finitè ab vtroque, vel ab alterutro non eſſet infinita; quia cum ſupremus ab infimo finite diſtet, finita diſtantia illius alterius, qui dicitur infinitus, addita finitæ non redderet infinitam: Infinitum autem diſtat infinite à finito, quare ſpecies illa eſſet infinita ex ſuppoſitione, & finita, quia diſtat finite à finita.

Infinitum à finito infinitè diſtat.

Si autem diſtat infinitè ab vtroque Angelo, peto an hæc diſtantia ſuperari poſſit per creationem nobilioris Angeli in infinitum, donec deueniatur ad illam infinitam immediatè: Si poteſt ergo additio vnius gradus, ex. gr. in quo Angelus infinitus ſuperat perfectione immediatum ſibi Angelũ facit infinitum, quod eſt abſurdum; ſicut enim vnum additum numero nõ facit infinitum in multitudine, ita nec vnus gradus perfectionis additus ſpeciei reddit illam infinitam, præterquã quod ille Angelus ſic infinitus habet duos terminos, quibus clauderetur, infimum videlicet, ac ſupremum Angelum, atque ita eſſet finitus, in quo excederetur ab alio: Si verò nunquã deueniri poteſt ad ſpeciem immediatam, quæ vno tantum gradu diſtet ab infinita, ergo illa eſt Deus, quia per multiplicationem ſubſtantiæ ſemper quantumuis perfectioris & perfectioris nunquam poteſt adæquari, ſed ſẽper diſtat infinitè à qualibet perfectiſſima, adeoque nulla eſt proportio inter ipſam, & reliquas omnes creaturas poſſibiles; eſt autem cuiuslibet creati ad creatum quoad perfectionem eſſentiæ. Argumentum hoc valet ad hominem aſſerentem dari poſſe ſubſtantiam infinitè perfectam, & non ſolùm diuerſi ordinis à qualibet inferiori minus & minus perfectum in infinitum; in hoc enim caſu adhuc dari poſſet alia perfectior in infinitum.

Præterea ſi daretur ſpecies infinitè perfectionis, deberetur illi operatio, & modus operandi infinitus, vtrumq; enim debet proportionari ſuo principio; vnde & 8. Phyſ. à t. 79. magnitudinis infinitæ eſſet infinita virtus: Subſtantia igitur illa infinitè perfecta in XLI.

ge-

Digitized by Google

genere ſubſtãtiæ eſſet infiniti potens, & ſic poſſet creare, annihilare, &c. quæ ſunt Dei propria, igitur nulla ſpecies infinita eſt poſſibilis.

Quæres, quot ergo ſunt poſſibiles, & ſucundum quam perfectionem? Reſpondeo finitas in infinitum, & ſecundum maiorem, & maiorem perfectionem indeterminatè, ſicut numeri, in quibus nullus eſt ſtatus, ſed ſemper maior proceſſus, quicquid Dur. in 1. d.44.q. 2. probabiliter exiſtimet dari ſtatum in perfectionibus ſpecificis, vltra quem non ſit proceſſus in infinitũ; ſed eius argumenta probant tantum de infinito categorematico; proceſſus autem in infinitum poteſt eſſe ſyncategorematicus, vt apparet in diuiſione cõtinui per partes proportionales; vnde ſicut cõtinuũ poteſt diuidi in infinitum, tamen impoſſibile eſt, quod totaliter ſit actu diuiſum, ait S.Bonauent.loc.cit.in 1. d.43. a.1. q.3. ad vlt. Sic diuidere in infinitũ eſt poſſibile, ad actum reducere impoſſibile; & ſicut impoſſibile eſt, diuinam potentiã terminari, ita impoſſibile eſt, quod ſit in termino diuiſionis; vnde Deus poteſt poteſt potentiam continui reducere ad actum, quia poteſt eſſe in reducendo, & ſemper in reducendo, ita quod nunquam plus potentia ſe extendat, quàm diuina actio; ſed tamen continuum nunquam poteſt eſſe totũ reductum ad actum diuiſionis, vt nihi ſuperſit diuidendum. Quo exemplo continui reducibilis in actum verſus minores partes explicatur poſſibilitas infiniti reducibilis ad actum verſus maiores, id eſt, perfectiores ſpecies in infinitum producibiles, & nunquam actu ſimul productas.

Proceſſus in Infinitũ poteſt eſſe ſyncategorematicus.

S.Dionyſ. Quo pertinet auctoritas S. Dionyſ. de diu.nom.c.8.ſupra relata aſſerentis Deum poſſe, præter ea, quæ ſunt infinita infinitè producere, ita vt nunquã obrui poſſit potentia eius effectrix à quauis multitudine, quia ſuperat omnem infinitatem.

Quod item habet Hugo de S.Vict. relatus à S.Bonau. ibid. ad vlt. l.2. de Sacram. p. 2.c. 7. ſicut æternitatem Dei non æquat tempus, nec immenſitatem locus: ſic nec ſapientiam ſenſus, nec bonitatem virtus, nec potentiam opus. Ex quibus, & ſimilibus apparet, quod SS. Patres tribuerunt hãc communicabilitatem Deo, & potentiam infinitam, vt quid ipſi conueniens, & melius quam carentia eius, ergo.

Obijcies, poſito hoc proceſſu infinito in infinitum etiam ſucceſſiuè valeret probatio petita ex ordine perfectionum ſpecificarum, quod Deus non ſit primum ens, & perfectum, ſicut neque quod ſit prima cauſa, ſi daretur proceſſus in infinitum in cauſis efficientibus contra communem doctrinam Theologorum, quam tenet S.Bonau.in 1.d.3.dub.1.tex.& a.1.q 2. & 3. Et S.Th.1.p.q.2.a.2. & fuit etiam Ariſtotelis 8.Phyſ.& 2.Metaph. XLII.

Reſpondeo, rationes illas concludere de infinito ſecundum actum, ſi daretur in cauſis, non de infinito ſecundum potentiam, quod datur in effectis, vt patet diſcurrenti per ſingulas: fundantur enim omnes in ratione cauſandi.

Inſtabis cum Aureolo in 1. d 44. q. vn.a.4. quia in toto illo proceſſu poſſibilium in infinitum ſecundum maiorẽ & maiorem perfectionem datur vna, vel plures ſpecies perfectior infinitis inferioribus, ergo illa erit infinita, vt pote ęquiualens formaliter ſecundum perfectionem infinitis, aut continens eſſentialiter perfectiones illarum vtpote ſubordinatarum, ſicut ſenſitiuũ continet perfectionem vegetatiui, & intellectiuum perfectionem ſenſitiui: Quemadmodum ergo in numeris ſi daretur aliquis maior infinitis numeris, eſſet infinitus, & illos omnes contineret, ita & in ſpeciebus.

Confirmatur, quia totum illud aggregatum ſpecierum in infinitum poſſibilium vel eſt finitæ perfectionis, & hoc non, quia quolibet finito poteſt dari aliud perfectius per te, atque ita non eſſet totum aggregatum poſſibilium contra ſuppoſitionem: vel eſt infinitæ, atque ita datur aliquod infinitum creatum, ſiue illud ſit vnum, ſiue plura, ſiue determinatum, ſiue indeterminatum; idque magis etiam vrget, ſi in aliqua rerũ ſerie, puta Angelorũ ſuperior ſpecies cõtinet perfectiones inferiorũ, tandẽ enim deuenietur ad aliquã infinitè perfectam.

Re-

XLIII. Reſpondeo ex doctrina S. Bonauēt. in 1.d.43.cit. nullam dari infinitā perfectionem in toto illo progreſſu maiorum & maiorum, quia qualibet aſſignata ſpecie datur alia perfectior; ſed nulla infinitè perfecta, & omnium maxima, ſicut nec in diuiſione continui vlla pars minima, qua minor eſſe non poſſit; proinde nulla eſt, quę ſit infinitis inferioribus perfectior; quod idem contingit in numeris, in quibus nullus datur maior infinitis minoribus.

In numeris nullus datur maior infinitis minoribus.

Ad confirmationem, totum aggregatum ſpecierum poſſibilium nullam continet infinitè perfectam, ſed omnes finitas in infinitum perfectiores; neque ſequitur poſſe dari adhuc illo perfectius, quia quod dicitur quolibet creato poſſe dari ſēper nobilius, verum eſt de quolibet diſtributiuè, non collectiuè ſumpto; alioqui ſi poteſt dari aliquid perfectius tota collectione poſſibilium, iam illa non eſt tota collectio, quia extra illam eſt, quod poteſt illa perfectius eſſe.

Similem doctrinam habet Suar. c. 13. p. d. 26. ſect. 3. de cognitione infinitorum obiectorum ſcientiæ viſionis Chriſti: hæc enim multitudo talem habet habitudinem ad exiſtentiam, vt ex intrinſeca ſua natura petat, non poſſe exhauriri; vnde in ſua ratione includit hanc potentialitatem, vt aliquid illius ſemper reſtet efficiendum; in qua potentialitate conſiſtit ratio infiniti ſyncategorematici. Sed S. Bonau. docet, quod Chriſtus videt habitualiter, & non actualiter infinita, vt ſupra vidimus.

Quintum Corollarium.

XLIV. Accidens infinitè perfectum non poteſt per vllam potentiam poni à parte rei. Eſt S. Bonau. loc. cit. & in 1.d.17.p.2.a.1.q.4. vbi loquitur de charitate, S. Th. 2. 2. q 24. a. 7. Suarij tom. 1. in 3. p. diſput. 22. ſect. 1. citantis alios plures loquentes de gratia Chriſti; & ſequitur ex dictis præſertim ex 4. Coroll. Si enim implicat ſubſtantia infinitæ perfectionis, implicat etiam accidens illi debitum, & proportionatum, idque non ſolum de potentia ordinaria, ſed abſolutè; cur enim poſſit actu exiſtere accidens infinitum, & non poſſit ſubiectum eius infinitum etiam exiſtere, cum hoc ſit illius perfectiuum, neque magis latè pateat, quàm perfectibile, cui commenſuratur? idque ſiue ſermo ſit de qualitatibus habentibus gradus intenſionis, & remiſſionis homogeneis, aut heterogeneis; ſiue de conſiſtentibus in perfectione indiuiſibili indiuidnali, vel ſpecifica iuxta varia placita in Philoſophia; de omnibus enim verum eſt, quod dicunt ordinem ad ſubiectum, illique proportionantur, & non eſt maior ratio, cur ipſa eſſe poſſint infinita actu, & non ſubiecta ipſorum, quæ ſunt ſubſtantiæ, quibus repugnare perfectionem infinitam patet ex dictis, ſicut & quantitati continuæ, ac diſcretę, militantque eædem rationes contra infinitum in intenſione qualitatum.

S. Bonau. & S. Thom. Suar.

Confirmatur, quia ſi poſſibilis eſſet infinita qualitas, poſſibilis etiam eſſet infinita gratia, caritas, viſio; proinde hæc haberet Chriſtus, vt arguit Suar. ibid. quia ratione vnionis ei conueniret vt ſubiecto proprio. Conſequens eſt cōtra communem Theologorum, præſertim contra S. Bonauenturam in 1.d.17.cit. & in 3.d.13.a.1. quæſt. & S. Thom. 3. p. q. 7. a. 11. & alios apud Suar. ibid. tenentes gratiam Chriſti in entitate fuiſſe finitam, etiamſi in ratione gratiæ infinitatē habeat, quod negat Scotus, & Durand. in 3.d. 13. q. 1. putantes vtroque modo finitam eſſe, ideſt tam in eſſe qualitatis phyſico, quàm in eſſe morali gratiæ quocumq; modo explicetur à Thomiſtis, à quibus omnibus diſſentiunt Maior. in 3. d. 13. q. 3. & Almainus probabiliter tenentes vtroque ſenſu Chriſti gratiā fuiſſe infinitam, iuxta cōmunem ſētentiā, vt ipſis appellare libuit. Sed communis in contrariū eſt repugnare infinitatem entitati Phyſicę gratię. Maior. Almain.

Addit Vazq. 3. p. t. 1. d. 46. num. 7. ad probandum, quod gratia non poſſit eſſe infinita, etiamſi aliæ qualitates poſſint, vt docuit 1. p. cit. quia propriū eſt gratiæ vnire Deo, facere gratum, & ſanctum: Creatura autē nunquā poteſt ita eſſe vnita, grata, & ſancta, quin per opera fieri poſſit magis vnita, ſanctior, & gratior Deo, igitur non eſt Vazq.

capax

Digitized by Google

capax infinitæ gratiæ, alipqui infinito fieret additamentum, aut ſi non fieret per bona opera facta ex gratia nihil meriti adueniret.

Improbat Suar. ibid. rationem hãc, negando, quod in eo caſu poſſet creatura fieri gratior, aut per additionem gratiæ, aut per multiplicationem operum, ad Deum relatam anima Christi per vnionẽ eſt infinitè ſancta, & grata, & non fit ſanctior per opera, ſicut nec Beati, quia ſtatus eximit à capacitate maioris ſanctitatis: & in dato caſu redderetur incapax per infinitam gratiam ſubiectum, in quo eſt; etiamſi alioqui opera bona ex natura ſua reddere poſſint magis gratum meritoriè, & gratia phyſicè ſubiectum aptum.

XLV. Vazq. Sed reſpondet Vazq. ibid. diuerſam eſſe rationem gratiæ ſanctificantis, ſeu adoptionis, & gratiæ vnionis; iſta enim ſanctificat per Deitatem, & conſtituit hominem filium Dei naturalẽ, & ideo maior eſſe non poteſt: illa verò vnit per affectum Deo, & per beneuolentiam, quæ maior eſſe poteſt pro ratione meritorum maiorum, vel minorum; proinde eſt diſpar ratio gratiæ, & vnionis, quod hæc maior eſſe non poteſt, quia reddit filium naturalẽ Dei; illa poteſt, quia adoptiuũ, cuius adoptionis, cum ſit amoris, & beneuolentiæ, nullus eſt gradus, quo maior eſſe non poſſit.

Quòd verò addit infinitatem reddere ſubiectũ incapax vlterioris gratiæ, probatione indiget; quia ſicut infinitæ quantitati fieri poteſt additio tam continuæ, quàm diſcretæ, qua reddatur maior entitatiuè, & materialiter; ita & infinitæ gratiæ fieri poſſet, atque augeretur ſanctitas, & meritum ſaltem materialiter; huic autẽ argumento reſponderet lumen, & gloria, quia non eſt maior ratio, cur infinitæ gratiæ, & cuilibet eius parti reſponderet, & non alijs gradibus aduenientibus, v. g. ſi Beatæ Virgini infuſa eſſet gratia infinita, ſi ſecundum totum conatum elicuiſſet actus charitatis, aucta eſſet illa gratia, quia per iſtos actus meruiſſet augmentum eius, & gloriæ ipſi reſpondentis; alioqui deterioris conditionis eſſet, quã habẽtes minorem gratiam finitam, ſi quidem per actus ex toto conatu elicitos merentur augmentum eius, & gloriȩ: quo argumento vtitur idem Suar. ad probandum, quod gratia, & caritas augẽtur per actus remiſſiores habitu, alioqui deterioris eſſent conditionis prædictȩ habitu intenſiore, quam qui remiſſiore. Neque ſatisfacit reſponſio, quòd infinitas reddat ſubiectum incapax maioris intenſionis, quia cum capacitas ſit per potentiam obedientialem, non apparet, cur alijs infinitis additio entitatiua fieri poſſit, & detur maius, & minus materialiter in gratia; in infinitis quippe hominibus plures sũt capilli, quàm oculi, & maior moles aggregati corporum, quàm partium ipſarum, v.g. digitorum articularium; non poſſit autem ſimilis additio materialis fieri in intenſione qualitatum, & gratiæ in particulari; & proinde etiam in lumine gloriæ reſpondente meritis; præſertim cum viſio ab ipſo cauſata etiamſi eſſet infinita, nunquã adæquari poſſit viſibilitati obiecti, quantumuis augeatur in infinitum. Sic reſponderent infinitum admittentes.

Ex Suar. gratia, & charitas augetur per actus remiſſiores habitu.

Confirmatur, quia ſi eadem additio gratiæ, quæ fieret infinitæ in Beata Virgine, poneretur in anima S. Petri, ex. gr. ſanctificaret illam formaliter, & mereretur per actus ſequentes augmẽtum ſui, & gloriæ; cur ergo non idem mereretur in B. Virgine? Quia infinita eſt, inquis, & reddens animam eius incapacem augmenti. Contra, quia hic agitur de potentia obedientiali, cur ergo gratia, quæ producibilis eſt in alio ſubiecto non poteſt dari in habente infinitã extendente Deo capacitatẽ ſaltem materialiter, ſicut extendũtur alia infinita materialiter per te?

Certè ſi duo Angeli habentes gratiam infinitam mererentur ambo ſimul maius lumen, quàm ſinguli ſeorſim, non eſt cur negetur maius fore meritum vnius, ſi Deus in eo reponeret totam illam gratiam duorum; nam meritum in ratione meriti poteſt eſſe in duobus, tribus, centũ Angelis in infinitum, ita vt quilibet habens ex ſuppoſitione gratiam infinitam poſſit mereri infinitè, & acquirere ius ad infinitam gloriam, & lumen; Cur igitur ſi replicetur gratia infinita in eodem Angelo, non habeat tantùm meriti, quantum haberent duo, in quibus illa

eadem

Digitized by Google

eadem gratia reperiretur diſperſa? Et ratio à priori eſt, quia eſſe gratum, & ſanctum, & dignum præmio ſunt effectus gratiæ, quæ eſt qualitas carens determinato gradu, & apta intēdi, ac remitti in infinitum, contra quā eueniat in gratia vnionis, quæ ratione termini nulla poteſt eſſe, vel excogitari dignior, vt Vazq. ſupra citat. cui aduerſarij facilè concedunt gratiæ infinitæ fieri poſſe additamentum materiale, ſicut alijs infinitis; non autē formale, vt infinitum eſt; ſed rationes allatæ contra hanc reſponſionem in vniuerſum valent etiam in præſenti materia; & multò magis, quia Deus poteſt acceptare ad præmium totum illud additamentum ſupra infinitum, & infinitas gratiæ in vno ſubiecto ſi daretur, non habet repugnantiam cū gratia vel finita, vel infinita eiuſdem rationis; neque apparet, cur ipſi Deus non poſſit dare prçmium ſupra illud, quod daret infinitæ ſine additamento prædicto. Vazq.

XLVII. Quare Suar. loc. cit. licèt non probet rationem Vazquez ad oſtendendam impoſſibilitatem gratiæ infinitæ, neque efficaciter probari putet ex capacitate ſubiecti creati, quæ finita eſt, vt D Thom. 3. p. q. 7. a. 11. c. quia ſupernaturaliter extendi poteſt; tamen ex varijs incommodis fieri ſolitis contra infinitum arguit etiam contra infinitatem gratiæ, eò quòd non ſit maior ratio de ipſa, quam de alijs qualitatibus, & quantitatibus, quibus repugnat infinitas. Suar.

Confirmari etiam poteſt argumentis proprijs qualitatum, ex. gr. ſi poſſibilis eſt infinitus calor, ponatur in corpore centum palmorum, & iuxta illud ponatur frigus infinitum in alio corpore eiuſdem molis iuxta poſito, ſine dubio agent, & patientur inuicē: quæro igitur, quot gradus frigoris expellat calidum per horæ quadrantem finitos, an infinitos? Si primum, ergo pariter in altero quadrante expellet finitos, & ſic per totam æternitatem aget, & nunquam finietur actio, quia infinitum ex ablatione finiti nunquā finitur; hoc autem videtur incredibile, quia vno ex agentibus ſuperante finitur actio, & expulſio contrarij: Et contra naturam eſt, ſi neutrum vincat. Ex alia parte infinitas qualitatis, quæ ſuperatur à contraria, nunquam ceſſabit reſiſtere, & reagere, atq; ita in æternum durabit pugna, & nunquā finietur actio, & reactio in duobus corporibus palmaribus, exempli gratia, in quibus poſita ſunt frigus, & calor infinitè intenſi. Signum ergo eſt, impoſſibiles eſſe huiuſmodi infinitates naturalem rerum curſum deſtruētes. Si verò dixeris, poſt quadrantem horæ expulſos eſſe infinitos gradus frigoris, tunc vlterius peto, an in media parte quadrantis expulſi eſſent finiti, & hoc non, quia etiam in reliqua medietate pariter expellerentur finiti, atque adeo in fine quadrantis non eſſent expulſi infiniti, quia finitum additum finito non facit infinitum: Si verò in media parte iam erant expulſi infiniti, contra ſuppoſitionem eſt, quod tātùm poſt quadrantem expulſi eſſent infiniti; & deinde redit quæſtio, an in medietate medietatis eſſent expulſi infiniti, an finiti, & cum ea argumentum, quod finitum additum finito non facit infinitum, aut quod contra ſuppoſitionem, quod poſt mediam partem expulſi ſint infiniti, ſi iam in medietate medietatis erant expulſi. Infinitum ſiniri non poteſt ex ablatione finiti

XLVIII. Et hoc valet etiam contra aſſerentes intenſionem fieri per maiorem radicationem in ſubiecto, & de ſe eſſe ſimplicem qualitatem: proportionaliter enim philoſophandum eſt de hac quoad actionem, & reſiſtentiam, ac de intēſione per gradus homogeneos, vel heterogeneos; contra quos præterea ſequeretur, ex infinito calore informante corpus centum palmorū, ex. gr. aut ex infinito lumine illuminā te diaphanum eiuſdem molis, poſſe calefieri infinitos mundos, aut illuminari magis ac magis ſine fine, quia ſi tantum finiti, vel ad certum gradum calefacere, vel illuminare poſſunt, iam non erunt infiniti, quia limitatæ virtutis.

Item data infinita grauitate, fieret motus in inſtanti, aliàs moueretur corpus finitæ grauitatis per idem ſpatium eodem tempore; in inſtanti autē non poteſt moueri, quia ſimul eſſet in termino à quo, & in termino ad quē, & in medio. Et quamquam Greg. in 1. d. 44. q. 4. a. 2. ad 7. concedat, motum loca- Corpus graue in inſtāti moueri non poteſt.

localem fieri poſſe in inſtanti; hoc tamen eſt contra rationem motus localis,quæ conſiſtit in ſucceſſiua acquiſitione loci, & contra communem Philoſophorum. Nec iuuat, quod Philoſophus 4. Phyſ. t.71. docet, motum in vacuo fore in inſtanti; quia hinc potius probaretur contrarium, contendit enim Philoſophus non dari vacuum, neque eo iuuari motum, ſed deſtrui, quia motus localis eſt in tempore; dato autem vacuo, eſſet in inſtanti, quod eſt impoſſibile.

Dices, ſi intenſio dicatur fieri non per additionem gradus ad gradum, ſed per maiorem radicationem in ſubiecto, & eſſe ſimplicem qualitatē, nullum ſequitur abſurdum ex allatis, præſertim illud, quod per additionem, & detractionem deueniretur ad vltimum; quod eſt argumentum Albertini in Prædicamento Quantitatis diſp. 4.q.6. n.4. tenentis io hoc poſſe dari infinitum, ergo, &c. Albertin.

Cui non obſtat, quod non poſſit dari ſubſtantia creata infinita proportionata tali accidenti, quia non intenditur, quod qualitas infinita proportionetur ſubiecto, ſed tantū quod per diuinam potētiam non implicet; nam neque lumen gloriæ eſt connaturale alicui ſubiecto de facto, & tamen de facto datur.

Reſpondeo primò per inſtantiam; nam ſi ſimplicitas ſufficit ad tollenda incommoda, quæ ſequuntur ex infinito, ergo poterit dari ſubſtantia infinita, v.g. Angelus; in eo enim non daretur detractio, & additio, & proinde nec vltimum, ſicut neque in qualitate ſimplici: & tamen per te repugnat ſubſtantia creata infinita: Deinde quicquid tandem ſit radicatio perfectior in ſubiecto, ſi eſt accidens infinitum, habet contra ſe incommoda alia ſupra numerata pręter additionē, & detractionem, per quam deuenitur ad vltimum: Ideò directè nego antecedens: probatum eſt enim ſupra infinitum implicare contradictionem in creatis.

Et ad cōfirmationem reſpondetur, quod non ſolùm ex improportione accidentis infiniti ad ſubiectum finitū petitur impoſſibilitas infiniti, ſed aliūde, vt patet ex dictis.

Conſequenter non poteſt dari infinita humiditas, neque ſiccitas, neque ſcientia, aut alius habitus, aut potentia, neque infinita velocitas, neque infinita tarditas motus, neque color medius infinitus, vel raritas infinita, vel denſitas, quamuis quidam ex ijs non repugnare infinitum cenſeant, inter quos Albert. diſp.4.q.6. Nulla qualitas quæcunque illa ſit, fieri poteſt infinita.

SECVNDA

Ratio.

CAP. VII.

I. *Infinitum actu eſſet purus actus, explicatur.*

II. *Dato accidente infinito daretur actus purus ſecundum quid.*

III. *Hinc argueretur actus purus ſimpliciter in ſubſtantia infinita.*

IV. *Supponitur, quod infinito vt ſic nihil addi poſſit.*

V. *Subſtantia autem cui nihil perfectionis addi poteſt, ſolus eſt Deus.*

QVA S. Bonauent. probat implicare infinitum habetur ibid 1. ſentent. diſt.43. a.1. q. 3. in corpore; *Infinitum, inquit, in actu eſt actus purus, alioqui ſi aliquid haberet de limitatione, & coarctatione, eſſet finitum; ſed quod eſt actus purus eſt ſuum eſſe per eſſentiam, & nihil tale accipit eſſe ab alia eſſentia, nec ex nihilo: ſi ergo creatura eo ipſo quod creatura aliunde eſt, & ex nihilo, nullo modo poteſt eſſe actus purus, nullo modo poteſt eſſe infinita:* Quæ ratio vniuerſalis eſt, & non ſolùm de corpore infinito, vt eam interpretatur Vazquez 1.p.d.26.nu.7. illam confutans. XLIX.

Et quidem cæteræ ſequelę non habent difficultatem in ſententia communi Theologorum, ſed prima nimirum eſt infinitum, ergo actus purus habet maximam; quia ex eo quod daretur quantitas infinita, vel qualitas, non ſequeretur eſſe actum purum, quia non haberet totam poſſibilē perfectionem, neque neceſſariam exiſtētiam, neque independentiam, neque omnimodam ſimplicitatem, neque

Digitized by Google

excluſionem omnis potentialitatis, & ſimilia quæ ſunt requiſita ad actum purum : & ideo communiter reijcitur hæc ratio à recentioribus præſertim, tam pugnantibuspro infinito, quàm repugnantibus.

Sed accepta in bono ſenſu probabilis eſt, & valida ratio iſta; nam de ratione infiniti, qua infinitum eſt, & non tantùm entitatiuè, ſeu materialiter conſiderati eſt, vt neq; augmentũ, neq; decrementũ patiatur, etiã in ſententia multorũ admittentiũ infinitũ, igitur quoad hoc nullam habet potẽtialitatem, & proinde eſt purus actus, ſecundùm hanc conſideratione͂, quia ſicut purus actus ſimpliciter, & abſolutè dicitur id, quod ſimpliciter expers eſt omnis prorſus potentialitatis; ita purus actus ſecundùm quid eſt, quod ſecundùm quid excludit potentialitatem, v.g. in propoſito, quod omnis mutationis expers eſt, & neque augeri, neque minui poteſt; omnis autem creatura obnoxia eſt mutationi; ergo nulli creaturæ conuenit eſſe actum purum ſecundùm quid. Nam data qualibet quantitate, poteſt fieri maior, & data qualibet qualitate poteſt fieri perfectior; & idem eſt de ſubſtantia; igitur nulla creatura eſt actus purus ſecundùm quid in ratione augmenti, & decrementi; ergo neque vlla eſt infinita, ſi infinitum, vt ſic, eſt inuariabile.

Infinitũ, vt ſic incrementum, & decrementum non patitur.

Dices, hunc non eſſe diſcurſum S. Bonauenturæ; nam ex eo, quod eſſet actus purus, infert, quod eſſet ſuum eſſe per eſſentiam, & à ſe; hoc autem non ſequitur de actu puro ſecundũ quid; quia benè poteſt carere potentialitate quoad augmentum, & incrementum; ſed non eſſe ſuum eſſe, & à ſe, cum ſit creatura pendens à Deo in eſſe, & conſeruari.

L. Reſpondeo, diſcurſum S. Bonauẽt. eò tendere, vt probet, admiſſo ſemel infinito, ſequi, quod creatura ſit actus purus, non ſolùm ſecundùm quid, ſed ſimpliciter: Etenim ſi infinito formali nihil addi poteſt, per quod magis perficiatur, igitur infinitæ ſubſtantiæ nulla poteſt fieri acceſſio maioris perfectionis; quia ſicut infinitum in quãtitate non poteſt augeri quantitatiuè, ſed ſolùm entitatiuè; ſic infinitum in ſubſtantia non poteſt perfici in ratione ſubſtantiæ formaliter, igitur eſt actus purus ſubſtantialis, ergo Deus, ergo à ſe.

Nec valet dicere, quod ſemper inuolueret potentialitatem, quia creatura eſt, proinde conſtans genere, & differentia, ſuppoſito, & eſſentia, ſubſtantia, & accidente; nam ex vna parte hæc ſunt inſeparabilia à creatura, ex alia non ſunt coniungibilia cũ ſubſtantia infinitè perfecta; nam ſi infinito, vt ſic, nihil addi poteſt, quo formaliter augeatur, aut perficiatur, ergo ſubſtantia infinita in ratione ſubſtantiæ perfici non poteſt formaliter, ergo habet omnem perfectionem, & caret omni imperfectione; quæ verò talis eſt, expers eſt omnis potentialitatis ſecundùm eſſe ſubſtantiale, atque adeo eſt actus purus ſubſtantialis; quæ autem ſubſtantia talis ſit, præter diuinam, & increatam? A primo ergo ad vltimum non eſt poſſibilis creatura infinita, quia eſſet vel actus purus, vel ſecundùm quid, ſi accidens, vel ſimpliciter, ſi ſubſtantia, quam poſſe dari infinitam non repugnat, admiſſa ſemel infinitate in accidente.

Supponit autem S. Bonauentura, Infinito nihil addi poſſe, vt patet ex ratione quinta in contextu, & conſequenter non valeret eius argumentũ contra admittentes infinitum formaliter augeri poſſe, & vnum infinitum maius altero: Sed iſti ad vitãdũ difficultate͂ videntur finxiſſe nouam ratione͂ infiniti cõtra antiquos impugnatores eiuſdem, conuenientes tamen in hoc, quod vbi deficit aliquid in perfectione, vel mole, vltra quam datur maior ibi finitur, & exceditur ab addito; ex quo inferunt, infinitum fore ex ſuppoſitione, ob rationem conuincentem fore finitum, quæ eſt implicantia.

Vnum infinitũ maius altero dari non poteſt.

Dices, ſatis eſſe ad rationem infiniti, vt in eo ſemper reſtet aliquid extra accipere, vt ſupra ex Philoſopho communiter admiſſo 3. Phyſ. t. 63. hoc autem contingeret, etiamſi daretur infinitum maius & minus materialiter; dummodo formaliter neque maius, neque æquales, aut inequales dicatur, eo quod iſtæ ſint paſſiones quantitatis finitæ, vt Vazq. 1. p. d. 26. c. 2. nu. 8. cum Richardo: Sunt enim relationes

Vazq. Rich.

inter

Digitized by Google

inter duo quanta ſecundùm menſuram, ſub quam cadere ſolùm poſſunt finita: alioqui argueret etiam contra Philoſophum facientem mundum æternum 8. Phyſ. à 1. cap. & 1. Cęl.c.10. nam motus eſſet æternus, & illi tamen ſemper aliquid adderetur, quia continuatur in ęternum ſecundũ ipſum. Hinc autem infertur, non eſſe neceſſarium, vt infinita qualitas, vel quantitas, vel ſubſtantia includat omnem perfectionem in ſuo genere; ſed ſolùm vt tantam, quanta nunquam poteſt exhauriri ab accipientibus extra; atque adeo non ſequeretur, quod accidens eſſet actus purus ſecundùm quid, ſi daretur infinitum, neq; quod ſubſtantia eſſet actus purus ſimpliciter, poſito quod daretur infinita; quia cum illa ſtaret poſſibilitas perfectioris ſubſtantiæ, ſicut cum infinita multitudine hominum ſtat maior multitudo capillorum, non maior formaliter, ſed tantùm materialiter, & cum infinita multitudine dierum in ſententia Ariſtotelis ſtat eorum augmẽtum per continuatas Cœli reuolutiones.

LI. Contra, quia præter dicta ſuperius contra diſtinctionem hanc augmenti materialis, & formalis; hic etiam illa admiſſa ſtat argumentum, quod ſubſtantia infinita ſi daretur, haberet omnem perfectionem formalem ſubſtantiæ, vt ſubſtantia eſt, ergo formaliter perfici vlterius non poſſet, ergo excluderet omnem potentialitatem; quoad hoc igitur eſſet actus purus, ideſt, expers, & incapax vlterioris perfectionis, ſeu potentialitatis ad perfectionem vlteriorem ſecundùm eſſe ſuum eſſentiale, & ſubſtantiale; hoc autem dicitur eſſe proprium Dei, de quo verificantur hæc omnia, quæ sũt connexa inter ſe, eſſe actum purum à ſeipſo neceſſarium independens, &c. quæ repugnant creaturæ.

Subſtantia infinita haberet in ratione ſubſtãtiæ omnem perfectionẽ.

Et quemadmodum nihil intereſt, quod dentur aliæ perfectiones creaturarum ab ipſo diſtinctæ, & in eo tantùm virtualiter, ſeu eminenter contentæ, quæ extra diuinas accipiũtur in infinitum, ad hoc vt dicatur actus purus; quia cum ſit infinitus, non eſt capax alterius perfectionis: Ita ſi daretur ſemel ſubſtantia infinita, non obſtaret, quin eſſet actus purus poſſibilitas aliarum perfectionum in infinitum poſſibilium, quia ex ſuppoſitione illa haberet quicquid pertinet ad perfectionem formalem ſubſtantiæ, & careret omni potentialitate ad perfectionem maiorem.

Neque obſtat exemplum de Mundi æternitate ſecundùm Ariſtotelem, quia etiam in aduerſaria ſententia infinitas dierum non augetur formaliter, cum infinitum augeri non poſſit formaliter per illos concedentes eſſe quidem alios, & alios dies, non tamen plures; quia nomen, Plures, relationem inæqualitatis ſignificat, quæ non conuenit infinitæ quantitati, vel multitudini; ex hoc autem magis confirmatur ratio noſtra, quod infinitum vt ſic augeri non poſſit, & proinde neque ſubſtantia infinita perfici formaliter, quia eſſet in ſtatu omnis perfectionis ſubſtãtialis formalis, & proinde actus purus illimitatus neceſſarius, à ſe, &c.

Confirmatur ex dictis ſupra, quia ſicut complexum ex Deo, & creatura non eſt quid nobilius, aut maius, quã ſolus Deus, quia continet omnem poſſibilem perfectionem per creaturas diſperſam, ſeu in genere entis; ita cõplexum ex infinita ſubſtantia non eſſet perfectius, quam ſola ſubſtantia, quia eſſet infinitè perfecta in genere ſubſtantiæ, ac proinde ſine potentialitate hac, quæ eſt minima, vt poſſit componere cum alio complexum ſe perfectius, ac proinde eſſet purus actus, qualis ſolus poteſt eſſe Deus, & tamen ex eo, quod eſt creatura, non poteſt eſſe purus actus, neq; indepẽdẽs

EX VARIIS

Incommodis Infiniti oſtenditur eius impoſſibilitas.

CAP. VIII.

I. Funis columnam ambiens in gyrũ longior eſt columna.
II. Hinc ſequuntur varia incõmoda.
III. Quibus non ſufficienter occurritur per diſtinctionem materialis, & formalis infiniti.
IV. Neque per diſtinctionem adæquati, & inadæquati.

V. Aliud incommodum ex continua ablatione, & non diminutione infinitorum denariorum.

VI. Neque vitantur incommoda admiſſa penetratione corporum, vel halitudine indiuiſibili in ordine ad locum,

VII. Alia incommoda, ſi potuiſſet mūdus eſſe ab æterno.

VIII. Vltimum de duabus lineis non parallelis ductis ab eodem puncto.

LII. Pleraq; ex ijs commemorata ſunt in probatione concluſionis S. Bonauēt. quæ ſequuntur, conſerunt ad eorum confirmationem, & declarationem veritatis huius.

Primum eſt. Si fieri poteſt corpus infinitum, fiat columna bipalmaris ſecundùm latitudinem, ſeu diametrū, & infinita, vel ex vtraque parte, vel ex vna, v g. verſus Cœlum ſecundùm longitudinem. Rurſus fiat funis infinitus, & per gyrum circundet illam, certum eſt, quod ambitus bipalmaris diametri ambiri non poteſt, niſi à quantitate triplo maiore: vt enim Archimedes de Circuli dimēſione, cuiuſlibet Circuli circumferentia, ſui diametri eſt tripla,& plus parte, quæ minor eſt ſeptima ,& maior decem ſeptuagenis primis, quæ eſt propoſitio ab eo demonſtrata ibid. proinde ſi ambiatur tota Columna in gyrum à fune, oportet hunc eſſe longiorem illa: Ex quo ſequitur.

Ambitus bipalmaris diametri ambiri nequit, niſi a quantitate triplo maiore.

Primò dari vnum infinitum longius alio, funis enim longior eſt columna. Reſpondent, longiorem eſſe materialiter, quia longius eſſe dicit relationē menſuræ ſecundùm maius, & minus; quæ non cadunt in infinitum, cum ſint paſſiones finiti; ſed cum tota columna ambiatur ex omni parte à fune triplo, & eo amplius,ſuperat longitudo funis longitudinem columnæ,ſi vera eſt demonſtratio Archimedis, quā eſſe veriſſimam ſuadet etiam ſenſus iudicans longiorem eſſe funem ambientem cilindrum, quam ſit diameter cilindri; quod autem ſecundùm longitudinem ſuperat aliud longum, ſine dubio longius eſt illo formaliter, quia ſe extēdit vltra illud in longum, quod eſt formaliter eſſe longius, ſiue deinde voces partes alias & alias; non autem plures, quæ eſt luſio nominis ad effugium, potius quàm realis diſtinctio ad ſolutionem argumenti. Et idē eſt de mole infinitorum hominum, in qua maius eſt totum aggregatum corporum, quàm digitorum, vel oculorū duntaxat.

Secundò,ſequitur funem illum gyratiuum columnæ, vel non poſſe per diuinam potentiam extendi,vel ſi extenditur per illum commenſuratum iri totam longitudinem columnæ, & ſic infinitum claudi terminis primo, & vltimo; vel certè, ſi non commenſuretur,nuſquam ſuperaturum in longitudine coextenſa ipſam columnam. Primum eſt mirabile,ſi enim Deus poteſt columnam rectā infinitam creare, & eam circumdare fune, cur non poſſit eundem funem extendere ſupra columnam, quem poteſt rectum creare, & extendere alibi longè ab illa, vel prope? Secundum ſequitur neceſſariò, quia funis ille extenſus retinet totam longitudinem, quam habebat circumuolutus columnæ; ſi ergo extendatur, occupabit maiorem longitudinem ſpatij, quam occupet columna; atque adeo hinc inde excedit illam, vbi autem incipit excedere funis, deſinit extendi columna, & ibi finitur ex vtraque parte; at in finitum finiri implicat. Tertium autem dici non poteſt, quia ſupponitur coextendi funis columnæ, ita vt nulla ſit pars columnæ, quæ non cohæreat, vel etiā tāgatur à fune; plurimæ verò ſint partes funis, imò infinitæ, quæ nō cohæreant, neque tangantur, quia extenduntur vltra totam columnam. Caſus apparebit magis clarus, ſi fingatur, quod Deus totum illum funem ambientem columnam momento extendat iuxta illam, ita vt ſit contiguus columnæ, aut certè creet intra, vel iuxta illam.

Implicat infinitū finiri.

Dicere autem, quod funis non ſit breuior, nec longior, nec æqualis, eo quòd iſtæ ſint paſſiones finitæ quantitatis eſt dicere, quod infinitum deſtruat rerum eſſentias, & naturas; ex vi enim terminorum notum eſt naturæ lumine, lineam illam eſſe longiorē alte-

Digitized by Google

altera, quæ tot habet partes, quot habet altera, & alias multas, quas non habet altera, & negare, hoc eſſe verũ in infinito eſt negare ſignificatum terminorum.

Ideò mitius de infinito philoſophãtes continent ſe intra luminis naturalis metas, conceduntq; partes alias, nõ plures, ſed maiorem, ac longiorem entitatiuè, ſeu materialiter eſſe funis, non quantitatiuè, & formaliter. Sed vt diximus ſi ſecundùm alias, & alias partes ſuperat columnam, cur non vocentur plures illæ partes, ſecundùm quas excedit? Aut cur non dicatur formaliter longior, ſi ſe extendit ſecundùm iſtas partes, quò non extenditur columna, & occupat lõgius ſpatium, quàm illa.

LIII. Alij vim argumenti facti maius, & minus in fune, & columna infinitis concedunt, eo contenti, quod ex vtriſque plures partes ęquales ſemper maneant extra accipientibus.

Sed iſti infinitum intra terminos claudunt, & finitum faciunt, quod ægrè congruit cum potentia pręd.cta accipiendi ſemper aliquid extra, ſi infinitum ſit categorematicum; nam vbi funis coextenſus incipit ſuperare columnam, nihil manet in ea, quod extra accipiatur, & ſic non eſt infinita. Vel igitur hoc, quod eſt reſtare ſemper aliquid accipiendum, idem eſt, quod carere termino, vel neceſſariò ſecum habet adiunctum, ita vt mutuò ſe ſe inſerant: & proinde non poteſt infinitum claudi terminis. At ex dato caſu columnæ, & funis. Tertiò ſequitur claudi terminis, nam pręd.cta columna infinitè longa tranſeat per centrum terræ, quod ſit punctum in ea ſignatum, & vocetur A. ab illo puncto eſt diſtantia infinita verſus, & ſupra zenit, & hanc videt Deus. Notetur igitur B. aliud punctum infinitè diſtans à puncto A. ſpatium interruptũ inter A. & B. eſt infinitum, & columna illi reſpondens intercepta inter angulum A. & B. funis ambientis eſt infinita, & tamen clauditur duobus terminis A. & B. id eſt finitur in A. centro terræ, & B. infinitè ab eo diſtante, & ſic finitum idem erit, & infinitum.

Quartò; ſequitur, quod ſi ab eo fune extenſo abſcindantur decem milliones palmorum, nihilominus ambiet totam columnam, ſicut prius ſi iterũ circumuoluatur eo columna, conſequens videtur abſurdum: quomodo enim, quod tam notabiliter mutatum eſt, ac diminutum præſtet eumdem effectum, quem ante pręſtabat? præſertim ſi abſcindantur rurſus milliones & milliones palmorum? Conſequentia probatur, quia ſi non ambit totam columnam, ergo pars, cui ambiendæ non ſufficit, eſt finita; nam infinita à finitis palmis ambiri nequit. Sit ergo verſus zenit punctum B. vltra quod vlterius ambire nequit funis, cuius tam multæ partes ſunt abſciſſæ: Columna illa vltra punctum B. eſt finita contra ſuppoſitionẽ, quod nullum habet finem in longitudine. — Quod notabiliter mutatum, ac diminutũ eſt, præſtare eũdem effectũ non poteſt.

Huc non cadit diſtinctio de longiori materialiter, & formaliter, quia quomodocumque vocetur exceſſus, & defectus ille funis ambientis, ſequuntur prædicti effectus oſtendentes repugnantiam.

Neque dicas decipi imaginationẽ, quia tota argumentatio reduci poteſt ad terminos metaphyſicos oſtẽdentes rerum naturas, circa quas nugari nõ licet imaginationi; quod enim decem milliones palmorum ſint entia, quæ addita longitudini, illam faciant vnũ ens continuatione maius, quod negatione eorum reddatur minus, termini ſunt Metaphyſici, quibus vtitur intellectus ad explicandas virtutes obiectiuas, & applicati phyſicis idẽ euincũt. LIV.

Quintò. Ardeat totus ille funis, & redigatur in cineres, occupabunt ſpatium minus, quàm ante incinerationem; patet enim experientia ſtruem lignorum in paucos cineres conuerti; ergo erit infinitum corpus cinerum minus, quàm totus funis, & ſic vnum infinitum maius altero, & collocatum ſupra columnam non æquabitur illi, atque ita relinquet ex vtraque parte ſpatium non occupatum à cineribus, ſed à columna, & finietur illic vbi deſinit extenſio; atque adeo columna intercepta inter iſtas duas partes erit & finita, quia terminatur, & infinita, quia coextenditur infinitis cineribus, quibus aſpergitur: hæc autem fore infinitæ molis ex eo patet, quia tot ſunt in ea partes aſſignabiles vna extra

tra

Digitized by Google

tra aliam, quot fuere circuli in eos cōuerſi, quibus ambiebatur columna: Illi autem ſunt infiniti. Ex quo rurſus ſequitur aliud inconueniens, quod infinitum, vt ſic eſſet in loco proprie: nam iſti cineres occupant minus ſpatium, quàm funis integer occupaſſet, & proinde ambirentur ſpatio: Cum autem locus ſit terminus cōtinens locatum ex 4 Phyſ. t. 41. infinitum terminaretur contra naturam ſuam: ſequelam autem negant iſti; ſed.

Locus eſt termin. cō tinens locatū ex Ari t.

LV. Sextò, Si fierent infiniti mundi, qui per te fieri poſſunt, quot repleri poſſent ex iſtis pulueribus combuſti funis infiniti in longitudine; ſi finiti, ergo moles eorum fuit finita: ſi infiniti, quis credat, ex vnius funis veſtigijs repleri mundos infinitos, ſecundùm totam capacitatem ſpatij ipſorum, cum in longum ſolummodò infinitus fuerit funis, ſicut columna; & proinde ſolū occupare poſſit infinitum palmare ſpatium in latitudine; non autem totam amplitudinem in latum, & longū mundum infinitorum, ſi crearentur; & idem eſt de linea capillorum infinitorum per totam columnam diſpoſitorum; quis enim aſſentiatur aſſerentibus infinitum ex vna parte poſſe fieri infinitum ex vtraque quātum à toto, v.g. ab infinitis oculis, quod occupatur ab infinitis hominibus, vt concedit Maior. Concedo, inquit, quod eorum, id eſt infinitorum hominum oculi ſufficiunt ſine rarefactione replere omnem locum poſſibilem, ſi eruantur de eorum capitibus, & ponantur circa centrum, &c. Vazq. cit. diſp. 26. c. 3. poſt Aegid. in 2. d. 1. p. 4. q. 2. concedentem infinitis phialis aquæ repleri poſſe infinita dolia, & proinde etiam infinitos mundos, ſi conſequenter loqui velint, vt loquuntur alij quidam exponentes ludibrio infinitū, vt conqueruntur nonnulli eiuſdem patroni, qui tamen & ipſi incidunt in Scyllas vitare volentes huiuſmodi Charybdes verticoſas: diſtinguunt enim de infinito adæquatè, & inadæquatè, & quia vna pars alicuius infiniti tam in multitudine, quàm in magnitudine eſt infinitum inadæquate; ideo non præſtat totum id, quod præſtaret infinitum adæquatum: Contra quam diſtinctionem ſupra aliquid diximus, & infra ex propoſito oſtenditur non ſolui per illam argumenta ex abſurdis infiniti; ſicut neque ſi negetur poſſe creari infinitum in corporibus cum diſpoſitione, & ordine ad inuicem, ſed vel penetratiuè ſe habentia, vel alio modo: quod eſt effugium ad vitanda abſurda per abſurdum maius excogitatum à quibuſdam.

Cōtra infinitū adæquatè, & inadæquatè.

Aliud Incommodum.

LVI. SInt infiniti homines habentes ſinguli ſingulos denarios, ſi ponantur in cumulo, quilibet eorum poteſt capere denarios ad æqualitatem Regis Cappadociæ, ait Maior. ibid. §. 2. arguitur; & mox ſubdit, quilibet poteſt venire qualibet die, & capere mille ſcuta, & ſemper remanebunt tot ſcuta pro hæredibus, id eſt infinita, ſed caueant infiniti homines ſimul venire, & ſi veniunt, inordinatè auferāt, &c. En luſum, ſi ordinatè capiant, ſēper manent infinita, ſi inordinatè, finiuntur. Sequela autem patet, quia infinitum per ablationem finiti nunquam finitur, alioqui non eſſet infinitum. Si ergo Deus crearet infinitos homines habentes ſingulos ſingula ſcuta, & hæc in vnum cumulum conijcerentur, poſſent ſingulis diebus, imo horis, & frequentiùs mille milliones hominum auferre ſinguli centum mille milliones millionum pro libito auferre ab illa maſſa, & poſt centum milliones annorum non obſtantibus continuis ablationibus remaneret ſemper infinita multitudo ſcutatorum non exhaurienda per totam æternitatem; quia omnes iſtæ ablationes, & ſcuta ablata ſunt finita, & finitè replicata, ac replicanda non conflant infinitum.

Maior.

Neque etiam huc cadit diſtinctio de infinito adæquatè, & inadæquate ſumpto, quia quomodocunque ſumatur, ex eo, quod eſt infinitum, continere debet infinitos binarios, & iſti per quamcumque ablationem finitā, nunquam exhauriuntur, ſed ſemper remanent infiniti, atque ita per totā æternitatem poterunt centum millia hominum, vel centum milliones, & eò amplius in quolibet finito numero auferre ſinguli millia, decem centum millia ſcuta per totam æternitatem

ab

Digitized by Google

ab eo cumulo, & tamen ſemper remanebunt infinita; verè mirum; conceſſum tamen à Maior. Aegid. Gregor. Mayr. qui in 1.d.44. q.10. ad 3. facta, inquit, detractione quantæcunque multitudinis finitæ, adhuc remanet multitudo infinita in nullo penitus minorata. Mirum, inquies, ſed verũ. At quomodo verum, quod vna multitudo per totam æternitatem imminuatur continua ablatione, & formaliter non imminuatur, quia manet infinita, & infinitum eſt incapax augmẽti, & decrementi qua infinitum eſt, infinitas illa ſcutorum quantumuis multiplicentur detrahentes, & augeatur ſumma detracta, quia ſemper illi finiti ſunt, & iſta etiam finita, licèt numero vix cadente ſub captum intellectus ob immane augmentum in horas ſingulas repetitum per tot annorum millia? Quod cumulus ille ſcutatorũ partitus in decem, aut centum milliones cumulorum, & iterum tertiò, &c. partitus in infinitos partiatur, id eſt continentes omnes, & ſingulos infinita ſcutata, & quòd cumuli iſti toties multiplicati non ſint minores formaliter, quàm totus cumulus priuſquam in illos partiretur? Et multò magis ſi quilibet cumulus non minus occuparet ſpatij, quàm totus ſimul, aut quomodo non occuparet, ſi non haberet finem in mole, quæ ſequitur numerum, ac multitudinem, & proinde infinitum?

Maior. Aegid. Mayr.

LVII. Hæc autem omnia abſurda non vitantur per diſtinctionẽ infiniti adæquati, & inadæquati, quia ſequuntur ex admiſſione infiniti, quod vt ſic nõ eſt maius, neque minus, neque capax augmenti, aut decrementi, quantumuis per totam æternitatem augeatur, vel minuatur; hoc enim dato, nullus eſt numerus quantumuis maximus ſcutatorum detractorum, per quem exhauriatur cumulus ille totus, aut centum milliones cumulorum ex eo facti, etiam ex illis cõtinuò quotquot fuerint finiti homines, aut Angeli ad libitum detraxerint, quia ſemper illi omnes cumuli continebunt infinita ſcuta, id eſt, nec plura, nec pauciora, quam ſi nec vnum ſcutatum ablatum fuerit.

Dices, imminui, & augeri quà finiti ſunt cumuli, non quà infiniti. Ergò quà finiti tandem exhaurientur, quia continua imminutio, & detractio ſi eò deueniat, vt nihil maneat detrahendum, exhaurit cumulos illos; ſin ſecus non imminuit qua finitum, quia vt ſic tandem finietur; omne enim finitum qua finitum eſt, ablatione finiti tandem finitur. Infinitum ergo qua finitum eſt, finietur; quid ergo remanebit, quod ſit infinitum? Vel ſi infinitũ qua infinitum eſt, finiri nequit, ergo neque imminui: quod enim minuitur per partes æquales, aut maiores, qua finitum eſt, tandem finitur, aut ſi non finitur; dicam etiã, quod nec minuitur.

Omne finitum vt ſic, per alationem finiti, tandem finitur.

Confirmatur, quia ſi cumuli illi, in quos diuiſus eſt totus ille cumulus ſcutatorum, non ſunt minores illo, igitur infinitus cumulus granorum milij non eſt minor infinitis corporibus, quorum quodlibet ſit maius toto mundo, qui de facto conditus eſt. Cõcedit ſequelam Maior. d. illa 44. q 3. §. Quinto ſequitur: ſed alijs monſtrum videtur, etiamſi negent infinitum augeri poſſe. Alij ſponte cõcedunt augmentum infinito etiã formaliter conſiderato videntes vim argumentorũ, & imparem ſolutioni diſtinctionem materialis, & formalis adæquati, & inadæquati.

Similis eſt caſus: Si Deus crearet vrnam palmaris diametri infinitè longam ex vna parte, puta verſus zenit, eamque impleret aqua, aperto foramine in baſe innixa lapidi, ſi ſuſtentare poſſit pondus eius, aut ſi non poſſit ſuſtentaretur diuina virtute, vel alio modo, aqua inde exiens implere poſſet maria, & mũdos infinitos, & proinde infinities infinitas vrnas æqualis diametri, & maioris; imò & infinitę, quia quantumuis aqua effluat, ſemper remanet infinita in vrna, & nunquam vllam partem vltimam vrnę relinquet vacuam, tum quia tandem relinqueret omnes, & finiretur, cum non ſit maior ratio de vna, quam de alijs; tũ quia daretur primum, & vltimum in infinito corpore, nimirum baſis in terra, & palmus ille vacuus verſus zenit, atq; adeo infinitũ interceptũ terminis, quod eſt contra maiorẽ partẽ Auctorum infiniti. LVIII.

Neque

Neque facienda eſt vis in fluxione, vel conſiſtentia aquæ; nam ſaltem per diuinam virtutem fluere poſſet: ſi fortè dicas moueri non poſſe, quicquid Ariſt. 3. Phyſ. t. 48. aſſerat, eandẽ eſſe rationem partis, & totius, quoad motum, & inclinationem ad locum in corpore naturali, & ſenſibili, & vt magis appareat vis argumenti, finge ab æterno conditam vrnam, & ab æterno fluxiſſe aquam vſq; in hanc diẽ, qui ponis ens creatum, & motum ab æterno fieri potuiſſe, &c.

Præterea in iſta vrna ſunt infinitæ phialæ aquæ, & has Deus poteſt ſeparare ab alijs, & rurſus manent infiniti congij aquæ, & hos item poterit ſeparare, & ijs ſeparatis adhuc remanẽt infinita dolia, & phialæ, quia ſicut ex infinita multitudine ſeparatis infinitis binarijs remanent infiniti quaternarij & ſic de quibuslibet numeris infinitis infinities ratiocinando, ita ex infinita mole aquæ contentę in vrna, ſeparatis quibuſcumque menſuris, remanent aliæ infinitæ: ex quibus omnibus repleri poſſent ſingillatim infiniti mundi, quia nunquam finirentur menſuræ, & quod tota vrna non eſſet maior, quàm ſingulæ infinitates phialarum, aut etiam guttarum ab illa ſeparatarum, ſi vnum infinitum nõ eſt maius alio, quod eſt dicere, totum non eſſe maius partibus ab eo in infinitum decifis, contra ſuperius dicta in impugnatione reſponſionis Gregorij, qui preſſus vi argumenti conceſſit infinitos lapides palmares occupantes ſpatium infinitum tàm verſus Orientem, quàm verſus Occidentem, etiãſi corrumperentur ex illis alterni infinities. Nam vel ex illa vrna aquę repleri poſſet tantùm vnus, vel plures mundi finiti, & ſic eſſet finita, vtpote contenta, & adæquata ſpatio finito; vel infiniti, & ſequuntur incommoda prædicta; illud in primis, quod vrna vna in infinitis mundis infinities contenta non eſſet minor illis, quia illos omnes repleret, quo quid mirabilius, aut voratu difficilius? Et idem eſt, ſi per numeros metiaris; nam in vrna illa continentur dolia infinita aquæ, & proinde etiam infinitæ phiales, corrumpat ergo Deus infinitas phialas, remanebunt adhuc infinita dolia, igitur infinita dolia non continentur in infinitis phialis, ergo continentur finita, & ſic infinitæ phialæ eſſent finitæ quantitatis, vt pote contentæ in dolijs finitis, & illis adæquatæ; quod ſi infinitæ phialæ continent infinita dolia, corruptis infinitis phialis, corrumpi etiam oportet infinita dolia; & tamen ſuppoſitio eſt, quod ex ſingulis dolijs corrumpuntur ſolùm infinitæ phialæ, ſalua reliqua quantitate aquæ in illis contentæ.

Abſurdũ eſt aſſerere totũ non eſſe maius ſuis partibus.

LIX. Ex quibus vniuerſim probatur impoſſibilitas infiniti tàm in quantitate continua, quàm diſcreta, tàm in numero propriè ſumpto in rebus corporeis, quàm in multitudine qualibet, ne fiat vis in nomine propter negantes numerum in ſpiritualibus, quia illo poſito, non ſolùm immutatur, ſed deſtruitur natura, & ordo rerum, & conceduntur multa contra dictamen, & lumen rationis, cui maximè innititur Metaphyſica explorans veritates, iuxta directionem intellectus imaginationem, ac ſenſum tranſgreſſa; nam iuxta eius principia verum eſt, quod multitudo quælibet, aut corpus maiora ſunt qualibet parte in illis cõtenta.

Item ex ablatione partium fiunt minora, quia amittunt partes, quibus conſtabant, & ex additione augẽtur.

Item quantitas diuiſa in duas partes, v.g. linea ducta per centrum mũdi, & in eo diuiſa non eſt eadem, quæ erat ante diuiſionem, neque vlla pars tanta eſt, quanta erat vtraque ſimul continuata, & vna; & idem eſt de multitudine Angelorum, ſi per illam eſſent diſpoſiti, idque ex natura quãtitatis, abſtrahendo à finita, & infinita: Et ſimilia.

Aliud Incommodum ex reſponſione Recentiorum.

LX. AD vitanda hæc abſurda, quæ fidem ab intellectu negantium infinitum extorquere nequeunt, excogitarunt eius patroni quidam diſtinctionem ſupra allatam de infinito adæquato, & inadæquato; ſi enim comparentur infinitæ phialæ cum infinitis dolijs remanentibus, dicuntur infinitæ inadæquatè, dolia verò infinita adæquatè; & propterea non ſequun-

quuntur abſurda prædicta; quia infinitæ phialæ non reſpondent infinitis dolijs adæquatè, ſicut neque infinitas hominum infinitatibus binariorum manuum, aut oculorum in ipſis; propterea diuerſi ſunt effectus vtriuſque, & maiores infiniti adæquati, quã inadæquati.

Sed præter dicta contra hanc euaſionem ſuperiùs in præſenti caſu vrnę infinitæ aqua repletæ, vel infinitas phialarum dicitur inadæquata infinitati doliorum formaliter, quia minor eſt illa, & minoris ſpatij occupatiua; & ita vnum infinitum maius altero contra Auctores iſtos; vel quia infinitas doliorum adæquat, & ſuperexcedit infinitatem phialarum, & virtualiter dicitur maior, quia maioris ſpatij occupatiua in infinitum, & ſic infinito formaliter additio fit, quod eſt finiri vbi incipit additio, & idem eſt, ac augeri, & minui, quod negant fieri poſſe formaliter loquendo, licèt concedant materialiter, & qua finitum eſt.

Verùm in primis ſi tota aqua in dolijs, vel phialis contenta rarefiat per totum, augmentum fit infiniti formaliter. Deinde peto, an infiniti mundi ex infinitate inadæquata phialarum repleri poſſint, an finiti: ſi finiti tantũ, ergo aqua infinitarum phialarum eſt finita: ſi infiniti, ſicut ex infinitis dolijs non vitatur incommodum, cuius vitandi gratia excogitata eſt diſtinctio illa, ita neq; hic.

LXI. Et eadem inſtantia fieri poteſt de infinitis lapidibus diſperſis per lineam Orientem verſus à puncto A. ſi corrumpantur vel alternatim; vel ſi hoc negetur poſſibile, ſi corrumpantur omnes alij ab eodem puncto A. verſus Occidentem, quantum ſcilicet ſpatiũ repleri poſſit à remanentibus: ſi enim finitum ſolùm, iam ſunt finiti, ſi infinitum tantundem poterit infinitum inadæquatum, ac adæquatum, id eſt ab vtroque ſpatium repleri infinitorũ mundorum, quod horrent concedere, ſicut & quod à dictis infinitis mũdis, vt Democritus putabat, ſi eſſet vnus tantùm Phoenix in ſingulis, poſſent in ijſdem eſſe infiniti Phęnices, & replere illos, quod tamen deglutiuit Maior. in 1. d. 44. q. 3. & Conimbric. 3. Phyſ. c. 8. q. 2. a. 4. & videtur deuorandum, ſi ſemel deuoretur infinitum; nam ſi repleri tantùm poſſent finiti, iam eſſent Phęnices finiti, contra ſuppoſitionem; ſi infiniti, ergo nullus mundus erit in illa collectione, qui repleri ſimul cum alijs non poſſit, ſi non ſucceſſiuè, ſaltem ſimul per diuinam potentiam collocantem illos; alioqui vbi deſinit numerus ad replendum erit finis.

Præterea habent difficultatem in ſententia iſtorum nõ fortè minorem, quam quæ ab ipſis inſtar prodigiorum reputantur in ſententia Greg. Maior. Aegid. Mayr. &c.

Primò. Quòd ex ſingulis denarijs infinitis contentis in vnitatibus ſemel infinitis non poſſit auferri vnum tantum, eo quod illi denarij ſint infiniti inadæquatè, & ex ea ablatione ſequeretur adæquari infinitis vnitatibus.

Sed cur non poſſet Deus datis vnitatibus ſemel infinitis hominum ex ſingulis auferre vnum capillum, ſicut ſi poſſet quemlibet hominem ex illa infinitate creare ſine vllo capillo, ita & poſſet creatum auferre, & deſinere conſeruare, quia conſeruat liberè, & independenter, ſi velit à reliquis partibus totius corporis. Et quia eadem eſt ratio de additione, & detractione, ſicut poſſet cuilibet denario digitorũ addere vnum digitum, quandoquidẽ & hoc natura plerumque præſtat ex abundantia materiæ; ita & poſſet detrahere. Aut certè etiam negent, poſſe exſecari vnum vnguem tantùm ex decem, quibus conſtant digiti, quia ex denarijs infinitis non poteſt augeri vnitas ſola, nonne hoc durius, & incredibile? Quod ſi ingenuè fateantur, Deo æquè eſſe facilè detrahere ex ſingulis illis denarijs vnũ, en in promptu argumentum repetitum ſuperiùs: Vnitates detractæ ſunt infinitæ, ergo continẽt ipſæ denarios infinitos, quia ſi finitos continerent, eſſent finitæ; & quod de phialis ex infinitis dolijs detractis dicebatur, quod continerent & ipſæ infinita dolia, idem dicitur de vnitatibus iſtis detractis ex denarijs. LXII

Secundò. Reſpondent, vna infinita multitudine lapidum non poſſe corrumpi etiam in inſtanti alternos alijs remanentibus, quia corrupti eſſent

Digitized by Google

media pars infinita, & ipſa infinita; & ſic eſſet duplex infinitas, & non vna tantùm.

Hic infertur pro ratione abſurdũ, quod ſequitur ex antecedenti vero,& concedendo, quod Deus liberè conſeruat creaturam quamlibet à ſe productum ſiue collectiue, ſiue diſtributiuè illa conſideretur. Sicut igitur poteſt totam lapidum multitudinem deſtruere collectiuè ſumptam,& quãlibet eius partem diſtributiuè, cur nõ poſſet etiam alternatim? Fac enim alternatim collocari homines, & Angelos in vna multitudine infinita, cur non poſſit homines deſtruere, ſaluis Angelis, aut vice verſa Deus? Quod ſi poteſt, ſequitur, non vnam eſſe infinitatem, ſed plures, quia contendo, in quolibet infinito dari infinities infinita cum auctoribus citatis, vt inferam contra ipſos non eſſe poſſibile infinitum.

Deus liberè conſeruat creaturam quamlibet, ſiue collectiue, ſiue diſtributiuè conſideretur.

Non oportet autem ad has anguſtias refugere propter hoc incommodum; nam pari modo ſequitur, etiamſi non ponantur, vel corrumpantur alternatim lapides vnius infinitatis; ſit enim hic Romæ punctum A. & ab eo incipiat linea lapidum in infinitum protenſa Orientem verſus, & altera item verſus Occidentem, quia ex vtraque parte infinita eſt, vtralibet deſtructa, altera manet infinita; atq; ita duplex infinitas erit contra ſuppoſitionem; remanens autem habeat, vel non habeat lapides albos,& nigros alternatim parui refert, ad oſtendendũ, quod ſæpius ſit infinita, quia conſtat infinitis denariis, centenariis, millenariis, ergo & infinitis quinariis, quaternariis, ternariis, binariis, & ſic de aliis numeris in infinitum, quia iſti omnes ſunt in illa linea, & non finiti, ergo infiniti.

LXIII. Tertiò. Volunt in hac multitudine vnius infinitatis binarios non eſſe partes quaternariorum infinitorum, ſed idem prorſus eſſe infinitas vnitates infinitos binarios; infinitos quaternarios, &c.

Contra, quia id, quod eſt extra aliud, non poteſt eſſe idem cum illo, ſed in qualibet infinita multitudine etiam ſemel infinita ex eo, quod infinita eſt, oportet, quod acceptis binariis, quaternariis, &c. in infinitum; ſemper alij reſtent accipiendi extra illos, qui accepti ſunt, ergo accipiendi non ſunt idem cum acceptis.

Præterea binarius habet eſſentialiter, vt ſit duæ vnitates, ſiue vt conſtet duabus vnitatibus: Item vt in quaternario ſit dimidium illius, ergo ſiue replicetur per ſe infinities, ſiue per accidens, per vnam ſolam infinitudinem vnitatum, vt volunt iſti, ſemper habet, quod ſibi eſſentiale eſt, alioqui binarius non erit, quia non erit bis duo, neque pars quatuor vnitatum, & tamen hoc habet ex natura ſua, & non ex ratione finiti, vel infiniti; vnde etiam quando replicatur per accidens ratione vnitatum ſemel infinitarum, ſi binarius eſt, duo eſt, vel ſimpliciter, vel compoſitè, vt cum dicitur duodenarij, qui continent viginti vnitates, quarum medietates ſunt duodecem.

Neque eſt deceptio in puncto ſubtiliſſimo, quaſi multum referat aduertere in vnitatibus ſemel, & per ſe infinitis replicationem per binarios, & quaternarios infinities non incipere à binario, & quaternario per ſe, & immediatè; ſed poſita vna infinita vnitatum multitudine, in illa nos conſiderare binarios, quaternarios ſine fine non per ſe infinitos, ſed per accidens, quia participant infinitatem propter vnitates infinitas, in quibus continetur neceſſariò: hæc, inquam, ſubtilitas non ſoluit argumentum palpabile; nam ſiue incipiam à binario, ſiue ab alio numero infinitæ multitudinis vnitatum; ex eo quod eſt infinita, quibuſcumque aſſignatis numeris, ſemper reſtant alij accipiendi, qui non continentur in acceptis.

Deinde hoc dato tam poſſunt aſſignari numeri finiti in infinitum vnus ſupra alium, & maior, vel æqualis illi, quam vnitates in infinitum vna extra aliam, cur ergo infinitæ per ſe dicantur vnitates, & non numeri? aut quid hoc impedit, ne in qualibet infinita multitudine contineantur infinities infiniti numeri, ſi acceptis quibuſcũque vnitatibus ſemper aliæ reſtant accipiendæ extra acceptas? Si enim aliquando finiri poſſet acceptio, iam nõ eſſet infinita multitudo.

Dices

LXIV. Dices, poteſt eſſe binarius idem cũ quaternario, imò & illo maior, v. g. ſex binarij ſunt idem, quod tres quaternarij, ſcilicèt duodecim vnitates, & ſunt quid maius, quàm duo quaternarij, idque propter finitates diuerſę rationis: proptereà duo numeri ſecũdùm ſe pars, & totum eſſe poſſunt idẽ totum, igitur propter infinitates per accidens diuerſæ rationis nomine carentes numeri ſecundùm ſe pars, & totum ſunt idem omninò totum, quomodo dixit Greg. loc.cit. quod in infinita multitudine animarum quælibet eſt pars, ſeu continetur in infinita multitudine binariorum, & centenariorum, quia ſicut infinita multitudo centenariorum continet centenarios infinitos, ſic etiam infinita multitudo binariorum continet centenarios infinitos.

Sed quis non aduertat, confundi hic materiale, & formale numerorum (& ex vno probari aliud per æquiuocationem, quæ eſt fallacia accidentis? perindè ac ſi quis diceret, ſex ſunt quid maius, quàm duo, ergò ſex binarij ſunt quid maius, quàm duo octonarij, non ſequitur, quia ſex binarij ſunt duodecim vnitates, quæ pauciores ſunt, quam ſexdecim; poſſunt quidem in eodem numero eſſe totũ, & pars ſex, & quatuor accepta pro re numerata materialiter, puta ſex binarij numerorum, & quatuor ternarij, vel duo ſenarij, ſed non formaliter pro numero numerante, neque ſi in re numerata, quod numerabile eſt ſit extra illam, & accipiantur plura quæ, ſint extra iam accepta. Quare concedo Gregorio, in infinito binariorum contineri infinitos centenarios, ſed nego illorum infinitatem eſſe eamdẽ, ac iſtorum, quia acceptis infinitis binarijs, adhuc reſtant accipiendi extra illos infiniti ternarij, & extra hos infiniti quaternarij, & ſic in infinitum, quia vnitates iſtorum ſunt extra vnitates illorum, & non ſicut vnitates ſex binariorum, quæ ſunt eædem cum vnitatibus quatuor ternariorũ in numeris finitis; nam in infinitis ſicut ſunt infinitæ vnitates, ita & infiniti numeri numerati, & numeratores, puta infiniti binarij, & infinita ſex binariorum, quorum quodlibet ſit extra alterum, quod eſt de ratione infiniti.

In Infinito binariorũ cõtinentur infiniti centenarij, nõ eſt tamen eadẽ Infinitas illorum, ac iſtorum.

Idque magis apparet in infinitate palmorum alicuius corporis, in quo ita numerantur binarij palmorum denarij, centenarij infiniti, vt extra ſẽper remaneant numerandi ſine fine, ſi infinitum eſt, & palmi extra palmos accepti non ſunt, ſicut ſex binarij in duodecim vnitatibus, id eſt idẽ numerus ſecundùm varias denominationes ex varijs partitionibus; ſed ſicut ſex vnitates comparatæ cum alijs ſex, & diſtinctæ ab illis, non autem cum illis. Quo poſito, non poteſt dici, quòd binarij afficiantur infinitate per accidens ratione infinitarum; tam enim ipſis per ſe conuenit ratio infiniti quàm vnitatibus, & alioqui nulla multitudo eſſet per ſe infinita; quia quælibet conſtat vnitatibus per ſe infinitis: Præterquam quod ad vitanda abſurda conſequentia ex infinito, non refert, quod infinitas primò, & per ſe afficiat vnitates, aut numeros ex illis conflatos; quia ex eo præcisè quod infinitum eſt; neque minuitur detractione, nec augetur additione; nec proindè totum eſt maius ſua parte, & ex partibus, in quas diuiditur infinitum, reſultant ijdem effectus, qui ex toto, & ſimilia, vt Auctores quidam infiniti ſupra. LXV.

Incommodum aliud.

Dicunt, creata vna infinita multitudine, creari poſſe alias infinitas in infinitum, Mayro, Arimin. Conimb. 3. Phyſ. c. 8. q. 2. a. 4. & creato corpore infinito ex omni parte creari poſſe alia corpora, ſed ſe penetrantia cum illo; quia alioqui ſi extra illud iam non eſſet vndequaque extenſum contra ſuppoſitionem. LXVI.

Mayro. Arimin. Conimb.

Contra primò, quia ſicut in multitudine nullus datur finis infinitatum, quarum quælibet eſt extra aliam, vel præter, vel ſupra aliam ſecundùm numerationem; ita in magnitudine nullus deberet finis eſſe infinitatum extenſarum, quarum nulla ſit intra aliã; & quod dicunt de exceſſu multitudinis vnius ſupra aliam infinitatẽ, quod videlicet ſit materialis, ſeu entiratiuus; idem & dici poſſet de exceſſu magnitudinis, quod extenſio addita cor-

Digitized by Google

corpori vndequaque extenſo ſit materialis; alioqui etiam negare deberent, quod tale corpus nec minimùm quidem poſſet rarefieri per Dei omnipotentiã; quod magis eſt abſurdũ, quàm cætera, quæ abſurdiſſima ijs Auctoribus videbantur ſupra contra Greg. Maior. Aegid. &c.

Secundò. Ad hominem, iſti enim ad probandum dari non poſſe actu ſimul omne creabile dicunt nunquam poſſe æquari à creatura diuinam eſſẽtiam, quæ eſt exemplar, & idea participabilis ſine vllo fine à creaturis, & nunquam exhauriri poſſe eius imitabilitatem; ex quo etiam inferunt, non poſſe ſpeciem ita perfectam dari, quin dari poſſit alia perfectior; neque tantum numerum indiuiduorum, quin ſemper maior, & maior. Sed hæc ratio valet etiam in extenſione, quia nunquam per illam adæquari poteſt exemplar diuinum quacumque poſita extenſione quantumuis infinities infinita; vel ſi non poteſt in hac, cur in numeris poteſt, & in multiplicatione indiuiduorum, in quibus poſito quolibet numero, poni poteſt alius maior extra illum infinities infinite? quia inquies non eſſet vndequaq; extenſum corpus, extra quod aliud extenderetur.

At hoc eſſe vndequaque extenſum, vel ſignificat ſecundùm omnem dimẽſionem corpus hoc eſſe infinitum; & tunc quæritur, quare ſicut dari poſſunt multa infinita in alijs rebus, non poſſint etiam in dimenſionibus vndequaque extenſis, ita vt non ſe penetrent. Vel ſignificat, productam eſſe omnem dimenſionem creabilem, ita vt extra illam nulla ſit creabilis, ſed tantùm intra illam; & hoc idem dici poterit de alijs rebus, v.g. numeris indiuiduis ſpecierum, &c.

Si dari poſſunt multa infinita in alijs rebus poſſunt etiã in dimenſionibus abſq; penetratione.

LXVII. Tertiò. Creatis infinitis, ex gratia, montibus, vel occuparent omnem dimenſionem poſſibilem, vel non; ſi primum, ergo non poſſunt produci infiniti mundi vnus extra alium, quia illi montes ſunt entitatiuè, & materialiter minores, quàm mundi per te; & ideo ſi occuparent totum ſpatium poſſibile, iam non poſſent diuerſum occupare mundi, & aliunde non occuparent totum ſpatium, quia nullus eorum eſt infinitè altus, vel profundus, vt ſuppono; & proinde infra, & ſupra remaneret ſpatium infinitum: igitur non occupabunt totum ſpatiũ poſſibile. Fiant ergo alij infiniti, neq; iſti occupabunt, atque ita nunquam occupabitur totum ſpatium poſſibile. Ex quo rurſus ſequitur, corpus infinitum moueri poſſe, atque ita non eſſe infinitum, quia relinqueret terminũ à quo, & acquireret terminum ad quem, & ſic vtrumque terminaretur; quod verum eſt de corpore non vndequaque infinito, & de motu recto, & circulari: Sequi autem poteſt, quia etiam per te nõ poteſt vnquam creari tanta moles, quæ repleat totaliter capacitatem ſpatij, ergo ſemper reſtaret ſpatium acquirendum, quod ſi ſpatium non occupatum hinc inde eſt terminus corporis in eo poſiti, tam erit in quiete, quàm in motu, & in vtraque terminabit infinitum; proinde aut non poterit in eo poni, aut ſi poteſt etiam & moueri poterit.

In quo eſt eadem ratio quoad hoc de ſpatio, & de tempore; ſicut enim nunquam reduci poteſt tempus totũ ſimul ad actum; ita neque locus, aut ſpatium, ſed quolibet dato poteſt dari maius, atque ita non eſt recurrendum ad penetrationem corporum, quia ſi ſemel admittatur actu producta tota extenſio poſſibilis, admitti etiam poteſt actu producta tota multitudo corporum ſine penetratione, cum non ſit maior ratio de vna, quàm de altera; vel ſi hæc non eſt reducibilis, quia quibuſcum creatis poſſunt creari & alia, neque illa reduci poteſt, quia data qualibet extenſione loci, poteſt creari maior, & maior in infinitum per me ſemper finita, per te infinita, ſed cum abſurdis prædictis.

Quintum Incommodum.

NVlla multitudo infinita rerum materialium poni poteſt tota in ſpatio, ita vt non ſe penetrent ſecundùm iſtos, vel indiuiſibiliter ſe habeant in ordine ad locum, vt ſe habet corpus Chriſti reſpectu ſpecierũ. LXVIII. Contra, fiant infiniti lapides palmares; iſti non ſunt vndequaque infinitè dimenſi, ergo poſſunt diſponi vnus

extra

extra alium, & idem eſt de infinitis hominibus, montibus, &c.

Dices, non pſſe produci ſimul exiſtentes ſine penetratione. Sed cur ſi non ſunt incompoſſibiles ex natura ſua, & abundè ſpatij eſt ad illos capiendos?

Nam ſecundò. Non eſt poſſibilis actualis multitudo corporum totum ſpatium poſſibile occupantium, igitur data qualibet multitudine ſemper remanet ſpatium occupandum ſine neceſſitate penetrationis. Sequela patet: Antecedens probatur; nam à puncto A. v. g. Orientem verſus poſſunt diſponi infiniti lapides palmares, & bipalmares, & quadripalmares, & cuiuſcumque magnitudinis in infinitum, quia non eſt maior ratio de vna magnitudine, quàm de alia, igitur sẽper remanet ſpatium occupandum in infinitum maius, data qualibet multitudine corporum; igitur poni poteſt infinita rerum materialium multitudo ſine penetratione, & minus ſpatium occupabit vna infinitudo, quàm multæ; quicquid Maior. d. il a 44.q.3. in 3. arg. aſſerat omnem poſſibilem locum occupatum iri ab infinitis hominibus, & eorum oculis, & ab infinitis pigmæis, æquè ac ab infinitis gigantibus, quod alij horrent concedere; ſed conſequenter dicere deberent, infinitos oculos, ex. gr. non occupaturos totum ſpatium, quia non occupant tantum quãtum infiniti homines, & proinde nõ quamlibet multitudinem rerum materialium determinatarum excludere deberent à ſpatio, vt excludit Faſ.

Licet deindè premantur abundè, quia tunc infinitum vtrinque terminaretur ibi, videlicet vbi à maiore mole inciperet excedi. Quod autem dicitur de vna parte versùs Orientem, multò magis locum habet de omni alia ſecundùm quamlibet extenſionẽ, in nulla enim eſt aſſignabile tantum ſpatium, vel capacitas tantorum corporum, & non plurium in infinitum ſine penetratione.

Dices, tota infinita multitudo eſt improportionata infinitudini ſpatij, & ideo non poteſt poni in toto ſpatio, quia tunc adæquarentur res improportionatiſſimæ, quòd ſi non poteſt in toto, ergo neque ſimpliciter poteſt poni, quia poneretur in aliqua parte hinc inde terminata, quæ eſt etiam locus improportionatus infinitæ multitudini.

Contra primò, quia reddenda eſt ratio, cur non poſſit adæquari ſpatiũ, ſi adæquabile eſt, aut ſi non eſt adæquabile, cur non poſſit occupari ab aliqua infinitate corporum illi inadæquata; quod enim dicitur de terminatione ex vtraque parte, non obſtat, ſi poteſt dari vnum infinitum maius aliq materialiter, vt iſti concedunt, vt patet in reuolutione Solis, ſi mundus creatus fuiſſet ab æterno; illæ enim plures eſſent, quàm reuolutiones Saturni, & haberent plures infinitates horarum vnam poſt alteram, cur non igitur idem contingeret in ſpatio? LXIX.

Poſito mundo ab æterno plures eſſent reuolutiones Solis, quàm reuolutiones Saturni.

Secundò, contra; nam ſic tantùm poni poſſet in ſpatio numerus finitus corporum, ergo creari non poſſent infiniti; nam ſi creentur verbi gratia infiniti lapides palmares, ſemipalmares, aut aliæ res indeterminatę molis, quãdoquidem ſe inuicem penetrare debent per te, peto, an bini, & bini ſe penetrabunt, id eſt, ſinguli ſingulos, & hoc non ſufficit, quia eodem modo occupabunt infinitum ſpatium, cum remaneret infinita moles; & idem eſt de quolibet numero finito ſe penetrantium; quia facta penetratione omnium corporum infinitorum ſecũdùm quamlibet combinationem finitam, ſemper remanet infinita extenſio; vel infiniti penetrabunt finitos lapides, v.g. decem, aut viginti, & ſic erunt plures infinitates contra ſuppoſitionem, quod ſit vna; vel infiniti erunt in vno palmari, & hoc eſt mirabile, quod non poſſent dari infinita corpora, niſi omnia penetratiuè ſe habeant in vno, & ad inuicem; aut certè, niſi infinita ſe penetrent, quia videlicet ſecũdùm quodlibet finitum numerum poſſunt iuxta, & extra ſe inuicem diſponi, dummodo tamen ſemper maneant infinita ſe penetrãtia in ſpatio ſemper finito.

Præterea ſi ab æterno per te potuit eſſe mundus, potuit ſingulis diebus produci vnus palmus, & continuari quantitas per infinitos dies; quando igitur debuerũt incipere ſe penetrare LXX.

palmi

Digitized by Google

palmi producto certo numero finito, ſi non potuit infinitus, niſi penetratiuè? certè quibuſcumque creatis, alij extra illos creari poterant, & non eſt, cur poſt certum numerum, vel incertum debeant incipere ſe penetrare, quia nulla eſt exigentia ex parte ipſorum, cum panetratio ſit miraculoſa, & ex parte ſpatij ſit capacitas.

Item per te non poteſt creari tanta multitudo rerum determinatarum, quæ repleere poſſit totam ſpatij capacitatem totaliter, igitur non eſt neceſſe, vt ſe penetrent, quia ſemper erit plus ſpatij occupandi infinities in infinitum, & non eſt ratio, cur vnus homo, ex.gr. ponatur extra alium, & omnes ſimul occupent ſpatium infinitum, niſi quia ex abſurdis, quæ afferuntur pro rationibus, inferimus eſſe impoſſibile infinitum; quod enim dicunt aliqui, infinitos homines nō poſſe naturaliter occupare ſpatium finitum, vel infinitum, quia illud excedunt, ab hoc autem exceduntur, non probat, quia ſicut infiniti dies exceduntur à tempore imaginario, & tamen illi coexiſtunt; ita & infiniti homines à ſpatio imaginario; & tamen illi poſſunt exiſtere; quod ſi in eo nō obſtat infinitas, cur in hoc obſtabit? quod enim vnum intelligatur ſucceſſiuum, alterum permanens, non refert ad hoc vt ſucceſſiuè ponantur infinita, & habent ante, & poſt ſe infinita vel tempora, vel ſpatia; ſi enim tempus fuiſſet ab æterno, vt illi putant poſſibile, iam eſſent infinitæ horæ infinities habentes ante, & poſt ſe alias infinitas.

Confirmatur, quia per te poteſt Deus vnum continuum infinitum, v.g. infinitam lineam, infinitum aerem ponere in ſpatio, ita vt partes omnes eſſent extra alias, & nulla intra aliam, cur igitur etiam non poſſit infinitam rerum multitudinem ſine penetratione earumdem. Certè ſi poſſent creari infiniti Angeli, poſſet quilibet eorum habere vnam roſam diſtantem à roſa alterius, & ita eſſet multitudo rerum materialium vna extra aliam ſine penetratione; vel non poſſent Angeli cum roſis, & ſuis, vbi niſi penetratiuè produci, quod videtur ſine fundamento dici, ſicut & quod aliqui defenſores dixerunt, creari poſſe ſolùm in rebus ſpiritualibus, vt teſtatur Faſol.d.12.n.44. ad vitandum incommodum ſupra allatum ex productione rerum infinitarum materialium ſimul exiſtentium ſine penetratione.

Sextum Incommodum.

NOn potuiſſet Deus ſi mundum creaſſet ab æterno, ſingulis diebus creaſſe vnum hominem, aut ex infinita multitudine creata ſingulis diebus vnum corrumpere; quia tunc adæquaretur infinitas hominum infinitati dierum, quod eſt impoſſibile: nam infinitas hominū eſſet vna, infinitas autem dierum eſt infinities replicata in infinitudine indeterminata temporis æterni. LXXI.

Debuiſſet ergo Deus, ſi creaſſet hominem, vel homines ſimul cum tempore ab æterno expectare per æternitatem, antequam crearet alium hominem; & hoc creato, rurſus expectare per aliam æternitatem, id eſt infinitatem dierum; alioqui ſi potuiſſet vna infinitate elapſa, ſingulis deinceps diebus creare vnum, vel plures homines, eodem modo vna infinitas hominum adæquaretur pluribus infinitatibus dierum, quæ ſunt infinities infinitæ in illa infinitudine indeterminata temporis æterni etiam poſt vnā infinitatem elapſam. Et vt magis appareat abſurdum, non potuiſſet Deus per æternitatem quicquam facere, condito ſemel mundo; nam ſi ſingulis diebus aliquid efficere potuiſſet ſiue hominem, ſiue leonem, ſiue arborem, adæquaretur illa infinitas rerum ſingulis diebus creatarum infinitati dierum; quid enim refert ad hoc, quod homo, vel leo, vel planta fuerit creata; quandoquidem ex ijs reſultat vna infinitas? Quinimo nec homo, nec Sol, nec Angelus quicquam facere, cogitare, aut velle potuiſſent, niſi poſt æternitatem, quia ſi ſingulis diebus homo, vel Angelus habuiſſet vnā, vel decem cogitationes, iam adæquarentur infinitudini indeterminatæ temporis æterni, nec Deus concurrere cum illis potuiſſet, alioqui etiam creare potuiſſet. Itaque per vnam, vel plures infinitates dierum ſtupidi homo,

Digitized by Google

mo, & Angelus permanſiſſent ſine vlla prorſus operatione vitæ, aut motu, nec Deus ab iſto ſtupore excitare potuiſſet, nec vllam creaturam à lethargo ceſſationis per æternitatem vitæ, aut virtuti agendi reſtituere, neque Sol illuminaſſet per vnam æternitatem, ergone animal ab æterno conditum nec audire, nec videre, nec reſpirare quidem per æternitatem potuiſſet? Si enim ſingulis diebus aliquot functionum iſtarum vitalium obijſſet, iam adęquarentur illarum infinitates temporis æterni infinitis infinitatibus dierum incluſis in infinitate indeterminata. Et ſanè Faſ. d. 12. n. 3. cum Caiet. q. 46. a. 2. dato tempore æterno concedit infinitas intellectiones, & generationes ſucceſſiuas, vt arguat contra negantes potuiſſe Deum creare ſingulis diebus animas, niſi aliquas annihilaret, aut migrare faceret de corpore in corpus, quod meritò fert ipſe iniquius, & præter Thomiſtas neminem legiſſe teſtatur, qui admiſſa æternitate mundi, non admittant poſſe ſimul eſſe infinitas animas, aut Angelos; & tamen ſupra d. 8. q. 16. dixerat, non potuiſſe Deum corrumpere ſingulis diebus vnum hominem.

Poſita mũdi æternitate, ſimul eſſe poſſent infiniti Angeli, animæ, &c.

Septimum Incommodum.

LXXII. INfinitum vt ſic pertranſiri non poteſt, neque numerari ex Ariſt. 3. Phyſ. à t. 41. & 6. Phyſ. à t. 19. & 8. t. 67. & S. Th. 3. p. q. 14. a. 12. 2. Et tamē ſi fuiſſet mundus ab æterno, iam pertranſijſſent infiniti dies, horę, &c.

Reſpondent tranſire, quatenus finitum à parte poſt, non vt infinitum à parte ante, quia tranſitus dicit eſſētialiter extremum, & pertranſijſſe eſſētialiter ad vltimum perueniſſe; ideo tranſitus non cadit, niſi in res habentes finem, & terminum. Et quia tempus æternum à parte ante qua infinitum eſt, non habet terminum, ſed tantum à parte poſt qua finitum eſt, propterea à parte ante non poteſt pertranſijſſe, ſed ſolum quà finitum à parte poſt.

Contra, quia propriè pertraſijſſe paſſiuè dicitur id quod fuit, & amplius non eſt in propoſita materia; ſic enim dicitur, dies tranſijt, ſiue pertranſijt, quando nihil amplius eſt horarum, quibus conſtat; dicitur autem de rebus ſucceſſiuis, quod tranſeant, quia earum eſſe conſiſtit in continuo tranſitu, & transfertur ad permanentes, quæ tranſijſſe dicuntur, quando deſierunt eſſe: vniuerſaliter autē quod fuit, & iam non eſt, tranſijſſe dicitur, ſeu deſijſſe, & proinde ſiue habeat principium eſſendi, & cœperit in tempore, ſiue æternum fuerit, ſi amiſit eſſe, iam deſijt, & pertranſijt, quia iam non eſt, cum antea fuerit; patet, quia iam non durat, ergo finita eſt eius duratio, ſiue æterna, ſiue temporalis extitit; quis enim dixerit, aliquā diem diſtributiuè durare, aut nō præterijſſe, cum hoc euinciatur, ſi omnes collectiuè tranſierunt, etiam dato, quod fuiſſent ab æterno; nam ſi nihil manet ex tota collectione quātumuis infinita infinities tota profectò deſijt eſſe, & quidem ſucceſſiuè, ſi ſucceſſiua eſt, vt contingit in collectione dierū, ſi mundus fuiſſet ab æterno.

Nec valet dicere, quod tranſijſſent quatenus finiti; nam conſiderari poteſt tota dierum collectio, vt conſtat numeris finitis, quia per te eſt infinities infinita, & ita etiam non durant, neque ſunt, vel fuerunt dies, & horæ, ergo tranſierunt: Infinitum enim vt infinitum dierum fuit, & non eſt amplius, ergo vt ſic pertranſijt, ſeu deſijt.

Confirmatur, quia tota collectio tā à parte ante, quàm à parte poſt, vt infinita eſt, nihil reduplicat ſupra dies, quos continet, ſed omnes iſti tranſierunt, ergo etiam vt infiniti, alioqui vt infiniti dicerent aliquid, quod remaneret, quia ſub hac ratione non tranſierunt, ergo durant.

Si dicas, rationem, cur pertranſierint, eſſe finitudinem à parte poſt, nō infinitudinem à parte ante, non ſatisfacit, quia quæcumq; fuerit ratio tranſitus, certum eſt à parte ante fuiſſe dies infinitos vnum poſt alterum, ſi mundus fuiſſet ab æterno, & ſingulos tam diſtributiuè, quàm omnes collectiuè tranſijſſe, ergo infinitum pertrāſitum eſt contra Philoſophum, quem locutum eſſe in ſenſu reali ex eo patet, quod 8. Phyſic. t. 67. negat infinitū pertranſiri poſſe, quia nec numerari poteſt, LXXIII.

Digitized by Google

poteſt, quod locum habet non ſolùm in quantitate permanente, in qua nõ ſunt partes, aut dimidia actu, ſed potentia, vt docet t. ſeq. ſed etiam in ſucceſſiua, ſeu fluente, in qua ſicut impoſſibile eſt, quod numerentur partes ex eo, quod infinitum numerabile nõ eſt, ita & quod pertranſeantur, eo quod hæc duo ſint coniuncta, pertranſiri, & numerari, ſicut ergo tota collectio dierum infinitorum neque realiter, neque formaliter eſt numerabilis, ita neque pertranſibilis, quia extra ſemper reſtant plures numerãdi, & tranſeundi; & ſermo eſt ad hominem; nam abſolutè æternitas mundi cum infinito coniuncta eſt, ſed reſtat nodus, quomodo numerari, aut pertranſiri non poſſit infinitum.

Idque magis vrget in tua ſententia, qui admittis infinities infinitates dierum in collectione illa indeterminata æterni temporis; ſic enim verum eſt dicere, quod Collectio illa vt continẽs has infinitates eſt infinita formaliter; ſed vt ſic iam tota pertranſiit, ergo vt infinita pertranſiit, & non tantùm vt finita à parte poſt.

Et ratio à priori eſt, quia deſiiſse dicit negationem de præſenti permanentiæ in eſse tam permanenter, quã fluenter, & connotat actualem exiſtẽtiam pro præterito; igitur vbicumq; eſt hæc negatio, eſt etiam deſitio; vbi autem deſitio ſucceſſiua, ibi tranſitus; ſi ergo erit in collectione prædicta etiam vt infinita eſt.

Si infinitum poteſt à parte ante pertranſiri, poteſt etiam à parte poſt.

Ex quo rurſus ſequeretur tranſiri poſse, & abſolui tempus infinitum à parte poſt, quia vt arguit Tol. 8. Phyſ. q. 2. rat. 2. poſt Durand. in 2. d. 1. quæſt. 3. num. 17. non eſt maior ratio, cur infinitum à parte ante pertranſiri poſſit, & abſolui, non autem à parte poſt. Nã quod aliqui aiunt diſparitatẽ eſse, quod ſi tranſiret tempus futurus, fieret tranſitus ex aliquo finito, v. g. ex hodierno die, non ſatisfacit. Ratio enim, cur infinitum pertranſiri, & numerari nequeat, non eſt, quia fiat tranſitus ab aliquo indeterminato, vel determinato; ſed quia ex eo, quod infinitum eſt, quibuſcumque partibus acceptis, aut deſignatis per tranſitum, vel numerationem ſemper reſtant aliæ accipiendæ, ergo ſicut linea ducta ab vno puncto determinato poteſt eſse infinita, ita & tempus incipiens ab hoc inſtanti poterit eſſe æternum à parte poſt, ſi pertranſiri non repugnat æternitati, vt non repugnare ſateri coguntur, qui tempus æternum admittunt.

Octauum Incommodum.

Eſt ex argumento ordinario de duabus lineis ductis ab eodem puncto nõ paralellis; quo enim magis diſtant à pũcto, eo magis diſtant inter ſe, proinde ductæ in infinitum diſtant infinitè; atque adeo tota latitudo ab vna ad alteram infinitam eſſe oportet, & nihilominus habet terminos, quibus clauditur, id eſt lineas prædictas, extra quas non extenditur. LXXIV.

Data infinitũ poſsibilitate nõ apparet, cur non poſſint duæ lineæ porrectæ in infinitũ deſignari.

Alij negant poſse deſignari duas lineas porrectas in infinitum; ſed data ſimul poſſibilitate infiniti, non apparet, cur in hoc caſu repugnet, niſi propter abſurdum, quod ſumitur pro argumento.

Alij conceſso caſu negant illas duas lineas eſse terminos latitudinis interceptæ, quia non ſunt quædam extrema determinata, vltra quæ non magis pateat latitudo intercepta, cum ſit intra duas lineas interminatas, & ſemper plus latè patentes in infinitũ, ita vt in nulla parte determinata ſit infinitas, ſed in omnibus ſimul collectiuè, ſicut in partibus proportionalibus datur infinita minoritas collectiuè ſumptis, non in hac, vel illa determinata, & in omnibus cęlis collectiuè, qui ſunt in mente diuina, datur infinita maioritas, non autem in aliquo determinatè.

Sed contra, quia tota illa latitudo collectiuè ſumpta, & ſingulę partes diſtributiuè terminantur duabus lineis infinitè diſtantibus, ergo infinitũ habet terminos, etiamſi nulla pars determinata ſit infinita.

Confirmatur, quia ab eodem puncto, vel infra illum ab alio puncto potuiſſent duci aliæ duæ lineæ intercipientes duas priores cum aliqua diſtantia, puta palmari in principio, iſtę ductæ in infinitum ſemper intercipiunt illas eò amplius, quo longiùs à

puncto

Digitized by Google



punćto abſunt, igitur tota latitudo priorum linearum collećtiuè ſumpta intercipitur à tota longitudine duarũ linearum poſteriorum, & ſunt duæ infinitæ latitudines vna extra aliam, ita vt vna deſinat vbi altera incipit, vt apparet in lineis A.B. C.D. protraćtis infinitè; ſpatium enim A.B. intercipitur ſpatio C.D. & deſinit vbi incipit A.C.B.D. etiamſi in nulla parte diſtributiuè ſumpta ſit infinitas, ſed in omnibus collećtiuè, quia iſtæ claudunt, & illæ clauduntur dićtis lineis, & totum ſpatium vtrarumque clauderetur linea dućta in tranſuerſum faciente triangulum, ſi duci poteſt in tota latitudine infinita indeterminatè, ſicut poteſt in qualibet determinatè.

LXXV. Adde, quod non ſolum tota latitudo collećtiuè, ſed aliqua pars diſtributiuè inter prædićtas lineas infinitè diſtat; finge enim incœpiſſe duci ab æterno motu lento reſpondente motui Saturni poſt infinitas reuolutiones Solis longè velociores Saturnus abſoluiſſet etiã ſuas lentiores, ac proinde longè pauciores, quàm Solis, ſed infinitas tamen, & proinde lineæ etiã illæ motui reſpondentes fuiſſent infinitè diſtantes; iam verò qnælibet diſtantia linearum extenſarum tempore illo, quo Sol ſuperat Saturnũ, fuiſſet infinita, ita vt verum ſit dicere, mille reuolutiones, & non ſolùm hęc, vel illa, ſed omnes iſtæ, & ſingulæ ipſarum reuolutionum Solis habent ſibi reſpondentes has, & illas reuolutiones Saturni determinatè, & iſtæ ſunt conſequentes infinitas alias præcedẽtes. At illis reſpondet determinata diſtantia inter duas lineas dućtas per continuatum motum ab æterno, ergo non tantum tota collećtio, ſed multæ partes determinatæ diſtant infinite inter ſe, id eſt illæ omnes, quæ reſpondent pluribus reuolutionibus, quibus Sol ſuperat Saturnum, quæ videntur à Deo, quot ſint; & præterea aliæ omnes, quæ ipſas conſequuntur, & quibus reſpondet motus quo dicuntur lineæ, & diſtantia intercepta, quam infinitam eſſe oportet inter quamlibet partem determinatam poſt dićtas reuolutiones.

Falſum proinde videtur, quod in multitudine, vel diſtantia infinita omnes partes diſtributiuè finitæ diſtent, & tantum collećtiuè infinitæ, tam in diebus, ſi fuiſſent æterni, quàm in partibus continui, & cogitationibus futuris, nam dato motu rećto ab æterno, quem dicis poſſibilem, lineæ a punćtis E. F. dućtæ diſtarent infinitè ſecundum quamlibet partem determinatam inter C.D. poſt infinitas reuolutiones Solis, vel Saturni, præſertim ſi perſeueraret earum protraćtio vſque nunc; verum enim eſſet dicere de qualibet parte in particulari, quod infinitè diſtat ab alia, ſiue aſcendendo verſus iam protraćtas, ſiue deſcendendo.

Et idem eſt de motu ipſo, ſi fuiſſet ab æterno, nam quacumque deſignata reuolutione Saturni, verum eſſet dicere inter ipſam, & hanc determinatam Solis fuerunt infinitæ plures reuolutiones Solis, qui decuplo, & eò amplius velocitate ſuperat Saturnum, atque adeo ſequeretur reuolutiones Solis, quibus Saturnum ſuperat, terminis intercipi, nimirum hodierna, ac conſequentibus, & illis præterea à parte ante, quibus æquabat reuolutiones Saturni, quæ etiam fuerunt infinitæ; quod ſi in motu inæquali infinitum ſucceſſiuum poteſt intercipi hinc inde quantitatibus fluentibus, cur non etiam poterit in permanentibus abſque eo, quod confugiatur ad penetrationem, vel modum coexiſtẽdi indiuiſibiliter in corporibus ad hoc vt infinitum defendatur etiam poſſibile in illis, quanto ſatius eſt negare infinitum, quam illud penetrationi tanquam diro carceri mancipare. LXXVI.

Sed omnium maximum incommodum eſt, quod non ſemel innuimus, quia per illud deſtruitur natura rerũ, & principia Metaphyſica nota naturæ luminæ corruunt; quod in corporibus, & in multitudine detur totum, & pars, quod illud ſit maius, hæc minor illo; quod vbi eſt correſpondentia partium ſine exceſſu, & defećtu, ibi ſit æqualitas; ac proinde etiam in infinito, ſi darentur verbi gratia in infinitis hominibus, qui ſinguli haberent annulũm vnum, reſponderent annuli hominibus; nec tamen per te eſſent æquales, nec inæquales, & ſimilia quantitatis, & diſcretæ, pro- Plura abſurda ſequũtur infinito admiſſo.

 priæ,

pria, quæ per te deficiunt in infinita. Quod ſi verum eſt, dicã deinde, quod contraria poſſunt eſſe in ſummo gradu ſimul ſi ſubiectum ſit infinitum, quod ex duobus entibus completis poteſt fieri vnum per ſe in infinito, quod materia poteſt informari duabus formis atomis ſimul, & ſemel. Itẽ quod potentia infinita Dei poteſt facere contradictoria, licet finita potentia non poſſit, & ſimiles Chimęræ fingi poſſent, quas tamen reijciunt infiniti Auctores, quia ex natura rei repugnant, & nos idem dicimus de abſurdis, quæ per ipſos abſurda non ſunt in infinito. Et quamquam damus cũ Ariſt. 1. Phyſ. t. 35. & 3. Phyſ. t. 65. Infinitum eſſe incognitum, nec de illo ratiocinandum eſſe, vt de finito; tamen hoc non cõceditur Philoſopho, vt tribuat illi, quæ repugnant ex natura rei, & lumini naturali.

SOLVTIO

Argumentorum.

CAP. IX.

I. Creatum, & infinitum implicant.

II. Ex definitione infiniti tradita ab Ariſt. non colligitur poſſibilitas infiniti categorematici.

III. Difficultas in conciliandis textibus Ariſtotelis ponentis æternitatem mundi, & negantibus infinitum.

IV. An, & quomodo cognoſcibile ſit infinitum à Deo.

V. Quomodo continuum habeat partes.

VI. Diſtinctio diſtributiuè ſumpti, & collectiuè valet ad ſolutionem argumentorum contra ſyncategorematicum

VII. Quomodo meritorũ Chriſti valor ſit infinitus, & ſcientia ſit infinitorum.

LXXVII PRIMVM eſt. Lucæ primo dicitur; Non erit impoſſibile apud Deũ omne Verbum, id eſt omne id, quod concipi poteſt: ſed infinitum poteſt concipi, nam Deus infinitus eſt, & tamen maximè cognoſcibilis eſt, & non apparet cur infinitum creatum non poſſit concipi, ſaltem à Deo, vt infra, igitur eſt producibile, iuxta citatam auctoritatem.

Confirmatur, Deus cognoſcit ſuam potentiam generatiuam non differre à creatiua; illa habet terminum infinitum adæquatum, nempe filium infinitum, ergo & hæc habere poteſt terminum infinitum.

Reſpondeo. Infinitum creatum nõ poteſt concipi vt ens reale, quia conciperetur ſimul infinitum, & finitum realiter; maius, & minus eſſe, pars, & totum, & cætera abſurda, quę patent ex dictis: ſecus eſt in Deo, in quo non eſt pars, & totum, cum ſit ſimpliciſſimum ens, in quo quicquid concipitur, infinitum eſt, immultiplicabile in natura, & identificatum in eadem tã ratione attributorum abſolutorũ, quã relatiuorum; omnia enim ſunt vnum ens ſimpliciſſimum, & vna infinitas realis cum eo identificata, qui eſt actus puriſſimus, quo maius quid eſſe non poteſt, aut concipi.

Ad confirmationem. Tam potentia generatiua, quàm creatiua infinita eſt, non ratione termini, ſed in ſe abſolutè, vtpote identificata eſſentiæ; habet vna terminum infinitum, quia communicat eſſentiam infinitam, altera non item, quia nihil eſt infinitũ præter Deum, cum quo tamen ſtat, vt dicatur infinita tum ratione prædictæ identitatis cum eſſentia, tum ratione termini, qui finem non habet, ſiue cõſideretur quoad numerum, & ſpecies, ſiue quoad perfectiones earum, quæ produci poſſunt perfectiores in infinitum. Cæterùm ad infinita categorematicè non eſt potentia, cum ſint impoſſibilia. Neque proinde dicitur eſſe fruſtra potentia ad producenda plura in infinitum, quia ſatis eſt, vt ſit ad plura ſyncategorematicè, vt S. Bonau. in 1. diſt. 41. a. 1. q. 3. ad 2. nõ enim datur potentia ad impoſſibile.

Potentia generatiua, & creatiua infinita in Deo.

S. Bonauent.

Secundum.

MAgis intelligibile, minuſq; difficile videtur infinitum, quàm multa alia myſteria fidei, quæ facta credimus, v. g. quod idem corpus ſit in locis tam multis, quod manens in cęlo, ſimul ſit ſub ſpeciebus ſacramentali-

talibus, quod homo fiat Deus, & ſimilia, in quibus tota ratio facti eſt potentia facientis, vt Auguſtinus epiſt.3 ad Voluſ.

Reſpondeo, negando antecedens, quia infinitum categorematicum chimera eſt, vt patet eſt dictis.

Tertium.

LXXVIII. De facto ſapientes loquuntur de Infinito, vt de aliquo poſſibili, antiqui Philoſophi, de quibus Ariſt. 3.Phyſ.t.25. & 1.Cœl. t. 33. Pythagoras, Plato, Anaxagoras, ipſe Ariſt. admittens mundi æternitatem, quæ ſine infinito non ſtat, & 3. Phyſic. infiniti definitionem tradit, & proprietates perſequitur, & 6.Topic.c.3.reijcit illã definitionem lineæ rectæ, cuius medium non exit ab extremis, eo quod non conueniat infinitæ lineæ, quæ caret extremis; quod ſi hæc implicat, perperam quæritur definitio illi conueniens. Item ſupra extimam cęli vltimi ſuperficiem vacuum eſt infinitũ, &in ſubiecto ſunt infinitæ priuationes formarum, id eſt tot, quot ſunt formæ poſſibiles: inter Theologos autem plures ſunt defenſores infiniti, vt ſupra vidimus, & qui illud negãt poſſibile, coguntur in aliquo admittere, puta admittentes poſſibilitatem æternitatis mundi, ac proinde in motu, tempore, infinitis generationibus, &c. vt Thomiſtæ, Nominales, & alij, inter quos plerique ponunt actu diſtinctas partes infinitas in cõtinuo.

Confirmatur, quia quodcumque Deus poteſt facere, tantùm poteſt facere, quod eſt per ſe notum, quia prædicatum includitur in ſubiecto: faciat ergo quantumcumque poteſt facere, illud non eſt finitum, quia quolibet finito Deus poteſt facere maius, ergo infinitum. Vel ita poteſt proponi argumentum, vt proponitur à S.Bonauentura loc.cit. omne creabile appelletur A. tum quæro an A. ſit finitũ, vel infinitum; ſi primum, ergo Deus non poteſt, niſi finita, ergo potentia eius eſt finita; ſi ſecundum, ergo poteſt infinitum actu facere.

Reſpondeo, Antiqui, & Recentiores loquentes de infito finxerunt ſibi, quod à parte rei non eſt tanquam poſſibile quidpiam. Ariſtoteles deſcribit eius proprietates, ſuppoſito quod daretur, vt volebant priſci quidam Philoſophi, non autem abſolutè: ex ſuppoſitione autem poſſibili conſequenter querit, an rectè definiatur ab illis: In mundi æternitate conſtantiam non ſeruauit; ea enim adnexam habet ſecum infinitatem actualem: ſed mirũ non eſt cęcutiſſe quoad hoc linceos oculos, nec vidiſſe ambages inexplicabiles conſequentes, vt Eugubin.l.7. de peren.Philoſ. c.15. fusè deplorat. Certè Dur.in 1.d.1.q.3. fin. ait Ariſt. 3. Phyſic.& 8.ſibi contradicere; in illo enim negat infinitum, in hoc admittit, quicquid alij concilient textus Conymbr.3. Phyſ.c.8.q.1. fin. Ariſtotelem pugnantia dixiſſe, cum genericè æternitatem admittit, & infinitatẽ animarum negauit. Eugubin. Durand. Conimbr.

At S.Thom.2.cont.gent.c.81.dicit, non repugnare principijs Ariſtotelis infinitatem animarum, quia 3.Phyſ.& 1.cęl. probat, infinitum non eſſe actu in corporibus naturalibus, non autẽ in ſubſtantijs immaterialibus. S.Thom.

Idem habet Tol.3.Phyſ.q.6. Albertin.diſp.4.q.3.fin. vindicat à contradictione Philoſophum, quod negarit tranſmigrationem animarum Pythagoricam de corpore humano in ferinũ, non Platonicam de humano in humanum, qua poſita ſtat æternitas, cum finitudine animarum: ſed non ſine alijs incommodis, & erroribus: Quicquid de hoc ſit, ſequor S.Bonauentur. negantem infinitum, Ariſtotelis textus conciliare alieni inſtituti eſt, nullius tamen vendicare ab erroneo placito de mundi æternitate. Theologi verò, qui poſſibilitatem mundi æternitatis, & infiniti admittunt, conſequentiùs loquuntur, ſed iſti non conueniunt inter ſe; alijs placet tantùm in ſucceſſiuis admittere; alijs in omni motu tam recto, quàm obliquo, aliis in alterutro, alijs in neutro, ſed ſolùm in permanentibus, vt hinc appareat negotium eſſe litigioſiſſimum, & moleſtijs ſcatentiſſimum, à quibus ſe expediunt, qui & mundi æternitatem, & infinitatem creatam negant eſſe poſſibilem, cuius ſententiæ eſt S. Bonauent.& alij multi, vt infra p. 2. huius diſput. ex profeſſo demonſtrabimus. LXXIX. Tolet. Albertin.

Ad illud de Vacuo infinito ſupra cęlum reſpondetur vacuum nihil eſſe actu, non enim factum à Deo; carentia verò formarum in ſubiecto dicit in recto potentiam, quæ vna eſt, & in obliquo connotat formas, quæ ſunt poſſibiles infinitæ ſyncategorematicè: negatio verò infiniti categorematici nihil eſt & chimęra, ſicut & ipſum categorematicum.

Ad confirmationem reſpondeo eſſe ſophiſma, quantumcumque poteſt facere Deus, tantum poteſt facere, diſtinguo; ſi ſenſus ſit, quod quicquid poteſt facere, poteſt ſimul facere, negatur antecedens; nam etiam per te non poteſt ſimul omne factibile: Si verò ſenſus ſit, quod poteſt ſucceſſiuè, iuxta exigentiam creaturæ, concedo, ſed nego conſequentiam, quod illud erit infinitum, nam poteſt maius, & maius, plus & plus in infinitum, ſed non infinitum ſimul, quia hoc non eſt factibile: Sic Deus in hoc inſtanti poteſt diuidere plures, & plures indeterminatè partes continui, ſed non omnes ſimul, quia non eſt diuiſibile in omnes. Simile argumentum referũt Scot. in 3.d.13.q.4. Och. in 3.q.7. lit. E. & ſoluunt. Nec differt ab illis S. Bonau. reſpondens A. creabile à Deo eſſe ſolum poſſibile infinitum non actu totũ ſimul, ſed potentia, quod eſt eſſe infinitum ſyncategorematicum.

Quartum.

LXXX. NVllus item negat à Deo cognoſci actu omnia poſſibilia; hæc autem ſunt infinita, & vniuerſim numeros eſſe infinitos, certiſſimum eſt, ait Auguſt. 12 de Ciu. c. 18. qui cognoſci infinita à Deo vult, & proinde numeros omnes: *Illud autem, inquit, aliud quod dicunt, nec Dei ſcientia, quæ infinita ſunt, poſſe comprehendi, reſtat, vt eis dicere audeant, atque huic ſe voragini profundæ impietatis immergant, quod non omnes numeros Deus nouerit, eos quippe infinitos eſſe, &c.* Abſit itaque, vt dubitemus, quod ei notus non ſit omnis numerus, cuius intelligentiæ, ſicut in pſalmo canitur, non eſt numerus, &c.

S. Auguſt.

Reſpondeo primo per inſtantiam; nam Deus cognoſcit omnes partes, in quas diuiſibile eſt continuum, & iſtæ non ſunt tot, quin plures, neque poſſibiles reduci ad actum, quia vel eſſent diuiſibiles adhuc in alias partes, & ita non eſſet diuiſum in omnes contra ſuppoſitionem; vel indiuiſibiles, atq; ita conſtaret continuum indiuiſibilibus contra demonſtrationes Philoſophi 6. Phyſic. vel ſi concedas contra illum, conſtare indiuiſibilibus, non tamen concedes, quod in partibus proportionalibus deueniatur ad finem, ita vt aliqua non ſit vlteriùs diuiſibilis. Secundò reſpondeo directè, quia quærenti, quot partes continui cognoſcit Deus poſſe actu eſſe diuiſas, reſpondetur, non tot, quin plures; nam ſi actualiter diuidantur, nunquã perueniri poteſt ad finem, atque adeo nunquam erit verum dicere, quod actu omnes ſint diuiſæ, ſed tantùm quod poſita qualibet diuiſione à parte rei adhuc partes diuiſæ ſunt diuiſibiles in alias in infinitũ, & quia Deus cognoſcit res, vt ſunt in ſe cognoſcibiles obiectum cognitionis eius eſt quid mixtum ex actu, & potentialitate, id eſt diuiſio actualis connexa cum diuiſione potentiali, atque adeo Deus, qui cognoſcit quicquid cognoſcibile eſt, & modo eminentiſsimo non poteſt cognoſcere omnes partes actu diuiſas, ita vt nulla vlterius ſit diuiſibilis, niſi cognoſcat reſolutionem factã ad indiuiſibilia contra ſuppoſitionem.

Idem eſt de numeris, nam nihil eſt cognoſcibile in eis, quod effugiat diuinam mentem; ſed illi etiam ſunt LXXXI. quid conſtans actu, & potentialitate, quod explicamus per hoc non tot, quin plures. Alioqui dicant nobis, quot numeros finitos cognoſcit, non poſſunt reſpondere, quod infinitos, quia quæro, quot finitos: Neque poſſunt aſſignare certos, ac determinatos, quia quibuſcumque aſſignatis, poſſunt aſſignari plures, & plures in infinitum ſemper citra infinitatem categorematicã, quia ſufficit, & cognoſcibilis eſt tantùm ſyncategorematica; atque ita vitatur caſus profundæ impietatis confeſſione veritatis, quod nihil eſt cognoſcibile in numeris non cognitum à Deo, cuius cognitionis non eſt numerus. Cognoſcit ergo Deus numeros omnes cognoſcibiles,

& iſti

& iſti ſunt infiniti tantùm ſyncategorematicè, ſicut cognoſcit quicquid eſt creabile; & hoc pariter eſt ſyncategorematicum; nã ſi quæratur à te, quot Deus cognoſcat actu ſimul à ſe producibilia, reſpondebis, non tot quin plura, quia nullus eſt determinatus, vltra quem non poſſit adhuc plura producere, & hoc in infinitum, quod dicere teneris etiam admiſſo infinito, quia non producibilia ſunt tot infinita, quin plura etiam plura in infinitũ. Quæ igitur actu produci poſſunt ſimul, ſemper ſunt finita, ſed indeterminata, quia nullus eſt certus numerus, vltra quem non ſe extendat diuina potentia in infinitum, quod eſt eſſe infinitum ſyncategorematicè, & hoc infinitum cognoſcitur à Deo perfectiſſimè, non autem categorematicũ, quod implicat, & etiamſi non implicaret, adhuc inuolueret infinitum ſyncategorematicum, quia non tot eſſent infinita ſimul producibilia, quin præter illa produci poſſent alia, & eadem reſponſione opus eſſet.

Idq; etiam aſſerendum, dato quod actu produceretur quicquid eſt producibile; nam etiam tunc poſſet Deus deſtruere, & reproducere quoties vellet, & verum eſſet dicere, non tot eſſe poſſibiles deſtructiones, & reproductiones, quin plures, & plures aſſignari poſſint. Et idem eſt de alijs producibilibus particularibus ſpecierum, & ſubſtantiarum, quæ poſſunt à Deo produci ſemper perfectiores, & perfectiores in infinitum, ita tamen, vt nulla ſit poſſibilis infinita per ſe: illas enim Deus cognoſcit, vt ſunt cognoſcibiles, id eſt, non tot quin plures ſẽper ſint obiectum cognitum, quod eſt eſſe actum mixtum potentialitati, ſeu infinitum ſyncategorematicum.

Poteſt Deus creare ſpecies, & ſubſtantias perfectiores, & perfectiores in infinitũ.

Valet ergo hæc inſtãtia, quia quod dices de cognitis à Deo poſſibilibus ſimul actu exiſtere, dicam ego de numeris, omnes ſcilicet cognoſci, ſed quomodo ſunt cognoſcibiles, id eſt ſemper plures & plures, ſeu obiectum inuoluens non tot quin plures, & infinitũ ſyncategorematicè mixtũ potẽtia, & actu tenentibus ſe ex parte cogniti, non autem cognitionis, quæ omnem potentialitatem, & imperfectionem excludit.

Quintum.

IDem Aug. l. 2. de lib. arb. c. 14. ait, *Quicquid corporis ſenſu attingitur, iam non vnum, ſed multa eſſe conuincitur, corpus eſt enim, & ideo habet innumerabiles partes:* Ex quo ſic arguo, Omne corpus habet infinitas partes, ergo & ſunt, & intelliguntur à Deo. Conſequentia eſt clara, antecedens probatur, quia omne continuum habet partes & non finitas, ergo infinitas; neque valet dicere, quod habet potentia non actu; nam vel ly potentia determinat verbum, habet, vt ſit ſenſus, habere poteſt, ſicut de marmore, quod poſſit eſſe ſtatua; & tunc hęc eſſet falſa; continuum habet partes; & illa tantum vera, continuum poteſt habere partes: At Auguſtin. ait, quod habet partes innumerabiles; & ratio ſuadet, quia actu vna non eſt alia: aut ly potentia determinat partes, vt ſit ſenſus, quod continuum habet infinitas partes in potentia, id eſt poſſibiles, quarum nulla ſecundùm ſe eſt vnum hoc aliquid præciſum non faciens cum alio vnum aliquid, ſed omnes hoc vnum aliquid conſtituunt ad differentiam quantitatis diſcretę, quarum quælibet ſecundum ſe eſt vnum hoc aliquid, & hoc non obſtat, quia ſicut continuum habet plures partes potentiales, ſic actualiter habet infinitas partes potentiales. LXXXII.

Confirmatur, quia omnis Diameter quadrati eſt infinitus, nam tot ſunt in eo aſſignabiles Diametri, quot & partes proportionales in coſtis, ſed iſtæ ſunt aſſignabiles in infinitum, ergo diametri etiam infinitæ, ſed inter has datur vna, quæ eſt maior infinitis diametris ſemper maioribus, ergo illa eſt infinita. Patet minor, quia in quadrato palmari, ex. gr. diameter eſt maior omnibus alijs aſſignabilibus ſẽper maioribus diametris aliorum quadratorum factorum ex partibus proportionalibus coſtarum non communicantibus, & angulus rectus maior eſt quolibet angulo contingentiæ, quantumuis augeatur ex Euclide lib. tertius prop. 16.

Reſpondeo. Continuum eſt mixtũ ex actu, & potentia, & non habet par-

partes, niſi potentia, & proinde infinitas ſolùm potentia ex Ariſt. 8. Phyſ. t. 68. in quo ſenſu loquitur Auguſtinus aſſerens habere partes innumerabiles ſcilicet potentia, ita vt ly potentia afficiat terminum innumerabiles; habere autem actu infinitas partes potentiales non eſt actu eſſe infinitum categorematicum, ſed ſyncategorematicum; ſecus haberet actu partes, non potentiales, ſed actuales, ſeu formaliter, & actualiter diſtinctas.

Ad confirmationem. Illa eſt infinitas ſecundùm quid, qualis eſſet hominis, vel Angeli, qui perfectior eſt quolibet animali in infinitum creabili in genere ſenſitiui, neque calculatio illa ab animalibus perfectioribus in infinitum, quibus perfectior eſt homo, probat infinitatem perfectionis; ſed diuerſitatē ordinis in genere animalium, in quo homo attingit gradum intellectiui ſuperiorem quolibet ſenſitiuo in infinitum: ideo augmentum dicitur communiter geometricum, & non arithmeticum, & habet ſe ad modum infiniti ſyncategorematici. Ex quo patet ad alia exempla diametri, & coſtæ, anguli recti, & contingētiæ, quorum perfectio eſt diuerſæ rationis, & nunquam admittit ęqualitatem per incrementum vllum; vniuerſaliter autem nulla quantitas eſt infinita actu, ex qua non poſſint ſumi partes æquales, & maiores in infinitum.

Perfectio diametri, & coſtæ anguli recti, & contingentię eſt diuerſæ rationis.

Sextum.

LXXXIII. DEus poteſt quamlibet partem proportionalem aſſignabilem ſe ſolo conſeruare ſeparatam ab alia parte in infinitum, item in inſtanti cuiuslibet horæ producere Angelum: poteſt item in media parte, & in dimidio mediæ, & ſic in infinitū per tres medietates creare, ergo in fine horæ erunt infinitæ partes diuiſæ, & infiniti Angeli producti, & idem valet de magnitudine, quia poteſt Deus in quolibet inſtanti partis proportionalis vnius horæ addere quantitati alicui partem æqualem, vel maiorem.

Confirmatur, quia quamlibet partem proportionalem poteſt Deus facere æqualem per rarefactionē, ergo tot erunt partes æquales alicuius magnitudinis, quot ſunt proportionales, igitur infinitæ non tantum potentia, ſed actu; quia illud eſt actu infinitū, quod conſtat patibus æqualibus.

Reſpondeo. Poteſt Deus conſeruare quamlibet partem aſſignabilem continui ſeparatam ab alia parte, diſtinguo quamlibet in particulari, ſeu diſtributiuè, concedo; quamlibet in vniuerſali, ſeu collectiuè, nego; quia hoc ſecundo modo partes non ſunt ſeparabiles, ita vt ex tota collectione totaliter diuiſa nulla reſtet diuiſibilis, quia ſic omnes eſſent indiuiſibiles, & non eſſet continuum, de cuius ratione eſt, vt ſit diuiſibile in plures, & plures partes in infinitum, quantumuis ſit minimum, ſi continuū manet.

Idem dico de productione, poteſt in qualibet diſtributiuè producere Angelum, ex g. concedo, collectiuè in omnibus aſſignabilibus partibus tēporis, nego. Nā vel produceret Deus vnum Angelum ſucceſſiuè poſt alterum; atque ita inter productionem vnius, & alterius intercederet tēpus, quia non dantur duo inſtantia immediata, quare in fine horæ non eſſent producti infiniti, ſed tot, quot ſunt partes diſtinctæ per diſtinctas productiones, quarum datur prima, & vltima; & proinde non infinitæ, ſed in certo numero commenſurato tempore finito; vel producit in inſtanti tot Angelos, in quot partes videt diuiſibilem horam, & cum iſtæ ſint infinitę ſyncategorematicè, id eſt nō tot quin plures, ſicut ex diuiſione actuali ſiue ſucceſſiua, ſiue inſtantanea, nunquam ponerentur partes actu infinitæ, ita neque per productiones reſpondentes illis ponerentur actu infiniti Angeli, ſed plures, aut pauciores, prout Deus vellet, ad quem pertinet determinare numerum, qui maior, & maior produci poteſt in quolibet inſtanti, ſed ſemper finitus; ſicut poteſt in quolibet inſtanti addi quātitas maior & maior certæ quantitati, neque tamen in fine horæ erit infinita, quia poteſt additio fieri in quolibet inſtanti, vel parte proportionali diſtributiuè, non collectiuè.

Dari nō poſſunt duo inſtantia immediata.

Ad confirmationem. Nimium probat argumentum ſi quid probat, ſeque- LXXXIV.

Digitized by Google

quæreretur enim in qualibet rarefactione fieri infinitum augmentum quantitatis; rarefiat enim quantitas palmaris, & euadat bipalmaris, quælibet pars proportionalis facta eſt duplo maior, quàm eſſet ante rarefactionē, ergo quæ fuerat extenſa vt vnum ſit extenſa vt duo, & quæ vt duo facta eſt extenſa vt quatuor, & ſic in infinitum. Signata igitu vna determinata extenſa vt vnum ſub quantitate palmari dantur aliæ infinitæ actu per te maiores extenſæ vt duo in quantitate bipalmari, ergo bipalmaris eſt infinita. Patet ſequela: quia illa quantitas eſt infinita actu, à qua poſſunt ſumi partes æquales certæ quantitati in infinitum non communicantes, ſed ex quātitate bipalmari poſſunt ſumi partes nō ſolùm æquales, ſed etiam maiores certa quantitate deſignata in palmo non communicantes; ſi enim diuidantur medietates, vna non communicat alteri, ſed eſt extra alteram, & tales in bipalmari ſunt duplo plures, quàm in palmari, ideſt quælibet non communicans alteri eſt duplo maior, quàm eſſet antea, & conſequēter quælibet eſt maior vna aliqua aſſignata in palmari.

Secundò. Reſpondeo directè poſſe Deum facere partem quamlibet diſtributiuè ſumptam æqualem per rarefactionem non poteſt omnes collectiuè: Neque ad hoc refert, quod comparentur partes eiuſdem continui inter ſe, ita vt eædem fiant æquales, quę erant proportionales, quia idem valeret de alijs partibus diſtinctis, ſi argueres poſſe Deum producere tot palmos vnius corporis, quot videt partes proportionales in palmo alterius; ſemper enim valeret diſtinctio, quod poteſt diſtributiuè, non collectiuè.

Semper valet hæc diſtinctio Deus poteſt diſtributiuè & nō collectiuè.

Imò ſumi hinc poteſt argumentum ad oſtendendam implicantiam infiniti; nam ſi poteſt Deus producere tot partes æquales, quot videt proportionales in quantitate palmari; ſint iſtæ infiniti palmi, ſequitur eſſe finitos per te. Primò, quia clauduntur terminis, incipiunt enim productiones initio horæ, & deſinunt in fine horæ, & datur prima, ac vltima. Secundò, quia ſicut poſſūt produci infiniti palmi reſpōdentes infinitis partibus proportionalibus palmaris quātitatis ſpatio vnius horæ, ita poſſent produci infiniti bipalmi, & quadripalmi, & ſic in infinitum omnino diuerſi à palmis infinitis, & maiores illis, ergo infinitum conſtans infinitis palmis minus eſt, quàm conſtans infinitis bipalmis, & ibi finitur, vbi incipit excedi, quod eſt eſſe finitū, & vlterius non extendi.

Neque potes dicere, in infinitis palmis contineri infinitos bipalmos; nam ex vna parte dato infinito hoc ſequitur, alioqui conſtaret finitis bipalmis, & eſſet finitum; ex alia argumentum probat, non contineri, quia bipalmi reſpondentes partibus proportionalibus ſunt quid maius, quàm palmi. Et hoc eſt, quod inculcant infinitum negantes infinitis non dari plura; infinitum carere termino, nihil addi poſſe; & quia cuilibet creato addi poſſunt alia, & quodlibet habere terminum, præterea nullum ens creatum poſſe eſſe infinitum.

Infinitū termino caret, cui nihil addi poteſt.

Septimum.

LXXXV

Omnia incommoda, quæ afferūtur de infinito in actu, militant in infinito potentia, v. gr. quod eſſet vnum infinitum maius altero, quod totum eſſet æquale, vel minus parte, & ſimilia, quæ æquè militant contra partes continui, quas eſſe infinitas poſſibiles certum eſt.

Reſpondeo. Negatur aſſumptum; nam in primis infinito ſyncategorematico additio fieri poteſt, quia eſt quid mixtum ex actu, & potentia, vt patet ex diſcurſu Philoſophi 3. Phyſ. à t. 57. S. Bonauent. in 1. d. 43. a. 1. q. 3. cit. & ex præmiſsis initio quæſtionis: Et quia iccircò nunquam in eo tot ſunt aſsignabilia, quin plura aſsignari poſſint, ideo dici non poteſt, quod ſit quid terminatum, neque rurſus quod careat termino, quia cum nihil ſit, quam ſuæ partes, & iſtæ ſint actu finitæ, & ipſum realiter finitū eſt actu, & tantum infinitum potentia, quod eſt in eo ſemper dari proceſſum in plus, & plus, ſeu eſſe quid eſſentialiter potentiale, neque totum actu factibile, neque aliter cognoſcibile, quàm vt ſemper inuoluens potentiam.

Ariſt.
S. Bonauent.

Ad

Ad quod intelligendum inſeruit exemplum temporis æterni à parte poſt, & generationum in eo futurarũ. ſi durarent; nam nũquam poteſt poni totum actu, ita vt ſit verum dicere, nunc lapſa eſt æternitas, neque eſt cognoſcibilis numerus dierum, aut generationum, vltra quas non ſint aliæ poſſibiles, ſed obiectum cognitionis eſt hoc, multitudo inuoluens generationes non tot quin plures, ſeu tot & plures, ſed omnes & ſingulas finitas actu, & non finitas potentia. Ex quo nullum ſequitur inconueniens ex ijs, quæ ſequuntur ex infinito categorematico.

Inſeruit etiam exemplum diuiſionis continui; nam ſi reducatur ad actũ diuiſio, ſemper erunt partes diuiſæ actu finitæ, non tamen tot vnquam ponentur actu, quin plures poni poſſint, & ideo dicitur infinitum conſtās actu, & potentia, ſeu ſyncategorematicum; igitur nunquam exhauriri poteſt diuiſibilitas, quia eſſentia eius cõſiſtit in ſemper poſſe diuidi in minores, & minores partes, ſicut numeri natura hoc habet, vt ſemper augeri poſſit partibus maioribus, & maioribus in infinitum, neque tamen vnquã iſta potētia reduci poſſit tota ad actũ, quia iam non eſſet hæc natura contra ſuppoſitionem. Sic S. Bonauentura in 2.d.34 a.2.q.1.ad arg.ait: *Nam etſi in rebus creatis non contingat inuenire actum infinitum; contingit tamen reperire infinitum in potentia, ſicut patet in numero per appoſitionem, & in continuo per diuiſionẽ, &c.*

Octauum.

LXXXVI. ENs creatum, & ens infinitũ non repugnant formaliter, neque mediatè, neque immediatè, ergo ſunt termini compoſſibiles. Antecedens patet, quia omnia argumenta, quæ afferuntur ad oſtendendam repugnãtiam, habent ſuas ſolutiones apud Auctores defendentes poſſibile eſſe infinitum mox numerandos, Och. in 1.d. 44.q.vn.& in 2.d.1.q.8. Gabr. ibidem q.3. quamuis d.17.q.8. a.1. concluſ.5. neget poſſe produci caritatem infinitam cum Ochamo; Greg.in 1.d.42.q. 4.Mayron. in 1.d.19.q.1. & 43. q.10. Maior.in 1.d.44.q.3.& in 3 d.13. q.3. Vazq.1.p.diſp.26. Faſ.1.p.q.7.a.4. per totum.

Ocham. Gabr. Gregor. Mayr. Maior. Vazq. Faſol.

Reſpondeo. Nego antecedens; repugnat enim formaliter idem eſſe infinitum, & claudi terminis, quod eſt finitum eſſe; idem eſſe totum & partẽ, maius, & minus, & ſimilia, de quibus ſupra.

Nonum.

DE facto valor meritorum Chriſti eſt infinitus, & vnumquodque habet ſuum valorem infinitum, & æqualem alteri. Cogitationes omnes futuræ per totam æternitatem ſunt omnes obiectiuè in mente Dei, ſicut & omnia poſſibilia: Et Chriſtus Dominus cognoſcit omnia, quæ Deus cognoſcit ſcientia viſionis; quæ ſunt infinita ex D.Th.3 p.q.10. a.2. & prætere- S.Thom. rea cognoſcit omnia, quæ ſunt in potentia creaturæ, quæ item infinita sũt, vt dicitur ibid. a.3.c. Angelus item comprehendit ſuam potentiam intellectiuam, & proinde omnes cognitiones reflexas, quas poteſt elicere, quæ ſunt infinitæ, quia nulla datur poſſibilis cognitio, ſupra quam non poſſit reflectere.

Denique Auctores grauiſſimi ſunt pro hac parte, nam præter antiquos apud Ariſt.3.Phy.& alibi.S.Th.& alios cit.Theologos in 2.& in 4.ſent. habet celebres recētiores, Vazq.in primis, & alios plures, quos refert, & ſequitur Vazquez. Faſol. 1.p.q.7. a.3.& 4.per multas dubitationes.

Reſpondeo. Valor meritorũ Chriſti quantum facit ad propoſitum, dupliciter conſiderari poteſt, primò, ſecundum entitatem intrinſecam actionis, qua merebatur; & hoc modo conſtat eſſe finitam. Secundò, vt habet dignitatem à perſona operante, & & ita dicitur infinitas, quia illa eſt infinita, & infinitè dignificans, & actio ſic dignificata eſt talis conditionis, vt iudicio prudentis æſtimetur digna infinito præmio, quæ eſt quædam moralis ęſtimabilitas inuoluens in ſuo cõceptu diuerſum ſuppoſitum, & actionem Chriſti Domini, ſiue quod idem eſt, actionem vt talis ſuppoſiti, in quo tota infinitas realis eſt ſuppoſiti, in

in quo tota infinitas realis eſt ſuppoſiti, non autem actionis, niſi vt dignificatæ ab illo, à quo etiam prouenit virtus effectiua præmij reſpondentis æterno merito; atque ita negatur dari infinitatem creatam in ſenſu quæſtionis.

Offenſa item eſt infinita tantùm ſecundum quid ratione perſonæ infinitæ, quæ offenditur; ſiue quia creſcit proportionaliter cũ cognitione, quæ ſemper eſt finita; ſiue quia perſona offenſa facit, vt iniuria ſit diuerſæ rationis à quacumque alia, non autem infinita, iuxta varias ſententias 3.p.

Ad illud de cogitationibus reſpondeo eſſe infinitas ſyncategorematicè cum Suar.t.1.3. p. diſp. 26. ſect. 3. fin. quia illa multitudo quamuis ſimul cognita talem habitudinem habet ad ſuam exiſtentiam, vt ex intrinſeca natura ſua petat, non poſſe exhauriri, cum ſit, & ita in ſua intrinſeca ratione includit, veluti potentialitatem, vt ſemper illius reſtet aliquid efficiendũ. Quare non rectè dicitur infinitum categorematicum in cognitione, quia totum ſimul cognoſcitur; non enim habet aliam quantitatem in eſſe cognito, quàm à parte rei, vt idem aduertit, confirmatque ex eo, quod Deus non videt aliud infinitum, quam ſit poſſibile, vel futurum, ſed non eſt poſſibile, vel futurum categorematicè, ergo tantum ſyncategorematicè. (Suar.)

Ad illud de ſcientia Chriſti dico cũ Bonauentura in 3. d. 14. a. 1. q. 3. eſſe finitos actu, & tantùm infinitos potẽtia, ſeu habitum, nimirum infinitos ſyncategorematicè, vt apertè patet ex textu, & dixi ſupra. (Chriſtus cognoſcit res finitas actu, infinitas potentia, &c.)

Angelus item comprehendens ſe, videt cogitationes ſuas infinitas poſſibiles ſyncategorematicè.

Inſtabis, quia cogitationes futuræ cadunt ſub ſcientiam viſionis, ergo futuræ ſunt pro aliqua differentia tẽporis; tum quia propoſitio de futuro veritatem habet in ordine ad propoſitionem de præſenti; de omni enim, quod futurum eſt, aliquando verificabitur, quod eſt; tum quia per hoc diſtinguitur obiectum ſcientiæ viſionis ab obiecto ſimplicis intelligentiæ, quod illud aliquando habebit exiſtẽtiam, hoc nequaquam.

Reſpondeo in primis, argumentum hoc eſſe commune vtrique parti admittenti cogitationes futuras in æternum, & nunquam finiendas.

Secundò reſpondeo directè. Quælibet diſtributiuè eſt futura, & tota etiam collectio, ſed eo modo, quo poſſibilis eſt, nimirum cum perpetua ſucceſſione in infinitum. Omnes autem ſimul poſſibiles nullæ ſunt, vt ſupra in Coroll.

Inſtabis. Omnes cogitationes futuræ, omnes partes continui, omnia creabilia ſunt ſimul actu obiectiuè in mente Dei, & hæc non ſunt finita, ergo infinita non ſyncategorematicè, quia in mente Dei nullam habent admixtam potentialitatem, ergo categorematicè.

Confirmatur, quia ſi eſſent omnes à parte rei vt ſunt in mente Dei, eſſent actu infinitæ categorematicè, tũ quia eſſent omnes actu ſine potentialitate, tum quia vt Dur. in 1. d. 43. q. 2. à n. 8 ſi finitæ eſſent, daretur terminus finitus, vltra quem diuina potentia non ſe extenderet; ergo cum ſint omnes actu in mente, debent eſſe infinitum categorematicũ obiectiuũ; ex quo rurſus ſequuntur eadem incõmoda, quæ ſequerentur ex infinito à parte rei. LXXXVIII (Durand.)

Pro reſponſione inſeruit doctrina Greg. in 1. d. 17. q. 6. ad 1. cont. 1. concluſ. licet alioqui admittentis infinitũ categorematicum, ſed non negantis ſyncategorematicum, nimirum voces iſtas omnia, ſiue omnes ſignificare aliquam multitudinem comprehendentem quicquid ſubſtantiuum, cui adijcitur, ſignificat; ita vt nihil in eo genere ſit præter illam, verbi gratia omnis homo complectitur totam hominum multitudinem, nec vno quidem excepto, qui extra collectionem iſtam remaneat; & quia in infinito ſyncategorematico non ſunt tot, quin ſemper maneant plura aſſignabilia, propterea ſyncategorema omnis non poteſt illi adaptari: Negandum igitur, quod omnes cogitationes futuræ ſint obiectiuè in mente Dei, quia nullæ cogitationes futuræ ſunt omnes cogitationes futuræ, cum præter quaſcunq; futuras ſint aliæ futuræ; ſicut nullæ animæ creabiles (ait Greg.) ſunt omnes (Greg. r.) (Termini omne, otũ, &c. quid ſignificent.)

nes animæ creabiles, eo quod præter quaſcumque ſint ſemper aliæ in infinitũ. Neq; tamen inſeras cogitationes aliquas futuras latere Deum, quia Dei infinita ſcientia pertingit ad omne cognoſcibile: ſed ſolum quod iſti termini, omnes, cuncti, toti, &c. non cadunt ſuper obiectum infinitę ſcientiæ Dei, vt mox explico cum citandis Auctoribus, & exemplum primò peto à partibus cõtinui, de quibus Gab. in 2.d.1.queſt.3. 2. Nullæ ſunt omnes partes continui, præter quas non ſint aliæ partes,& non poſſint aliæ aſſignari; id enim cum dicat de infinito categorematico, multò magis conuenit ſyncategorematico, quod habet admixtam potentialitatem, & proinde ſemper alia, & alia præter aſſignata. Illa ergo, quæ ſunt in mente Dei, ſunt cum hac potentialitate obiectiua, & ſic infinita ſyncategorematicè, ex quo patet.

Ad confirmationem. Implicat enim id, quod eſſentialiter eſt potentiale, eſſe totum actualiter, quia non eſſet illud, quod ſupponitur; quicquid recentiores in contrarium. Faſ.q.7.a.1. d.2.n.12. contendens tantam multitudinem eſſe in infinito ſyncategorematico, quanta eſt in categorematico; argumenta verò ex vna parte probant fore infinitum categorematicũ, ex alia conſtat hoc eſſe impoſſibile, atque adeo dato vno impoſſibili, quod poneretur totum ſimul actu, ſequeretur eſſe infinitum, vt probat argumentum, & non eſſe infinitũ; quod conuincunt aliæ rationes eſſe impoſſibile.

LXXXIX. Dices: Nulla cogitatio, vel pars continui eſt non cognita à Deo, ergo omnis cogitatio, & pars eſt cognita; nam propoſitio vniuerſalis negatiua habens negationem prępoſitam æquipollet vniuerſali affirmatiuæ, verb.gr. nullus homo nõ eſt animal, ergo omnis homo eſt animal.

Reſpondeo. Nego ſequelam, & ad probationem dico, regula ſummuliſtica vera eſt, quando ſubiectum propoſitionis æquipollentis capax eſt ſyncategorematis omnis, tale autem non eſt in propoſito, vt diximus.

Ex quo ſequitur, non poſſe dici, quod aliqua cogitatio, vel pars continui, vel res creabilis ſit non cognita, ſi non omnes ſunt cognitæ, quia vbi non eſt omnis, neque eſt aliqua contradictoria ipſius. Deus ergo cognoſcit omnia, vt ſunt cognoſcibilia, ſed nulla ſunt omnia cognoſcibilia, præter quæ non ſint alia ſemper aſſignabilia, ſed tamen cognita, quia nihil eſt ignotum illi. Quomodo ſolui etiã poteſt ſophiſma, quod Ocham.in 2.q. 8.ad 4. vocat fallaciam figuræ dictionis, quia mutatur modus ſupponendi, omni parte eſt aliqua minor, ergo aliqua pars eſt minor omni parte, nam cum ibi non ſit omnis collectiuè falſum eſt in hoc ſenſu antecedens, & conſequens, quamquam ipſe aliter ſoluit.

Ad argumentum ab hoc ſoluendũ opponimus auctoritates non minùs graues SS.Bonauenturæ, & Thomæ, Scoti, & plurium recentiorum, inter quos Suar.loc.cit.

Vltimum argumentum eſt; quia per te non datur maius infinitum, & minus, cum infinito nihil addi poſſit, quo augeatur; ſed hoc non obſtat, quia omnes tres perſonæ diuinæ ſunt infinitę perfectionis,& tamen dicitur: Pater maior me eſt.

VTRVM IN DIVINIS

Vna perfectio relatiua ſit maior altera.

CAP. X.

I. Status quæſtionis.
II. Rationes dubitandi ex auctoritate Patrum.
III. Patrum eorumdem argumenta.
IV. Vera ſententia negans inæqualitatem in diuinis relationibus.
V. Auctoritas Patrum pro illa, & ratio multiplex.
VI. Reſpondetur argumentis cõtrarijs.

QVæſtio eſt de relatione XC.
præciſè ab eſſentia conſideratis, v. g. de Paternitate vt diſtincta virtualiter, ſeu quouis alio modo ab eſſentia, an ſit perfectior, quam filiatio; quod aduertiſſe oportuit initio; quia qui affirmatiuam

tuen-

Digitized by Google

tuentur, concedunt quidē hanc propoſitionem: Paternitas eſt perfectior, quam filiatio; hanc alteram negant, Pater eſt perfectior filio, quia nomina concreta dicunt eſſentiam, ratione cuius perſonæ ſunt æquales, & vna non poteſt dici perfectior altera. Dedit autem occaſionē quæſtioni Chriſti Domini effatum Ioan. 14. Pater maior me eſt, præcipuum Arianorum fundamentum, ad excludendam conſubſtantialitatem filij cum Patre, cui deſtruendo Concilia, & Patres inſudarunt veras explicationes loci iſtius afferentes, vt æqualitas Patris, & Filij apud Catholicos ſarta tecta maneret. Verùm, quia non vno modo ab ipſis explicatur, adhuc relictus eſt locus Scholaſticis, retenta doctrina de æqualitate Perſonarum, inſtituendi diſputationem de relationibus præcisè conſideratis, an vna ſit altera perfectior in ſua entitate, & non ſolùm in hominum exiſtimatione. Et quidem qui relationes formaliter, ſiue rationem, Ad, in Diuinis dicere perfectionem inficiantur cum pluribus Thomiſtis citatis à Suario l.3. de Trin. c.9. & à Faſolo 1.p.q.28.a.2.dub.5.nu.121. facilè ſe expediunt, quia vbi nulla eſt perfectio, neque controuerſia eſſe poteſt de æqualitate, aut inæqualitate perfectionis. Non item qui in conceptu formali relationis vt ſic agnoſcunt entitatem, & perfectionem infinitam, & inde arguunt vnum infinitū maius alio in creatis, quia vnam relationem exiſtimant alia perfectiorem in diuinis, quam conſequenter non diſputo, quia ſequor communem cum torrenti Auctorum apud eoſdem Suarium, & Faſol. negantem exceſſum perfectionis relationum diuinarum ſuper ſeipſas, etiam vt ab eſſentia diſtinctas; quia tamen contraria nititur auctoritatibus Patrum, & profert rationes ex illis petitas non improbabiles prima facie, reddita eſt controuerſia iſta celebris, & ideo operæ pretium eſt, videre, an pro illa ſtent patres, vt palam profitetur: ex quo conſtabit, quam habeat vim ad probandam poſſibilitatem infiniti vnius maioris alio, argumentum hinc deſumptum: adducuntur autem tanquam rationes ſoluendæ, non vt probationes contra communem ſententiam, à qua non diſcedo.

Auctoritates Patrum pro Sententia affirmante inæqualitatem perfectionis in diuinis relationib.

S. Greg. Naz. orat. 2. de Theol. docet nō ſolū ratione humanitatis Filij verificari dictum illud Chriſti Io. 14. Pater maior me eſt, ſed etiam ratione diuinitatis, quia Pater genuit, Filius genitus eſt. Verba illius ſunt. *Nam* quod ratione humanitatis Pater Filio maior intelligendus ſit, verè quidem dici poteſt, ſed non perinde honorificè, &c. Igitur maioris eſt honoris paternitas, quam filiatio. XCI. S. Greg. Naz.

S. Baſil. lib. 1. contra Eunom. paulò ante finem; *Quomodo* à Patre origo eſt Filio, hoc maior eſt Pater, quod cauſa eſt, atque origo. Quapropter Dominus ſic dicitur. Pater meus maior me eſt, vt eo quod Pater eſt, maior eſſe intelligatur. S. Baſil. Magnus.

S. Cyrill. lib. 2. Theſaur. c.3. *Quamuis* ſecundum rationem ſubſtantiæ Pater æqualis, & penitus ſimilis, ſit Filio, maior tamen ipſe Pater eſt, qui eum generat in hoc ſolummodo, quia ex eo Filius eſt. S. Cyrillus.

Et in Concil. Epheſ. tom. 5. Concil. ſic loquitur: *Et ſi* vnigenitum Dei verbum homo factum eſt, manſit tamen omnia præter ſolam paternitatem cū Patre æqualis, & communia habens, &c. igitur in Paternitate non eſt æqualis. Conciliū Epheſinum.

S. Hilar. lib. 2. Trin. non longe à fine; *Pater*, inquit, maior Filio, propter auctoritatem originis. Filius autem non eſt minor Patre propter ſubſtantiæ vnitatem. Et lib. 9. Maior eſt Pater, dum eſt Pater, quia natiuitas Filij Patrem conſtituit maiorem, &c. Et nulli poteſt eſſe dubium, eſſe Patrem honore, dignitate, celeritate, maieſtate, & ipſo nomine Patris maiorem eſſe. S. Hilarius.

S. Athanaſ. in quæſtionibus anonymis q.1. quid eſt Deus, omnia æqualia habet Pater, Filius, & Spiritus Sāctus, præter proprietates ſuas; proprium enim eſt Patris ingenitum eſſe, Filij verò genitum, & Spiritus Sancti procedere, &c. At eſſe ingenitum eſt S. Athanaſ.

eſſe potiorem, vt loquitur S. Hilar. 3. de Trin. & Orat. 2. contra Arianos nõ longè à fine, Pater maior me eſt, non quidem magnitudine, aut ætate, ſed quia ab illo ortum habet.

S.Damaſc. S. Damaſc. l. 1. fidei c. 11. *Principaliter* eſt exiſtendi modus Patris, qui à nullo eſt, quam cæterorum duorum, qui ab eo ſumunt originem.

S. Auguſt. S. Auguſt. in quæſt. nou. ac vet. teſtament. q. 122. fin. *In ſubſtantia*, inquit, minor nõ eſt Filius auctoritate maior eſt Pater tom. 4. Ideo in primo gradu ponit Patrem, in ſecundo Filium. Et lib. 5. Trin. c. 6. Filius non ſecundùm hoc, quod ad Patrem dicitur, æqualis eſt Patri, &c. ergò ſecundum reſpectũ ad Patrem dicitur inæqualis, ſi non æqualis, nõ niſi quia Pater maior eſt.

S.Thom. S. Thom. opuſc. 1. aduerſus Græcos c. 2. hæc habet; *Quod* autem dicit Baſil. quod Spiritus Sanctus eſt ſecundus à Filio dignitate; videtur habere maiorem calumniam, quia videtur in dignitate Trinitatis conſtituere gradum, cum ſit par dignitas, ac eadem trium perſonarum. Poteſt autem exponi non de dignitate naturali, ſed de perſonali, ſicut & ſecundum nos dicitur, quod perſona eſt hypoſtaſis proprietate diſtincta ad dignitatem pertinente, ſecundùm quem modum dicit Hilarius, quod Pater eſt maior Filio propter auctoritatem originis.

XCII.

Clichtou. Clichtoueus in Comment. ad primum librum fidei orthodoxæ S. Damaſceni c. 11. *Principalior*, inquit, eſt exiſtendi modus Patris, qui à nullo eſt, quàm cæterorum duorum, qui ab eo ſumunt originem: Principalis item modus ſubſiſtendi Filij, & ratione ordinis perfectior, quam Spiritus Sancti ab eo prodeuntis. Hæc tamen perſonalis perfectio, & eminentia originis nullam arguit in ipſis naturæ differentiam, aut diſtantiam.

Ad idem ſunt alij Patres Latini, & Græci, quos qui attentè legerit, non audeat notam inurere huic Sententię, arbitro quidem Faſolo q. 42. in 1. p. a. 1. n. 11. etiamſi Zumel ibi diſput. 2. acriùs notet ſententiam iſtam. Sed Patres explicantur in legitimo ſenſu à S. Thom. cit. neque mihi in præſentia tã ſollicitudo eſt de cenſura opinionis diuerſæ, quàm de veritate communis à maiori parte Scholaſticorum defenſæ.

Plures etiam pro ea referuntur Scholaſtici ab eodem, præſertim Gregor. Arimin. in 1. ſent. d. 19. a. 1 q. vn. afferens auctoritatem S. Auguſtini l. 3. de lib. arb. c. 21. aſſerentis, quod ſi Sol & Luna eſſent eiuſdem perfectionis, iam non eſſent Sol, & Luna, ſed duo Soles. Ex quo inferunt nonnulli, non dari diuerſas ſpecies eiuſdem perfectionis, Suar. tantùm ait, ſibi non placere hanc Sententiam, neque vlla cenſura illam notat.

Rationes huius Sententiæ negantis æqualitatem.

Primò. Quia Patres, & Concilia æquales eſſe perſonas ex eo fatẽtur, quod omnes tres habent eandem naturam, & eſſentiam, per quod obſtruxos Arianis cenſent, maioritatem Patris ex Euangelio citato prauè intellecto obtrudentibus. De Relationibus autem vel non fuerunt ſolliciti, vel inæqualitatem adſtruere, Patremque vt ſic formaliter maiorem dignitate, auctoritate, maieſtate, gloria dixere, quia genuit Filium ipſe ingenitus; quia dedit eſſe Filio, quod eſt quid nobiliùs, quàm accipere. XCIII.

Secundò. Rationes, quæ ſecundũ ſe conſideratæ ſunt meliores in diuinis retinent ſuam nobilitatem, ſed dare ſecundum ſe eſt quid nobilius, quã accipere, iuxta illud, Beatius eſt magis dare, quàm accipere; vnde & Regũ quidam regium magis eſſe dixit ditare, quam diteſcere, igitur & in diuinis maius quid eſt dare eſſe, quod eſt Patris, quàm accipere, quod eſt Filij, & in illo agnoſcit Auguſtinus maiorẽ auctoritatem, ac dignitatem.

Tertiò. In attributis abſolutis datur vnum nobilius alio, v. gr. intellectio, & ſapientia præfertur volitioni, omnipotentiæ, miſericordiæ, &c. ergo etiam in Relatiuis datur exceſſus vnius ſupra aliud, quia ſicut per illa non tollitur æqualitas aſſerta à Patribus, ita neque per hæc tollitur.

Confirmatur principaliter ex communi doctrina Theologorum ponentium in Deo rationes primarias, & ſecundarias abſolutas, & relatiuas, & illas

Digitized by Google

illas nobiliores iſtis eſſe fatentium, quia abſolutæ ſpectant ad naturam, ac relatiuæ ad perſonam; nobilius autem eſt, quod ad naturam pertinet.

Quartò. Maioritas prædicata à Chriſto in Patre Io.14. dicit inæqualitatem, quia inter æquales non dicitur vnus maior altero, ſed illa eſt ratione paternitatis, reſpectu filiationis diuinæ, de qua interpretantur locum illum Nazianz. & alij ſupra citati præter alios apud Maldonatum ibidem num.70.

Et quia explicationes illorum variæ ſunt, propoſitio quidem Chriſti Domini in illis terminis eſt de fide, ſed non in quolibet ſenſu interpretū; vnde & neutra opinio de fide eſt; inæqualitas autem improbabilis cēſenda.

Quintò. Ratio tollendi maiorem hāc perfectionem relatiuam eſt, quia cum illa non ſtat æqualitas perſonarum, & quia Pater diceretur perfectior Filio; ſed hoc non obſtat, tum quia vnitas, ſiue identitas eſſentiæ ſufficit ad æqualitatem ſecundum Patres eam ſemper obijcientes Arianis; tum quia datur in diuinis circuminſeſſio, ratione cuius vna perſona eſt in alia, iuxta dictum Chriſti; Ego in Patre, & Pater in me eſt; quæ valet etiam ad aſſerendam æqualitatē perſonarum. Propoſitio autem illa: Pater eſt perfectior Filio, non admittitur, quia Pater in concreto inuoluit eſſentiam, & proinde æqualitatem dicit ſine inæqualitate. Non quia hoc nomen, Perfecti, & Perfectionis ſit alienum à modo loquendi Patrum; nam & Damaſc. loc. cit. ait, Patrem, & Filium diſtingui perfectionibus, & Nazianz. orat. 2. de Pace ait: Trinitas perfecta ex tribus perfectis, &c. Et Epiphan hæreſ. 69. Tria perfecta, vna Deitas, &c. Et alij paſſim, ex quibus tamen non licet vſurpare propoſitiones inſuetas, Pater eſt magis perfectus Filio, vel perfectior, ob rationem dictam, & quia in materia tam graui non ſunt innouandæ formulæ propoſitionum diuerſæ ab illis, quibus Cōcilia, & Patres vſi ſunt.

Sextò. Paternitas, ex. gr. ex proprio conceptu nō inuoluit eſſentiam, ergo vt ſic non habet perfectionem eſſentiæ formaliter; ſed neque æquiualenter; quia æquiualentia ſolùm datur inter illa, quæ realiter diſtinguuntur: deinde quia paternitas non includit in ſuo conceptu perfectiones ſimpliciter ſimplices, quas includit eſſentia, v. gr. omnipotentiam, ſcientiam, &c. ergo non habet per quid æquiualeat illis perfectionibus. Ita Heric. t. 1. in 1. p. diſp. 15. Dices, ergo hæc propoſitio Paternitas eſt maior, & perfectior filiatione vera eſt.

Reſpondeo, ſimpliciter non eſſe admittendam hanc propoſitionē, ſed explicandam cum S. Thoma loc. ſupra cit. qui ob reuerentiam Sanctorum Patrum Hilarij in primis, addit, AVCTORITATEM ORIGINIS, &c. Sic enim iuxta communem conceptum hominum auctoritate originis apprehenditur maior Pater, qui dat eſſe Filio, cum tamen in diuinis, verè, & realiter nihil ſit maius, aut minus. Ideo.

Secunda Sententia negans inæqualitatē in diuinis relationibus.

Vera eſt, & omninò tenenda. Eā tuetur, vt infra oſtendam, Suar. 3. de Trin. c. 10. contra Greg. Arimin. in 1. d. 19. q. vn. a. 1. & alios apud Faſol. loc. cit. in q. 28. & 42. & eam defendit acriter Card. de Lugo tom. de Incarn. diſp. 2. ſect. 5. XCIV.

Cardin. de Lugo.

Interim eſt pro illa auctoritas Eccleſiæ recipientis pro oraculo S. Athanaſij Symbolum. Et in hac Trinitate nihil maius, aut minus, ſed totæ tres Perſonæ coeternæ ſibi ſunt, & coequales: Quæ eſt comparatio perſonarum inter ſe, & non ſolum cum eſſentia, quia hoc ſignificatur nomine Trinitatis, nimirum tres perſonæ, & vna eſſentia, & in hoc toto ſignificato nihil eſt maius, & minus; quod ſi paternitas perfectior eſt filiatione, iam in hoc aggregato, ſeu complexo perſonarum, & eſſentiæ non eſt omnimoda coęqualitas, & ſi eſſet, S. Athanaſius diligentiſſimus huius myſterij explanator eam non reticuiſſet, ſicut non reticuit, Minor Patre ſecundùm humanitatem.

S. Athanaſ.

Confirmatur, quia particula negatiua; Nihil, cum ſit malignantis naturæ, vt aiunt Dialectici, excludit omnē pror-

Digitized by Google

prorſus maioritatem,& perfectio,quia hæc eſſet in Trinitate, à qua arcet Athanaſius omnem maioritatem. Et hæc auctoritas, quæ eſt de fide, inſtar eſſet omnium ad hoc probandum,nihilominus addendæ ſunt aliæ.

XCV. S.Auguſtinus 6. Trinit. cap. 8. *Quæ non mole magna ſunt, hoc eſt maius eſſe, quod eſt melius eſſe*: Quæ verba repetit S.Bonauent.in 1. diſt.20. in fine textus: Et idem S.Auguſt.l.8.de Trin. cap. 1. & 2. probat ſingulas perſonas æquales eſſe toti diuinitati, & prima ratio eius eſt; *Quia non poteſt eſſe aliquod perfectius alio, niſi ſit verius illo, & quia non ſunt quid verius Pater, & Filius ſimul, quàm ſinguli ſeorſum, non eſt maius aliquid vtrumque ſimul, quàm ſinguli eorum, &c.* Quod ſi Paternitas eſt perfectior, vtrumq; ſimul inuoluit quid maius, quàm ſinguli; imò Pater diuiſim habet maiorem perfectionem, quam Filius, quia habet Paternitatem, quæ eſt perfectio per te maior filiatione. At S. Auguſtinus initio capitis primi lib.eiuſdem 8. ait, Tantam eſſe æqualitatem in Trinitate, vt non ſolùm Pater non ſit maior, quàm Filius, quod attinet ad diuinitatem, ſed nec Pater, & Filius ſimul maius aliquid ſint,quàm Spiritus Sanctus,aut ſingula quæque perſona qualibet trium, minus aliquid ſit, quàm ipſa Trinitas; & lib.7. c.6. Non maior eſſentia eſt Pater,& Filius, & Spiritus Sanctus ſimul, quàm ſolus Pater, aut Filius, ſed tres ſimul æquales ſunt ſinguli, quod animalis homo non percipit, &c. Quod ſi in hac ſimultate conflata ex eſſentia, & perſonis cum relationibus aliqua eſſet maioritas, quæ ſeparatim non eſſet, non dicerētur tres ſimul æquales ſingulis, quia Pater habens paternitatem, haberet maiorem perfectionem, quàm Filius.

S.Auguſt.

S.Anſelm.

Idem repetit ſerm.28.de tempore, pene iiſdem verbis in fine recitandis; ſicut & S Anſelmus in Proſologio c. 23. poſt medium ab Auguſtino doctus; & S.Bernard.epiſt.190. ad Innocentium.

Conc.Tolet.

Concilium Toletanum 6. in profeſſione fidei de Patre, per omnia coæqualis Patri,&c. ſi per omnia,ergo etiam per perfectionē relatiuā;ſi enim hęc excipitur,quomodo per omnia?

S.Bonauentura in 1.diſt.19.p.1.a.1. q.3 in reſol. Cum æqualitas, inquit, de ſui ratione dicat reciprocationem in quantum æqualitas ſecundùm hoc credendum eſt,quod Pater eſt ęqualis Filio, & Filius Patri, quod idem declarat tota illa diſtinctione, & infra diſt.31.par.1. a.1. q.2. quærit, an æqualitas, & ſimilitudo in diuinis dicantur ſecundùm ſubſtantiam, an ſecundum relationem, reſpondet, quod formaliter, & principaliter dicuntur ſecundùm relationem, igitur non eſt inęqualitas in perfectionibus relatiuis

Ad idem pertinet quæſtio 42. primæ partis S.Thomæ, qua per multa diſſerit de æqualitate perſonarum, & vtitur rationibus, & auctoritatibus, quæ valent ad reijciendam maiorem perfectionem relatiuam, quæ obſtare videtur æqualitati. Signanter a.4. 2. *Aequalitas*, inquit, in diuinis, & ſimilitudo ſecundùm eſſentialia attenditur, nec poteſt ſecundùm diſtinctionem relatiuam inæqualitas, vel diſſimilitudo dici. Et citat Auguſtinus lib.2. contra Maximinum c. 18. Imò q.31.a.1 in c. habet, quod ſi eſſet aliqua inæqualitas in diuinis perſonis, non eſſet in eis vna eſſentia, & ſic non eſſent tres perſonæ vnus Deus. Suar. lib.1 de eſſentia Dei c. 12. vniuerſaliter docet, non dari vnum attributum perfectius alio in diuinis, & lib.4. de Trin.c.15.pro perſonarum æqualitate multas profert auctoritates Patrum, & Scholaſticorum,& loquitur de Perſonis, non ſolùm ratione eſſentiæ, in qua conueniunt, ſed etiam relationū, ſecundùm quas opponuntur.

Rationes pro Sententia communi de æqualitate perfectionum relatiuarum.

XCVI. Prima eſt Suarij lib.3.de Trinitate c.19. n. 11. quia quælibet ex ijs perfectionibus habet æquale fundamentum, & terminum æqualem; notiones enim in diuinis ſunt æquales,& perſonę,ad quas ſunt reſpectus æquales ſunt; à quo igitur Paternitas habet maiorem perfectionem, quàm filiatio, ex.g.? quicquid enim ſit de ſpeciebus creatis, in diuinis relationibus non eſt neceſſe, vt formalis diuerſitas inducat

inæ-

Digitized by Google

inæqualitatem, nec vlla ratio ad hoc probandum adduci poteſt.

Secunda eſt Cardinalis de Lugo loco citato n.86. quia ſingulę perfectiones diuinæ in qualibet præciſione ab alijs, vel ab eſſentia retinent hoc, quod ſunt diuinæ, ac proinde radicem quãdam identificationis virtualem cum alijs perfectionibus, quas æquiualenter continent: Paternitas, ex. gr. exigit identificari eſſentiæ, ac proinde eamdem habet cum illa æſtimabilitatem, bonitatem, amabilitatem, &c. quod niſi ita dicatur, non vitarentur incommoda.

Tertia Ratio. Magis eſſet amabilis, & dignus maiori cultu Pater, quàm reliquæ perſonæ, quia habet paternitatem, quæ eſt maior perfectio, quàm filiatio, & maius bonum, ſiue bonitas. Maiori autem bono debetur maior dilectio, & maiori excellentiæ nobilior cultus; quæ ſequelæ ſunt abſurdæ, & iccircò abſurdum antecedens, ex quo inferuntur. In quo eſt diſparitas de tribus perfectionibus æqualibus, quæ ſimul ſumptæ non conſtituunt quid maius, vt infra. Interim audiatur Auguſtinus de Trinitate, & Vnitate Dei c.11.tom.4.

Non eſt differentia Trinitatis, indifferens in Trinitate natura, indifferens in Trinitate potentia eſt, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem, quod ipſe ait. Et qui volunt piè viuere, Dominum ſuũ adorent, & illi ſoli ſeruiant. Nec vllo modo aliter fieri poteſt, vt ſoli Domino Deo noſtro ſeruiamus, niſi ipſe Dominus Deus noſter vniuerſa ſit Trinitas, &c.] Pater nempe, & Filius, & Spiritus Sanctus pari cultu, & ſeruitute colendi ſunt.

Totæ tres Perſonæ Trinitatis pari cultu ſunt colendæ.

XCVII. Dices, hinc ſolùm ſequi, quod perſonæ in concreto ſint æquè perfectæ ob eandem eſſentiam, cum qua identificantur, non quod Paternitas præciſè conſiderata non ſit perfectior filiatione. Contra eſt.

Quarta Ratio; quia, vt ait S.Bonauentura in 1.d.31.p.1.a.1.q.2. in reſol. eadem eſt ſignificatio in concreto, & in abſtracto in principali ſignificato, ergo ſi conceditur, quod Pater habet maiorem perfectionem, quàm Filius, concedendum etiam eſt, quod eſt perfectior Filio, quia idem eſt principale ſignificatum in vtraque forma loquendi. Sicut ſi dicatur, quod Patri conuenit maioritas ſupra Filium, rectè etiam dicitur, Pater maior eſt Filio, Io.14. quæ non magis probat de ratione præciſa, quàm de perſonali, quam intendit Chriſtus Dominus ſi per te loquebatur de ſe, vt Deo.

Confirmatur ad hominem, quia per te rationes ſumptæ in abſtracto non amittunt vim ſuam in diuinis, vnde probas, quòd ingenitum eſſe, & dare, quæ ſecundùm ſe ſumpta ſignificant excellentiam ſupra eſſe genitũ, & accipere eſſe, etiam in diuinis retinent eandem excellentiam, ergo ſi forma ex ſua natura habet vt poſita in ſubiecto illud denominet in alijs attributis, quæ explicantur in concreto, v.g. potentiæ, iuſtitiæ, miſericordiæ, à quibus denominatur Deus potens, iuſtus, miſericors; imò & à relatione relatus Pater ad Filium, cur igitur à perfectione maiori non denominetur perfectior, ſi illa adeſt? Quia, inquies, hæc propoſitio non inuenitur apud Patres; ſed ſi inuenitur in Euangelio Maior, quæ vox per te ſignificat maiorem perfectionem relatiuam, cur non erit licita altera eiuſdem prorſus ſignificationis? Quod ſi apud Patres conſueras eſſe voces iſtas, Perfecta, perfectiones perſonales, cõtendiſne innouaſſe hoc nomen perfectionis videare, quid obſtat ne etiam vſurpes nomen perfectioris, ſi maiorem perfectionem habet Pater?

Item axioma iſtud ſecundùm ſe, ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, ſunt æqualia, & ſi æqualibus addas inæqualia, quæ remanent ſunt inæqualia, habet veritatem per omnes ſcientias tranſcendentem, quia eſt notum lumine naturæ, ergo & in diuinis locũ habet, igitur ſi Patri æquali cum Filio in eſſentia addas perfectionem inæqualem, Pater, & Filius erunt inæquales, quod eſt falſum.

Quinta Ratio. Commune effatum eſt Philoſophorum, ac Theologorum, Deo nihil maius excogitari poſſe, aut perfectius, ergo Filius non eſt Deus, quia caret perfectione, quam habet Pater maiorem, atque adeo Pater vt ſic, ſiue vt habens paternitatẽ maius

quid

Digitized by Google

quid eſt, quàm Filius illa carens: Et melius eſſet Patri illam habenti, quã Filio illa carenti.

XCVIII. Sexta. Si Pater incarnaretur, homo ille factus Deus eſſet maior, quã Chriſtus Dominus, quia Pater aſſumens naturam humanam eſt maior, & confert illi totam ſuam dignitatem. Conſequens eſt contra communem doctrinam Theologorum ſumptam ex S. Thoma 1.p.q.25. a.6. 4. *Humanitas* Chriſti, inquit, ex hoc, quod eſt vnita Deo, & beatitudo creata ex hoc, quod eſt fruitio Dei, & B. Virgo ex hoc, quod eſt Mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus, & ex hac parte nõ poteſt aliquid fieri melius eis, ſicut non poteſt aliquid melius eſſe Deo, &c.] Cõſequentia probatur, quia cõplexum illud eſt maius, in quo eſt vna pars componens maior altera, quæ eſt in alio compoſito non habente illam, licet habeat reliqua paria, ſed compoſitum ex patre, ac humanitate, ſiue, ne verbo adſit inuidia, conſtans ex perſona Patris, & natura humana, haberet perfectionem maiorem, quæ eſt in Patre, & non eſt in Filio, ergo eſſet maius, ac proinde Mater illius eſſet Mater maioris Filij, quã ſit Beata Virgo, atque adeo maior Mater.

Nihil poteſt eſſe melius Deo.

Neque valet dicere, quod præciſè ex hoc, quod eſt Mater Dei habeat hanc dignitatem infinitam, qua maior eſſe nequit in genere maternitatis; nam ex vna parte hoc verum eſt; ex altera ſequitur oppoſitum, ſi in Deitate vna perſona eſt maior altera.

Neque item valet inſtantia, ſi dicas nobis etiam ſoluendum eſſe argumẽtum, qui concedimus Patrem maiorẽ eſſe Filio ex teſtimonio Chriſti, & in quocunque ſenſu ſit maior; ſequetur complexum ex Patre, & humanitate eſſe maius, quam ex Verbo, & humanitate, ac proinde Matrẽ illius fore maiorem, quia maioritas iſta non dicit perfectionẽ phyſicã, ratione cuius Pater dicatur maior, vt iam patebit.

Solutio Argumentorum primæ Sententiæ.

IN primis explicandus eſt ſenſus propoſitionis illius, Pater maior me eſt: Ioan. 14. cui innititur opinio illa, vt à multis Patribus explicatur.

Primò. Dictum de diuinitate comparata humanitati putat S. Auguſtin. lib. 65. quæſtionum q. 3. tom. 4. *Secundum aſſumptam hominis formam dictum eſt, Pater maior me eſt*. Et tom. 9 tract. 18. expoſitionis in Ioan. cap. 5. eadem verba repetit: & alias alibi, in eodem ſenſu explicant multi alij Patres apud Maldonatum Io. 14. vt reſponderent Arianis facientibus Filiũ minorem Patre ex hoc teſtimonio, quibus obijcientibus comparationem non fieri, niſi inter ea, quæ ſunt eiuſdem generis, ac proinde non comparaſſe Chriſtum vt hominem Deo, negabant aſſumptum: deinde eo dato, inferebant, ergo Chriſtus eſt Deus, qui ſe Deo comparat. Qua explicatione admiſſa, corruit fundamentum ponendi maiorem perfectionem relatiuam in Patre, quam in Filio, quia ſolùm appellat Chriſtus patrem maiorem vt Deum ſeipſo vt homine. Neque hanc explicationem reijcit Nazianz. orat 4. cit. cum ait non eſſe mirum, quod Chriſtus vt homo minor ſit Patre; tantùm enim vult, quod etiam poſſit maior dici vt genitus à Patre; quæ eſt altera interpretatio, quia Pater eſt cauſa filij, vt Græci loquuntur, vel principium vt Latini, in quo eſt maior quædam dignitas, & auctoritas ſecundùm moralem æſtimationem hominum nõ propter perfectionem intrinſecam maiorem, quæ non eſt in Patre reſpectu filij, cum omnia in ipſis ſint æqualia. Communiter enim homines pluris æſtimant Patrẽ, quam filium ſtando in terminis Patris dantis eſſe, & filij accipientis; atque ita perſona Patris, quia eſt origo filij, dicitur ipſo maior, ſicut & prior origine ſine vlla differentia perfectionis illorum. Quo in ſenſu in Concilio Sardicenſi in Epiſtola ſynodica apud Theodor. lib. 1. cap. 8. dicitur: Nemo negat Patrem maiorem eſſe filio non ob aliam hypoſtaſim, nec ob aliã differentiam; ſed quia nomen Patris ipſum maius eſt, nomine filij, &c. quo ſignificatur nihil phyſicè eſſe maius, ſiue perfectius, ſed tantum æſtimabiliter iuxta hominum captum, & vſum loquendi apud homines honorabilius æſti-

Pater eſt maior filio, ſecundum aſſump. à hominis forma S. Auguſt.

Digitized by Google

æſtimantes nomen Patris, quam filij. Et ita explicari ab Hilario maioritatẽ Patris, teſtatur Suar. l.2. Trin. cit. cap.4 n.6. ex lib.5.6.11. eiuſdem Hilarij de Trin. Atque ita patet ad auctoritates Patrum, quos pro ſe affert prima Sententia aſſerentes Patrem eſſe maiorẽ filio dignitate, auctoritate, gloria, &c. intelligendi namq; ſunt in ſenſu morali iuxta communem æſtimationem, quando comparationem referunt ad Patrem, & filium ſecundum diuinitatem, non ad humanitatem, de qua intelligendum eſſe Chriſti ſermonem probant multi ex contextu, in quo vadere ſe ad Patrem teſtatur, vtique vt hominẽ, namque vt Deus ſemper, & vbique cum illo fuit, quia vnum cum illo eſt, in eo ſolũ differens, quod ab ipſo eſt tanquam à Genitore, & dante omnia, quæ habet, iuxta illud Ioan.15. Omnia quæ habet Pater mea ſunt.

In primis autem aſſero S. Auguſtin. non diſſidere à ſeipſo, cum explicat locum Io.14. de humanitate, in qua filius minor eſt Patre loc. cit. & cum dicit, Patrem maiorem auctoritate lib. qq. veteris, & noui teſtamẽti q.122 quia in eo, quod eſt Pater, & genuit, elucet quædam auctoritas, non quæ dicat maiorem perfectionem phyſicã, ſed æſtimabilitatem ſecundùm vſum cogitandi, & loquendi hominum accommodatè ad humana.

Confirmatur hęc doctrina ex S. Bonauentura in 1.d.20.dub.2. textus; nã Patres dicunt, Patrem maiorem origine, quia videlicet eſt principium generans, & dans eſſe, quod videtur quid maius, ac nobilius, quam accipere; atqui ſi dare, & accipere intelligantur de eo, qui dat omnia, quæ habet accipienti, nulla eſt maioritas, neq; inæqualitas, vt ibi S. Bonauentura explicans S. Auguſtinum, cui conſonans Ambroſ. l.5. de fide c.8. In quo minor, qui omnia habet, quæ à Patre habet?

C, Ex quo patet reſponſio ad argumẽta 1. & 2. Ad tertium, nego antecedens, omnia enim attributa tam abſoluta, quam relatiua phyſicè, hoc eſt entitatiuè conſiderata ſunt æqualia; quia ex hoc, quod ſunt diuina, omnia exigunt identificari cum eſſentia, & omnibus perfectionibus eius; dico ex hoc, quod ſunt diuina, hoc eſt cum determinatione ad eſſe diuinum; nam in humanis, vel angelicis intellectio, exempli gratia dicitur nobilior volitione, & caritas nobilior fide, quia in creatis vnum non exigit identificari cum alio, & cum eius perfectionibus, vt in diuinis.

Ad confirmationem. Primariæ rationes in diuinis ſunt illæ, ſine quarũ aliqua Deus non eſſet Deus, ſiue abſolutæ ſint, ſiue relatiuæ; ſecundariæ quæ ſi abeſſent, adhuc maneret idem Deus æquè perfectus, v. g. omnipotẽtia radicalis, ſeu virtus creandi quicquid non implicat contradictionem eſt perfectio primaria, ſine qua Deus non eſſet Deus; ſed potentia creandi Leonem, v.g. ſi implicaret, ſicut implicat chimæra, eſt ſecundaria, quia ſine illa Deus nihil minus haberet, & defectus eſſet ex parte obiecti implicantis, vt Cardinalis de Lugo ſupra, cuius doctrina inſeruit ſectanti S. Bonauenturam, iuxta quem Deus ita abſoluit à creaturis, vt ſi per impoſſibile aliqua, imò & nullæ eſſent poſſibiles, adhuc eſſet Deus æquè perfectus, vt eſt de facto, quod fuſiùs in propria quæſtione demonſtraui contra aſſerẽtes, quod ſi implicaret formica, arguitiuè colligeretur non eſſe Deus, qui nunc eſt.

Ad quartum, patet ex dictis, nam maioritas, & inæqualitas vel eſt reſpectu humanitatis Chriſti ab Angelis minorati in forma ſerui, vel reſpectu æſtimationis hominum; apud quos honorabilius eſt nomen Patris, qui dat eſſe filio, transferendo ſermonem ab humanis ad diuina.

Ad quintum. Diſtinguo minorem, quia Perſonæ vel conferuntur cum eſſentia, & cum hæc ſit eadem in omnibus tribus, dicuntur æquales: vel conferuntur ad inuicem, & hoc etiã modo ſunt æquales, quia vna perfectio non eſt altera maior, iuxta dicta Patrum ſupra relata facientium omnia æqualia in diuinis, præter hoc, quod eſſe vnam perſonam ab alia, in quo nulla eſt inæqualitas inter dantẽ omnia, quæ habet, & recipientẽ omnia, quæ ſunt in dante, vt ſupra ex S. Bonau. adhęrentẽ doctrinæ Patrum.

Ad illud de denominatione, verum CL

Digitized by Google

eſt, non inueniri hanc locutionem apud Patres, Pater eſt perfectior filio, quia non exiſtimarunt in eo eſſe perfectionem entitatiuam maiorem, quã in filio: Cæterùm ſi illam tu admittis, conſequenter admittere teneris, Patrem eſſe perfectiorem filio; sũt enim ſynonima, habere maiorem perfectionem, & eſſe perfectiorem, non ſecus ac habere maiorem doctrinam, & eſſe doctiorem, maiorem albedinẽ, & eſſe magis album, & ſimilia. Neque obſtat, quod concretum, perfectior, inuoluat eſſentiam, quia etiam Pater inuoluit eſſentiam, & vox, maior, eodem modo, & tamen dicitur, Pater maior, hoc eſt per te, habens maiorem perfectionem, cur non igitur dicatur perfectior? Et cum tria perfecta admittant Patres citati ſupra, ſi vnum ex ijs habeat maiorẽ perfectionẽ, cur nõ dicatur perfectius? quod ego nego.

CII. Ad ſextum. Concedo, quod Paternitas ex proprio præſcindit ab eſſentia virtualiter diſtincta, neque vt ſic habet perfectionem eſſentiæ formaliter acepta; nego, quod non æquiualenter, quia ex hoc præcisè, quod eſt diuina, exigit identificari cum eſſentia, & cum eius perfectionibus: Nego item, quod ad æquiualentiam requiratur realis diſtinctio, ſufficit enim virtualis; quomodo volitio diuina æquiualenter continet quicquid continet intellectio.

Ergo, inquies Paternitas identificatur cum filiatione, quia exigit identificari cum eſſentia, & cum omnibus perfectionibus eius, quarum vna eſt filiatio, & vice verſa valet arguere de filiatione: Conſequens eſt falſum, quia relationes ſunt oppoſitæ, & in diuinis ſemper retinent ſuam oppoſitionem, ac proinde impoſsibilitatem identitatis.

Reſpondeo, Argumentum eſſe cõmune in omni ſententia, quia certum eſt, relationes identificari eſſentiæ diuinæ, atque adeo cum omni eo, quod eſt eſſentia realiter; ſed inadæquatè, & ſolum virtualiter diſtingui; ratione cuius diſtinctionis dicitur identificari inadæquatè paternitas eſſentiæ, & non eſſe quicquid eſt eſſentia, quia non eſt filiatio, quæ identificatur eſsẽtiæ, & habet omnem perfectionẽ abſolutam, quam habet eſſentia; quo ſenſu ait Nazianz. orat. 5. de Theolog. Neque filiatio aliquid deeſt, vt ſit Pater (neque enim defectus eſt filiatio) nec propterea tamen Pater eſt. Alioqui eadem ratione Patri aliquid deerit, ad hoc vt ſit filius, neque enim Pater filius eſt. Vide S. Thom. q. 2. de Pot. a. 5. hoc explicantẽ. Similes obiectiones ſoluunt recẽtiores citati Suar. Vazq. Faſol. 1. p. q. 28. n. 160. ſed illę nõ ſunt huius loci.

Deinde inſtabis contra reſponſionẽ argumenti cum Herice loc. cit. ſequeretur quod relatio paternitatis eſſet eiuſdem perfectionis cum tota Deitate ob dictam æquiualentiam, quod nullus Theologorum aſſerit, cũ multi vice verſa affirment rationem, Ad, nullam dicere perfectionem.

Reſpondeo. Concedo ſequelam cũ Cardinali de Lugo loc. cit. oſtendente eam conformem Patribus, & pluribus Scholaſticorum.

Ex dictis manifeſtum eſt, minus valere argumentum ductum à relationibus diuinis ad probandum dari poſſe vnum infinitũ maius alio, quia falſum eſt, in illis dari vnam perfectionem alia maiorem, cum omnes ſint æquales, & omnes ſimul acceptæ non faciant infinitum maius. Sic S. Auguſtinus, ſerm. 38. de tempore, abſq; omni dubitatione credi neceſſarium eſt, quod non aliquid maius tres ſimul *Pater, & Filius*, & *Spiritus Sanctus*, quam vnus quilibet vel Pater, vel Filius, vel Spiritus Sanctus, quia eadem natura eſt in vnaquaque Perſona ſimul dicta, quæ eſt in tribus Perſonis ſimul nominatis, &c. Quibus admirabiliſſimis cum nihil ſit inter creata ſimile, & improportio ſit infinita, tam non licet ex eorum infinitate arguere infinitum poſſibile in creaturis, quam quod vlla earum ſit actus purus, omnipotens, trina in eſſentia.

QVOD INFINITVM

Sit ſine numero.

CAP. XI.

I. *Incommoda ex infinito numero deducta.*

II.

Digitized by Google

II. Quibus non ſatisfacit diſtinctio infiniti formaliter, vel materialiter accepti.

III. Ex varijs caſibus etiam ab aduerſarijs admiſſis oſtenditur impoſſibilitas infiniti in multitudine.

IV. Poſt varias inſtantias, & reſponſiones tandem apparet veritas aſſertionis S. Bonauenturæ.

V. Quod videlicet infinita multitudo creaturarum careret numero, & ideo repugnat.

VI. Diſparitas diuinæ ſcientiæ, & diuinæ potentiæ.

VII. Diſtinctio terminorũ Continentiæ, & Reſpõdentiæ Infiniti reijcitur.

CIII. EX vi nominis patet, quod infinitum eſt non eſſe numerabile ex 3. Phyſ. t.41. ac proinde carere numero, quia omnis numerus menſuratur per vnum, & per idem repetitum conflatur, numeraturque; id eſt certa menſura terminatur cognoſcendo vnum poſt alterum, & cõferendo illa inter ſe: alioqui enim cognoſcere plura non eſt numerare, vt docet S. Thomas 1. cont. Gent. cap. 9. num. 9.

S.Thom.

Secundò. Detur vnus numerus infinitus, v.g. Angelorum; vel poteſt aſſignari, quot ſint vnitates, quot binarij, denarij, &c. ita vt non dentur illis plures, & hoc non quia eſſet finitus: vel non poſſunt, ſed quibuſcunq; aſſignatis, poſſunt aſſignari plures, & plures in infinitum, atque ita numerari non poteſt, ſeu percurri numerando, quia daretur vltimus, & ſic pluribus acceptis, non reſtarent plura accipienda, quod eſt de ratione infiniti ex 3. Phyſ. t.62. caret ergo numero infinita multitudo.

Tertiò. Hinc ſequitur, quod non plures eſſent duæ infinitæ multitudines, quàm vna, vel centum, aut etiam mille. Conſequens eſt abſurdum; duo enim plura ſunt, quàm vnum, & centum, quàm quinquaginta; Sequela probatur; quilibet Angelus ex illa infinitate habet ſuam cogitationem, & volitionem, proinde non tot ſunt Angeli, quot ſunt actus intellectus, & voluntatis ipſorum, ſicut non tot ſunt homines, quot oculi, vel capilli ipſorum, ſi crearentur infiniti, & tamen non debent eſſe plures, quia non pauciores binarij, ternarij, denarij, &c. ſunt in infinitate Angelorum, quàm in duplici infinitate cogitationum, & volitionum; ſi enim pauciores, ergo finiti, quia in quo exceduntur ab alijs binarijs finiuntur, nam vltra illos non reſtant alij accipiendi: quod eſt contra rationem infiniti.

Sed hinc rurſus ſequitur, non eſſe pauciores millenarios, quàm binarios, quia pari ratione finirentur millenarij à binarijs, & eſſent finiti; Infinitũ autem ex finitis partibus conſtare nõ poteſt ſiue diſcretis, ſiue continuis; & tamen cum binarij componunt millenarios, non tot poſſunt eſſe compoſiti numeri millium, & millionum, quot ſunt binarij, quibus conſtant: quis enim non intelligat, binarios eſſe quingentos, & millenarium ex ijs cõflatum eſſe vnum tantùm? Proinde eſſent plures, & non plures, pauciores, & non pauciores, quæ ſunt contradictoria. Neq; valet dicere, quod licet ſint pauciores millenarii, quàm binarii, tamen ſunt infiniti, ſicuti eſſent infiniti homines, licet paucioribus conſtantes binariis, quàm infinitas oculorum, aut capillorum conſtet; nam in eo quo ſunt pauciores exceduntur à pluribus, & proinde non ita ſe extendunt, ſicut plures; in eo autem, in quo deſinit eorum extenſio, finiuntur. Negare autem, quod non ſint plures, aut pauciores, perinde eſt ac ſi neges in multitudine annorum eſſe plures dies, quàm menſes, aut plures horas, quàm dies, aut plures eſſe partes in toto, quàm in parte, v.g. in palmo, quàm in ſemipalmo, quod ſibi intelligibile fatetur Suar. in Met. diſp. 40. ſect. 5. n. 49.

Ex finitis partibus diſcretis, vel cõtinuis, nõ poteſt conſtari infinitũ

CIV. Propterea diuiſi ſunt Auctores infiniti: quidam enim argumẽtis huiuſmodi victi concedunt, non repugnare infinito, vt vnum ſit maius alio, ſed laborant in explicando quomodo quod minus eſt, & exceditur, non habet terminum, vltra quem non ſe extendat, & proinde finiatur, aut quomodo plura, & plura ex eo ſumi poſſint ſine fine, quod eſt de ratione infiniti; & tamen verum ſit, quod comparatiuè ad maius infinitum ab ipſis ad-

Digitized by Google

admiſſum, ſiſtendũm ſit vbi exceditur, nec habeat vlterius, quod accipiatur; ſicut habet maius ſe: ſi enim comparentur infiniti homines cum capillis, quos habent, & iſtorum multitudo ſit maior, quam illorum, oportet plures capillos accipi poſſe ex vna multitudine, quàm homines ex alia, & proinde cõparatione maioris multitudinis minorem dici finitam, quia non tam vltra ſe extendit, nec tam multa cõplectitur, ſicut maior: quemadmodum ſi daretur vna linea infinita maior altera, item infinita, hæc diceretur finiri, vbi ſuperatur longitudine ab alia, atque adeo eſſet infinita, quod implicat; idque apparet euidentius, ſi fingatur creari à Deo linea infinita capillorum alternatim alborũ, & nigrorum, & altera tantum alborũ; non tamen plurium, quàm ſint in prima; quæ enim conflatur tantùm capillis albis, ſuperatur ab ea, quæ albis, & nigris, & ideo comparatiuè ad ipsã finiri dicitur; quia cum ſit minùs longa, deſinit extendi vbi incipit alia excedere, & vlterius exporrigi, quod eſt finiri; & idem eſt de numero hominum comparatiuè ad capillos; iſti enim plures ſunt, & excedunt in multitudine illi pauciores, & exceduntur, ac proinde terminantur, idque ad hominem negantem infinitum terminis poſſe claudi, contra concedentes infra dicetur.

Gregor. reſponſio:

Reſpondet Greg. in 1.d.42. q.4.a.2. ad 2. nihil propriè dici excedi ab alio, niſi quod non continet tot determinatè quot aliud, quod de nullo infinito verum eſt, nec inuenitur in eo ratio partis, & totius. Item diſtinguit de maiori, & maiori, nam vel maius accipitur propriè vt ſignificat id quod cõtinet omnia, quæ continet aliud, & præterea quædam alia, in quibus excedit minus, & hoc minus ſignificat id quod exceditur, & neque in infinito vt ſic reperitur maius, & minus, niſi materialiter. Sequitur Maior. in 1.d.44 q.3. Gabr. & alij, quibus adhæret Faſol. 1.p.q.7.a.3.dub.1. n. 16.

Maior. Faſol.

CV. Iuxta quam diſtinctionem infinitas capillorum non eſt maior in ratione infiniti, quàm infinitas hominum capillatorum; neque totum aggregatum ex ijs infinitatibus dicitur maius propriè, quàm pars eius, id eſt infinitas hæc, vel illa, quia vna non continet plura, v.g. plures binarios, quàm altera; vnde nec pars propriè dici poteſt, quia de ratione partis propriè eſt continere pauciora, quàm totum, cuius eſt pars: in quo comparatio ſit vnius quantitatis ad alteram ſecundùm certam menſuram, vt maius ſit, quod excedit in certa quantitate, minus quod exceditur; in infinito autem non datur exceſſus ſecundum determinatam quantitatem, ſed progreſſus in maiori & maiori ſine termino; & ideo non eſt maius, neque minus totum, vel pars propriè accipiendo maius, & minus, totum, ac partem.

Ex qua doctrina alij firmant diſtinctionem, reſpondentque vnum infinitum eſſe maius altero materialiter, ſeu entitatiuè, non autem formaliter, & quantitatiuè; & illa, in quibus vnũ dicitur maius, & excedit, verentur appellare Plura, & verecundiùs vocãt Alia, & alia, vt Greg. ibid. Vazq. 1. p. diſp.26.n.20. Holioth. in 2.q.2. a. 5. 6. Faſol. loco citato, ad hoc autem, vt aliquid dicatur maius, vel totum, debet continere plura, quàm minus, vel pars.

Vazq. Faſol. Holcoth.

Ratio iſtius reſponſionis eſt, quia infinitum vt ſic non eſt capax augmẽti verſus maximum, circa quod non habet terminum requiſitum ad hoc vt aliquid dicatur augeri propriè: Hoc enim eſt protrahi in maiorem, ſeu vlteriorem quantitatem, vel continuam vel diſcretam, quod ſupponit terminũ, à quo incipit protractio, & proinde finem: quare ſi in infinitis hominibus Deus adderet decem, vel viginti, non dicerentur plures homines, quã ſint infiniti ſine iſtis, ſed ſolum alij, & alij; & ſi creatis infinitis animalibus, Deus crearet alias infinitas, omnes ſimul ſumptæ non dicerentur plures, nec diuiſim pauciores, vt diſertè Gregor. ibid.

Putant ſe hac diſtinctione ſatisfacere obiectionibus nonnullis petitis ex iſto capite contra Philoſophum ponentem mundum ab ęterno, ac proinde plura infinita dierum, quàm menſium, & horum, quàm annorum: ſed illis conuicti alij abducuntur ad concedendum vnum infinitum maius altero

Digitized by Google

tero; alij conſtantiam in Philoſopho requirunt, qui æternitatem mundi admittat, infinitum verò neget.

CVI. Sanè videntur aduerſarij in vocibus ludere; quod enim eſt aliqua eſſe plura, niſi hæc non eſſe illa, ſed quid diuerſum ab illis, ex qua diuerſitate reſultat multitudo? Nam ſicut ſublata diſtinctione, & diuerſitate, remanet identitas, ita illa poſita, ponitur pluralitas? At res additæ infinitati alicui non ſunt eædem cum infinitis, ergo diſtinctæ, ergo plures finitè, vel infinitè.

Secundò. Omnis multitudo dicit eſſentialiter pluralitatem præciſè ex hoc, quod continet multa, quorum vnum non eſt aliud, neque aliud eſt ipſum, ergo vbicumque ſunt multa, quorum vnum non eſt aliud, eſt eſſẽtialiter pluralitas. Sequela patet à definitione ad definitum; ſicut ſi diceretur, omnis albedo dicit eſſentialiter diſgregatiuum viſus, ergo vbicunque eſt albedo eſt diſgregatiuũ viſus. Antecedens probatur, quia multitudo vt ſic includit negationẽ identitatis eorũ quibus conflatur, ergo & pluralitatẽ, quæ eſt negatio identitatis multorum inter ſe: pluralitas enim ſupra entitatem poſitiuam multorum includit in ſuo conceptu negationem identitatis eorum: vnde quærenti, cur hęc ſint plura, reſpondetur, quia ſunt multa.

Hinc ſequitur, quod ſi hæc multa abſolutè ſumpta comparentur cum alijs, quę non ſunt ipſa, fit multitudo maior, quàm eſſet antea, & proinde pluralitas, idque præciſè ex vi multiplicationis abſtrahendo à finito, & infinito. Multiplicari enim eſt fieri multa in quacunque demum materia fiat multiplicatio; hæc autem multa ſic addita augent id, cui adduntur, quod eſt facere maius formaliter, & conſiderata ſine additione, quæ minor eſt, ſuperatur ab alia per additionem aliarum rerum diſtinctarum.

Dices, additionem hanc eſſe materiale augmentum, non formale, quia ad hoc requiritur, vt quod augetur habeat terminum, quo quod caret, augeri non poteſt, neque excedi. Contra.

Tertiò. Quia formaliter augetur aliquid per hoc, quod additur ipſi noua quantitas ſiue continua, ſiue diſcreta; ex hoc enim præciſè res fit maior, quod acquirit quantitatem nouam, & fit maior alia re, ſi plus acquirat, quàm illa habeat, idque non quia finita, vel infinita ſit; ſed quia eſſentialiter augmentatio eſt nouæ quantitatis acquiſitio, & ideo vna ſine altera eſſe non poteſt: Neque apparet, quomodo poſſit eſſe augmentatio hæc materialis, quin etiam ſit formalis, quia formalis fit per additionem partium entitatiuarum quantitatis. Non datur augmẽtatio materialis, quin d[…]ur etiã formalis

CVII. Confirmatur, quia infinitæ ſphæræ plumbeæ, ex. gr. ſunt grauiores formaliter, quàm infinitæ ex ſubere, ſi iſtarum vna in dextra, altera in ſiniſtra infinitorum hominum crearentur, atque adeo non ſe excederent in grauitates, virtus item motiua plũbeæ eſt formaliter maior, quàm cæterarum ex ſubere, ſicut & ipſorum infinitorum hominum maior eſt formaliter, quàm infinitarum formicarum, cur igitur non dicetur etiam maior formaliter numerus capillorum, & ipſa moles corporum humanorum, quam formicarum? Si pariter quilibet ex illis hominibus haberet tot nũmos aureos, quot ſunt capilli, ditior eſſet formaliter, quam qui haberet tantum quot ſunt oculi. Quid igitur refert dicere, quod habeat plures formaliter, aut quod alios tantum materialiter, ſi nihil diſcriminis eſt inter habere plures, & habere alios? Detur item per poſſibile, vel impoſſibile infinita gratia in anima, vel Angelo, & huic addantur alij gradus gratiæ, vel finiti, vel infiniti, debebitur illis maior gloria formaliter, cur ipſa non dicatur maior gratia formaliter, aut cur gradus iſti ſuperadditi non dicantur plures collectiuè cum prioribus; eſt autẽ eadem ratio de quolibet augmento infinito ſuperaddito.

Quartò. Poſita vna linea infinitorum lapillorum alternatim alborum, & nigrorum, deſtructis omnibus nigris, remanent infiniti albi, qui ſi vniãtur inter ſe, occupant minorem longitudinem, quàm occuparet tota linea ex vtriſque conflata; poterit ergo

iterum

Digitized by Google

iterum repleri reproductis nigris, & fiet illa linea formaliter longior, & numerus lapillorũ formaliter maior, & non ſolùm materialiter, & entitatiuè; negare autem fieri poſſe deſtructionem, & reproductionem prædicto modo ingenij eſt fugientis vim argumenti. Dicere, non fieri maiorem multitudinem formaliter, vel longiorem lineam, quia non plures partes, aut numeros, v. g. binarios continet vna linea, quam altera, difficultatem habet, nam.

Quintò. Binarij, denarij, centenarij, &c.sũt in dictis lapillis,ſed de omnibus lapillis binis, denis, centenis, vnius multitudinis verum eſt, quod ſint plures formaliter, & augeant formaliter, quàm ſi ſoli conſiderentur, quia bini, albi, & bini nigri ſunt vnus quaternarius, & duo denarij sũt,vnus vicenus, qui plura formaliter continet, quam denus; ergo & omnes collectiuè ſumpti faciunt maiorem multitudinem formaliter, quàm diſtributiuè nigri, & albi. Patet ſequela,quia collectiuè ſumpti cõprehendunt omnes binarios, denarios, &c. vtriuſque multitudinis infinitæ alborum, & nigrorum; diſtributiuè autem ſumpti continent binarios tantùm, denarios, &c. vnius multitudinis alborum,& nigrorum :& proinde non tam multos, ſed pauciores.

CVIII. Nec valet dicere, non eſſe plures binarios in tota collectione, quàm ſit in parte ipſius; nam binarij lapidum in concreto nihil aliud ſunt, quàm lapides ipſi, qui ſimul ſumpti, ſeu collectiuè albi, & nigri plures ſunt, quàm albi ſolùm, etiamſi in vtraque infinitas infinities cõtineat tantùm partem, ideſt albos, & nigros, quæ ſunt duæ infinitates,infinities infinitæ,& proinde plures, quàm vna tantùm, niſi dicas in infinito duo non eſſe plura,quã vnum, aut vnam infinitatem alborum lapidum continere in ſe infinitatem nigrorum, & ideo non augeri multitudinem lapidum ex vtraque conſtantem infinitate per acceſſionem vnius, neque minui per detractionem, & nõ eſſe minorem lapidum nigrorum multitudinem, ſi deſtruantur albi,quã ſit tota collectio ex albis, & nigris, idque ex natura infiniti, quæ poſtulat non augeri, vel minui, alioqui eſſet finita; & etiamſi aliquoties replicari poſſint infinitæ multitudines, non tamen augeri dicitur infinitum, ſicut natura millionis non augetur,etiamſi multiplicentur miljiones.

Sed contra eſt, quod millio eſt numerus determinatus conſiſtens in indiuiſibili, & ideo neque augetur, neque minuitur idem manens; at verò multitudo ex multis millionibus augetur, & minuitur; nam decem milliones, ex. gr. maiorem numerum cõficiunt, quàm quinque, non ſecus ad decem plura ſunt, quam quinque. Sic igitur licet infinitum augeri non poſſet, aut minui vt infinitum eſt, tamen multitudo plurium infinitorũ maior eſt, quam multitudo pauciorum, v.gr. infinitarum horarum, ſi mundus fuiſſet ab æterno, collectio maior eſſet, quàm dierum, vel menſium, & in hominibus infinitis plures eſſent capilli, quam homines, quod licet negent plerique defenſores infiniti, vt Mayr. in 1.d.43. q. 10. ar. 1. 3. & alij, verum alijs videtur conceſſio repugnans non ſolùm imaginationi, ſed lumini naturali intellectus, & ideo dicũt eſſe plures materialiter, ſeu entitatiuè, non formaliter: alij concedunt etiam formaliter exiſtimantes, non eſſe contra naturam infiniti augeri, & minui: cõtra quos ſupra dicta ſunt aliqua; & infra addentur nonnulla alia. Interim in omni ſententia admittente infinitũ certum eſt, illud eſſe innumerabile, id eſt carere numero, quod eſt intentum huius capitis.

Et ex alia parte probatur, eſſe nu-
merabile, & pertranſibile, nam ſi CIX.
mundus fuiſſet ab æterno, vt de facto putat Ariſt. & de poſſibili non inficiatur S.Tgomas, potuiſſet Deus ſingulis diebus creare ſpatium decem palmorum, quod de facto iam eſſet infinitorum palmorum, ſicut ſunt infiniti dies; quod ſi ſingulis diebus omnes illi palmi ſingillatim eſſent pertrãſiti, iam pertranſitum fuiſſet ſpatium infinitum. Et rurſus ſi ex infinitis hominibus, vel Angelis, quos ſingulis diebus creaſſet binos, ternos, denos, &c. vnum ijſdem diebus annihilaſſet, iam perueniſſet ad finem deſtruendo, aut etiam ſimpliciter creando, quod perin-

Digitized by Google

perinde eſt, ac ſi numerando ſingulos diſtributiuè, & omnes collectiuè pertranſiſſet, & ſic nihil vltra accipiendũ remaneret, quod eſt contra rationem infiniti ex 3. Phyſ.

Pertranſiri in infinitum eſt contra naturam illius.

Rurſus lapilli albi alternatim diſpoſiti, vt ſupra, ſuperponantur nigris, & vniantur; ita vt ſe tangant, relinquitur vtrique ſpatium infinitum, in quo alij collocari poſſint: hinc & inde moueantur duo Angeli, & percurrãt totam lineam vnus ab Oriente in Occidentem, alter vice verſa, numerando ſemper lapillos, tandem quilibet finiret numerationem ſimul cum motu, atque ita infinitum numerabitur, & pertranſibitur; imò & habebit primum, ac vltimum; nam verſus Occidentem ille erit primus, quem pertranſiet, & numerabit Angelus, inter quèm & ſpatium orientale nihil mediat; ille vltimus, qui erit immediatus ſpatio occidẽtali vacuo lapidibus.

Si autem dixeris, caſum eſſe impoſſibilem, quia per totam æternitatem Angelus nõ pertranſiret quantumuis velociſſimo motu lineam illam lapillorum.

Contra eſt, quia per te potuiſſet ab æterno condi Angelus, & ſucceſſiue per omnes dies tranſire ſpatium aliquod, v.g. centum milliariorum, igitur & ſpatium palmare, aut eo minus; & proinde in hoc inſtanti iam pertrãſiſſet lineam longè longiorem, quàm ſit linea lapillorum, & numeraſſet omnes lapides, quorum vltimus eſſet hodiernus, igitur infinitum numerari, & pertranſiri non repugnat.

CX. Item ſi creentur infiniti homines, vna eſſet infinitas hominum, duæ infinitates oculorum, decem digitorum, mille capillorum exempli gratia; igitur infinitas hominum non eſt infinities infinita, quia ſic eſſent infinitæ infinitates, id eſt ſine numero infinitates, & omnes poſſibiles infinitates, vel ſi non omnes poſſibiles, igitur aliquæ determinatę, cur ergo tot, & nõ plures, aut cur non vna ſola infinitas? quo dato, danda eſt certa multitudo hominum conficiens vnam infinitatẽ, & non plures, atque ita erit denominata ad tot, & non plura, quod eſt contra infinitum. Si autem ſint in ea multitudine omnes poſſibiles infinitates, ergo nullus amplius eſſet homo poſſibilis, quod eſt contra te; & careret omni numero, quia tale infinitum in nulla eſſet ſpecie, vel indiuiduo numeri, quia qualibet aſſignata, adhuc aſſignabilis eſt alia diſtincta, & nulla certa, in qua conſiſtat, & ita excreſceret multitudo infinitatum, ſicut & ipſorum hominum, ita vt non eſſent plures homines, quàm infinitates ex ipſis confectæ, quia iſtæ ſunt infinities infinitæ, ſicut & ipſi homines, & in infinito per te non datur maius, & minus formaliter plura, & pauciora, atque adeo formaliter loquendo non ſolùm tot eſſent milliones hominum, quot & homines ſingulares, ſed etiam tot infinitates, quot & homines, vel binarij hominum; & rurſus vnaquæque infinitas haberet tot alias infinitates infinities, quot habet & vnitates, ſeu binarios, & ſic de qualibet, infinities infinita, quod eſt chaos, & chimæra, & non numerus; deſtruat enim Deus ex iſtis infinitatibus vnum, ſi in ea ſunt infinities infinita, deſtruet etiam hæc infinities infinita contenta in illa infinitate; & quia rurſus quodlibet ex iſtis infinitis infinities continet infinities infinita, pariter deſtruentur in ea infinities infinita, & ſic infinities in infinitum, & nunquam tamen minueretur infinitũ vt ſic, quia per te minui, nec augeri poteſt, etiamſi continuò infinitates vna poſt alteram deſtruerentur, quia in infinito infinities nunquam daretur finis infinitatum, ſicut nec virtutum; quantum enim ad hoc idem eſt eſſe infinities in infinitum vnitates, & infinities in infinitum vnitates infinitatum; & ideo ſicut detractis in infinitũ pluribus vnitatibus, ſemper remaneret infinitum, ita & detractis in infinitum pluribus infinitatibus; vnde ſi ab æterno Deus condidiſſet infinitas animas, vel Angelos, & ſtatim deſiſſet conſeruare deſitione terminata ad vnam infinitatem, tum ad alteram, & ſic in infinitum, per ſingulas quidem deſitiones deſtructi fuiſſent infinities infiniti Angeli, nihilominus in hoc inſtanti adhuc remanerent infinities infiniti, nec plures, vel pauciores formaliter, quàm ſi nullus deſiiſſet: quis hoc putet veriſimile præter

In infinito infinities nũquam inueniri poteſt finis infinitatum.

ter paucos aſſertores infiniti, inter quos Gregorius q. illa 42. a. 2. 6. cōcedens, quod ſi Deus ex infinita linea lapidum alternatim poſitorum annihilaret infinitos, adhuc tamen remanentes occuparent totam magnitudinem, & idem eſſet, ſi infinities annihilaret, quæ conſequenter dicit ad ſuā poſitionem; ſed incredibiliter ad captum imaginationis, & intellectus aliorum, S. Bonauentura in primis, qui loc. cit. arg. 5. ait, vbi eſt infinitas actualis ſecundum numerum, ibi deficit ſtatus, & ordo, & diſtinctio; ſed diuina ſapientia non patitur Deum aliquid facere ſine modo, &c. Alij recentiores, quibus hæc inuenta videtur hypocentauri, putant, non omnē multitudinem infinitam continere plures infinitates neceſſariò, ſed dari poſſe vnam multitudinem ſemel infinitam afficientēm per ſe primariò, & adęquatè vnitates tantùm, & non numeros, binarios, ternarios, &c. licèt etiam ſit poſſibile pluries infinita, quę per ſe primariò, & adæquatè hos numeros afficiat, v. g. infinitorum hominum, in quibus ſit multitudo oculorū bis infinita, digitorum decies infinita, &c. Et hoc infinitum vocant categorematicum determinatum inadæquatum, ſeu imperfectum improprium.

Gregor. rem incredibilē admittit.

S. Bonau.

CXI. Ex qua diſtinctione negant caſus illos eſſe poſſibiles, quos dato infinito neceſſariò putant admittendos. Gregor. Maior. Mayro. Aegid. & quia vna infinitudo aliquando eſt inadæquata reſpectu alterius infinitudinis, ver. gr. infinitudo binariorum lapidum bipalmarium infinitati lapidum palmariū; hæc enim eſt ſemel, & inadæquatè; illa verò bis, & adæquatè: quare ſi Deus auferret infinitos palmos, ex illis, nulli remanerent; ſi verò infinitos ex illis, totidem remanerent infiniti.

Sed contra primò, quia præciſo opere intellectus non ſunt binarii formaliter diſtincti à ternarijs, denarijs, &c. ſed eſt vna tantùm multitudo diſtinguibilis per intellectum: non igitur datur infinitas, quæ primò & per ſe afficiat iſtos numeros.

Secundò. Si datur talis infinitas afficiens iſtos numeros, peto, quot binarios, aut denarios afficiat? non finitos, quia infinitas non afficit finitos numeros, ergo infinitos; ergo quælibet infinita multitudo eſt infinities infinita contra te. Patet ſequela, quia toties replicatur in infinito numerus binarius, ex gr. quoties, & quaternarius, & hic quoties octonarius; ſed ille replicatur infinitè, & hic pariter & quicumque alius numerus quantumuis maximus, alioquin conſtaret infinitum ex finitis, ergo infinities infinitè, & non ſolùm infinitè. Probo ſequelam, quia illud eſt infinities infinitum, ex quo auferri poſſunt infinities infinita, ſed ex qualibet multitudine infinita auferri poſsūt infinities infiniti binarij numeri, quaternarij, &c. nā toties auferri poſſunt, quoties in illa multitudine continentur numeri cōſtantes binarijs v. g. quaternarij conſtantes duobus binarijs, ergo infinities infiniti, id eſt ſemel infinitè, vt binarij, & toties præterea, quoties continentur in quolibet duplo, & maiori duplo, ideſt infinities, quia hoc duplū & maiora ſunt infinities maiora, cum ſint infinita, & ſemper maiora in infinitum.

Confirmatur, & explicatur magis. Diſponantur infiniti homines, vel lapides per infinitam lineam à puncto A. vbi eſt terminus lineæ verſus oriētem vbi nullus eſt terminus: auferantur primum ex hac linea primus, tertius, quintus, & ſic infiniti alternatim: tum ex reliquis auferatur itē primus, tertius, quintus in infinitum; & ſic infinities repetatur ablatio primi, tertij, quinti, ſemper auferentur infiniti, & remanebunt infiniti, igitur quodlibet infinitum conſtat infinitis infinitatibus, ſeu infinities infinitis, & eſt poſſibilis multitudo, quæ primò, & per ſe afficiat vnitates tantum, & non binarios, ternarios, &c. aut quæ reſpectu alterius ſit inadæquata, quia nulla eſt non infinita infinities, & ex qua infiniti alterni auferri non poſſint infinities, cum ex ablatione in infinitum replicata numquam finiantur; imò ſemper remaneant infiniti, vt conuincit argumentum, quo preſſi recentiores quidam negant, poſſe diſponi lapides alternatim. CXII.

Sed gratis in primis cum non appareat

reat implicantia, deinde quia primus, tertius, quintus auferri poſſunt ex cumulo lapidum non diſpoſitorum alternatim, ita vt auferantur infiniti, remanentibus infinitis in cumulo; ex quibus rurſus auferri poſſunt bis, ter, infinities primus, tertius, quintus, igitur in illa infinita multitudine ſunt infinitæ multitudines, & idem eſt de qualibet alia.

Tertiò. Vnitates in infinitatum multitudine non diſtinguuntur à binarij, ternarijs, &c. quis enim eſt binarius realiter, niſi duæ vnitates, & ternarius tres? ergo infinitas afficiens realiter primariò vnitates afficit numeros ab ipſis indiſtinctos realiter. Idque etiamſi velis duo formaliter ſuperaddere relationem vnitatibus, de quo non diſputo in præſentia.

Quartò. Concedit hæc ſententia vnum infinitum eſſe inadæquatum alteri, v.grat. multitudinem lapidum palmarium eſſe inadæquatam multitudini infinitæ lapidum bipalmarium, ideo poſſe Deum auferre infinitos palmos, remanentibus totidem infinitis; cum tamen ex illa ſi auferantur infiniti, nulli remaneant, & per hanc diſtinctionem ſaluat, quomodo conueniant vni infinito, quæ non poſſunt conuenire alteri. ſed hoc reipſa eſt admittere vnum infinitum maius altero, & vnum infinitum æquale alteri, proinde plura eſſe in vno, quàm in altero, licet nolit vocare maius, neque plura. Nam maius eſt, quod non adæquatur alteri, quia excedit illud: minus verò eſt id, quod exceditur; plura verò dicuntur, quæ habent plures vnitates, & numeros: quæ verò totidem ſunt æqualia, & non excedunt, neque exceduntur; & pauciores ſunt, quæ exceduntur. Si ergo multitudo infinita lapidum bipalmarium excedit multitudinem palmarium, nihil deeſt ad hoc, vt dicatur maior, inadæquatio enim penes maius, & minus, plures, vel pauciores attenditur, ſi deſtructis infinitis palmaribus, remanentes ſunt adæquati infinitis alijs palmaribus, procul dubio etiam æquales ſunt, atque adeo æqualitas conuenit infinito, quia neque excedit, neque exceditur vnum ab alio.

Maius eſt, quod excedit, quàm quod exceditur.

CXII. Sed rurſus non apparet exceſſus, quia ex quacumque infinita multitudine, ſeu magnitudine auferri poſſunt infinities infiniti numeri, vel partes æquales quin vnquam deueniatur ad finem; igitur ſi alternatim primus, tertius, quintus auferantur in infinitum, vt ſupra, non plures ex vna infinita multitudine, quam ex alia poſſũt auferri, & proinde non ſunt plures in vna, quàm in alia. Et hoc eſt, quod habet S Bonauentura in arg. 4. nõ eſſe plura infinitis. Cũ igitur ex vna parte plura videantur admittenda in vno, quam in alio, puta plures capilli, quã homines in infinitis hominibus; ex alia infinitum non ſit capax incremẽti, quà infinitum eſt, ſatius eſt dicere, quod implicat, quam recurrere ad nomina, & meras voces, vt vitentur abſurda, dicendo, quod admittat quidem alia, ſed non plura; aut quod vnum infinitum ſit inadæquatum alteri, ſed non minus, cum in re ipſa alia, & alia plura ſint, & inadęquatum ſit minus, quàm adæquatum, v.gratia infinitas hominum minor, quàm capillorum, & infinitas binariorũ oculorum ſit minor, quàm infinitas capillorũ; in qua tamen oportet eſſe infinitos binarios, quia alioqui eſſet finita, & proinde iſti binarij ſunt plures binarijs oculorum, & inadæquabiles. Et cum rurſus auferri poſſint ab vtriſquæ infinitę infinitates, & non plures ab vna, quàm ab alia, quia quilibet determinatus numerus in infinitum auferri poteſt, v.g. infinitas binariorũ, infinitas denariorum, &c. ſic de cæteris in infinitum, vna multitudo adæquatur alteri, quam aliunde conſtat, eſſe inadæquatã; vt patet in exemplo allato infinitorum hominum, quorũ capilli plures ſunt, quam capita illis cooperta.

Præterea infinitatem in multitudine afficere immediatè, & per ſe, ac primariò vnitates, & ſecundariò binarios, ternarios, &c. in illis incluſos, nihil eſt aliud, quàm ipſam multitudinem reddi infinitam, ſicut albedinẽ afficere parietem nihil eſt aliud, quàm parietem reddi album; reddi autem infinitam multitudinem eſt habere rationem infiniti, quæ conſiſtit in hoc vt ex eo plura accipientibus ſemper reſtent plura accipienda, vt ſupra di-

ximus ex 3. Phyſ. t. 63. Sed hæc ratio tam eſt eſſentialis infinitati binariorũ, ternariorum, &c. quàm infinitati vnitatũ, quia præcisè ex hoc, quod ſint infiniti, ſemper ex illis reſtat aliquid accipere, ergo primariò afficit iſtos numeros; quod enim eſſentiale eſt, non poteſt eſſe ſecundarium; ex hoc autem ſequitur, quod à quolibet infinito auferri poſſunt infiniti binarij, remanente adhuc infinita multitudine, & infiniti denarij, & ſic in infinitum, atq;adeo eſſe infinitas infinitates, quia ſine fine infiniti numeri sẽper maiores: idque ſi iſtæ infinitates ſint diſtinctæ ab infinitate vnitatum, & inter ſe: nam ſi identificantur, non poteſt infinitas afficere vnitates, quin ſimul afficiat numeros ab ipſis indiſtinctos; præſertim cum numeri diſtinguantur per intellectum, & à parte rei nihil aliud ſint, quàm vnitates ipſæ, puta binarius duæ vnitates, ternarius tres, & conſequenter multitudo ex vnitatibus conflata nihil aliud ſit realiter, quàm vnitates, ſeu res vnę, ſiue finitæ, ſiue infinitæ illę ſint.

Quod eſt eſſentiale ſecũdarium eſſe non poteſt.

CXIII. Verùm quicquid de hoc ſit, & quomodocumque infinitas afficiat vnitates, & numeros ex iis cõſtantes, dummodo auferri ex illis poſſint infinities infiniti, in primis omnis multitudo tam vnitatum, quàm binariorum infinities infinita eſt; deinde nulla infinitas eſſet maior, vel inadæquata alteri, tandem vna infinitas eſſet ſeparabilis ab altera contra ſententiam iſtam nixam fundamento, quod infinitas primò afficiat vnitates, & quod detur infinitas ſemel in multitudine aliqua, in qua ſint binarii, ternarii, millenarii, &c. non bis, aut ter, aut millies; ſed ſemel tantum infiniti, quod vix cohęret cum ratione infiniti, in quo ſi ſit plura extra, ſemper, & ſine fine accipere non eſt, cur ſemel tantum ſit accipere infinitos binarios; neque ſi infiniti binarij, ſemper ſine fine accipi poſſunt, apparet, cur non etiam infiniti ternarij, aut millenarij, qui ex illis nuſquam finiendis confici poſſunt; in infinitis quippe binarijs contineri oportet infinitos ternarios, millenarios, atque adeo infinitas infinitates numerorum in qualibet infinita multitudine.

Ex quibus apparet, non poſſe dici, quod infiniti binarij eſsẽtialiter incluſi in vna infinita multitudine non ſint infiniti per ſe, id eſt per infinitatem binariorum propriam; quæ eſt quædam infinitas duplicata continens in ſe bis infinitas vnitates, ſed eſſe tãtum infinitos per accidens, id eſt per infinitatem alterius, id eſt vnitatum, quę eſt vna ſola, nec continetur in binarijs, ſed potiùs continet binarios, & alios numeros ſine fine. Nam vel binarij ſunt quid diſtinctum ab vnitatibus, & ita cõuenit illis per ſe ratio infiniti, ſicut vnitatibus, & proinde cõuenit illis per ſe ratio infiniti, ſicut vnitatibus: vel nõ ſunt, diſtincti vt fatentur aduerſarij, & ita infinitas afficit tãtum vnitates, cum quibus ſunt idem realiter omnes numeri; & non magis dicitur afficere illas, quàm iſtas realiter, quia hoc diſcrimen ſupponit diſtinctionem, quæ non eſt: ſed hæc parui refert ad principale intentum, quod ex qualibet infinita multitudine auferri poſſint infinitæ infinitates, quoties & infiniti numeri binarij, ternarij, &c. ij verò in infinitũ auferri poſſunt. CXIV.

Quare ex ſingulis denarijs, aut centenarijs nummorum infinitis cõtentis in vnitatibus ſemel infinitis auferri poſset vnus tantum nummus, & non poſset. Primum patet, cur enim non poſſet Deus, cui noti ſunt, & à quo conſeruantur omnes denarij illi, annihilare ex omnibus ſingillatim vnum numerorum? Secundum patet, quia ſi ex ſingulis denarijs auferretur vnus iam eſſent infiniti detracti, & proinde non eſſent tantum ſemel infinitæ vnitates conflantes denarios infinitos. Imò videtur implicare in terminis, quod detur multitudo vnitatum ſemel infinita continens in ſe denarios infinitos quia denarii ſunt decem vnitates: & proinde multitudo vnitatum iſtarum eſt decies infinita, centies millies, quia in ea ſunt, & auferri poſſunt omnes illi numeri in infinitum.

Hinc autem duo conſequuntur cõtradictoria, alterum eſt partem eſſe partem, & non partem, & totum eſſe non totum: alterum infinitum eſſe poſſe ſemel tantum infinitum, & non poſſe, quæ ſunt contra illuſtrationem veritatis æternæ, ac proinde implicãtia

Eſſe partem, & non partẽ totum, & nõ totum ſunt contradictoria.

Digitized by Google

tia iuxta doctrinam S. Bonauenturæ explicatam tom.1.diſp.1.reg.2. ad cognoſcenda contradictoria.

Primum patet, quia binarius ex.gr. eſt pars quaternarij, id eſt dimidium illius, idque eſſentialiter, & immutabiliter, igitur infiniti binarij ſunt pars infinitorum quaternariorum; & rurſus non ſunt pars, quia ſicut infinita multitudo quaternariorum continet infinitos binarios, ita & infinita multitudo binariorum continet infinitos quaternarios, vt concedit Greg.d.illa 42.q.4.a.2. ad 2. §. ad aliam probationem; ſed gratis, quia hoc principiũ, omne totum eſt maius ſua parte, & nulla pars eſt totum, cuius eſt pars, ſunt nota lumine naturæ, & per ſe ex vi terminorum in omni materia;& proinde etiam in infinito.

Dices, binarium per ſe ſumptum eſſe partem quaternarij per ſe ſumpti: Binarium verò ſemel infinitum infinitudine non propria, & adæquata, ſed aliena,& inadæquata non eſſe partem quaternarij eodem modo infiniti; ſed vtramque multitudinem aliud non eſſe, quàm infinitas vnitates, in quibus includuntur binarij, quaternarij, & quæcumque aliæ numerorũ ſpecies ſine fine, ſicut centum denarij non ſunt pars ducentorum quinariorum; ſed vterque numerus eſt millenarius vnitatum, ſeu mille vnitates, in quibus includuntur quingenti binarij, ducenti quinquaginta quaternarij, centum denarij, &c. qui explicantur per finitudines diuerſæ rationis, qui replicantur infinities non per ſe, & per vnam propriam, & adæquatam infinitudinem, ſed per accidens ratione vnitatum ſemel infinitarum, in quibus continentur; quomodo binarij non ſunt pars quaternarij, ſed ſunt omnino pars & totum, quia ſunt idem totum: datis enim infinitis animabus ex. gr. quælibet anima includitur in vtraque multitudine infinita binariorum, & quaternariorum.

CXV. Confirmatur, quia etiam in numeris finitis propter finitates diuerſæ rationis duo numeri ſecundùm ſe pars, & totum poſſunt eſſe idem totum, & admittere rationem partis & totius, ita per infinitas infinitates diuerſæ rationes, quæ ſunt infinitates per accidens pars & totum eſſe poſſunt idem totum; ſex enim binarij idem ſunt, quod tres quaternarij, ſcilicet duodecim vnitates, & vnus non eſt maior altero, ſed vterque maior eſt duobus quaternarijs, & ſimul ſunt pars & totum, id eſt duodecim vnitates.

Contra, quia ſi locum haberent in numero numerato, & per intellectũ diſtincto in multitudine finita,vel infinita, tamen non habent in numero numerabili, ſiue in rebus, quæ numerantur, quia in illis nulla eſt diſtinctio realis actualis inter numeros, ſed eſt vna collectio rerum numerabiliũ: proinde etiam vna infinitas realis, reliquæ verò ſunt per intellectum cum fundamento in re; ſicut enim in numero finito, v. g. centenario denarij non ſunt quid diſtinctum à centum vnitatibus, neque alij numeri pares, & impares ſunt aliud, quàm eædem vnitates. Ita in infinita collectione infinitates binariorum, denariorũ, &c. ſunt vnitates eædem indiſtinctæ, & ſolùm per intellectum diſtinguibiles; ideo vna eſt realis infinitas afficiens illas, ſi daretur infinitum,& nulla alia realiter diſtincta cadens ſupra numeros, ſiue vnitates diſtinguibiles in numeros. Quare diſtinctiones illæ binarij per ſe ſumpti, & quaternarij per ſe ſumpti infiniti infinitudine per ſe propria, ac adæquata, & infinitudine aliena, ac inadæquata eſt per intellectum; hic autem ſermo eſt de re in ſeipſa, v.g. de infinita multitudine hominum, vt eſt à parte rei, ſit ne tam copioſa, vt aſſignantibus infinitos ex vna parte verſus Orientem, vbi ſunt diſpoſiti per infinitam lineam, ita vt aſſignatio fiat alternatim, aut ſi non vis alternatim ſaltẽ decimi,vel centeſimi cuiuſq; quæro an remanentes ſint infiniti, & ad quamcumque huiuſmodi ablationem maneant infiniti, vel non; ſi aſſeris, ergo multitudo illa eſt infinities infinita, etiamſi ſupponatur multitudo, & infinitas vnitatum: Si negas ergo remanentes ſunt finiti: at hoc dici non poteſt, quia plures manent, quàm auferantur, quia ſemper ablatio fit ex decimo, vel centeſimo quolibet; igitur manent infiniti, & hoc infinities. Siue igitur infinitas primo, & per ſe afficiat vnitates multitu-

titudinis infinitæ, ſiue numeros ex ipſis conflatos, parum refert ad hoc, vt dicatur infinities infinita, ſi alioqui ex illa in infinitum infiniti numeri poſſunt auferri, vt probatũ eſt; & proinde quod pars ſit non pars, & totum non totum, quia nec illa minor, neq; hoc maius eſt, ſed æquentur ex eo, quod in vtroque tot ſint numeri, v.g. binarij, quaternarij, &c. quot in alterutro, quod eſt argumentum Durandi in 1.d.43.q.2.n.19. cõtra infinitum, non ſatis ſolutum per dictam reſponſionem aſſerentem binarios, quaternarios, &c. non eſſe per ſe infinitos, quia participant infinitatem propter vnitates infinitas, in quibus continẽtur; hoc enim non impedit, quo minus quælibet multitudo infinita ſit infinities infinita, & proinde partes eius ſint æquales toti, quod eſt non eſſet partes.

Partes totius æquales ipſi toti non ſũt partes.

CXVI. Neque præſtare poteſt vt pars, & totum eſſe valeant idem prorſus totum, id eſt vt pars ſit totum, & totum ſit pars, quia repugnant in terminis, ſicut & quod corpus ſit totum animal, aut animal ſit ipſum ſolum corpus; & propterea in nulla materia verificari poſſunt; vnde & falſum eſt, quòd in finitis numeris propter finitates diuerſæ rationis, duo numeri ſecundum ſe pars & totum eſſe poſſint: nam ſex binarij ſunt quidem prorſus idem, quod tres quaternarij, ſcilicet duodecim vnitates, non tamen ſex præcisè idem ſunt quod tres, neque inuicem habent rationem totius & partis ſex binarij, & tres quaternarii; ſed ſunt idem totum ſemper maius quolibet inferiori numero, & nunquã pars eius.

Alterum verò incommodum maniſeſtè infertur, quia data vna infinita multitudine ſemel tantum infinita ex ſuppoſitione, non eſt ſæpius infinita, & rurſus ratio conuincit eſſe infinities infinitam, quia ex ea auferri poſſunt infiniti binarii, ternarii, centenarii, ita vt ſemper maneant infiniti in infinitum; non ergo datur vlla multitudo, in qua non ſint, niſi vnitates ſemel infinitæ, vt ſupponit hæc ſententia negans ex hominibus ſemel infinitis auferri poſſe tantùm duos binarios infinitos naſorum: Nam data ſuppoſitione, naſi ſunt duplo plures, quàm homines, & proinde duo tantũ infiniti binarii; ſed ex ratiocinatione oporteret eſſe infinitos binarios, & hominum, & naſorum: nam Deus numerare poteſt quemlibet decimum, & manent infiniti non numerati; & rurſus ex iſtis numerare quemlibet decimum, & manent infiniti, & ſic in infinitum: Negare autem hoc fieri poſſe, quia illi denarii ſunt infiniti inadæquatè, & facta numeratione hac adæquarentur infinitis vnitatibus, eſt afferre pro ratione incommodum adductum in argumento, & fingere implicantiam, vbi non eſt, ſi darentur infiniti homines: nam certum eſt, in ea multitudine eſſe infinitos denarios & eos omnes diſtinctè à Deo cognoſci, cur igitur non poteſt ex ſingulis, & omnibus denariis ſeligere vnum, quẽ glorificet, ex. gr. vel annihilet, & hanc ſelectionem repetere in infinitum, ſiquidem remanent ſemper infiniti, ex quorum denariis ſingulis ſeligantur glorificandi, vel annihilandi? Nam contradictorium ex hoc prouenit, quod ſcilicet illi denarii ſint infiniti inadæquatè, & tamen eſſent adæquati infinitis vnitatibus, quod eſſent totum & pars, maius, & minus reſpectu eiuſdem, oſtendit potius implicãtiam infiniti, quàm ſelectionis, vel ablationis, aut numerationis vnius ex ſingulis infinitis denariis: Deus enim infinitæ ſcientiæ, & potentiæ eſt, & vt nouit omnes denarios, ita ex vno quoque in illis contento poteſt facere quicquid vult, relictis aliis; liberè enim creaſſet infinitatem illam, & ſingulos eius numeros, & indiuidua cõſeruaret; proinde & ſeligere poſſet ex quolibet numero, quem vellet, & ii eſſent infiniti, & reliqui item ſemper manerent infiniti in infinitum; quæ cum implicent, dicendum eſt, implicare infinitum, quo dato ſequerẽtur hæc abſurda, non autem quod eo poſito, non poſſet Deus ex ſingulis denariis vnum ſeligere.

Hoc autem poſito, ſequitur principale intentum, multitudinem illam fore ſine numero, quia infinitas iſta hominum ſelectorum ex omnibus denariis, ipſa etiam continet infinitos denarios, ex quibus ſeligi itẽ poſſunt infi-

infiniti, manentibus infinitis alijs; & idem eſt de hac ſecunda infinitate, & de alijs omnibus in infinitum, in quibus quis non videat, nullum eſſe numerum, ſed multitudinem ſine numero, & confuſionem numerorum, quia minores continerent maiores, & ijdẽ continerentur ab illis; eſſent pars & totum, æquales, & inæquales, ſeu adęquati, & inadæquati.

Quare Ariſt. 1. Phyſ. t. 38. Amplius, inquit, in infinitis corporibus ineſſet vtique iam caro infinita, & ſanguis, & cerebrum, ſeparata tamen ab inuicem, nihil autem minus entia, & infinitum vnumquodque; hoc autem irrationabile eſt; quod ſcilicet tã multa ſint infinita partium ſeparatarum, vt eſſe oporteret, datis ſemel corporibus infinitis, carne ſcilicet, cerebro, &c. fierent rurſus diuiſiones infinitæ in infinitum, & ſequerentur abſurda commemorata, præter alia, quæ habet idem Philoſophus in 3. Phyſ. vt ſupra, & 1. Cœl. à t. 36.

Ex Ariſt. irrationabile eſt admittere infinitũ.

Sed qui valedicunt Ariſtoteli, & concedunt primum, & vltimum in infinito maius item ac minus, & concluſionem intra duos terminos, præter ſupra relata argumenta, ac ſoluta, arguunt, & diſtinguunt ad confirmationem ſuæ ſententiæ.

CXVII. Primò, quia in toto illo aggregato poſſibilium ſyncategorematicè infinitorum videt Deus vnum aliquod poſſibile minus diſtans à ſua infinita perfectione, & magis participans, ſiue imitans ſuam eſſentiam; igitur illud eſt perfectius cæteris omnibus, quæ magis diſtant à ſua perfectione, & minus participant de eſſentia. Rurſus in ea collectione eſt aliqua ſpecies, vel indiuiduum, quod minus omnibus alijs participat, & imitatur eſſentiam diuinam; igitur hoc erit vltimum, & imperfectiſſimum, neque hoc videtur negari poſſe, ſiue quia omnes ſpecies ſũt inæquales in perfectione; ac proin de vna determinata à Deo cognita eſt vltima, & exceditur ab omnibus alijs magis, vel minus perfectis in toto aggregato; ſiue quia admiſſa etiã æqualitate inter ſpecies aliquas, iſtæ erunt vltimæ comparatæ ad alias perfectiores; vel primæ reſpectu reliquarum imperfectiorum. Ex quo ſequitur, quod datur primum, & vltimum in infinito, tam categorematico, quàm ſyncategorematico, quod tu non admittis: deinde quod illa, quæ omnibus poſſibilibus illius aggregati magis perfecta eſt omnibus alijs, tanquam magis imitans in ſuo eſſe diuinam eſſentiam, eſt infinitè perfecta; vt pote quacumque finita in infinitum perfectior, & magis imitatiua diuinæ eſſentiæ, quàm reliquæ omnes inferiores, quarum nulla illi æqualis eſt inter creaturas; quemadmodum numerus ille eſſet infinitus, qui quemlibet aliũ numerum aſſignabilem ſuperaret; ita & creatura illa eſſet non ſolùm ſuprema, ſed infinita, cui nulla finita aſſignabilis eſſet æqualis.

Confirmatur, quia nõ omnes creaturæ, quæ ſunt in hac collectione dici poſſunt excedi in perfectione, vel numero ab aliqua creatura, cum extra collectionem omnium poſſibilium nulla reſtet creatura; alioqui enim non eſſet collectio omnium poſſibiliũ, vel non complecteretur omnia poſſibilia, ſi extra illam eſſent aliqua non contenta in illa; igitur aliqua creatura eſt, quæ non exceditur, & hæc erit ſuprema omnium; idque ſiue habeat alias æquales in ſua ſpecie, ſiue non; comparatæ enim omnes iſtę cum alijs contentis in ea multitudine excedũtur ab illa.

Explicatur à pari hoc aſſumptum exceſſus quoad perfectionem, quia in tota collectione creaturarum debet dari vnum principium improductum, à quo producantur; & ideo non poteſt dici, quod omnes creaturæ producantur à creaturis, niſi admiſſa mutua cauſalitate inter cauſas efficiẽtes, quæ communiter reijcitur. Item in tota collectione hominum infinitorũ idem contingit, quod videlicet non poſſit dici producta tota ab hominibus, ſed deueniendum ſit ad vnum, qui ſit à creatore productus: Ita igitur in tota collectione creaturarũ deueniendum eſt ad vnam, quæ nõ excedatur à creaturis, & illa erit ſuprema. Similia habet P. Arriaga diſp. 13. Phyſica ſect. 3. negans tamen hanc ſupremam creaturam eſſe infinitam, & alia argumenta congeminans ad probandam hanc ſuperioritatem, ſeu exceſſum

Digitized by Google

ceſſum vnius creaturæ ſupra alias in tota collectione creaturarum poſſibilium; quæ tamen duo non videtur connexa, nimirum exceſſus huiuſmodi, & infinitas, quia perfectio, quæ excedit omnes poſſibiles perfectiones eſt infinita, cum maior ſit qualibet finita perfectione, maiori, & maiori in infinitum, & proinde infinita; alioqui ſi eſt finita, non eſt ſuprema, quia qualibet finita poteſt eſſe alia perfectior in infinitum, vt communiter Theologi ex hoc etiam capite probantes omnipotentiam Dei, & eſſentiæ diuinæ infinitatem, quæ imitabilis eſt à creaturis perfectioribus in infinitum: cæterum hoc dato non infertur poſſibilitas infiniti categorematici, quod ille admittit in multitudine, magnitudine, & intenſione, & potuiſſet aſſumere ad probationem exceſſum illum à ſe defenſum ſupremæ creaturæ, ſicut probaretur infinitas quantitatis, quæ excederet in infinitum quamcumque magnitudinem, aut multitudinem ſemper maiorem, quod non niſi infinitæ quantitati conuenire poteſt; quia ſi finitæ iam non excederet omnẽ quantitatem finitam, ſiquidem excederetur ipſa ab alia maiori, quæ qualibet finita poteſt augeri in infinitum. Per reſponſionem autem ad argumẽtum patebit neque ſupremam, neque infinitam creaturam dari poſſe, neque in magnitudine, neque in multitudine, neque in intenſione, vt ex dictis ſufficienter probatum eſt ſupra.

CXVIII Reſpondeo igitur negando, quod in infinito ſyncategorematico videat Deus aliquod poſſibile determinatũ minus diſtans à ſua perfectione, quàm cætera in illa collectione contenta, quia nullũ tale eſt, ſicut nec in motu videri poteſt prima pars certa ex Ariſtot. 3. Phyſ. t. 14. Et ideo non eſt ſcibile ab intellectu infinitè perfecto cognoſcente obiecta vt ſunt cognoſcibilia. Quod autem nullum tale ens detur, patet quia infinitum ſyncategorematicum eſſentialiter inuoluit potentialitatem, & ideo in tota collectione poſſibilium à Deo cognita, nulla res continetur ita perfecta, vt de illa dici queat, quod excedit omnes alias poſſibiles, & ita imitetur diuinam eſſentiam, vt nulla reſtet poſſibilis illam perfectius imitari; & totum hoc cognoſcit Deus, hoc eſt multitudinem poſſibilium continere plura, & plura in infinitum magis imitatiua ſuæ eſſẽtiæ, & nullum determinatè magis imitatiuum, quam reliqua omnia.

In infinito ſyncategor. non datur primum, neque vltimum, nec quod minus omnibus poſſibilibus, aut magis diſtet à Deo.

Non ſecus ac in quantitate certa, vel incerta non cognoſcit vnam determinatam partem amplius non diuiſibilem, quia cũ qualibet aſſignata, vel aſſignabili ſemper ſit alia diuiſibilis abſque fine, falſa eſſet cognitio iudicans aliquam indiuiſibilem. Et idem eſt de numeris, vel abſolutè conſideratis, vel reſpondentibus infinitæ diuiſioni poſſibili; nullus enim eſt cognoſcibilis, cui non poſſit fieri additio, quia nullus talis eſt poſſibilis, qui dicatur maximus omnium poſſibilium: Et idem eſt iudicium de minima re, qua nulla fieri poſſit imperfectior: quemadmodum enim nulla pars quãtitatis reduci poteſt ad diuiſionẽ omnium minimam, eò quòd quælibet aſſignata ſemper eſt diuiſibilis in plures; ita & in creaturarum poſſibilium multitudine nulla eſt ita imperfecta, qua non ſit poſſibilis imperfectior. Atque ita negandum dari primum, & vltimum in infinito ſyncategorematico, deinde quod detur creatura infinita, aut quæ excedat omnes poſſibiles in perfectione; vel minima, quę excedatur ab omnibus.

Ad confirmationem concedo antecedens, quod non omnes creaturæ totius collectionis ipſarum excedũtur in perfectione à creaturis ob rationẽ allatam; ſed nego conſequentiã, quod aliqua creatura determinata ſit, quæ non exceditur, & ſit ſuprema: nam multitudo creaturarum omnium poſſibilium conſideratur dupliciter, vel abſolutè in ſeipſa; quo modo S. Aug. de Ciuit. l. 12. cap. 17. ex 1. Corinth. 10. ait; comparantes enim ſemetipſos ſemetipſis; & ita neque excedit, neque exceditur à ſeipſa, ſiquidem exceſſus eſt inter duo diſtincta, quorum alterum excedit, alterum exceditur. Vel reſpectiuè ad aliud, quale eſſet in propoſito tota collectio comparata ad vnum ſingulare in ipſa cõtentum; & hoc ſit ſupremum, quod contendit argumentum non excedi à creaturis: & tunc nego in tota illa collectione eſſe

Non datur creatura ſuprema in infinito ſyncategorem.

eſſe aſſignabile determinatũ aliquod, quia vt dictum eſt quolibet aſſignato, adhuc poſſibile eſt aliud perfectius in infinitum, & nullũ poſſibile eſt, quod ſupremum dici queat in perfectione, & quodà nullo excedatur. Itaq; ſicut tota collectio quoad numerum eſt infinita ſolum ſyncategorematicè, & ſemper inuoluit in ſuo conceptu potentialitatem; ita & ſecundùm perfectionem eamdem inuoluit; & ſicut diſtributiuè conſiderata nullum habet ſupremum, neque infinitum categorematicum; ita collectiuè ſolùm eſt infinita ſyncategorematicè conſtans pluribus, & pluribus cum potentialitate numeri, & perfectionis ſemper vlterioris.

CXIX. Diſparitas autem exempli poſſibilium produci, quæ reducuntur ad vnum principium productiuum inde manifeſta eſt, quia cum nihil ſit productiuum ſui ipſius, non poſſunt dici omnes creaturæ produci à creaturis, quia vna ſaltem debet habere principium improductum; atque adeo falſa eſt propoſitio vniuerſalis, de qua non poteſt verificari vnum ſingulare ſub ipſa contentum iuxta regulas dialecticæ; at verò hæc altera non omnes creaturæ collectionis poſſibilium dici poſſunt excedi in perfectione, neque ex vi materiæ, neq; ex vi formæ æquipollet vniuerſali, ex qua inferatur particularis ſub illa contenta, ſicut infertur ex iſta, nullus homo eſt hinnibilis; ergo Petrus non eſt hinnibilis; quia licet non omnes creaturæ excedantur in perfectione ab aliqua creatura, tamen non infertur validè, ergo aliqua eſt, quæ non exceditur, & eſt ſuprema; nam tota collectio eſt infinita ſyncategorematicè; & ideo nulla creatura eſt, quæ non excedatur, cum qualibet in infinitum aſſignata detur alia perfectior, & nulla eſt aſſignabilis, quæ excedat omnes, ſicut neque in tota collectione numerorum nullus eſt aſſignabilis, quo non aſſignari poſſit maior additione vnitatis: Ideo ex vi materiæ potius eſſet inferendum ex antecedente: Non omnes creaturæ poſſunt excedi in numero, & perfectione à creaturis, ergo nulla creatura poteſt dari ita perfecta, vt ſuperet alias omnes creaturas in perfectione, quia nulla eſt ita perfecta, quia non poſſit alia perfectior aſſignari; at in tota collectione nulla eſt tam excellens, vt poſſit eſſe à ſeipſa, ſed vna ſaltem debet eſſe à principio improducto, quod eſt ſolus Deus, à quo eſſẽtialiter pendent omnia in fieri, & conſeruari.

Nulla creatura in tota collectione poſſibiliũ excedit omnes alias.

Multò minus concludit argumentum ex vi formæ; nam ita eſſet formandus ſyllogiſmus; nõ omnes creaturæ dici poſſunt excedi in perfectione, & numero ab aliqua creatura; ſed ad hoc neceſſe eſt, vt ſit aliqua, quæ non excedatur, & ipſa excedat reliquas poſſibiles, ergo datur vna poſſibilis, quæ ſit omnium ſuprema. Cuius argumenti negatur minor, quæ eſt petitio principij, aſſumens quod eſt in controuerſia, & à me negatur aſſerẽte cum ſententia communi, quod qualibet poſita creatura poſſit Deus perfectiorem facere, & in tota collectione poſſibilium nullam eſſe ſupremam. ſimilis forma argumentandi eſſet hæc alia. Non omnes ſtellæ dici poſſunt excedi in claritate à ſtellis; ſed ad hoc neceſſe eſt, vt aliqua ſtella non excedatur, igitur hæc eſt ſuprema in claritate; Negatur minor de poſſibili, quia nulla eſt, quæ non poſſit excedi. De facto autem dato, quod aliqua ſtella excedat, & ſit ſuprema in claritate, non probatur intentum, quod de poſſibili ſit ſuprema, quia creabilis eſt alia clarior, & clarior in infinitum. In numero autem creaturarum poſſibilium productarum non datur hic proceſſus in infinitum, quia ſiſtendũm eſt in vna, quæ habeat principium increatum, à qua reliquæ propagentur, vt patet in ſerie hominum, quorum parens Adamus à Deo productus eſt, cum nullus hominum ſeipſum producere poſſit, neque eſſe à ſeipſo, quod eſt proprium primi entis.

Secundò arguunt, quia obiecta viſionis ſcientiæ animæ Chriſti Domini, ſunt futura; ergo per diuinam potentiam poſſunt omnia ſimul poni, quia eorum exiſtentia non requirit eſſentialiter ſucceſſionem, qualis eſt in rebus ſucceſſiuis; nec vna res habet neceſſariam connexionem cum alia, ſaltem in ſpeciebus non ſubordinatis: item non in omnibus eſt repugnantia

ad

ad ſimultaneam exiſtentiam, qualis eſt in actibus vitalibus, quorum vnus inuoluit negationem alterius, vt ſunt aſſenſus, & diſſenſus de eodem ſecundum eamdem rationem: amor, & odiũ eiuſdem, & ſimilia: Et ex parte nulla eſt limitatio diuinæ omnipotentiæ ad tempus, vel ad certum numerum creaturarum; nulla igitur eſt repugnantia quin maior pars creaturarum poſſibilium poſſit poni tota ſimul, quæ tota videtur à Deo, & ab anima Chriſti futura per æternitatẽ: idcirco quoad hæc poſitio ſyncategorematici eſt fictitia, quia ſunt futura per decretum diuinæ voluntatis, quæ diſtinctè tendit in omnia, ita nullum ſit futurum, neque diſtributiuè, neque collectiuè, quod non ſit decretum, & conſequenter volitum: ſiquidem volitionem præcedit cognitio, quæ procedit ſuper poſſibilia, & deinde ſuper futura ſuppoſito decreto omnium futurorum.

CXX. Pro reſponſione recolendum, quod ſupra diximus, & docet P. Suar. de Incarnat. diſp. 26. ſect. 3. verſus finem; quòd obiecta illa cognita à Chriſti anima ſcientia viſionis non aliter sũt infinita, quàm in re eſſe poſſint, quia cognitio accommodatur rebus, ſed à parte rei non poſſunt eſſe, niſi ſyncategorematicè infinita, quia categorematicum repugnat: nec dici poteſt illa eſſe categorematicè infinita in eſſe cognito, quæ à parte rei ſunt infinita ſyncategorematicè, cum non habeãt aliam quantitatẽ in eſſe cognito, quã habeant à parte rei, ideo ſi cognitio diuina terminaretur ad obiecta, vt infinita categorematicè, non eſſet vera cognitio: Et quidem hæc reſponſio ſoluit argumẽtum de cognitione Dei tam ſimplicis intelligentiæ, quam viſionis.

Neque Sanctus Thomas definit an cognita illa à Chriſto D. ſint finita categorematicè, vel ſyncategorematicè, vnde eſt varietas interpretandi inter eius ſectatores: Mihi placet conſequenter de infinito ſyncategorematico illum interpretari cum Suario loco citato.

Quo poſito reſpondeo iuxta ſuperius dicta infinitum ſyncategorematicum eius eſſe naturæ, vt non poſſit totum ſimul actu poni à parte rei, cũ de eius eſſentia ſit potentialitas, vt manifeſtum eſt in quantitate cõtinua; quæ diuiſibilis eſt in partes proportionales, hoc eſt ſemper minores, & minores in infinitum; ita vt nunquam poſſint omnes eſſe diuiſæ, ſed quælibet diuiſibilis eſt in infinitum, quod ſæpius repetitum ex Ariſt. hic memorari oportet ad intelligendum, quòd non ſolùm ſucceſſiua; ſed etiam permanentia non poſſunt ſimul omnia actu poni: Atque adeo non concludit argumentum, quod neque creaturis repugnet exiſtentia ſimultanea; neque repugnantia ſit in ea, ſicut eſt in actibus vitalibus contrarijs ad inferendum, quod ex hoc capite poſſint actu eſſe infinitæ; nam etiam in partibus proportionalibus quantitatis nõ eſt ſucceſſio, neque contrarietas vnius ad alteram; & tamen nõ poſſunt omnes reduci ad actualem diuiſionem, quia de ratione illarum eſt vt ſint in infinitum diuiſibiles, hoc eſt, vt nunquam poſſit ad finem reduci earum diuiſio; ſiquidem quælibet aſſignata diuiſibilis eſt, & quælibet augmentabilis per additionem aliarum in infinitum.

Syncategorematicũ non poteſt totum actu poni.

CXXI. Eadem igitur ratio eſt quoad hoc de multitudine rerum poſſibilium, & futurarum, quarum quolibet aſſignato numero, & perfectione, adhuc plura ſunt aſſignabilia ſine fine: idq; probatur ex incommodis infiniti categorematici ſupra commemoratis; ex ſapientia Dei facientis omnia in pondere, menſura, & numero; ex infinita perfectione eſſentiæ, cuius imitabilitas nunquam poteſt exhauriri, ita vt non remaneat potentia in creaturis, præter creatas infinitas imitationis paſſiuæ: ex omnipotentia, quæ vltra creata infinita non ſe extendat, etiã ſi remaneret ſemper locus eam oſtendendi modo, quo ſupra explicauimus. Atque hinc.

Confirmatur aſſertio vniuerſalis, quia ſi modi omnes illas poſſibiles producendi, reproducendi, annihilandi, reducerentur ad actum, pero an aliquid amplius facere poſſet diuina Potentia? Si affirmas, ergo non operata eſt omnia poſſibilia, quia non ſunt illa ſimul factibilia; ſed ſolum ſuc-

ſucceſſiuè, quod ego aſſero, eo quod ſint poſſibilia in infinitum: Si neges, igitur exhauſta eſt diuina potentia,& non eſt verum, quod aſſignata qualibet creatura, poſſit plures, & perfectiores producere. Neq; quod maius eſt abſurdum,eſſentia diuina eſſet amplius imitabilis à creatura, quia nulla reſtaret poſſibilis illius imitatiua; atq; adeo tanta eſſet perfectio multitudinis omnium poſſibilium creari, quanta eſt diuinæ eſſentiæ; nam ſi nō tanta, igitur contra conceſſa, ſemper adhuc eſt imitabilis, & tamen impoſſibilis eſt per te creatura eius imitatiua vlterius. Per me autem reſtant in infinitum ſyncategorematicè creaturæ, quas producere poſſit; quia neq; adæquari à creaturis quātumuis multiplicatis poſſit infinita perfectio eſſētiæ; neque exhauriri potentia in vllo caſu, ita vt exercere ſe nequeat in extrinſecam vllam operationem.

Diuiſa eſſētia eſt imitabilis à creaturis ſine fine.

In quo diſparitas eſt diuinæ ſciētiæ, quæ ſimul comprehendit omne ſcibile; & diuinæ potentiæ, quæ non poteſt producere ſimul omne poſſibile, quod comprehenſa tota collectione non eſt producibile totum ſimul, quia nulla ſit determinatio, quam non ſuperet diuina potentia; ac ſcientia, ſi non eſſet omnium ſcibilium ſimul, eſſet aliquorum ignorans, quod abſurdum, & impium eſt cogitare. Potentia ſi poſſibile quodcumq; ſimul produceret, non reſponderet eſſentiæ, quæ pelagus inexhauſtum eſt tā perfectionum intrinſecarum, quàm extrinſecarum,quas creaturæ ab illa habent, & habere poſſunt ſine fine,hoc eſt ſine numero, & perfectione nuſquam ipſi adæquanda. Vtrumq;igitur Dei proprium eſt, omnia ſimul ſcibilia ſcire; & eſſe imitabilem à creaturis ſucceſſiuè.

Eſt doctrina S.Bonau.in 1. diſt. 43. a.1.q.1. vbi reſpectu connotatorum, ſeu obiectorum ait, potentiam, quæ intrinſeca eadem eſt cum ſcientia diuina excedi ab hac, quia Deus omnia ſciens, non omnia facere poteſt, puta mala, quæ poſſe impotentia eſt vt ex S.Aug.S.Bonau.ſup.& inter hęc ponitur infinitum ſyncategorematicū quod totum poni actu, & fieri categorematicum eſt impoſſibile in ſe, & dedecens Maieſtatem Dei, vt oſtenſum eſt; & repetit idem S.Bonau. ibidem q. 3. probans ſimilitudine continui, cuius diuiſibilitas nunquam poteſt eſſe in termino diuiſionis; quod ſupra fuſius in ſolutione ſimilium argumentorum probatum eſt. Nec obſtat inſtantia de decreto, ſine quo nihil eſt futurum; nam illud cadit ſuper ſingula diſtributiuè, & collectiuè; ſed ſyncategorematicè omnia, ſicut cognitio partium cōtinui fertur in omnes partes ſyncategorematicè ſūptas: Itaque ſi Deus vellet creare tot animas, vel Angelos, quot ſunt partes in continuo aliquo, eodem modo caderet decretum ſupra multitudinem Angelorum, quo cognitio ſuper partes diuiſibiles, quæ ſunt infinitè ſyncategorematicè, & cognitæ à Deo iuxta omnem cognoſcibilitatem, quā habent.

Quomodò ſcientia diuina excedit Potentiam.

Obijciunt quartò, quia opinio contraria nititur auctoritate pluriū Scholaſticorum, & firmis rationibus; illa in primis, quia non oſtenditur implicantia poſſibilitatis infiniti categorematici, vt patet ex ſolutione argumētorum apud eius defenſores tam veteres, quàm nouos, quia vnā ex præcipuis rationibus poſitam fatentur in argumentorum ſolutione, & neceſſitate concedendi diuinæ omnipotentiæ quicquid non repugnat.

Ex quibus patet fallacia argumenti illius, Deus poteſt ſimul ea facere, quæ poteſt ſimul facere, faciat ergo ſimul,quæ ſimul poteſt; poſſibili enim poſito in eſſe, nullum ſequitur inconueniens: ex quo inferunt poſſe ſimul facere infinita; ſed inualidè,quia Deus quidem ſimul poteſt, ſed non omnia, quæ poteſt facere, poteſt ſimul omnia facere, quia non poteſt impoſſibilia, quale eſt infinitum categorematicum poſſe autem ſyncategorematicum eſt poſſe non omnia ſimul facere, ſed nō tot, quin plura, neque tam perfecta, quin ſemper perfectiora, quia eſſētia huius infiniti inuoluit actum cum potentialitate,qua excluſa deſtruitur ratio huius infiniti,ſicut remota potentia, & ſucceſſione intrinſeca in motu, ac tempore,deſtruitur motus, ac tempus: itaque bene reſpondent dicentes æquipollere has duas propoſitio-

tiones Deus poteſt facere omnia ſimul, quæ poteſt facere; & Deus poteſt facere chimæras.

Noua diſtinctio recentiorũ reijcitur.

ET quia Gregor. Arimin. acerrimè pro infinito categorematico pugnantis reſponſiones, acumina potius videntur ingenij, quàm ſolida tutamina veritatis; ideo ſeneſtrarunt ſibi neoterici quidam haud ignobiles philoſophiæ profeſſores diſtinctionẽ nominibus à priſcis diuerſam, ſenſu non diſſimilem, qua ſatisfieri putant argumentis præcipuis infinitum categorematicum oppugnantibus in mole, & numero, aſſeruntque quoad cõtinentiam non tot eſſe partes, aut numeros in vno infinito, quot ſunt in alio maiore, puta non tot contineri poma in infinito pomorum punicorum, quot continentur grana, quibus ſingula poma ſunt repleta, ſed quoad reſpondentiam non plures eſſe in vno infinito maioris molis, aut multitudinis, quàm ſint in alio, quia cum ex infinito ſit ſemper aliquid extra accipere ex 3. Phyſ. cuiuſcumque generis illud ſit, quot deſumuntur partes ex vno, totidem deſumi poſſunt illi reſpondentes ex alio, v. g. infiniti binarij, infiniti palmi, & ſic in infinitum de cõtentis in qualibet mole, ac multitudine.

XXII. Reſpondeo ad argumentum relicta probabilitate ſententia contrariæ affirmatiuæ, pedibus, manibuſque negatiuam amplectimur, quæ argumẽtis lumini naturali congeneis, & vix non demonſtratiuis probat impoſſibilitatem categorematici, & ſoluit obiectiones facili negotio, vno excepto de cognitione, quod commune eſt vtrique parti, & habet inſtantiam in diuiſione continui nunquam reducibilis ad terminum diuiſionis; cum tamen partes infinitæ ſyncategorematicè omnes ſimul cognoſcantur à Deo, vt cognoſcibiles ſunt; nimirum vt diuiſibiles ſine fine, quod idem eſt de creaturis poſſibilibus, & futuris per totam æternitatem, vt explicauimus, diximuſque repugnantiam eſſe in rebus, ne ſimul omnes poſſibiles actu exiſtant, & ideo categorematicum infinitum eſſe figmentum extra limites diuinæ potentiæ non extenſe ad ea, quæ poſſe impotentiæ eſt.

Ad confirmationem termini illi continentiæ, & reſpondentiæ mera ſunt vocabula ad eludendas, nõ ſoluẽdas difficultates: rogo te quando cõcedis poni poſſe à parte rei infinitos mundos, infinitæ guttæ collectæ ex infinitis maribus poſſent ne replere totam vaſtitatem infinitorum mũdorum; ſi negas, ſequitur eſſe finitum ſpatium, quod repleri poſſent, & ita non eſſe infinitas, quia nullum corpus infinitum eſt, quod ſpatio finito capitur, & æquale eſt. Si aſſeris quomodo tot guttæ, quot ſunt maria occupant maius infinities ſpatium, quod integra maria, quorum illæ ſunt exiguæ particulæ? Numquid diſtinctio continentiæ, & reſpondentiæ ſuadere poteſt, quod non ſint finitæ guttæ, quæ certum ſpatium occupant; & tamen collectæ ex infinitis maribus ſunt infinitæ: & rurſus ſi infinitæ ſunt nũquam tot menſuræ, vel dolia deſumi ex illis poſſunt, quin ſemper reſtent plura accipienda in infinitum, atque ita repleri illis poſſent infiniti mundi, quia ſi ſolum finiti, igitur non ſunt infinitę, contra ſuppoſitionem, euod ſint collectæ ex infinitis maribus guttæ ſingulæ; nam ex infinito ſi detrahantur partes finitæ æquales, vel maiores in infinitum ſemper remanet infinitum: ſolum enim quod finitum eſt ex continua detractione finitur: & redit abſurdum, quod minimæ particulæ corporum præſtent, quod non poſſũt integra corpora, & quod partes ſint maiores toto, quod infinitum ſit finitum, aut vice verſa, & nihil confert ad abolendas haſce ſequelas inuẽtio continentiæ, & reſpondentiæ; & ſi nõ reformidas generoſe patrone infiniti categorematici, eas admittere, caue ſis ne audias ſubſannantem lyricum,

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?

CXXIII. Inſuper ſcire aueo, quomodo plura quidem contineantur in vno infinito maiore, ſed non plura reſpondeãt vel pauciora minori; & rurſus pauciora quidem contineat minus infinitum; at non reſpondeant pauciora; ſed totidem partium ſit hæc reſpõdentia in vtroque Maiore, & Minore;

Nam

Nam vel loqueris de partibus proportionalibus; & hoc non quia cum iſtæ ſint diuiſibiles in plures, & plures, ita vt, etiam per te, non poſſit diuiſio reduci ad terminum, dicuntur infinitæ ſyncategorematicè; hic autem argumentum tuum, & diſtinctio tua eſt de categorematico: Vel de partibus æqualibus non communicantibus; & iſtæ quoad continentiam plures ſunt in mundis infinitis, & maribus infinitis, quàm in infinitate guttarum; & quidem in ea proportione, qua Oceanus ſuperat vnam guttam, de ſuo ſinu collectam cum alijs de infinitis Oceanis: conſequenter ſi conferatur infinitas guttarum in vnum congregatarum cum infinitis maribus à quibus deſumptæ ſunt, vel deſumũtur ex illa congregatione partes æquales, & maiores in infinitum non pauciores, quàm ex infinitis maribus, atque ita non ſolùm quoad reſpondentiam; ſed etiam quoad continentiam totidem ſunt partes in guttis aggregatis quot ſunt in infinitate marium, quia niſi continerentur in illa aggregatione guttarum, non poſſent ab illa deſumi in infinitum æquales, & maiores, quia nihil deſumitur à toto, in quo non continetur: & hoc repugnat naturali lumini vix capienti quomodo multitudo particularum contineat partes non pauciores, quàm quibus cõſtãt infinita corpora, à quibus ſumptæ sũt; ſiquidem ex infinitate non additur noua entitas, ſed manent ſolum in vnum corpus aggregatæ particulæ ex vaſta entitate collectę longè minores corporibus, à quibus deſũptæ ſunt: Et ex alia parte poſito infinito categorematico tenet ſequela, quod niſi ſumi poſſint ex mole guttarum infinitarum partes maiores; & maiores in infinitũ non ſecus quàm ex infinitis maribus, tãdem veniatur ad finem molis aquarum, & ita aggregatio illa ſit finita, quæ ablatione partium exhauritur; quod vtrumque abſurdum ceſſat in opinione negante categorematicum.

Quæ dicta ſunt de magnitudine, valent etiam in numero; ſic enim creentur infiniti homines dicis quoad correſpondentiam non plures eſſe capillos, millenos, ex.gr. in ſingulorum capitibus, quam ſint ipſa capita, & tunc redit argumentum; quod Reſpondentia eſt terminus relatiuus, & de ſecũdo adiacente ſupponente primũ, & eſt inter duos terminos exiſtentes, vel in ſe, vel in alio; & proinde ſi tot reſpõdent capita capillis in infinitate hominum, quot capilli capitibus, oportet in multitudine hominum tot contineri capita, quot in illis ſunt capilli, quod videtur abſurdum, ſicut & alia, quæ ſupra numerata ſunt.

Tertiò obijcies argumentum à ſenſu diſtributiuo ad collectiuum benè concludit, quando affirmatur, vel aliquid negatur de ſubiecto, quod illi per ſe conuenit, & abſolutè quolibet alio extrinſeco præciſo, ſiue ſit eſſentiale, ſiue proprium, præſertim quarto modo, v. g. licet arguere de quolibet homine ſingulari, quod ſit rationalis, riſibilis, &c. Ergo tota collectio hominum eſt rationalis, riſibilis, &c. ſed de qualibet multitudine hominũ, Angelorum, &c. verũ eſt dicere, quod eſt creabilis ſimul, & hoc illi eſt eſſẽtiale, quia non ſolum dependet à Deo eſſentialiter, ſed etiam vt à cauſa libera, quæ poteſt producere creaturas, quas, & quando vult. Igitur valet inferre tota collectio ſimul eſt producibilis; licet in alijs vniuerſaliter argumentum à diſtributiuo ad collectiuũ non teneat, vt patet in exemplo paſſim obuio; Poteſt hoc, & illud veniale vetari, ergo poſſunt omnia: Negatur enim ſequela, quia vt Tridẽt. ſeſſ. 6. de Iuſtif. can. 23. citra peculiare priuilegiũ non poſsũt omnia venialia vitari, quæ eſt humanæ conditionis infirmitas. CXXIV

Reſpondeo primò per ſolitã inſtãtiam, quælibet pars ſingularis cõtinui eſt reducibilis ad actum diuiſionis, ergo tota collectio eſt reducibilis, ita vt tota habeat terminum diuiſionis, & nulla reſtet diuiſibilis, non valet; niſi fortè dicas reduci poſſe ad indiuibbilia, & illis componi contra demõſtrationes Ariſt. in 6. Phyſ.

Deinde reſpondeo directè; Maiorẽ eſſe veram, ſi illud quod cõuenit ſubiecto, conueniat ita abſolutè, vt non pendeat ab alio predicatum ipſi attributum, alioqui non infertur validè à diſtributiuo ad collectiuum, vt oſtẽdit exemplum de venialibus, quę ſingula diſtributiuè vitari poſſunt, non

Quomodo à diſtribu ino infer tur collectiuũ.

Digitized by Google

omnia collectiuè, quia collectio comparata ad humanam voluntatem dicit impoſſibilitatē, & priuilegij diuini indigentiam. Item nō valet, Petrus poteſt comedere hunc, & illum panem diſtributiuè, ergo poteſt quinquaginta in vno prandio, quia tota collectio comparata ad capacitatem ſtomachi, non poteſt ſimul ingeri, vt poſſunt ſinguli ſucceſſiuè; etiamſi vnus panis non habeat repugnantiam cum alio; neq; cum omnibus. Ita in propoſito poteſt hæc, & illa multitudo rerū tota ſimul produci, ergo & tota collectio omniū multitudinum poſſibilium ſucceſſiuè produci, ex vi formæ argumenti non concludit, & ratio vniuerſalis eſt, quia in concluſione infertur aliquid diuerſum in præmiſſis nō contentū, nempe quantitas maior ratione cuius argumentū conſtat quatuor terminis contra formam ſyllogiſmorum; nam multitudo, quæ infertur eſt in omnibus collectiuè, & non in ſingulis diſtributiuè. Sed neq; ex vi materiæ, quia licet Deus ſit omnipotens, & obiecta ipſa non ſint inter ſe repugnantia, vt ſunt aſſenſus, & diſſenſus; neq; ſint ſucceſſiua, vt motus, ac tempus; tamen habent aliam ſucceſsionem ſimilem ſucceſſioni numerorum, quorum vnus ſequitur ad alterum, & perpetua acceſsione vnitatum creſcit in infinitū; ſed nunquam terminari poteſt, vel totus ſimul poni, quia quicumq; aſsignetur ab intellectu, vel ponatur à parte rei in rebus numeratis, ſemper eſt finitus, & augeri poteſt; & repugnat in terminis habere terminū, vltra quem non ſe extendat diuina potētia, ac proinde poni totū ſimul, eo quod repugnet ab ordinatiſſima Dei potētia manare creaturam carentem ordine, pondere, ac menſura, non ſecus ac Chimæras habere eſſe in diuina eſſentia tamquam imitabili ab ipſis, aut cognoſci multitudinem ſpecierum, vel indiuiduorum poſſibilium fieri, & ceſſare diuinam potentiam, nec vltra poſſe quicquam producere.

Si rurſus quæras quāta ſit illa multitudo poſſibilium fieri ſimul, idem quæris quod prius quanta ſit multitudo partium, in quas diuiſibile eſt cōtinuum, & quot cognoſcantur à Deo poſſe ſimul actu diuidi. Reſpondeo enim, vt ſupra non tot quin plures cognoſcantur diuiſibiles in infinitum, ita vt nihil lateat Deum cognoſcētem perfectiſſime quicquid eſt cognoſcibile. Neque amplius intendit S. Aug. l. 12. Ciu. c. 18. cuius eſt noſtra reſpōſio; cum enim dixiſſet omnes numeros à Deo comprehendi, & eſſe infinitos, explicans quomodo ſint infiniti, ait; *Eos* eſſe infinitos certiſſimum eſt, quoniam in quocumque numero finem faciendum putaueris; idem ipſe non dico vno addito augeri, ſed quālibet ſit magnus, & quamlibet ingentem multitudinem continens; in ipſa ratione, atque ſcientia numerorum; non ſolum duplicari, ſed etiam multiplicari poteſt. Et mox: *Ita* ne numeros propter infinitatem neſcit omnipotens Deus, & vſque ad quamdam ſummam numerorū ſcientia Dei peruenit, cæteros ignorat? Quis hoc etiā vel dementiſsimus dixerit, &c. Igitur quilibet numerus augeri, & multiplicari poteſt ex S. Auguſtino. Nullus ergo eſt, qui non inuoluat potentialitatē, quod eſt eſſe infinitum ſyncategorematicè, idque magis explicans, ſubdit: INFINITAS itaq; numeri quā uis infinitorum numerorum nullus ſit numerus; non eſt tamen incōprehenſibilis ei, cuius intelligentiæ non eſt numerus, &c. Si itaque nullus eſt numerus infinitorum numerus, nimirum quo maior eſſe nequeat, eſt infinitas cum potentialitate: & hoc totum perfectiſsime comprehendit Deus.

S E-

SECVNDA PARS
DISPVTATIONIS TERTIAE
Continens Corollaria quædam.

COROLLARIVM PRINCIPALE

Ex dictis de Infinito.

CAP. I.

I. *An mundus potuerit eſſe ab æterno ſunt diuerſæ ſententiæ tam quoad entia permanentia, quã quoad ſucceſsiua.*
II. *S. Bonauent. negat poſsibilitatem hanc abſolutè de omni creatura.*
III. *Singularis explicatio præcipuæ rationis S. Doctoris.*
IV. *Fauent Patres negantes contra Arianos, Filium Dei eſſe craturam, quia eſt æternus.*

I. SEQVITVR mundum non fuiſſe, quod de fide eſt, nec eſſe potuiſſe ab æterno, quod rationibus probat S. Bonau. in 2. d. 1. p. 1. a. 1. q. 2. Sequela patet, quia præceſſiſſent infinitæ iam reuolutiones, ac generationes, & actu exiſterent infinitæ animæ immortales; cum S. Bonau. ſentiunt Gulielm. Pariſ. Henric. Gandau. Albert. Magn. Marſil. Toletus, & alij citati à recentioribus, quos mox nominabo; idque S. Bonau. tam disertè, tamque prolixè probat, vt mirum ſit quomodo Hurtad. diſp. 16. Phyſ. ſect. 2. aſſerat S. Bonau. non fauere huic ſententiæ.

Ex oppoſito ſunt Nominales, conſentientes potuiſſe creari ab æterno mundum, & quamlibet creaturam, Ocham in 2. ſent. q. 8. & quodl. 2. q. 5. Gabr. Arimin. quibus ex parte adhærent Conimbricenſes l. 8. Phyſ. c. 2. q. 6. 7. tenentes res permanentes potuiſſe eſſe ab æterno, de ſucceſſiuis autem problematicè diſputantes. Nominales

Alij diſtinguunt, nam generationes ſubſtantiarum, & accidentium negant eſſe potuiſſe æternas, ac proinde etiam ſucceſſiua: concedunt de permanentibus, vt Durand. in 2. d. 1. q. 2. 3. Vazq. 1. p. diſp. 177. c. 3. De D. Thoma ſentiunt ſui, quod tenuerit poſſibilitatem mundi ab æterno, nõ tamen animæ rationalis; ne cogatur admittere infinitum actu poſsibile, quod ſæpè negat, præſertim 1. p. q. 7. paſsim. Sed hanc ait eſſe rationem particularem, quæ non probat de omni creatura, vt docet 1. p. q. 46. a. 2. ad 8. Hinc variè à Thomiſtis explicatur, tenentibus alijs ſimpliciter poſsibilitatem creaturæ ab æterno, alijs cum hac limitatione ſi Deus mutaret mundi diſpoſitionem, vt Soto in 8. Phyſ. Bann. loco cit. 1. partis, Suar. in Metaph. diſput. 20. tantùm profitetur ſequi ſe S. Thomam, non explicans, cum qua limitatione. Scotus in 2. diſt. 1. problematicè quæſtionem tractat, & ſoluit argumenta vtriuſque partis, quia neutri Duran. Vaz. & concedũt de permanentibus.

neutri ſuppetere demonſtrationem putat ad probandam, vel negandam poſsibilitatem creaturæ ab æterno: Sed ita omnia fermè in Theologia eſſent problemata.

Mihi propoſitum eſt in præſentia non examinare ſententias, & rationes ipſarum, quod præſtitere Philoſophi, ac Theologi locis citatis primę partis S.Tho.& 2.ſent.diſt.1. ſed ſolùm probare,& explicare S.Bonau.negantem tam diſertè creaturam vllam potuiſſe eſſe ab æterno, vt mirum ſit poſſe illi affingi contrariam; nam in prima diſt. 9. in fine dubiorum textualium, non ſolùm impoſsibile, ſed & inintelligibile ait eſſe,aliquid creari ab ęterno. Et in 2.diſt.1.p.p. a. 1. q.2. plures affert rationes: puta quod iam tranſactæ eſſent infinitæ circulationes Solis, & pauciores, quàm Lunæ, & ſequerentur alia incommoda, propter quæ negauit infiniti poſsibilitatem. Addit ibidem, quod data infinitate circulationum Cęli, exempli gratia, qualis eſſet poſita creatione eius æterna, careret ordine, quia careret prima, exiſtimans neceſſarium eſſe in creatis dari ordinem, & ad hunc dari primum, &c. reſpondent non eſſe neceſſarium dari primum, vt ſit ordo, ſed ſatis eſſe, vt vnum ſequatur poſt alterum, quod ſequeretur ab æterno abſque aſsignatione primi æterni, quia nullius determinati fuiſset inceptio. Contra quia ſtatim creato Cœlo, & Angelo mouente, ſecutus eſt motus Solis æternus, ergo & vna circulatio ante quam nulla pręceſsit, neque præcedere potuit;& Angelus nouit illam, ſicut & ſequentes, v. g. à tali parte, in quo creatus eſt Sol cœpiſſe motum,& ad alteram oppoſitam perueniſſe; quamuis enim ex ſuppoſitione æternitatis numerando nunquam deueniretur ad primam circulationē, quia ſunt infinitæ; tamen quia à parte rei eſt numerus numeratus ſucceſſiuè, ſicut Angelus collectiuè nouit omnes circulationes, ita & omnes,ac ſingulas diſtributiuè, & proinde in tota collectione nouit illam, ante quā nulla fuit, quia vna talis eſt, & ſi non eſſet, careret ordine: & ex alia parte probatum eſt in infinito non dari primum.

S.Bonau.clarè neg. poſſibilitatem creaturæ ab æterno.

II. Præterea S. Bonauēt. ſi ſunt circulationes ab æterno, quærit an aliqua præceſsit hodiernam in infinitum, an nulla; ſi nulla, ergo omnes finitè diſtant ab hac, ergo ſunt omnes finitæ; ergo habent principium,& non æternitatem, quæ caret, principio. Si aliqua in infinitum diſtat, quæro de illa, quæ immediatè ſequitur vtrum diſtet in infinitum, ſi non, ergo nec iſta diſtat,quia finita eſt diſtantia inter vtrāque. Si verò diſtat infinitè, ſimiliter quæro de tertia, & de quarta, & ſic in infinitum, ergo non magis diſtat ab hac vna, quàm ab alia, ergo vna non eſt ante aliam, ergo omnes ſunt ſimul &c. Videtur autē hæc ratio, niſi principio ibidem præmiſſo à S. Bonauēt. in primo argumento, nimirum *Impoſsibile, inquit, infinito addi, & hæc eſt manifeſta per ſe, quia omne illud, quod recipit additionem ſit maius, &c.* Ex hoc enim ſequitur, quod illæ duæ circulationes eſſent ſimul cum tertia, cui ſi eſt infinita, nulla poteſt fieri additio; quæ ratio non ſoluitur per diſtinctionem determinatæ, & indeterminatæ circulationis, nam vtrouis modo accipiatur debet aliqua diſtare vel finitè, vel infinitè, atque ita procedit argumentum. Et ſupponit infinito nihil addi poſſe, quo fiat maius ex probatione ſuperiori.

Item ſupponit infinita comprehendi non poſſe à virtute finita; ſi autem Cœlum, exēpli gratia, fuiſſet ab æterno, intelligentia eius motrix teneret memoria omnes eius circulationes,& effectus earum, qui ſunt infiniti, & ita comprehenderet plura infinita ſimul, &c. Vbi valet argumentum calculatorium, quia ſi ad comprehenſionem mille reuelationum, & effectuum earum requiritur attentio vt vnum, ergo ad comprehenſionem duorum millium requiritur attentio vt duo, & ſic in infinitū probatur requiri attentionem infinitam pro infinitis, qualis non datur in creatis. Supponit autem intelligentiam eſſe tantæ virtutis, vt memoria retinere valeat omnes reuolutiones à ſe cauſatas, quod facilè negaret,qui eas ab ęterno fuiſſe poſſibiles argueret; aut certè non requireret ad memorandum virtutem infinitam; ſed alterum minùs

pro-

Digitized by Google

probabile eſt; alterum euincit argumentum calcutatorium; ad quod non reſpondetur per virtutem alterius ordinis ſuperioris, quia augmentum eſt in cauſa actiua, & arithmeticum.

Confirmatur, quia ſaltem recordaretur motor Angelus primæ reuolutionis, quam nulla alia præceſſiſſet, ſicut & primæ ſuę cogitationis, & amoris Dei, quo ſe ad gratiam diſpoſuiſſet, quia vnus fuiſſet talis cōditionis, vt in tota collectione ſufficiēs diſpoſitio, & nullus alius, quia ſequentes ſuppo-nūt iam gratiam infuſam, & ante illū nullus præceſſit ex ſuppoſitione, igitur ille fuit primus omnium, & nunc daretur alius, qui eſſet vltimus, ergo in æternitate daretur primum, & vltimum, quod illi repugnat. Neque valet argumentum contra æternitatē à parte poſt, quia futura per illam ſūt infinita ſyncategorematicè, quæ ſemper inuoluunt potentialitatem, & nō datur vltimum in illis. Neque item dici poteſt dari primum indeterminatè in actibus Ang. æterni, quia quod actiuè, ac formaliter extitit ante omnem actum ſequentem, neque vagum, neque indeterminatum eſt. Ideo ſatiùs eſt negare poſſibilitatem creaturæ æternæ, quam fateri inſolubile eſſe argumentum.

II. Præterea S Bonaeent. probat, quia ſi fuiſſet, aut eſſe potuiſſet mundus ab æterno, iam eſſe poſſet actu infinitus numerus animarum rationalium, & infinita hominum corpora informaſſent, vel informare potuiſſent, ſuppoſita fidei veritate, quod ſint animæ rationales incorruptibiles, & immortales; ac exploſis erroribus Platonis admittentis tranſmigrationem in corpora etiam irrationalium belluarū, quā nec Porphyrius eius diſcipulus ferre potuit, limitans ad corpora tantum humana, vt S. Auguſt l. 10. Ciu. cap. 30. & Auerrois commento omnibus hominibus, vnam tantum adſiſtentem ſomniantis, confutatis à S. Thoma in oper. contra Auerroiſt.

Hanc ſequelam qui admittunt, qui infinitum non repugnare contendunt, & proinde nec originem animarum ab æterno poſſibilium negant. Vtrumque verò negat S. Bonau. & infiniti impoſſibilitatem demonſtrare ſatagit, quæ cōnexa eſt cum negatione poſſibilitatis creaturæ ab æterno, quæcumque illa ſit ſiue permanens, ſiue ſucceſſiua.

Dices cum S. Thom. loc. citat. hanc eſſe rationem particularem, à qua nō licet vniuerſaliter inferre, quod nulla ſit poſſibilis creatura ab æterno. S. Thom.

Contra primò, quia infertur manifeſta poſſibilitas infiniti categorematici etiam ſi ſit ratio particularis. Secundò, rationes in contrarium valent de omni creatura, & probant vniuerſaliter non ſolùm animas rationales, ſed & Angelos, & omnes res permanentes non poſſe eſſe ab æterno.

Vltima ratio S. Bonau. eſt. Implicat contradictionem id, quod habet eſſe poſt non eſſe, æternum eſſe, quia videlicet æternum eſſe eſt ſemper fuiſſe, ac proinde nunquam non fuiſse, in quo non poteſt concipi non eſse ante eſse, alioqui contradictio eſset in terminis inuoluentibus hinc æternitatē, inde negationem non eſse, [illegible] d præceſſit eſse: quicquid aute quoctum eſset ex nihilo fui, ex non m fa ræcedente eſse factum eſſet. eſſe p *In æternis non poteſt concipi non eſſe ãte eſſe.*

Ad hanc rationem, quæ plurimi fit à S. Bonau. reſpondent aliqui æternitatis patroni, illud ex nihilo, non ſignificare durationem, quaſi aliquando non fuerit res ab æterno creata, ſed ſolùm ſignificari per illud, quod res illa ab æterno producta, ita à Deo procederet, vt ex ſe in nihilū cederet, ſi à Deo relinqueretur, vt explic. Vaz. 1. p. diſp. 177. c. 3. vel vt Suar. in Met. cit. diſp. 20. ſect. 6. n. 11. ex nihilo negatiuè ſumpto denotari carētiā cauſę materialis, vel habitudinē termini à quo, qui debet eſſe ſimpliciter non ens; quo indicatur ordo naturę non durationis. Alij dicunt ſolùm denotari carentiam omnis ſubiecti ſiquidem nihil præſupponitur rei creādæ. Atq; ita non apparere implicātiā contradictionis, quod res ſit ex nihilo, quod requiritur ad creationem, & ſimul ſit ab æterno.

Sed benè conſideranti vim rationis huius magni æſtimatæ à S. Bonauent. non ſatisfaciunt reſponſiones allatæ: nam particula ex nihilo, non ſolùm ſignificat negationē omnis entis ſimpliciter, ſed etiam talis entis; ita vt res creata dicatur produci à Creatore ex nihilo

Digitized by Google

Vazq.

Dices cum Vazq. ſupra, ſufficere ad hunc conceptum dependentia à Deo, à quo ita conſeruantur, & pendent res, vt in nihilum cederent ipſo ſuum concurſum ſubtrahente.

Contra, quia ceſſio in nihilum non obſtat, quin fiant res ex nihilo, at hoc repugnat æternitati, quia in nullo ſigno poteſt concipi res ęterna non eſſe, ſicut conciperetur in tranſitu a non eſſe ad eſſe, vt oſtendimus.

Inſtabis; non magis repugnat conceptus non eſſe in aliquo ſigno æternitati, quàm conceptus non eſſe Filij, aut Spiritus Sācti in aliquo ſigno Trinitati; ſed in aliquo ſigno, & priori originis concipitur Pater, ſeu prima perſona generans, quin concipiatur Spiritus Sanctus, qui procedit per amorem, & voluntatem, & ſupponit generationem Filij, ergo in aliquo ſigno poterit concipi res æterna cum carentia eſſe, ſeu abſque hoc, quod intelligatur exiſtere.

VI. Prædicatum non eſſe repugnat æternitatis conceptui.

Reſpondeo, diſparitatem eſſe, quia in Trinitate conceptus præciſiuus Patris, exempli gratia, non inuoluit aliquid repugnans Spiritui Sancto, qui poſterior dicitur origine: at in creatura æterna inuoluitur aliquid repugnans æternitati, ideſt non eſſe; neq; abſtractiuè, aut preciſiuè abſtrahit ab eſſe, proinde in nullo ſigno concipi poteſt cum hac carentia, quam ſignificat particula, ex nihilo ſui: Deinde cum perſonæ diuinæ eſſentialiter exiſtant, in nullo ſigno concipi poſſunt non exiſtentes, etiam quando intelliguntur accipere eſſe, quia ſubſtantialis illa emanatio ſummè neceſſaria caret priori, & poſteriori; & dicit originem vnius perſonæ ab alia, quæ ſtat cum omnimoda ſimplicitate actus puriſſimi carente priori, & poſteriori, cōtra quam eueniret in creatione, de cuius conceptu eſt, vt ſit productio ex nihilo per liberam Dei voluntatem.

Imò ex hoc confirmatur ratio Sancti Bonau. in nullo ſigno concipi poteſt vna perſona cum negatione exiſtentiæ alterius, quia eſſentialiter omnes exiſtunt; ergo neque in vllo ſigno concipi poteſt res æterna cum negatione exiſtentię, quia æternitatis eſſētiale prædicatum eſt exiſtere, & non tranſire à nō eſſe, ſeu ex nihilo ad eſſe.

Neque valet diſtinctio de eſſe ſecūdum durationem, & ſecundum ordinis ſucceſſionem, quia non eſſe, quod eſt terminus, à quo creationis opponitur eſſe, qnod eſt terminus ad quem, & ſicut hic exiſtentiam rei productæ; ita ille negat eandem, vt ſit ſenſus a re non exiſtente actu fieri tranſitū ad rem actu exiſtentem: repugnat autem æternitati conceptus non exiſtentiæ rei æternæ, atque adeo cum negatione hac non componit æternitas, cui eſſentialis eſt exiſtentiæ conceptus.

Huic ſententiæ S. Bonau. conſonāt Patrum auctoritates tam ex Græcis, quàm ex Latinis probantibus Filium eſſe Deum, & non creaturam, quia æternus eſt, & coæternus Patri contra Arianos; & ideo non creatus: quæ ratio ſupponit creaturam non poſſe eſſe æternam: Nihilominus varias adhibent expoſitiones, qui poſſibilem creaturam vel omnem, vel certi generis arbitrantur.

Prima eſt loqui Patres de æternitate vera, & propria, quæ eſt duratio, non ſolùm tota ſimul, ſed etiam interminabilis, hoc eſt non potens habere principium, neque finem, idque ex intrinſeca ratione, & immutabilitate naturæ, ad quam conſequitur æternitas: hanc eſſe Dei propriam, & incōmunicabilem; aliam autem eſſe minus propriam, carentem quidem principio, & fine; ſed tamen potentem recipere vtrumque, quia pendet à libera voluntate Dei, & potius ad diſtinctionem prima diceretur æuum; & hæc vtraque dicitur æternitas ſine addito, differtque ab æternitate à parte poſt, qualis eſt Angelorum, & animarum, & aliorum quæ non ſunt æterna à parte ante, quia initium hubuerūt; ſed à parte poſt, quia fine carebunt, de quibus S. Athanaſ. in tract. de definitionibus verſus finem, & S. Thom. 1. p. q. 10. paſſim.

Secundò, exponunt alij Patres ex ſuppoſitione fidei nullā de facto agnoſcentis creaturam ab æterno rectè inferre Chriſtum Dei Filium eſſe Deum quia æternus eſt, vt Suar. diſp. illa 20. Metaph. num. 21.

Tertiò, placet alijs, Patres non de potentia abſoluta diſputaſſe; ſed de ordinaria, ſecundùm quam nihil eſt æter-

Digitized by Google

Spiritu Sancto, quem ille hæreticus creaturam aſſerebat, & æternum negabat; ſed de Filio, cui pariter æternitatem adimebat ex eo, quod eſſet genitus, probat autem eſſe genitum, & æternum, & aliud eſſe ingenitum, aliud ęternum: *Nam ingenitum quidẽ, ait, quod nec ſui originem, nec eſsendi cauſam habet; æternum verò dicitur, quod omni tempore, ac æuo ſecundum eſse antiquius eſt; Vnde Filius nec ingenitus eſt, & æternus eſt, &c.* Et hac occaſione agit contra eos, qui Aeuum ęterni appellatione dignantur, quoniam ex eo, quod eſt ſemper, etiam nominationem hanc ſortitum eſt, inquit, quod improbans vniuerſaliter de creaturis pronunciat. *Nos autem id, quod æternum eſt, creaturis atteſtari, & Creatorem hac profeſsione priuare, eiuſdem amentiæ dicimus, &c.* ideſt quod proprium eſt Dei creaturis tribuere: quo ſignificatur non poſſe creaturam eſſe ęternam, ſicut nec poteſt eſſe omnipotens, quia vtrumq; proprium Dei eſt, & incommunicabile creaturæ: vt proinde gratis explicetur Baſilij textus vniuerſaliter loquẽs de creaturis initio mundi conditis.

VIII. S.Damaſcen. idem probat. S. Damaſcenus lib. 1. fid. c. 8. *Creatio cum à voluntate proficiſcatur, Deo profectò coæterna non eſt, &c.* vt oſtendatur diſcrimen à diuina generatione Filij, quæ neceſſaria eſt, & ideo ęterna, qualis non eſse poteſt productio creaturæ per S.Damaſ. quia liberè procedit à Deo, quicquid deinde ſit de efficacia argumenti.

Verum & ex latinis inſtar multorũ ſit S.Auguſtinus, quem pro ſe referũt aduerſarij: hic l. qq ex veteri teſtam. q.28. tom.4. *Quod viſibile, inquit, eſt,*
S.Auguſt. *& ſentitur, & tangitur, qua audacia vocatur æternum? &c.* quaſi ęternum eſſe excludat ſubiectionem, à qua ſicut immunis eſſe nulla creatura poteſt, ita nec ęternitatis eſse particeps, ſi hæc duo coniungit ritè Auguſtinus, alioqui ſi ſeparari queunt, dicam poſſe mundum ęternum eſse, & nihilominus habere ſubiectionem.

Præt. l.12. Ciu. c.15. *Quomodo, inquit, creati dicendi ſunt, ſi ſemper fuiſſe intelliguntur? quaſi creatio non ſtet cum æternitate.* Et apertè contra Felician. ante med. *Contra, inquit, eſt ex eo quod adhuc non eſt, aut aliquando non fuit, rei cuiuslibet corruptibilis quantum in ſe eſt, Patris omnipotentis Dei voluntate facta ſubſtantia, &c. Vbi illud, quod adhuc non eſt, &c.* denotat antecesſionem durationis, & definitio eſt abſoluta, ac de potentia abſoluta.

Ex eodem refert dictum Ban. 1.p.q. 46.a.2. dub.1. dictum l.3. de Gen. ad lit. Incommutabilis eſt illa natura Trinitatis, ob hoc ita eſt æterna, vt ei coæternum aliquid eſse non poſſit.

Vniuerſaliter S. Auguſtinus immutabile, & ęternum docet eſse connexa, ideo nullum mutabile docet eſse ęternum. ſic lib. 12. Confeſs. cap. 15. *Talis, inquit, voluntas, quæ videlicet quę modo vult, modo non vult, &c.* mutabilis eſt, & omne mutabile ęternum non eſt.

S.Ambroſ. l. 1. hexaemar. c.3. contra Philoſophos diſputans ęternum mundum ſtatuentes. *Quomodo, inquit, coæternum Deo mundum aſserunt; & Creatori omnium ſociant, atque coæqualem eſse diſputant creaturam?* &c. *non loquitur de alia æqualitate, quàm durationis, vt legenti diſcurſum manifeſtum eſt.* Vt propterea candidè fateatur Tãner. Tanner.
in 1.p.diſp.6.q.1. dub.3. minimè ſatiſfieri Patrum auctoritati à Vazq. poſſibilitatem creationis æternæ defendẽte, quos pro S.Bonau. ſtare vix dubitet, qui attentè eorum diſcurſus perpendat. Ad idem ſunt S. Fulgentius, Hilarius, & alij apud eruditiſſimum Patrem Dionyſ. Petauium noſtrum tom. 1. Theol dogmat. l.3.c.6.

Quibus, & ſimilibus auctoritatibus IX.
motus Valentia 1.p. q.3. punct.2. dat Valent.
manus rationi, licet nondum cõpertæ videlicet demonſtrationi, qua omnes ſententiæ deſtituuntur, & nullam creaturam potuiſse eſse ab ęterno fatetur cum S. Bonau. quoad hoc; nam de cætero non approbat aliud dictum Sancti; quod ſcilicet potuiſset eſse ab æterno ex materia, non autem ex nihilo. ideo

Obijcies contra S.Bonau. ex eodẽ, quia hoc ſupponit idem eſse produci ex nihilo, atque poſt non eſse, quod duratione anteceſserit; hoc autem falſum eſt, quia tantùm ſignificatur ordo vnius poſt alterum, non duratio, a qua ordo poteſt abſtrahere ſignificãs

Digitized by Google

ſucceſſionē eſſe ad eſſe ex nihilo ſui.

Reſp. primò, etiā non ſuppoſita duratione antecedente eſſe ex nihilo denotari terminum à quo, ſeu nihil, à quo fit tranſitus à non eſſe ad eſſe, præcedere natura terminum ad quē; quod creaturæ ęternæ repugnat, quia in illo priori concipitur non abſtrahēs ab eſſe, ſed cum negatione eſſe; quia à non eſſe tranſit ad eſſe ex libera voluntate creantis: repugnat autē ęternitati non eſſe, aut concipi cum negatione eſſe, vt ſupra dictum eſt.

Secundò. Reſpondeo etiam ſi ſupponeret S. Bonauent. ex nihilo dicere anteceſſionem durationis, verùm ſupponeret, vt mox probabo.

Rurſus obijcies contra Sanctū, quia docet in 2. d. 1. p. 2. r. q. 2. ponere mundum ęternem preſuppoſita eternitate materiæ, rationabile videtur, & intelligibile, ſicut ſi pes fuiſſet æternus, & puluis item æternus, nihil prohiberet intelligere veſtigium pedis eſſe æternum, & idem eſt de vmbra, ſi lux, & corpus eſſent æterna: hoc autem poſito ſequeretur rerum infinitas, & alia incommoda, ob quæ negat poſſibilitatem æternitatis mundi: & ideo quacumque facta ſuppoſitione negādum eſt mundum potuiſſe creari ab æterno.

Reſpondeo ex duobus falſis, quod ſcilicet mundus ſit productus ab ęterno ex nihilo, & quod ſit productus ſuppoſita materia æterna; Primum docet S. Bonauent. implicare contradictionem, & à nullo Philoſophorum etiam parui intellectus traditum; ita habet in reſolutione cit. quæſtionis, ſecundum eſſe intelligibile, ſed erroneum, & impoſſibile tum ob rationes dictas, tum potiſſimum ad vitandam animarum infinitatem, quæ vitari nō poteſt, niſi vel poſita mortalitate earum, vel vnitate, quod eſt impium; vel circulatione, quod eſt ridiculum, vt vel hinc pateat nullum eſſe fundamentum dubitandi de mente Sancti Bonauenturæ in neganda poſſibilitate creaturæ ęternæ, & infinitæ; hoc enim duo coniungit.

CONFIRMATVR

Opinio S. Bonauenturæ.

CAP. III.

I. *Nihil à quo procedit creatio vt à termino, an ſit illa prius.*

II. *Creatio ſit tota ſimul.*

III. *Inconuenientia ex creatura æterna.*

IV. *Soluuntur argumenta, & explicantur loca S. Bonauent. in ſpeciem pugnantia.*

V. *An in ſententia Ariſtot. de mundi æternitate ſequatur infinitas animarum rationalium.*

PRIMO habetur loc. cit. 2. ſent. & vlterius a. 3. queſt. 1. creatio, ſeu productio creaturę ex nihilo, eſt mutatio, per quam res tranſit à non eſſe ad eſſe: proinde nihilum, quod eſt veluti terminus à quo, debet præcedere vel natura, vel duratione; quomodo autem non ſatis ſit prioritas naturæ ad ſaluandam contradictionem, ſupra oſtenſum eſt: hic oſtendo anteceſſionem durationis eſſe impoſſibilē, etenim in inſtanti, quo res, v.g. Angelus creatur, iam exiſtit, & ex alia parte exiſteret etiam nihil Angeli, patet patet ſequela; quia per te nulla fuit duratio antecedens, in qua præcederet nihil Angeli, alioqui non fuiſſet æterna creatio, quam præcederet duratio nihili; igitur nihil eſt ſimul cum creatione, quod eſt impoſſibile, quia res exiſteret, cuius nihil exiſteret, quod eſt exiſtere, & non exiſtere. Ideo dixit S. Bonau. implicare cōtradictionem ab æterno mundum creari: quę ratio vniuerſalis eſt, & amplectitur omnem creaturam, ita vt nulla ſit creabilis ab æterno. X.

Dices, nihil eſſe ſimul in expelli cū eſſe rei creatæ, quia primum eſſe iſtius eſt vltimū eſſe illius, ſeu primū non eſſe nihil, ſicut in generationibus contingit. Contra, quia in æternis non cadunt primum, & vltimum. Deinde ſi nihil habet primum non eſſe, aut vltimum eſſe, igitur ſupponitur antea fuiſſe, & ipſi ſuccedere eſſe, ac proin-

proinde admittitur aliqua prioritas æternitati repugnans.

XI. Neque valet inſtantia aduerſarij, quod ſupponatur in argumento aliquod inſtans primum creationis, quod non detur in ęternitate; nam argumentum de primo inſtanti eſt diuerſum, hic tantum ſermo eſt de ipſa creatione ſecundùm ſe conſiderata, abſtrahendo à primo, & determinato inſtanti, licèt deinde inferatur, quod ſit primum, quia nullũ ante illud fuit, & omnia illud ſequantur, ſiue determinatè, ſiue vagè ſumantur, quod nõ impedit rationem primi.

Secundò. Pone creatum eſſe Angelum ab ęterno. Vel illa creatio eſt tota ſimul, ſine duratione videlicet diuiſibili; vel non tota ſimul, & indiuiſibiliter; ſed cum duratione aliqua, & diuiſibiliter: Non hoc ſecundum, tum quia de facto creatio Angeli, animæ, & ſimilium eſt tota ſimul, & in inſtãti indiuiſibili, cur igitur non potuit eſſe talis ab æterno? tum quia non habet contrarium ſuperandum in tempore, neque ex ſe exigit produci diuiſibiliter, cum ſit intrinſecè indiuiſibilis, & potẽtia Creatoris ſit infinita; ac proinde ſint omnia requiſita ad recipiendũ totum eſſe ſimul; ergo non eſt opus ſucceſſione in productione illius, neque curandum eſt de vocabulo inſtãtis, quaſi dici non poſſit creari in inſtanti, quod non datur ab ęterno; nã quæſtio eſt de re ipſa, quod creatio illa ab æterno non habet partes, ſed eſt tota ſimul, & indiuiſibiliter abſoluitur, ita vt commenſurari nequeat, aut reſpondere tempori per partes priores, & poſteriores; ſed ſolùm indiuiſibili temporis, ſi fuiſſet tempus ab ęterno. Tunc autem quæro, an immediatè poſt productionem Angeli ſequatur conſeruatio eius finita, vel infinita? Non infinita, quia cum ſit ſucceſſiua habet partes vnam poſt alteram finitas, igitur immediatè poſt creationem ſequitur finita duratio, hoc eſt quæ reſponderet finito tẽpori extrinſeco; ſi tempus exiſteret, ergo iſtius durationis eſſet finita diſtantia ad craationem; & non dico ad primũ inſtans creationis, ne vim facias in vocabulo primi; quod negas in ęternis, cum creationem admittas, quæ eſt tota ſimul, & non per partes: quę ratio fermè eadem eſt cum 3. S. Bonauent. ſupra; & vrget aliunde, quia creatio immediatè præcedens conſeruationem, eſſet eius initium, quod in ęternis nullum eſſe debet, quia ęterna à parte ante caret initio, ſicut ęterna à parte poſt carent fine.

Quod ſi ſecundò dixeris, creationẽ non fieri totam ſimul, & indiuiſibiliter, ſed cum duratione aliqua, quæro an illa requirat durationem infinitam, ita vt in infinitum millionibus annorum reſponderet, ſi tempus eſſet? an certo numero? primum quis admittat? ſecundum ponit finitam diſtantiã durationis conſeruationis à creatione, hoc eſt aliquid alienum ab æternitate. Deinde durat terminus à quo; nimirum nihil, quoad ſit terminus ad quem, id eſt eſſe, atque ita dum producitur eſſe durat non eſſe; ſi creatio non eſt tota ſimul, & effectus ſit diuiſibiliter.

Confirmatur, quia ſi creatio non eſt tota ſimul, neque ita ſucceſſiua, vt reſpondeat certo numero annorum, igitur durat per ęternitatem, hoc eſt reſpondet tantæ durationi extrinſecè temporis, in qua deſignari poſſunt infinities infiniti menſes, & anni. Creauerit ergo Deus Angelum ab æterno, quot infinitatibus annorum reſponderet illa duratio creationis? Si dixeris decem; cur non paucioribus, aut pluribus? aut quid habet amplius poſt vnam infinitatem, quod non habuerit ante? Igitur tota ſimul erit, & redeunt argumenta priora. Oportet igitur immediatè antequam ſit actu res creata præcedere nihil, & negationem eſſe, ſicut non eſſe formę naturaliter præcedet formam, quia illud conſequitur eſſe; in æternitate autem non precedit duratio, vel temporis, vel inſtantis, igitur non ſtant ſimul conceptus creaturæ, & ęternitatis. XII.

Dices, creatio ſi eſſet æterna, ſemper eſſet in facto eſſe tota ſimul, & nunquam in fieri, ita vt nec aliquando res produceretur, neque ſemper; ſed ſemper eſſet producta. Ita quidam Scotiſtæ recentiores contra Henricũ negantem poſſe creaturam eſſe ęternam, quia verum eſſet dicere, quod aliquando, vel ſemper res produceretur;

retur; ſi primum ergo habuit principium in illo inſtanti, ſi ſecundum ergo ſemper res eſſet in fieri, & nunquã in facto eſſe, quorum vtrumque falſum eſt.

Sed eſto ſemper fuerit in facto eſſe, quia realiter idem eſt fieri, & factum eſſe; tamen formaliter diſtinguuntur, & abſtrahendo à duratione, de quo verum eſt dicere, quod factum eſt, aut creatum, verum eſt etiam dicere, quod per actionem, & creationem; quæritur igitur creationi illi, quæ neque habet aliquando, neque ſemper, quid reſponderet temporis, ſi cũ ipſo conferretur, inſtans ne vel finita, vel infinita duratio ſucceſſiua temporis, an æternitas? & redeunt argumenta.

XIII. Tertiò. Valent etiam argumenta fieri ſolita ab alijs, quale eſt, quod ſi ab æterno factus eſſet homo, vel aliud animal generans, in tota ſerie generationum ſequentium, aliquod fuiſſe primum nempe ad quod creatio terminata eſſet, cum alia producta per generationem ſint propagata; illud enim determinatum videt Deus, quod ſolus creauit diuerſum ab omnibus, quæ non creauit, & illud eſſet primum; quod quia Vazq. vidit negari non poſſe, maluit negare poſſibilem generationem ab æterno, quàm concedere, quod daretur primus homo creatus à Deo, vel aliud generãs, quia repugnat inueniri primum in æternitate, quemadmodum & vltimum. Vazq.

Simile eſt etiam, quod ſi creatus eſſet Angelus æternus, non fuiſſet liber per æternitatem; nam cogitatio libera ipſius ab æterno habita, vel durasſet per determinatam aliquam moram, vel per indeterminatam; ſed vtramq; finitam, & ita in æternitate illa duratio haberet initium, quod eſt contra æternitatem: vel duraſſet neceſſariò per æternitatem, ita vt ab ea ceſſare non poſſet Angelus; atque ita per æternitatem non fuiſſet liber contra ſuppoſitionem fundatã in natura eius.

Nec valet dicere, quod neceſſariò duraſſet talis actus liber per æternitatem; ſed hanc eſſe neceſſitatem ex ſuppoſitione, quod ſit æternus, ſicut ex ſuppoſitione, quod in hoc inſtanti operer, neceſſariò ex ſuppoſitione operor, præſertim cum æternitas ſit tota ſimul, & indiuiſibilis; ſicut eſt indiuiſibile inſtans.

Non valet, inquam, nam maius eſt incommodum ſuppoſitionis deſtruẽtis rerum naturas, & neceſſitatem inducentis contra libertatem diuinæ potentiæ, quàm negationis poſſibilitatis æternæ creaturę; hac enim admiſſa Angelus per millena annorum millia non potuiſſet iuſtificari, nec Deus infundere gratiam poſt inſtans diſpoſitionis, ſi voluiſſet immediatè poſt creationẽ, & non in ipſa creatione iuſtificare: nec potuiſſet Deus creato vno Angelo creare immediatè alterũ, niſi poſt ęternitatẽ. Itẽ quod Petrus creatus ab æterno per æternitatem mutus maneret, vel ſi in creatione cępiſſet loqui prima ſyllaba duraret per æternitatem; & centum ſimilia, quæ vix credi poſſunt. Inſtantia de inſtanti intrinſeco non obſtat, quia illa neceſſitas non deſtruit libertatem, neq; naturas rerum, ſed eſt illis conformis, quia alioqui in inſtanti eſſent ſimul contradictoria, non item in æternitate, vt reſpondet tempori.

Item creauerit Deus ab æterno hominem, vel equum, & reliquerit eos naturæ ſuæ, vixiſſent quantum conuenit ſpeciei ipſorum, igitur determinato tempore puta centum annis, ergo à creatione ad mortem elapſi fuiſſent centum anni, quod eſt contra æternitatem; aut vixiſſent centenis millibus annorum, & redit argumentum, quia ab vltimo puncto vitæ ad creationem intercederet ſpatium finitum. Igitur vixiſſent per totam æternitatẽ, quod difficilius creditu eſt, quã quod ſit impoſſibilis talis creatio ęterna, aut quod data poſſibilitate deberet inuerti rerum ordo, & diſpoſitio quã creatura de facto habet. Expeditior itaq; reſolutio eſt S. Bonau. negantis creaturam vllam poſſibilem eſſe ab æterno, quàm recurſus ad diſtinctiones, & deſtructiones varias creaturarum, quarum aliæ dicantur poſſibiles ab æterno, aliæ impoſſibiles, vt videre eſt apud Auctores citatos, arguentes pro ſua ſententia, & ſoluentes fusè argumenta aduerſariorum in ſex iam claſſes diuiſarum. Nobis propoſitum eſt rationes S. Bonauent. explicare, & confirmare, qui ita putat creaturam impoſſi- variæ claſſes defendentiũ poſſibilitatẽ æternitatis

impoſſibilem ab æterno, ſicut putauit Ariſtoteles impoſſibilem mundi generationem 1. Cœli t. 102. *Genitum igitur, inquit, eſse ſempiternum tamen eſse dicere impoſsibilium eſt*. Sed de opinione Ariſtotelis diſputant Philoſophi interpretes eius, & S. Bonauentura disertè fatetur ſe in ea intelligenda hærere in 2. diſtinct. 1. cit. & inter antiquos magna diſſenſio eſt, vt ibid. a. 1. q. 1.

XIV. Ideo reſtat ſoluenda obiectio ad hominem, nam in 2. d. 1. a. 3. q. 1. p. 1. docet creationem eſſe mutationem, & tranſitum à non eſſe ad eſſe rei, quæ creatur, ſeu productionem ex nihilo, & ideo non poſſe eſſe æternam, quia habet initium, & incœptionem, quibus caret æternitas. Contra quod videtur primò, quia ex nihilo poſito in definitione creationis non colligitur anteceſſio termini à quo ſecundùm prioritatem naturæ, vel temporis, ſed tantum carentia ſubiecti præſuppoſiti, quale requiritur in mutatione naturali. Deinde, quia tam eſt infinita potentia creatiua, quàm generatiua, ſed hæc ab æterno generat, & non habet terminum à quo non eſſe filij, ergo & illa creare ab æterno potuit ſine termino à quo, qui ſit non eſſe rei creatæ. Denique cum ante creaturæ productionem nihil actu ſit, præter Deum, illud dicetur æternum, de quo verificatur, quod ſemper fuit; tale autem eſt, de quo verum eſt dicere, quod fuit omni tempore, qualis eſſet homo, vel Angelus creatus ſimul, vel ante tempus, ac proinde eſſet æternus quia ſemper fuiſſet, nam nullum daretur tempus, in quo non fuerit.

Creatio eſt ex non eſſe rei totaliter

Ad primũ iam ſupra reſpõdi, quod creatio non ſolùm eſt ex nullo ſubiecti, ſed etiam ſimpliciter ex non eſſe rei totaliter, quia nihil rei creatæ eſt ante creationem; & ideo ex non eſſe vt termino à quo fit tranſitus ad terminum ad quem, quod ne intelligi quidem poteſt ſine prioritate, vel naturæ, vel temporis, vel vtriuſque; & neutrum ſtare cum æternitate oſtẽdimus, quia prædicatum carentiæ exiſtendi, quod inuoluitur in termino à quo, ſeu non eſſe; & æternitas, quæ inuoluit eſſe, repugnant, neque intellectus concipere poteſt æternum aliquid abſtrahendo ab eſſe, & non eſſe, quia conceptus eſſentialis eſt eſſe, igitur non eſt fundamentum concipiendi non eſſe, vt præcedens eſſe, quod producitur. Multò minus datur prioritas durationis actualis, vt patet ex dictis; & ex alia parte ſi de non eſſe tranſitur ad eſſe, prius illud intelligi opus eſt, quàm iſtud.

Ad ſecundum, diſparitas eſt allata à S. Bonau. loc. cit. in 2. d. 1. a. 3. quęſt. 2. in fine; *Quamuis enim vtraque potentia ſit infinita; tamen creatio eſt ex nihilo, inquit, & (ex) non poteſt dicere identitatem, nec cauſalitatem, ergo ordinem, ergo fieri ex nihilo habet eſse poſt nihil, & ita poteſt non eſse, ergo aliquo modo ſe habet nunc, quo modo non ſe habebat prius: & ideo neceſsariò mutatio ponitur per productionem de nihilo, & incœptio. Filius autem eſt de Patris ſubſtantia per identitatem, nec oportet, quod habeat ordinem ad nihil, ſiue ad non eſse, ergo poteſt ſemper eſse, & produci ſine initio, & mutatione. vnde productio rei non ponit incohationem rei neceſsariò, ſed productio ex nihilo neceſsariò ponit, & ideo creatiò neceſsariò includit mutationem: generatio verò Filij non*. Ita S. Bonau. ad normam Sanctorum Patrum, qui ex æternitate Filij probabant contra Arianos illũ eſſe Deum, quia æternitas non ſtat cũ creatura, vt ſupra. XV.

Ad tertium, ſemper, dupliciter accipitur. Primò vt dicit tempus reale à Deo productum, & ſic dicitur ſemper fuiſſe, quod ſimul cum ipſo productum hactenus perſeuerat, & multò magis diceretur ſemper fuiſſe, ſi ante tempus productum fuiſſet, & nunquam eſſe deſijſſet, vt S. Auguſt. differit lib. 12. Ciu. c. 15.

Dictio ſemper dupliciter accipitur.

Secundò, vt extenditur ad tempus imaginarium, ſiue ad interualla poſſibilia in infinitum durationis omnis, quibus reſpondet æternitas. Et hoc quidem propriè eſt, quod dicitur ſemper, ſed nulli conuenit, niſi Deo, qui dicitur ſemper fuiſſe, & ſolus eſſe æternus, immortalis, &c. Primo modo dicitur Angelus ſemper fuiſſe, non ſecundo, & ideo quandocumque facta eſſet creatura, non diceretur propriè æterna, nec ſemper fuiſſe, accipiendo ſemper ſecundo modo. Doctrinam

hanc

hanc tradit Alenſ. 1.p. q.12. memb.1. a.1. ex S.Auguſt.loc. cit. Ciu. & habet ſimilem S.Bonauent. in 1. diſt.37. a.2. q.2.p.p. in reſol.

AN REPVGNET

Communicari creaturæ potentiam creandi.

CAP. IV.

I. *Referuntur ſententiæ diuerſæ.*
II. *Creatura non poteſt eſſe cauſa adæquata, & principalis creationis.*
III. *An, & quomodo ſit diſtantia infinita inter ens, & non ens.*
IV. *Vera explicatio huius effecti.*
V. *Reſponſio ad obiecta.*

XVI. QVIA ad creandum requiritur virtus infinita, ex impoſſibilitate creaturæ infinitæ, ſequitur eam non poſſe communicari, ſed Corollarium continet grauem quęſtionem paulò accuratius diſcutienda. Quæri ergo poteſt primò, an poſſit creare vt cauſa principalis. Secundò, an vt inſtrumentalis agendum hic de primo. tum c.ſequēti de ſecundo: circa primum.

Prima ſent. affirmatiua. Prima ſententia ſingularis fuit Durandi in 2.diſt.1.q 4. fatentis non apparere impoſſibilitatem talis creaturę, cui Deus communicet potentiã creatiuam: quam opinionem non admodum tutam in fide exiſtimant recentiores aliqui, Tanner.tom.1.in 1.par. diſp.6.q.1.dub. 2. & P. Faſolus 1. p. q. 44.a.5.nu.13. ait debere eſſe certum apud omnes Catholicos. Sed alij nihil reformidantes hanc notam liberè pronunciant, probabilius eſſe, quod ſit poſſibilis creatura propria virtute creans vt cauſa principalis, quos inter eſt P.Arriaga diſp.11.Phyſ.ſect.5.ſubſect 2.& quamquam Magiſter in 2.diſtinct.1.& 5.videatur aliquibur in hãc inclinare; tamen rectius ab alijs explicatur de potentia inſtrumentali, vt Hurtadus aduertit diſp.12. Phyſic. in fine.

Secunda ſententia eſt communis id negantium in 2.ſent. diſtinct.1. & in 1.p.S.Thomæ queſt.45. vt infra Capt. Caiet.& aliorum Thomiſtarum ibid.& Ferrar.2.cont. gent. c.21. Mol. Vazq. Suar. Faſol.plures numerantium. Gaſtald.2.tom.de Poteſt.Angel.diſtinc.4. quæſt.2.Et quamquam in explicandis rationibus S.Thomæ non conueniũt, in principali tamen puncto, quod requiritur virtus infinita ad creandum, vt habet 1.p.nõ diſcrepant: quicquid dixerit in 4.ſent.diſt.5. a.1. q.3. verſus finem, vbi requirit virtutem non infinitam ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid. Sedunda ſẽtent negau.

Prima Aſſertio.

NOn eſt poſſibilis creatura, quæ tanquam cauſa adæquata principalis creet aliquid iuxta doctrinam S.Bonauenturæ, quæ eſt communis inter Theologos: patet ex multis locis, ſed diſertè reddit rationem in 2. diſt.1.a.2.q.2.in corp.& in reſponſ. ad 1. & in vltimo argumento. Sed cõtra: *Impoſſibile eſt, inquit, creaturam agere per potentiam infinitam, ſed inter omnino nihil, & aliquid eſt diſtantia infinita, ergo non poteſt educi, niſi ab agente virtutis infinitæ, tale autem eſt ſolus Deus*. Et ibid.ar.1.q.1. ad vltimum: *Per virtutem, ait, infinitam, quæ non indiget fulcimento materiæ, ita faciliter poteſt aliquid produci ex nihilo, ſicut de aliquo, alioqui non eſſet virtus primi principij infinitι, ſed egeret materia fundamento, & ideo illi virtuti ſoli hoc attribuendum eſt neceſſariò, quamuis non poſſit conſimile reperiri in aliquo creato; hoc enim eſt eius proprium, ſicut ipſa omnipotentia*. Hæc etiam vna eſt ex rationibus allatis à Sancto Thoma 1. p.q.45.a.5. 3. Negat S. Bonau. cum communi. S.Thom.

Sic igitur formatur argumentum: Inter aliquid, & nihil eſt diſtantia infinita; ergo ad eam ſuperandam requiritur potentia infinita; igitur a nulla creatura ſupereri poteſt, quia iam probatum eſt, impoſſibile eſſe infinitum in creatis. Sed antecedens varias habet explicationes, & conſequētia prima facilè negatur à Durando. Etenim Scotus in 44.diſt.1.q.1. negat inter ens, & nihil eſſe diſtantiam infinitam, quia quando extrema ſunt immediata inter ſe, tanta eſt diſtantia

vnius

vnius ſupra alterum, quantus eſt exceſſus vnius ſupra alterum: igitur ens creatum non diſtat à nihilo, niſi quãtum excedit illud ſecundùm entitatẽ ſuam, ſeu ſecundũ gradus entitatis, qui ſunt finiti; igitur finita eſt diſtantia, ſicut vice verſa eſt infinita diſtantia nihil à Deo, quia Deus eſt infinitus.

XVII. *Reſpõſio ad inſtantiam Scoti.* Cui inſtantiæ variè reſpondetur à Caiet, & alijs Thomiſtis; ego ſic reſpondeo ex doctrina S. Bonauenturæ: Primò nego non ens, ſeu nihil eſſe extremum immediatum enti, quia inter ipſa mediant omnia entia actu exiſtẽtia, & poſſibilia in infinitum, quorum nullum deſignari poteſt, quod ſit immediatum nihilo ita vt indiuiſibiliter ſequatur immediatè ad nihil ratione minimæ entitatis, & perfectionis, quia ex eo, quod eſt ens non minus cõtradictoriè opponitur non enti, quàm ens perfectiùs, oppoſitio quippe huiuſmodi in indiuiſibili eſt poſita, licèt penes hanc non attendatur hæc diſtantia, iuxta D. Bonau. ſed penes hoc quod nihil habent commune, quantum ad genus prædicabile, vt loquitur in 1. diſt. 43. a. 1. q. 1. ad 2 ex quo apparet, quòd in linea prædicamentali nihilo non eſt immediatum ens, quia non habent prędicabile commune ſuperius, vt habent, quæ ſunt in recta linea. Deinde quod diſtantia eſt infinita, quia quantumuis multiplicẽtur entia in infinitum, nunquam deueniri poteſt ad vnum, quod habeat commune prædicabile primò intentionale, nè fortè dicas conuenire ens, & nihil in eſſe intelligibili, quæ eſt conuenientia æquiuoca in ſolo nomine, &c. imò maior eſt diſtantia, quàm inter finitum, & infinitum, quibus datur aliquod commune prædicabile, v.g. ens, aut ſimile.

Secundo, reſpondeo hoc magis explicando, quia ſi ſumatur hinc ens nobiliſſimum, puta Angelus; inde ignobiliſſimum, puta materia prima; non dicuntur infinitè diſtare, quia etiamſi eſſent poſſibiles creaturæ inter hæc duo extrema in infinitũ perfectiores; tamen habent commune poſſibile, quod ſint creaturæ pendentes à Deo: aſt in tota ſerie entium nullum inuenitur commune enti, & nihilo; ergo in infinitum diſtant.

XVIII. Confirmatur, quia inter Deum, & creaturam eſt infinita diſtantia, quam à poſteriori colligimus comparatione facta ex hoc, quod ſi conferatur cum ipſo creatura perfectior in infinitum, ſemper eſt illo imperfectior, & inadęquabilis; ergo vice verſa erit infinita diſtantia inter ens, & nihil, quia quolibet aſſignato ente in infinitum imperfectiore, nihil eſt illo imperfectius. *Inter ens, & nihil eſt infinita diſtãtia.* Maneat igitur antecedens, quod inter ens, & nihil eſt infinita diſtantia. reſtat probanda conſequentia, quod ad eam ſuperandam requiratur infinita potentia, quam non probat Seraphicus, & negari poſſe videtur, quia licet nullum agens creatum valeat illã ſuperare; tamen vnde conſtat, quod nullum creabile diuerſæ perfectionis à creatis habere poſſit virtutem ſuperãdi? Nihilominus ex dictis eius probari poteſt; nam in 2. cit. diſt. 1. a. 2. q. 2 admiſſa ſemel potentia creatiua, concedendum eſt, quod ſe extendat ad omne creabile, ſiue nobile ſit, ſiue ignobilis: *Aequalis, inquit, virtutis eſt producere Aſinum, ex nihilo, & Angelũ, &c.* quia videlicet terminus à quo in omnibus eſt idem, hoc eſt nihil; & terminus ad quem creationis, vt creatio eſt, non eſt potius tale ens, quàm aliud materialiter ſumptum; ſed ens creabile, vt ſic formaliter. Ex quo manifeſtè deducitur potentiam creatiuam debere eſſe infinitam, quia reſpicit terminum infinitum, & habet vim producendi illum; ſi enim virtus productiua termini perfecti vt decem eſt perfecta vt decem, exempli gratia, & productiua perfecti vt viginti, eſt perfecta vt viginti; & ſic ſemper creſcendo in perfectione non habet finẽ, clarum eſt, quæ ſe extendit ad omnę creabile eſſe infinitã; & ne dicas hoc tantùm valere ad hominem negãtem infinitum; ſequitur quod illa virtus eſſet omnipotens, vt habet S. Bonauent. quia nihil eſſet, quod ab ea attingi nõ poſſet, & ex nihilo ſui produci, & cum omnipotentia ita ſit propria Dei, vt creaturæ communicari nequeat, virtus creatiua eſt nõ communicabilis.

Similes rationes habet S. Thomas 1. p. q. 45. cit. & 2. contra gent. cap. 22. de Potentia q. 3. a. 4. & alibi, quas Durand. & Scotus primò impugnant, *S. Thom.*

Digitized by Google

Thomiſtæ acriter defendunt, præſertim Caietanus, cuius rurſus, & Capr. defenſiones reijciunt Scotiſtæ recentiores, Faber.in primis l.2.ſent.diſt.1. q.2.diſp.4 à c.1. & Vazq.1.p.diſp.175 Sed benè intellectæ, ſi demonſtratiuę non ſunt, certè efficaces ſunt, & ſubtiles. Ex illis paſſim apud interpretes eius diffuſis, ſumo doctrinam, quæ valeat ad explicandam, & confirmandam rationem S.Bonau.

XIX Pertinet ad creationem producere non in quantum eſt hoc, vel illud;ſed abſolutè eſſe, qui eſt effectus vniuerſaliſſimus, ac proinde primæ cauſæ, quia effectus quo ſunt vniuerſaliores, eò magis vniuerſales habent cauſas & priores ex 2.Phyſic. to.38. vbi dicitur quòd effectus vniuerſales reducendi ſunt ad cauſas vniuerſales; ergo non poteſt eſſe creatura cauſa illius, ſed ſolùm Deus, qui eſt prima cauſa; quod argumentum ſupponit in effectu conſiderari varias rationes magis, & minus vniuerſales, & licèt totum eius eſſe ſit à cauſis concurrentibus, tamen rationes variæ conſiderantur in illo, ſiue prædicata eſſentialia, ſecundùm quæ variè illis reſpondet, vt patet in exemplo viſionis beatæ, quæ vt vitalis eſt reſpondet potentiæ intellectiuę; vt eſt ſupernaturalis reſpondet lumini gloriæ illam eleuantis, & ſimul concurrentis; ita in propoſito, effectus, qui vt corporeus eſt reſpondet principio corporeo; vt eſt ſenſitiuus reſpōdet principio ſentiendi; & ſic de cæteris prædicatis vſque ad vniuerſaliſſimum entis quod vniuerſaliſſimæ cauſæ omnium entium tribuitur. Cum igitur creatio non terminetur ad effectum vt eſt talis in particulari; ſed ſecundùm eſſe eius, proprium eſt cauſe, quæ dat eſſe,ſeu cui reſpondet prędicatum vniuerſaliſſimum, quod eſt eſſe.

Dices, vel hæc ratio termini formalis creationis, eſt eſſe ſecundùm communem conſiderationem, vt cōplectitur ſub ſe omnia entia, & hoc non, quia creans non producit omne ens; ſed hoc particulare: Vel eſt eſſe, vt dicit totam entitatem rei productę; & tunc non eſt terminus creationis vniuerſalis ratio entis, aut eſſe in quantum eſſe; quia ſi creatura aliqua poſſet producere Angelum, v. gr. aut aliquod compoſitum ex materia, & forma,non ſequitur, quod poſſet producere omne ens, aut totam communitatē entis, quod eſt proprium Dei: ita Vazq. loc.cit.

Reſpondeo,quod neutro ex ijs modis ratio entis eſt terminus formalis creationis; ſed eſt ratio entis contracta ad hunc effectum particularem, quia vniuerſale formaliter nō eſt terminus creationis, quomodo ſignificat eſſe ſimpliciter, modo infra explicando. Deinde reſpondeo falſum eſſe, quod potentia creatiua poſſit limitari ad certos effectus, quia obiectum eius eſt creabile, vt ſic, quod amplectitur communitatem entium. Idq;ad mentem S. Bonauenturæ ſupra aſſerentis æqualis eſſe virtutis creare Angelum, vel Aſinum, & terminos à quo, & ad quem creationis eſſe non ens, & ens, ſiue ex nihilo fieri aliquid, in quo requiritur infinita poteſtia, ſeu omnipotentia, & conſequenter non patitur limitationem ad certos effectus, ſed illimitatè ad infinitos. XX

Inſtat etiam P. Arriaga loc. citat. ſubſect. 1. quia terminus creationis non eſt vniuerſalior termino generationis; neque enim eſt vniuerſalior Angelus animali, aut aquæ gutta. Deinde etiam hoc dato non inferretur non poſſe concurrere al quā creaturam cum Deo ad illum terminum. Denique obſcurum eſt quid ſibi velit terminum creationis eſſe ens in quātum ens; nam ſolus differt à termino generationis, quod hic producitur ſimul cum concurſu ſubiecti, illæ verò ſine tali concurſu; hoc autem quid efficit, vt hic terminus ſit ens vt ens, non verò illæ, cum vterque terminus verè ſit ens, & productus ex nihilo ſui? ſimilia argumenta ſoluit Capreolus in 4.d.1.numerata inter oppoſita Sancti Thomæ à Scoto, licèt alijs verbis.

Reſpondeo primò, in vniuerſum in ijs inſtantijs ludere fallaciam accidentis arguendo à ſenſu formali ad materiale. Secundò hoc patet reſpōdendo ad ſingulas. Prima conceditur de termino materiali, qui comparatus ad alterum materialem nō eſt vniuerſalior illo; negatur de formali, quia in

in iiſdem terminis conſiderantur variæ rationes, quæ inter ſe comparatæ ſunt magis, & minus vniuerſales, puta ratio animalis vniuerſalior eſt rationalitate, & illa latius patet corpus, ſubſtantia, ens: & harum quælibet reſpondet cauſæ vniuerſaliori, vel minus vniuerſali, prout ipſa magis, vel minus vniuerſalis eſt; quod mox explicabitur magis.

Ad alteram reſpondeo, quod hoc dato negatur creaturam non concurrere cum Deo ad illum terminum, ſed poſſe vt cauſam principalem creare illum terminum, quæ ſunt diuerſa.

XXI. Ad tertiam, eſſe aliquantulum obſcurum patet à prolixis explicationibus, quas poſt Capreolum, Caietanũ, Ferrarienſem adhibent recentiores Suar. cit. diſp. 20 Metaph. ſect. 2. Faſ. l. 1. p. in q. 4. 5. citata, & alij. Ego iuxta doctrinam S. Bonauenturæ, & S. Thomæ in hoc conueniẽtium, quod creationis terminus formalis non eſt certũ ens particulare, puta Angelus, vel homo; quia æqualis virtutis eſt quodcumque creabile producere, reſpondeo ens conſiderari poſſe logicè, phyſicè, metaphyſicè: primùm eſt vniuerſale abſtractum à ſingularibus, ſeu inferioribus, de quo quæritur in Philoſophia an ſit vniuocum, vel analogũ; & vtrumlibet ſit, ratio communis eſt prædicabilis de omni ente. Secundum conuenit omni enti actu exiſtenti, tam ſimplici, quàm compoſito, incorruptibili & corruptibili, ſubſtantiæ, & accidenti. Tertio modo acceptum definiri poteſt ex S. Thoma 1. p. q. 45. a. 5. citato, quod ſit eſſe abſolutè, quod præſupponitur omnibus alijs effectibus, & non eſt eſſe in quãtum eſt hoc, vel illud; neque eſt in hoc, vel illo tanquam vniuerſale in ſingularibus; ſed potius vt actus in potentia; vt explicat Capreolus, quaſi actualis exiſtentia ſit actus potentiæ ad exiſtendum, quo modo quicquid poteſt eſſe, ſiue ſubſtantia, ſiue accidens, quando accipit eſſe dicitur habere actum in potentia, quatenus de potẽtia reducitur ad actum, vnde & dicitur perfectio cuiuslibet formæ. Idque loquendo de creatis; nam in Deo eſt eſſe, quod eſt ſubſiſtens veritas, & manens cauſa, vt ait S. Hilarius 7. de Trinit. relatus à S. Bonau. in 2. diſt. 37. a. 1. q. 2. in reſol. ſed non poteſt dici actus in potentia, vel ex potentia, cum excludat omnem potentiam ad eſſe.

Ens conſideratur logicè, phyſicè, metaphyſicè.

Quando ergo dicitur, quod terminus creationis eſt ens, vt ens; & quod effectus vniuerſaliſſimus attribui debet cauſæ vniuerſaliſſimæ, ac proinde effectus, vt habet rationem entis in Deum referendus, qui eſt cauſa vniuerſaliſſima, accipitur ens, ſiue eſſe abſolutè in tertio ſenſu; vt dicit totã entitatem, & actualitatem formaliter diſtinctam ab alijs rationibus, in quas diſtinguibilis eſt res creata; puta ſubſtantiæ virtutis, &c. realiter tamen cum ipſis identificatam, vt identificantur rationes metaphyſicæ cum re phyſica diuerſimodè conſiderata. Itaque dupliciter refertur in Deum, vt cauſam vniuerſalem effectus quilibet, primò vt habet rationem entis logicè conſiderati, quomodo aliæ rationes Logicæ in cauſas proprias referuntur, puta, animalitates, hominitates in animal, hominem, &c. Secundò, vt metaphyſicè dicit eſſe non abſtractum per intellectum, ſed concretum in rebus, & ſolùm formaliter diſtinctũ, veluti perfectio cõplectens quicquid eſt in illis ſubſtantiale, & accidentale; ſub qua conſideratione dicitur eſſe terminus creationis, quia totus eſt ab illa, & formaliter reſpicitur ab illa, quæ cum de nihilo producat ad eſſe, quantum de ſe eſt, non poteſt dici potius vnius particularis in ſpecie, vel numero, quàm alterius productiua, & tamen debet habere ſuum terminum, & obiectum; quod non eſt aliud, niſi ipſum eſſe oppoſitum nihilo, de quo fit: In quo diſtinguitur ab alijs actionibus productiuis; primò, quia illæ ſupponũt ſubiectum, vel in quod inducunt aliquid, vel ex quo educunt formas: deinde quia illæ non dant totum eſſe, quia ſẽper ſupponunt ſubiectum, quod non producunt; creatio verò dat totum eſſe, quia nihil ſupponit rei, quæ producitur; aut ſi ſupponit, ſicut creatio animæ rationalis ſupponit corpus organizatum, non tamen dependet ab illo, ſed ſolùm à potentia Dei creantis. XV.

XXII. Ex quo patet reſponſio ad argumentum in forma; concedo enim ter-

Digitized by Google

terminum generationis differre à termino creationis, quod ille ſit medio concurſu ſubiecti, hic nequaquam, cum ſit ex purè nihilo; ſed nego, quod hinc non efficiatur, vt huius terminus ſit ens vt ens, & non illius formaliter, licet vterque ſit ens: vt enim dictum eſt, ens vt ens, ſiue eſſe ſimpliciter, quod ponitur terminus creationis, dicit totum eſſe rei creatæ ex nihilo; eſſe verò ſiue ens, quod eſt terminus generationis non dicit totum eſſe rei genitæ; quia non producit materiam, quæ ſupponitur, ideo non dicitur terminus generationis eſt ens, ſeu eſſe, ſed equus, exempl. gratia, vel homo genitus; & licet tam genitus, quàm creatus ſit ens, & vterque ſit terminus ſuæ productionis; non tamen ſub eadem ratione formali: nam generationis eſt equus, vel homo, vt ſic, creationis eſt eſſe, vt ſic in ſenſu explicato.

Inſtabis cauſa vniuerſaliſſima eſt omnium nobiliſſima, & creatio eſt inter omnes productiones creatas præſtantiſſima, ergo reſpondere illi debet effectus præſtātiſſimus, quale non eſt ens, ſiue eſſe rei, quia hoc eſt prædicatum commune omnibus entibus, & differentiæ, ac ſpecies ſub illo ſunt nobiliores, iuxta deſcenſum lineę prędicamentalis ab ignobilioribus ad nobiliora.

Reſpondeo, quod ens acceptum metaphyſicè in tertio ſenſu paulo ante indicato, eſt nobiliſſimum omnium prædicatorum, quę rebus conueniunt quia complectitur omnia, quæ ad illas conſtituendas concurrunt, & concipitur ad modum aggregati omnium, & vt perfectio conſtituti ex illis; & ideo reſpondet nobiliſſimæ cauſæ, & nobiliſſimæ actioni. Ens autem prædicamentale, ſeu logicum non eſt terminus creationis, & licet res creata vt ſubſtat rationi entis, reſpondeat etiam cauſæ vniuerſaliſſimæ, non tamen dicitur vt ſic terminus creationis; ſed in alio ſenſu explicato.

Ens metaphyſice acceptum eſt nobiliſſimū prædicatū.

Hinc confirmatur aſſertio communis, quia ſi creare dicit poteſtatem ſupra ens creabile, non poteſt conuenire creaturæ, quia non poteſt dari vna ſuprema, qua non ſit poſſibilis alia perfectior non creabilis ab ipſa; nulla enim cauſa effectum ſe perfectiorem poteſt producere; & ex alia parte cū obiectum potentiæ creatiuæ ſit creabile vt ſic, & non vt hoc in particulari, deberet creatura ignobilior poſſe creare nobiliorem contentum intra obiectum creabile; imo & poſſe producere ſeipſam.

XXIII. Plurimi etiam facit Albertinus to. 1 Coroll. princip. 1. Corollario 17. rationem ſumptam ex S. Thoma q. 3. de Pot. a. 4. quod actio tranſiens principalis agentis non poteſt habere altiorem modum eſſendi, quàm actio immanens eiuſdem, quæ eſt potior, ſed nulla actio immanens creaturæ poteſt habere eſſe per ſe ſubſiſtens, & independens à ſubiecto, cum ſit accidens, & compoſitum ex actu, & potentia; ergo nec actio eiuſdem tranſiens poteſt eſſe per ſe ſubſiſtens, & independens à ſubiecto: non igitur creatio eſſe poteſt, cuius nullum eſt ſubiectum, cum ſit productio ex nihilo; quæ probatio vim habet in ſententia admittere creationem eſſe actionem diſtinctam mediam inter agens, ac terminum, vt ſentit S. Bona. & Suar. non item in negante, quam ſequitur Vazq. & alij. Ad quam rationem pertinet alia Scoti in 4 diſt. 1. q. 1. quod creatio cum ſit actio nobiliſſima deberet eſſe per intellectum, & voluntatem, quæ ſunt principia actionis tranſeuntis; at verò intellectio, & volitio in creatura cum ſint accidentia non poſſunt eſſe principia productiua ſubſtantiæ.

Albertin.

S. Bonau. Suar.

In Deo autem intellectio, & volitio identificantur eſſentiæ, & ideo ſunt principia creandi, incommunicabilia creaturæ, ſicut & omnipotentia, immenſitas, &c. quibus addi poteſt virtus conſeruatiua creaturarum, quæ ita Deo conuenit, vt creaturæ communicari nequeat, de cuius eſſentia eſt dependentia à Deo; & ideo non poteſt ita ab alia creatura conſeruari, vt immunis ſit à conſeruatione Dei: poſſet autem ſi crearetur ab ipſa, quia non plus eſt conſeruare, quàm creare. Ex quo rurſus ſequitur, quod creatura poſſet annihilare, ideſt ſubtrahere concurſum conſeruatiuum; nam vt Scotus loco citato In 4. æqualis diſtantia eſt à nihilo, ad aliquid, & ab aliquo ad nihil, igitur & æqualis

Scotus

Digitized by Google

lis virtus poteſt ſuper vtramque.

Quod ſi dicas virtutem creatiuam eſſe potentiam ab intellectu diſtinctã, ab ipſo dirigibilem, quæ vocetur executiua, adhuc tenet argumentum, quod eſſet accidens, & actio eius itẽ accidentalis, & non productiua ſubſtantiæ ex nihilo; & prætereu quod eſſet illimitata extendens ſe ad omne ens creabile, ac proinde principij illimitati, cui deberet proportionari.

Quibus, & alijs huiuſmodi argumentis adductis à recentioribus poſt veteres Scholaſticos variæ afferuntur reſponſiones, quia nullum eorum rẽ demonſtrat, aut contradictionẽ huius potentiæ creatiuæ oſtendit; & ideo ab obiectis diuinæ omnipotentiæ non videtur eximenda, vnde & plures Theologi fatentur ſolùm à communi non eſſe recedendum ob auctoritatem Patrum, à quibus torrens Scholaſticorũ diſcedere nefas arbitratur; de quo Valent.in 1.p.diſp.3. q.2. p.4. Nos ſolidã putamus rationem S. Bona. ſupra explicatam, cui fauet.

SANCTORVM PATRVM

Auctoritas.

CAP. V.

I. S. Athanaſius negat creaturam creare poſſe.
II. Idem negant alij Patres Baſil. Cyrill. Damaſc. tam Græci, quàm Latini.
III. An inadequatè, & dependenter à prima cauſa poſsit creatura concreare, eſt problema.
IV. Rationes pro vtraque parte.
V. Eligitur negatiua.
VI. Soluuntur argumenta affirmatiuæ.

XXIV. S.Athanaſ. SANCTVS Athanaſius ſer.3 cõtra Arianos probat, Verbum non eſſe creaturam, quia creat: Angelos creare non poſſe, quia ſunt creaturæ: & adminiſtrare creaturam, inquit, & ſeruorum eſt, condere autem, & creare ſolius Dei eſt, eiuſque verbi, & ſapientiæ.

Et Epiſt.ad Africanos ante mediũ. *Sed quomodo quæſo id quod creatur creare, aut quod conditur condere, &c.* Ad oſtendendum Filium eſſe Deum, quia creat: & repugnare, quod creatura creet; vt hinc pateat eſſe diſſonam textui interpretationem dicentium, ſermonem eſſe de potentia ordinaria; ſiquidem non conuinceret Arianos facilè concedentes eſſe extraordinariam virtutem creandi in verbo, quod creaturam ſuper omnes alias extraordinariè excellentẽ dicebant, ac proinde creare poſſe, quæ duo repugnantia probat eſſe S. Athanaſius, vt conſtet Filium eſſe Deum, quia ex Scriptura conſtat eſſe Creatorem. S.Cyrill. Aleſſand.

S.Cyril.l.2.in Iulian. *Solius Dei, ait, eſſe producere res, quæ aliquando non erant, &c.* ibid os ait eſſe Diaboli, qui dicit Angelos creauiſſe aliquam creaturam. Idem.lib.5. c.3.theſ. impugnat aſſerẽtes Filium eſſe creatorem, licet creatura ſit, probatq; creare eſſe Dei proprium. & ſæpius repetit in editione antiqua. Idem habet Damaſ. l. 2. fid. S.Damaſc. orthod. c.3. *Creaturæ enim cum ſint, inquit, non ſunt Conditores.* Baſ. lib.4. contra Eunom. inde probat Chriſti diuinitatem, quia creare poteſt.

Aug.l.9. ſuper Gen.ad litteram c.15. S. Auguſt. *Angeli nullam omnino poſſunt creare naturam; ſolus enim vnus cuiuslibet naturæ, ſeu magnæ, ſeu minima creator eſt Deus.* Et infra; *Creare naturam tam nullus Angelus poteſt, quàm nec ſeipſum, &c.* Sed hoc neque de potẽtia abſoluta poteſt, ergo neque illud.

Scriptura referens creationem rerum omnium in Deum fauet, & licèt non apertè meminerit potentiæ abſolutæ, tamen iuxta Patrum interpretationem de ea eſt intelligenda. XXV.

Vbi obiter aduerte argumentum probantium fieri nõ poſſe creaturam talem, quia facta non eſt, in rigore nõ concludere, quia multa poſſibilia sũt, quæ facta nõ ſunt, neque fient, tamen non carere ſua probabilitate ex eo, quod gradus hic longè præſtantior quolibet creato, pertineret ad perfectionem vniuerſi, vt Suar.diſp.illa 20. Suar Metaphyſ. ſect.2.1.p.q.45..5.dub.3.

Dixi in aſſertione cauſa adæquata, & propria, nam ſi ſermo ſit de cauſa inadæquata, & impropria, adhuc quæri poteſt, an implicet creatura, quæ partialiter concurrat cum Deo

ad

ad creandum, vt cauſa principalis, aut alio modo concurrat impropriè defectu aliquorum requiſitorum ad creationem propriè dictam. Et quidem dari virtutem creatiuam partialem propriè excludentē dependentiam à concurſu cauſæ vniuerſalis, manifeſtè implicat, quia creatura ex hoc præciſè, quod creatura eſt, pendet eſſentialiter à Creatore in eſſe, & operari; quæſtio igitur eſſe poteſt, an poſita hac eſſentiali dependentia, communi omnibus cauſis creatis, repugnet dari virtutem aliquam ita excellentem, vt concurrat particulariter cum Deo attemperante ſuum concurſum ad creationem; quo caſu Deus diceretur concurrere vt cauſa vniuerſalis, à qua aſſentialiter pendet concurſus virtutis illius, vt particularis, à qua videlicet ſimul, & à virtute creata dependeret effectus, non tanquam à cauſa ſubordinata, vt ſunt cauſæ inferiores reſpectu ſuperiorum; ſed vt à concauſa, qualis eſt trahens nauim cum altero trahente etiam ſi in alijs ſit diſparitas. Vel ſi Angelus ſimul cum Deo cælum moueret, in quo eſſet maior paritas ſi fingeretur ſolus mouere nullo modo poſſe, ſed ſolùm cum Deo; ita & creatura ex ſe nihil penitus creare poſſet; ſed ſolū cum Deo nam quod dari non poſſit abſolutè, & propriè principalis præter rationes allatas aliunde extra controuerſia eſt.

Secunda Aſſertio.

XVI. QVamquam adæquata cauſa, & propria creationis Deus ſolus eſſe poteſt, & inadæquata de facto nulla ſit admittenda, vt probatum eſt; tamen de poſſibili non apparet repugnantia, cur Dei omnipotentia non extendat ſe ad cōmunicandam tantam virtutem creaturæ alicui, vt ſimul cum ipſo concurrat ad creationē, problema eſto. In hoc ſēſu, quod ſicut in creaturis cōceditur potentia obediētialis actiua; preſertim ſi habeant vim agendi naturalē, quæ eleuetur à Deo ad effectus ſupernaturales, vt fuſius primo tomo retulimus; ita & in creatione quęritur, an ſit poſſibilis aliqua virtus nobilior inſtrumentalibus nullā habētibus virtutem, aut proportionem cum effectu, quæ virtus ſit abſolutè inſtrumentalis reſpectu primæ cauſæ, & ſolum ſortiatur denominationem principalis comparata inſtrumētalibus, carentibus proportione dicta; ſtante tamen veritate, quod abſolutè creationis nulla datur cauſa principalis: pro parte affirmatiua faciunt rationes ſequentes.

Primò, quia nulla vel auctoritas, vel ratio refragatur, vt apparebit ex ſolutione; & ideo non videtur ſine fundamento detrahenda diuinæ Omnipotentiæ talis poſſibilitas creaturæ.

Secundò creare eſt rem de nihilo producere, ſed non implicat creaturā vt cauſam inadæquatam rem de nihilo producere modo aſſignato. Probatur minor, quando primò producitur forma, poteſt Deus ſupplere vicē ſubiecti, & cauſa naturalis, cum illo agere; ergo tunc inadæquatè, & ſaltē impropriè creabit cum Deo. patet ſequela, quia produceretur forma, & non ex aliquo præexiſtente, quod eſt creare; ſed quia Deus ſupplet vicem ſubiecti, non dicetur propriè creatio, quæ abſolutè non eſt ex aliquo præexiſtente. Antecedens probatur, quia Deus poteſt ſupplere vicem ſubiecti conſeruando accidens ſine illo, vt patet in conſeruatione ſpecierum ſacramentalium, ergo poteſt etiam in prima productione; non enim eſt maior ratio cur tunc nequeat, ſi poteſt tempore ſequenti. Et id concedens Mol. 1.p.q.25.a.5. dub.1. admittit creaturā in eo caſu partialiter creare, quia producit effectum de nihilo. Dur. autem abſolutè hinc cōtendit poſſe communicari virtutem creatiuam creaturæ. Ego hinc ſaltem inſero non repugnare dari talem virtutem, etiamſi de facto nulla eſſet, quæ in ſimilibus caſibus operaretur cum Deo aliquid ex nihilo, quia ſicut poſſet creare aliquā virtutem naturaliter concurrentem ad conſeruationem ſpecierum in Sacramento ſimul cum ipſo, ita poſſet creare potentem primò producere ſine ſubiecto. Neque valet dicere, quod poſſet conſeruare ſine ſubiecto; non autem producere, eò quod prima productio requirat ſubiectum, quia conſeruatio eſt continuata productio, & non apparet cur implicet eſſe

Deus poteſt ſupplere vicē ſubiecti conſeruādo id, quod pēdet a ſubiecto ſine ipſo

Digitized by Google

eſſe cum ſolo termino ſine ſubiecto, quando primò incipit, ſi non implicat poſtquam incœpit.

Causa coniũcta alteri multa poteſt, quæ ſeparata non poteſt.

Tertiò, coniũctio cauſarum in multis effectibus naturalibus facit, vt vnaquęque illarum concurrat ad illorum productionem, ad quam ſeiuncta ab alijs nullam haberet vim, ergo poſſet dari talis virtus in creatura, quæ licèt per ſeipſam creare non poſſet, tamen coniuncta cum virtute Creatoris poſſet. Antecedens patet inductione, calor enim, exemp. grat. & aliæ primæ qualitates ſimul iunctæ ſunt cauſæ variarum generationum, tam ſimplicium, quàm mixtorum, quas nulla ipſarum ab alijs ſeparata cauſare poſſet. Sequela probatur tum quia militat hic eadē ratio; tũ quia argumenta contra poſſibilitatem huiuſmodi virtutis non probant, poſito quod eſſet inadæquata, & impotens de ſe ſine conſortio virtutis increatæ ſimul concurrentis.

XXVII. Quartò, in diuinis datur generatio qua Pater æternus de ſua eſſentia producit Filium Deum de Deo diſtinctũ perſona, & non natura. In creatis datur generatio, qua ſimile producit ſibi ſimile, ſed non idem in natura cum ſint duo indiuidua diſtincta habentia duas naturas ſingulares diſtinctas: Datur etiam alteratio, ſecundùm quam vnum accidens producit aliud ſibi ſimile, vt calor calorem, vel diſſimile, vt lux calorem, & hic raritatem, &c. Cur ergo implicet dari agens aliquod medium productiuum alicuius effectus externi non de ſua eſſentia, vt Deus; non de ſubiecto, vt agentia naturalia; ſed in ſe abſolutè exiſtentem, aut etiam inexiſtentem alteri, cuius egeat ſuſtentatione; idque coagendo cum creatore, v. g. Angelus tam excellentis virtutis, qui ex nihilo luminis producat lumen, aut formam aliquam ſubſtantialem, aut aliquid huiuſmodi, coagendo Deo.

Quintò, Sacramenta nouæ legis concurrunt vt inſtrumenta phyſica ad producendam gratiam ſecundùm probabilem ſententiam, quam Suar. cum multis alijs ſequitur. Verba item conſecrationis ad opus mirabile tranſſubſtantiationis panis in Corpus Chriſti, ergo etiam dari poſſet virtus, quæ ſimul cum virtute creatiua Dei inadæquatè crearet. Probatur ſequela, quia ſi daretur virtus creatiua luminis, aut caloris, exemp. grat. ſimul cũ creatore, adhuc eſſet minor, licèt principalis, quàm ſit virtus conuerſiua panis in Corpus Chriſti, licet inſtrumentalis, quia licèt agat virtute agentis principalis, tamen habet proprium influxum phyſicum attingentē effectum magis mirabilem, & excellētiorem, quàm ſit productio luminis, vel caloris, ergo ſi de facto datur virtus inſtrumentalis conuerſiua panis in Corpus Chriſti per phyſicum influxum, non debet cenſeri impoſſibilis virtus creata principalis creatiua interioris entis, ſimul concurrendo cum virtute increata, ſine qua nihil poſſet. Neque valet dicere, quod virtus conuerſiua eſt excellentior ratione termini, ſed creatiua excellit in ratione modi operandi, quia producit ex nihilo, cum illa habeat ſubiectũ, nempe panem, quem conuertit; non valet, inquam, nam iſte modus operandi nihil eſt aliud, quam ipſa actio, atqui actio conuerſiua in Corpus Chriſti, quæ eſt quædam productio Corporis Chriſti longè præſtantior eſt, quam creatio caloris, exempl. gr. aut rei ſimilis. Deinde poſito ex vna parte nihilo, ex altera pane, qui a vna ſubſtantia mutanda eſt in aliam, tam ratione termini à quo, quàm termini ad quem, actio ſupernaturalis eſt, & maioris nobilitatis, quàm ſit creatio accidentis, vel ſubſtantiæ, ex nihilo ſui. Denique ſi poteſt dari phyſicus influxus creaturæ in terminum conuerſionis, qui non minus eſt ſupra vires naturæ, quàm modus producēdi ex nihilo, cur non poterit etiam dari in terminum creationis, præſertim poſito ſimultaneo concurſu creatoris complente virtutem creatiuam, quam daret creaturæ?

Sextò. Deus fecit materiam, quæ eſt infima in genere rerum creatarũ, & tamen ex ea naturalia agentia educunt infinitam copiam formarum, ergo & condere poteſt creaturam tātæ attiuitatis, vt ſimul cum ipſo attingere pſſit effectum creationis. Probatur ſequela, quia nihil formæ actu præ exiſtit in materia, & tamen dicitur illam cauſare ſubiectiuè, non ſolùm, XXVIII.

quia

Digitized by Google

quia ſuſtentat ipſam, & actionem agẽtis; ſed etiam quia continet illam in potentia, & eſt tale ens ex quo agens poteſt educere formas, quarum dicitur ſeminarium, cum ab alijs entibus educi nequeant, ergo vice verſa poſſibile eſt agens creatum continens virtute effectum ad quem producendum non egeat materia, ſi adiungatur cauſæ nobiliori non indigenti eadem. Probatur conſequentia, quia non eſt maior ratio cur cauſa materialis contineat ſua virtute effectum, cuius nihil præexiſtat actu in ipſa, & non poſſit dari cauſa efficiens creata ſimul concurrens cum increata, licet ſe ſola nihil poſſit, ſicut neque materia poteſt aliquid ſine cauſa efficiẽte, ſi enim ſit ſubordinata cauſæ infinitæ, & ei ſubſeruiat; ſicut hæc operatur independenter à materia, ita & ipſa cooperabitur.

Inter formã & eius priuationẽ non eſt diſtantia infinita. Præterea priuatio formæ in ſubiecto, accepta forma præcisè ſecundùm eſſe intrinſecum, quod dicit in recto, eſt nihil formæ, & hæc non eſt infinita, quia tollitur à virtute finita per productionem formæ, igitur nec forma, & nihilum formæ extra ſubiectũ diſtant infinitè, quia diſtantia inter terminos oppoſitos eadem eſt ſiue illi ſint in ſubiecto, ſiue extra ſubiectum, v.g. inter albedinem, & nigredinem, ſiue conſiderentur ſecundùm ſe præcisè, ſiue extra ſubiectum. Non igitur obſtat ratio ducta ab infinitate diſtantiæ.

XXIX. Quoad ſecundam partem probatur idem antecedens, quia plus poteſt vna virtus cum alia, quàm ſe ſola; ergo licèt eſſet impoſſibilis virtus creatiua ſeparatim creans, non tamen coniunctim cum infinita; ſiue illa poneretur vniuoca, & productiua effectuum eiuſdem ſpeciei; ſiue æquiuoca productiua diuerſorum; quia ſemper eſſet ordinis creati, & inferioris requirentis ſimultatem ſuperioris independentis, in quo ſtatu diceretur cauſa principalis inadæquata, quia ageret per vim innatam acceptam à creatore ad differentiam inſtrumentalis, quæ agit virtute principalis agentis. Sic in diuinis proportionaliter loquendo, Pater, & Filius ſunt principium adæquatum Spiritus Sancti; & omnes tres Perſonæ adæquata cauſa creationis: ſic in creatis ſemina Maſculinum, & fœmininum cauſa adæquata fœtus ſi vtrumque concurrit actiuè, vt multorum phyſicorum fert ſententia; ex quo patet in eodem genere dari duas cauſas principales inadæquatas, quarũ neutra per ſe ſola ſit potens, vel adæquata, ſed requiratur vtraque, etiamſi de cætero Deus cum ſit omnipotens, & infinitus poſſit ſe ſolo quicquid poteſt cum creatura, ſed non vice verſa creatura ſine illo; tum quia eſſentialiter pendet in eſſe, & operari; tum quia exigere poteſt peculiarem concurſum, ſi talis condatur, vt præter generalem depẽdentiam nequeat ſuũ effectum producere, niſi illo coagente vt cauſa peculiari, in quo nulla apparet implicantia.

Dices talis virtus etiam ipſa partialiter ex nihilo produceret ſimul cum Deo, ergo eſſet infinita, vt probat argumentum initio poſitum.

Reſpondeo, nego ſequelam; dato enim quod valeret in virtute adæquata, & creante ſe ſola, non valet in partiali, & inadæquata non habente vim producendi effectum, niſi cũ increata; ex vtraque enim conſtitueretur adæquatum principium infinitum, quia vna virtus eſſet infinita, altera finita, ſed potens tamen iuncta infinitæ attingere effectum alioqui ſibi ſoli improportionatum, non ſecus ac contingat in alijs cauſis impotẽtibus producere aliquem effectum diſiunctim, potentibus autem coniunctim, ſiue illæ ſint æquiuocæ, ſiue vniuocæ, vt ſupra.

Confirmatur ex ſimili: voluntas humana ſola non poteſt ſuperare tentationes omnes, ſed cum gratia poteſt; Non ego, ſed Dei gratia mecum, ait Apoſtolus; itaque conſtituitur ex vtraque vnum principium adæquatũ operatiuum victoriæ, quod ſine alterutrò non conſiſtit, & vtrumque partialiter concurrit in ſuo genere, gratia principaliter dans actui ſupernaturalitatem, voluntas minus principaliter dans vitalitatem; quæ ſunt rationes identificatæ cum entitate ſimplicis actus, qui pendet ab vtraque coniunctim: ſic in dato caſu effectus pẽderet à virtute creata, & increata ſimul 1.Cor.15.

Digitized by Google

ſimul ſumptis, licèt creata ſeparata nihil poſſet in illum, ex ſuppoſitione, quod non poſſet agere, niſi præſuppoſito aliquo ſubiecto in quo, vel ex quo operaretur.

XXX. Adde, quod Deus fecit materiam, quæ eſt pura potentia, & infima in genere rerum ex S. Aug. l. 12. Confeſs. c. 8. Angelus factus eſt prope Deum, materia prope nihil; & tamen ex ea naturalia agentia educunt infinitam formarum copiam; ergo & poteſt concedere creaturam tantæ actiuitatis, vt ſimul cum ipſo attingere poſſit effectum creationis. Probatur ſequela, quia nihil formæ præexiſtit actu in materia, & tamen dicitur illam cauſare, quia concurrit ſuſtentando illam, & actionem agentis, qua educitur de illa; vnde & dicitur continere illam in potentia, ſeu virtute, ergo & poterit agens creatum eſſe tam perfectũ, vt contineat virtute effectum aliquẽ non indigens materia, à qua ſuſtentetur, contineat, inquam, vt cauſa partialis, & inadæquata poſtulans concurſum cauſæ increatæ. Probatur cõſequentia, quia non eſt maior ratio cur cauſa materialis det eſſe effectui in ſuo genere, licèt nihil in ea præexiſtat effectus, accedente cauſa efficiente, & non dare poſſit eſſe aliqua virtus creata in genere efficientis accedente concurſu cauſæ increatæ, qui ſupplere poteſt locum materiæ, ideſt operari independenter à materia. Idque potiſſimum valet in ſententia cõſtituente cauſalitatem materiæ reſpectu formæ in ſola ſuſtentatione, quæ eſt cauſalitas quædam extrinſeca diſtincta ab intrinſeca, qua materia dat eſſe compoſito, & proinde à Deo ſuppleri non poteſt.

Materia prope nihil.

Dices hæc argumenta probarent, quod etiam dari poteſt creatura, quæ ſit cauſa adæquata creationis, quod negatũ eſt in prima aſſertione. Deinde eædem rationes, quibus impugnatur iſta, impugnatur & illa.

Reſpondeo, nego vtrumque; primum quidem, quia virtus adæquata creandi ſecundùm SS. Patres manifeſtè Deo reſeruatur: rationes etiã idem probantes, fortes ſunt etiamſi non demonſtratiuæ; at virtus inadæquata cum pendeat ab increata, vt concurrente non ſolùm vniuerſaliter; ſed vt concauſa particulari effectus creati, tantùm creaturæ eſſe poteſt, quæ ſine creatore nihil poteſt: ex quo ſequitur neque ſecundum obſtare, quia tandẽ argumenta huc ſpectant, vt probent virtutem creatiuam eſſe incommunicabilem, & creaturam non eſſe eius capacem, quod de inadæquata in ſenſu explicato non concludit, vt patebit ex ſolutione argumẽtorum initio poſitorum, quatenus ſecundæ aſſertioni videntur obſtare, & de poteſtate creãdi auctoritatiuè procedunt, non de poteſtate miniſterij, vt loquitur Magiſter in 4. d. 5. infra citandus: & quãquam poteſtas miniſterij propriè inſtrumẽtalis eſt; tamen ex illa peti poteſt argumentum ob ſimilitudinem in hoc conſiſtentem, quod neutra cõcurrere poteſt ad creationem ſine cõcurſu peculiari primæ cauſæ principalis, vel eleuantis inſtrumentum, vel complentis potentiam communicatã, & dantis actualem vim concurrendi per ſuam concomitantiam. Nihilominus pro parte negatiua ſit.

Tertia Aſſertio.

Huiuſmodi virtus nõ eſt communicabilis creaturæ: ita communiter tres primæ ſententiæ, ſignanter Suar. diſp. 20. Metaphyſicæ, ſect. 3. Faſol. 1. p. q. 45. a. 5. dub. 4. & alij apud ipſos, præſertim D. Thom. qui ibi hoc apertè negat, ſicut & q. 3. de Pot. a. 4. & 2. cont. gent. c. 21. quẽ ſequitur Gaſtal. cit. Probatur primò auctoritate S. cti Bonau. qui l. 2. ſent. diſt. 1. a. 2. q. 2. in reſol. & in reſp. arg. diſertè ait, creaturam non eſſe capacẽ potentiæ creãdi: quæ propoſitio cum ſit vniuerſalis, excludit omnem potentiam, non ſolũ adæquatam, ſed etiam inadæquatam. Et in 1. diſt. 9. dub. penult. dixerat ſolius Dei eſſe creare, vt ſupra retulimus. XXXI.

Cõfirmatur, quia pares facit, quoad hoc iuſtificationem, & creationem, & vtramque à ſolo Deo fieri aſſerit in 2. diſt. 7. n. 50. & in 4. diſt. 10. p. 2. a. 1. q. 1. maius eſſe affirmat iuſtificare, neque de potentia ordinaria intelligendus eſt, ſed de abſoluta, vt patet manifeſtè ex 4. ſẽt. diſt. 5. a. 3. q. 1. in reſo. vbi ſic lo-

Creare, & iuſtificare eſt Dei proprium.

quitur. De poteſtate verò cooperationis controuerſia eſt, quia Magiſter dicit, quod illam dare potuit: hoc tamen communiter negatur. Sed quia Auguſtinus videtur hoc dicere, propter hoc notandum, quod cooperari alij eſt dupliciter, vel per modum verè efficientis, ſicut natura cooperatur Deo in productione naturalium, & liberum arbitrium gratiæ in faciendo opus meritorium: Vel per modum diſponentis, ſicut cooperatur homo Deo, quantum ad gratiam, quia ſe diſponit. Primo modo, quicquic videatur dicere Magiſter, Deus dare Non Potuit, quia creatum capax non fuit, nec hoc modo intellexit Auguſtinus; Sicut enim tactum fuit in primo libro, & per obiectiones oſtenſum, dare gratiam, eſſe potentiæ infinitæ, & potentiæ ſupra vim humanam, &c. quam eandem rationem attulit ſupra ad probandum, quod creaturæ non poteſt communicari virtus creatiua: qua eadem paritate vtitur in 1. ſent. diſt. 14. in fine, multis probans impoſſibile eſſe gratiam ab alio, quàm a Deo produci. intellige tanquam a cauſa habente virtutem intrinſecam iuſtificandi, ſiue hanc voces virtutem principalem, ſiue inſtrumētariam naturalem intrinſecam.

Inſtabis, quia S. Augin. tractat. 72. in c. 14. Ioan. mouet dubium, an maius ſit concurrere ad ſui iuſtificationem per liberum arbitrium adiutum gratia, ac proinde intrinſeca operatione iuſtificare ſeipſum, an cælum creare; cui reſpondens ait. Certè ſi æqualis eſt vtrumque potentiæ, hoc maioris eſt miſericordiæ. Et tract. 5. in cap. 1. Ioan. tom. 9. ait: Potuit autem Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſi vellet, dare poteſtatem alicui ſeruo ſuo, & tantam vim daret baptiſmo translato in ſeruum, quantam vim haberet baptiſmus datus à Domino. Hoc noluit ideo vt in illo ſpes eſſet baptizatorum, à quo ſe baptizatos agnoſcerent, &c. Et ſermo eſt ibi de poteſtate phyſica; nā de morali certum eſt, quod collata eſt Eccleſiæ, & baptizandi exterius, & concurrēdi interius ad iuſtificationem per miniſtros ſuos, tanquam per inſtrumēta ſaltem moralia. Igitur iuxta S. Auguſtinum potuit dare virtutē phyſicam concurrentem ad iuſtificationem, ſed non dedit: ex quo infertur, quod etiam conferre potuit virtutem creandi; ſi hæc eſt æqualis, vel minor virtute iuſtificandi.

Neque hic locum habet diſtinctio de virtute morali, & phyſica inſtrumentali, quam plerique Scholaſticorum, Suarius in primis, agnoſcit in Sacramentis ad cauſandam phyſicè, & efficienter gratiam, tum quia nō erat de hac dubitatio Auguſtini, vt patet ex rationibus negandi datam eſſe poteſtatem baptiſmi vlli hominum; tum quia etiam hac data reſtabat quæſtio de virtute principali, qualis non eſt ſacramentorum, quæ ſunt ſolum inſtrumenta gratiæ, cum principalis ſit ſolus Deus; de hac igitur loquitur S. Auguſtinus aſſerens potuiſſe dari, ſed non eſſe datam. XXXII.

Sex poteſtates in baptiſmo conſiderantur.

Pro reſponſione facit doctrina Sācti Bonauenturæ paulo ante allata ex 4. diſt. 3. a. 3. q. 1. in reſol. quod videlicet in baptiſmo poſſunt conſiderari ſex poteſtates. Prima eſt auctoritas mundandi interius à culpa; & hanc Deus nulli dedit, nec dare potuit: ſecunda eſt cooperationis, & hæc vel per modum verè efficientis, ſicut natura cooperatur Deo in productione naturalium, & liberum arbitrium gratiæ in faciendo opus meritorium: vel per modum diſponentis ſicut cooperatur homo Deo quantum ad gratiam, quia ſe diſponit, & hoc ſecundo tantum modo Deus dare poteſt poteſtatem, non primo, quia eius non eſt capax homo, quicquid Magiſter dicat, aliter interpretans Auguſtinum, quem ipſe Sanctus Bonauentura explicat in hoc ſecundo ſenſu. Tertia eſt poteſtas excellentiæ, iuxta quam maior ſanctitas baptizantis poteſt conferre ad abundantiorem gratiam baptizati. Quarta eſt inuocationis, quatenus homo inuocetur ſicut Chriſtus, & Trinitas, ita vt in eius nomine baptiſmus conferatur. Quinta eſt inſtitutionis, vt ſicut Chriſtus inſtituit baptiſmum in aqua; ita poteſtate ab ipſo collata Petrus ex. gr. inſtituerit in aqua, vel alia materia. Sexta eſt miniſterij, qua dat, vt per hominem poſſit miniſtrari exterius, & verbum, & elementum: & hanc de facto dedit: alias vero duas

inuo-

inuocationis, & inſtitutionis dare potuit, ſed non dedit, nec ſpes poneretur in homine, & ob alias cauſas relatas à S. Auguſtino, quem de quarta, & quinta poteſtate interpretatur Sāctus Bonauenr. quod videlicet dare potuerit, ſed non dederit. Iuxta quam interpretationem dicendū eſſet, quod quando S. Auguſtinus concedit paris eſſe poteſtatis creare Cœlos, & iuſtificare ſeipſum per cooperationem ad gratiam, intelligendus ſit de cooperatione, qua ſe diſponit homo ad gratiā à ſolo Deo producta, non de efficientia gratiæ, cuius homo non eſt capax, & vis comparationis erit in hoc, quod æquè difficile eſt cooperari diſponendo ſe ad iuſtificationem, ac Cęlos creare, quia ſicut in hoc requiritur potētia infinita; ita & in illo; eo quod ſine gratiæ auxilio non peragatur, quā dare pariter eſt potentiæ infinitæ, & iuſtificatio conſequens, vt aduertit idem Auguſt. tract. illo 72. cit. ſaltem æqualis potentiæ cum creatione Cœlorum, imo & Angelorum; de quibus cum mentionem feciſſet: ſubiungit: Nunquid etiam ijs operibus maiora facit, qui operante in ſe Chriſto, cooperatur vitam æternam, ac iuſtificationem ſuam? Idque vt probet ſi non eſt maius opus, ſaltem eſſe æqualis potentiæ; ad quod non eſt neceſſe, vt phyſicè producat gratiam iuſtificantem; ſed ſufficit, vt per conſenſum præuenienti præſtitum, diſponat ſe ad iuſtificationem per gratiam inhabitantem, quæ à ſolo Deo infunditur.

XXXIII Tam creare quàm iuſtificare eſt infinitæ virtutis incommnnicabilis

Ex quibus manifeſtum eſt in ſentētia S. Bonauenturæ, quam S. Auguſtino adſcribit infinitæ virtutis eſſe tam creare, quàm iuſtificare, & neutram eſſe creaturam communicabilem, nō ſolum vt ſit adæquata, & principalis; ſed neque vt inadæquata, & ſubordinata principali: Idque patet ex eo, quod negat poteſtatem baptiſmi ſecundo modo acceptam, ſcilicet per cooperationem, vt dicit modum efficientis gratiam non poſſe communicari; ſed ſolum per modum diſponentis; cuius ratio eſt, quia producere gratiam ſolius eſt Dei, conſequenter, & eiuſdem eſt rem ex nihilo producere, ad quod nulla virtus finita pertingit, etiam ſubordinata.

Verùm adhuc non acquieſces, quia inquies, fundamentum aſſertionis eſt dubium, nititur enim in eo, quod virtus infinita in creatis eſt impoſſibilis, quod patroni poſſibilitatis infiniti negant. Deinde, quia etiam hoc dato adhuc non ſequitur impoſſibilem eſſe virtutem creatiuam finitam ſubordinatam infinitæ in ſenſu ſecundæ Aſſertionis; denique non apparet. cur diſtantia illa infinita ſi datur inter ens, & nihil indigeat agente infinitæ virtutis, vt tollatur; ſiquidem ſatis eſt vt producatur aliquod ens particulare ad tollendam negationem entis, ſeu nihilum.

Ad primum reſpondeo, fundamentum negandi infinitum in creatis eſſe validum, vt conſtat ex rationibus Sācti Bonauenturæ, quas prima parte Diſputationis diſcuſſimus; & infinitā virtutem creatiuam eſſe impoſſibilem adhuc efficacius probatur ex eo, quod deberet eſſe omnipotens, vt infra demonſtrabo. Sunt præterea aliæ rationes allatæ valde efficaces, & vix, & non demonſtratiuæ; ſed vrget maximè auctoritas Sanctorum Patrum negantium abſolutè omnem virtutem creandi creaturæ, vt probent contra Arianos Filium eſſe Deum, quia creator eſt; quod ſi communicabilis eſt virtus creatiua ſubordinata creatori, dixiſſent hanc Filio communicatam, & per ipſam ſimul cum Patre creare, nec tamen Deum propriè vocandum, quia dependenter à Patre creabat, & cum ſubordinatione ad diuinam omnipotentiam.

Ex quo patet ad alias dūas inſtantias, ſed pro maiori explicatione ſecundæ ſoluendæ ſunt rationes pro ſecunda Aſſertione, pro tertia confirmanda eſt probatio S. Bonauent. quod inter ens, & nihil ſit infinita diſtantia. Igitur

Ad primum repugntntia etſi non demonſtretur, efficaciter tamen ſuadetur, quod ſatis eſt. XXXIV.

Ad ſecundum. In data hypotheſi non eſſet creatio ex parte creaturæ, quia ſupponitur ſubiectum, vel virtus diuina illud ſupplens.

Ad tertium. Diſparitas aliarum cauſarum, quæ iunctæ ſubiecto agunt aliquod, quod ſeparatæ non poſſunt

& virtutem creatiuam eſt, quia natura illarum eſt talis, vt exigant coniunctionem ad producendos effectus, propter quos ſunt inſtitutæ à creatore; virtutis autem creatiuæ nulla eſt exigentia, ſed impoſſibilitas.

Ad quartum. Nullum agens creatum eſt, quod non exigat ſubiectum, in quod, vel in quo agat, ſiue de illo educat formam, ſiue in illo producat; neq; vllius virtus ita poteſt augeri præſuppoſito, vt ex nihilo, & nullo præſuppoſito ſubiecto producat aliquid, neq; contrariũ probant exẽpla adducta de intellectu, ac volũtate, reſpectu actuũ ſupernaturalium; de Sole quomodocumque producat lumen; de Angelis ſi quid præter motum localem efficere poſſunt in corporibus; hæc enim omnia agentia ſupponunt ſubiecta, vnde non dicuntur creare, neque ex nihilo producere; ſed agere per actionem receptam in ſubiecto. Ex quo patet.

Omne agẽs creatũ agit ſubiecto.

Ad quintum. Omnia enim illa agẽtia ſupponunt ſubiectum, ſine quo nihil agere poſſunt. Virtus autem creatiua nullum ſubiectum depoſcit. De generatione æterna alia ratio eſt, quia procedit Filius à Patre per identitatem ſine vlla mutatione.

Ad ſextum tranſeat antecedens, de quo agam ſuo loco, interim eſt contra S. Bonauent. & negatur ſequela, quia Sacramenta ſi phyſicè cauſant gratiam, non habent inſitam virtutẽ, ſed eleuantur à Deo, & agunt vt inſtrumenta in ſubiecto, ſiue deinde nobilior ſit virtus conuerſiua, ſiue creatiua; quod parui refert ad præſentem quæſtionem.

Ad ſeptimum. Iam oſtenſum eſt, quomodo diſtantia ſit infinita, ſed etiamſi non eſſet, aliæ rationes probãt impoſſibilitatem talis virtutis creatæ. Ex quo patet ad alteram partem eius argumenti; ſi enim repugnet talis virtus; nõ poteſt cũ principaliore agere.

Ad octauum, negatur paritas; materia enim eſt pura potẽtia, & nullius virtutis actiuæ; potentia autẽ creandi inuoluit virtutem infinitam, quæ repugnat creaturæ; ideo illa de facto datur, hæc neque de poſſibili ob rationes allatas.

CONFIRMATVR,

Et explicatur magis dictum S. Bonauenturæ.

Inter Ens, & Nihil eſt infinita diſtantia.

CAP. VI.

I. *Diſtantia inter ens, & nihil dicit negationem omnis conuenientiæ, & proportionis.*

II. *In quo ſenſu accipiatur ens vt eſt terminus creationis ad quem, & opponitur Nihilo termino à quo.*

III. *Varia deducta Corollaria ex terminorum iſtorum explicatione.*

IV. *Ad creandum requiritur omnipotentia.*

V. *Hæc autem nulli creaturæ eſt communicabilis.*

CERTVM eſt, diſtantiam hanc non eſſe localem, qualis eſſet in quantitate, ſi daretur infinita categorematicè: Neq; eſſe temporaneam, qualis eſſet inter creata ab æterno, & producta in tempore, quæ infinita duratione ſepararetur ab illa, quia vtraque hæc diſtantia eſſet inter res poſitiuas actu exiſtentes, quale non eſt Nihil in ſententia aſſerente poſſibilitatem creaturæ æternæ. Eſt igitur talis diſtantia non aliud, quàm differentia, ac diſſimilitudo, ſeu improportio talis, quæ nunquam ad ſimilitudinem, vel conuenientiam in ſe, vel in aliquo tertio reduci poteſt; ita vt dicatur Nihil ſimile eſt, vel conuenit in hoc cum Ente, aut vice verſa; quæ eſt diſtantia quædam Metaphyſica, pro quo. XXXV.

Aduerte primo, quod conuenientia aliquorum in vno tertio eſt cauſa ſimilitudinis inter ipſa, aut etiã identitatis, quæ habet ſecum negationem diſtantiæ, ſeu diſcrepantiæ. Conuenientia autem ex S. Bonauent. in 3. diſt. 14. a. 1. q. 3. in reſol. Vel eſt commenſurationis, ſiue adæquationis, qualis eſſe poteſt inter entia finita, puta, quantitatis cum quantitate, non inter finitum, & infinitum. Vel eſt conuenientia participationis ob ratio- S. Bonau.

Digitized by Google

tionem videlicet aliquam pluribus communem, vt eſt animalitas reſpectu Leonis, & Equi. Vel conuenientia ordinis, quo modo omnis creatura ordinatur ad Deum, vt ad principiũ, & finem; nulla autem talis conueniẽtia eſt inter Ens, & Nihil, & ideo dicuntur diſtare infinitè. pro quo

Infinitas diſtantiæ poſitiua, & negatiua.

Aduerte ſecundò, infinitatem diſtantiæ duplicem vniuerſaliter eſſe, alteram poſitiuam, alteram negatiuã; illa eſt inter terminos poſitiuos, qui inter ſe comparati ſecundùm ſuas entitates reales ita ſe excedunt, & exceduntur, vt nunquam poſſint æquari, vel proportionari, vt patet in Deo reſpectu Angeli, & creaturæ cuiuslibet, quæ ad ipſum comparata infinities tẽper ſuperatur in gradibus perfectionis, atque adeo dicitur diſtantia eſſe infinita inter Deum, & creaturã, quantumuis perfectam; in quo inuoluitur quidem defectus perfectionis creaturæ; quæ perfectio excedit in Deo; ſed hic eſt quid conſequens ad entitatem creatam, quæ terminus eſt poſitiuus, ſicut eſt terminus oppoſitus perfectionis diuinæ excedentis; & ideo diſtantia dicitur poſitiua, hoc eſt, inter terminos poſitiuos, quorum alter habet infinitos gradus perfectionis, quorum nullum attingere creatura poteſt. Diſtantia verò negatiua eſt inter terminos negatiuos, qualis eſt inter lucem, & tenebras, ex.gr. qui termini ſi ſint particulares, non plus diſtant, quàm perfectio poſitiui ab imperfectione negatiui; ac proinde finitè; non modo quia habent cõmune ſubiectum, puta aerem; ſed etiã quia ad poſitionem vnius, & ablationem alterius ſufficit virtus agentis finiti. Non item ſi termini ſint vniuerſaliſſimi, & nihil habentes commune neque ſubiectum, neque prædicatum aliquod, in quo conueniant, qualia ſunt Ens, & Nihil, quæ neque inter ſe conuenientiam vllam habere poſſunt, cum opponuntur contradictoriè; neque in aliquo tertio, quod non eſt aſſignabile: illud enim vel eſſet prædicatum aliquod ſuperius, & hoc non, quia Enti, & Nihilo nihil eſt cõmune ſuperius, cum Ens ſit ſupremũ prædicabile: Vel eſset ſubiectum aliquod, qualis eſt materia reſpectu formarum; & neque hoc dici poteſt, quia Nihili non eſt ſubiectum; ſiquidem quod non eſt, neque inhærere, neque informare, poteſt id, quod eſt; quæ autem neque in ſeipſis conuenientiã vllam habent; neque in aliquo tertio illam habere ſunt apta, penitus diſcrepantia ſunt, & inter ſe diſtantia, & non finitè, ergo infinitè; nam ſi finitè diſtarent, per poſitionem finiti tolleretur diſtantia, atqui Nihil, quod diſtare dicitur, ab ente tolli non poteſt, niſi per poſitionem omnis entis poſſibilis, ita vt verum ſit dicere Nihil ſublatum eſt, quia omne ens productum eſt; at impoſſibile eſt omne ens eſſe productum, quia quolibet in quocũq; numero poſito, adhuc plura Deus producere poteſt; productione autem entis cuiuslibet tollitur quidem negatio eius, vt ens particulare eſt; at non entis vt ens in generali, quale opponitur Nihilo in generali; quemadmodum productione Leonis, exempl. gr. tollitur quidem negatio Leonis, vt tale animal eſt; ſed non negatio animalis, vt quid commune eſt Leoni, homini, &c. quæ vt tolleretur deberet produci, vel produci poſſe omne animal poſſibile, quod repugnat, quia quolibet producto reſtant alia producibilia, tam ſpectata Dei omnipotentia, quàm natura animantium ſibi ſimile generare valentium: cum quo tamen ſtat, vt ſatis ſit ad infinitatem virtutis productiuæ, vt extendat ſe ad omne animal poſſibile. Conſtat igitur inter animal, & non animal diſtantiam eſſe infinitam, ac proinde inſuperabilem à virtute finita, & multò magis id verificari de Ente, & Nihilo.

Quæ neque in ſe, neq; in tertio conueniunt penitus diſcrepantia ſunt.

Dices primò, hinc non probari intentum, quia ad hoc vt dicatur creatũ poſſe creare, non requiritur, vt extendat ſe virtus eius ad omne creabile; ſed ſufficit quod tantùm ad aliquod, v.g. ad animal, ad plantam. Deinde S. Bonauenturam, & S. Thomam aſſerentes eſſe diſtantiam infinitam inſuperabilem à virtute finita inter Ens, & Nihil, non loqui de Ente, & Nihilo vniuerſaliſſimè ſumptis, quo modo ſunt termini ſupremi non habentes quicquam ſuperius prædicatum commune; ſed de tali ente, & negatione eius, quæ vt tollatur requiritur virtus XXXVI.

infi-

infinita; alioqui ſequeretur, quod creatio Cœli, ex.gr. non eſſet creatio, quia per eam non tollitur negatio omnis entis, ſed tantum Cœli; & de facto productio animæ rationalis non eſſet creatio, quia per eam non tollitur omne Nihil: & augetur inde difficultas, quia hæc habet ſubiectum commune, quod informat, cum priuatione præcedente informationem; id autem ſufficere diximus ad hoc, vt non ſit diſtantia infinita inter tale ens, & non ens; ac proinde quod ſuperari per virtutem finitam poſſit, quod eſt contra rationem creationis illam depoſcentis. Tertiò obſtat, quod dictũ eſt de ente metaphyſicè ſumpto, quo ſenſu accipitur, quãdo aſſeritur, quod eſt à non ente ad ens non vniuerſaliſſimè acceptum in ſenſu logico, ſed preſſius, vt dicit totum eſſe rei productæ, quo modo non eſt terminus excludens omne non ens; ſed ſolùm tale non ens, vt dicit negationem termini producendi totaliter accepti. Quartò hæc diſtantia videtur fictitia, quia de nihilo potius verificatur, quod non diſtet, ſicut & negantur omnia prædicata affirmatiua de ipſo, puta quod non ſit, quantum, quale, &c. igitur & quod infinitè diſtet ab ente.

Ad primam inſtantiam reſpondeo ex dictis iuxta doctrinam S. Bonauenturæ virtutem creatiuam extendere ſe ad omne creabile; & ideo incommunicabilem creaturæ. Ratio ſuperius eſt allata.

Ens vniuerſaliſſimè ſũptum dupliciter conſideratur.

Ad ſecundam item patet ex dictis, nam ens vniuerſaliſſimè ſumptum, vel conſideratur logicè; & ita non accipitur à Sancto Bonauentura; quia eſt prædicatum per abſtractionem intellectus prædicabile de omni ente; vel metaphyſicè, vt dicit prædicatum vniuerſale complectens omnia alia prædicata concurrentia ad perfectionem rei, tam metaphyſica, quàm phyſica; ac proinde materiam, ac formã in compoſitis ex ipſis, & vniuerſim totum eſſe, & perfectionem rei; ſub qua conſideratione eſt terminus creationis, & requirit virtutem infinitam ad hoc, vt producatur, quia nulla finita eſt, quæ ſe extendat ad eſſe ſub tali conſideratione, quia vt ſic commune eſt omni enti creabili, cũ quodlibet habeat ſuum eſſe, & perfectionẽ; & cum huic opponatur nihil, ſicut illud eſt terminus ad quem creationis; ita nihil eſt terminus à quo ſub eadem conſideratione, & oppoſitione ad eſſe, & conſequenter non vt tale nihil; ſed vt reſpondens ſuo termino, ſeu prædicato ſecundùm eſſe metaphyſicum: attingibile à virtute proportionata, ideſt quæ ſit potens dare totum eſſe, & proinde à nullo ſubiecto pendeat in agendo, qualis ſola eſt creatoris infiniti.

Ex quo patet primò, diſtantiam inter nihil terminum à quo creationis, & eſſe, qui eſt terminus ad quem eiuſdem, eſſe infinitam, & maiorem quodammodo, quàm ſit inter Creatorem, & creaturas, quia nunquam adæquari poteſt, aut tolli per quamlibet multiplicationem entis, neque reduci ad aliquod prædicatum commune, in quo conuenientia aliqua inueniatur, & auferatur improportio omnimoda inter ipſa; conſequenter maior illa eſſe non poteſt, quod inuoluit infinitatem, non ſecus quàm in quantitate, ſi daretur vna, qua nulla dari poſſet maior. XXXVII.

Secundò, virtutem creatiuam talẽ eſſe debere, vt attingat terminum ad quem, reſpondentem termino à quo, ideſt nihilo, non vt talis entis eſt negatio, ſed vt eſt negatio entis ſubſtantis prædicato vniuerſali metaphyſico, quod explicatur per eſſe rei perfectũ in ſuo genere.

Tertiò conſequenter virtutẽ creatiuam eſſe infinitã, quia reſpicit quicquid ſubſtat illi prædicato complectẽti totum eſſe rei, proinde materiam, formam, accidentia, &c.

Quartò. Fundamentum aſſertionis non eſſe ſolum, quia in creatis implicat infinitum, iuxta S. Bonauenturæ placitum; ſed quia neceſſaria eſſet ad creandum talis infinitas virtutis, quæ exæquaretur omnipotentiæ, quam eſſe incommunicabilem creaturæ in confeſſo apud Theologos eſt; patet, quia eſſe, qui eſt terminus creationis dicitur de omni creabili, ad quod ſola Dei omnipotentia ſe extendit.

Omnipotentia eſt incõmunicabilis creaturæ.

Quintò. Quod ſi daretur aliquid commune enti, & nihilo in ſenſu prædicto, illa ratio ſuperior maneret in termi-

Digitized by Google

termino creationis, ſicut quia animalitas eſt quid commune homini, & leoni, manet in vtroque, & prædicatur de ambobus; quis autem dicat in ente, quod ex nihilo creatum eſt manere rationem communem nihili, & prædicari de illo? Hoc enim æquè repugnat, ac ſi diceretur irrationalitas prædicaretur de rationali, quia ratio nihili inuoluit priuationē entis, quod ſi nulla eſt ratio communis enti, & nihilo, tanta eſt diſtantia inter illa, quanta inter nulla prorſus entia reperiri poteſt, neque cogitari, quod totum intendit S.Bonauent. in.1. diſt. 43.a.1.q.1.ad argum. vbi infinitam diſtantiam entis, & nihili non ponit in eo, quod contradictoriè opponuntur; ſed in eo, quod nihil habent commune, in quo conueniant. Et in 4. diſt. 10.p.2.a 1.q.1.in oppon.aſſumit, quod vbicumque eſt finita diſtantia inter extrema, aliquid manet commune inter illa.

Sextò, patet reſponſio ad quartam inſtantiam, quia quando dicitur, quod nihil infinitè diſtat ab ente, non eſt fictio intellectus, ſed veritas realis diſtantiæ negatiuæ, ſeu improportionis, aut negationis proportionis cum ente, quæ nullo intellectu cogitante eſt à parte rei, eo modo, quo ſunt negationes; ac proinde ita verificatur de nihilo, quod non ſit proportionatum enti, ſicut quod non ſit quantum, nec quale, quæ ficttia non ſunt.

XXXVIII. Summa igitur probationis, quod ſit incõmunicabilis creaturæ virtus creatiua, hoc enthimemate reſtringi poteſt: Inter eſſe, quod eſt terminus ad quem creationis, & nihil quod eſt terminus à quo, eſt diſtantia infinita, ergo à nulla creatura ſuperari poteſt. Antecedens probatur, quia nulla eſſe poteſt conuenientia inter illos terminos, vel in ſe ipſis, cum vnum inuoluat negationem alterius; neque in aliquo tertio, quod ſit commune ſubiectum, quia nihili non datur ſubiectum; neque prædicatum ſuperius aſſignari poteſt, quia ratio nihili maneret in ente, quod manifeſtè implicat; igitur inter illa eſt improportio, qua maior eſſe non poteſt, ergo infinita. Conſequentia probatur, non ſolùm, quia ad ſuperandam diſtantiam

Summa probationis.

infinitam requiritur virtus proportionata, ac proinde infinita; ſed ob id maximè, quod in propoſito infinitas hæc deberet eſſe omnipotentiæ, quæ eſt incommunicabilis creaturæ. Probatur, quia deberet ſe extendere ad omne creabile; nã terminus creationis non eſt hoc ens, vt eſt tale in particulari; ſed vt dicit prædicatum, quod complectitur totum eſſe; ſiue ſit ſimplex ſubſtantia; ſiue compoſita, proinde etiam materiam, formam accidentia in compoſitis ex illis; quod ſi totum eſſe vt prædicatum prædictũ, eſt terminus ad quem creationis, vt diſtinctæ à qualibet productione, virtus creatiua extẽdit ſe ad omne illud, cui conuenit illud prædicatum; illud autem conuenit omni creabili, quia nullum creabile eſt, quod non habeat totum eſſe ſibi debitum, virtus autem extendens ſe ad omne creabile eſt omnipotentia Dei propria Itaque eò tandem reduceretur quæſtio, an communicabilis ſit omnipotentia, quæ diuerſa eſt à prꝗſenti de communicatione virtutis creatiuæ, & iam pro certa apud Theologos, quod ſit Dei propria, & incommunicabilis. Cuius rationem reddit S.Bonauent.in 1.diſt 42 dub.6.text. quia dicit potentiam infinitam, quæ in nulla poteſt eſſe creatura, nec in ipſo quidem Chriſto, vt docet in 3.diſt.14.a.1. q. vlt. & Suarez tom.1.in 3. par. diſp.31. ſect.1. multis probans.

Ratio S. Bonau. cur omnipotentia non ſit communicabilis creaturæ.

Quæ probatio S.Bonauenturæ ſupponit infiniti impoſſibilitatem ſuperius oſtenſam: Cæterum etiam independenter ab illa, videtur in terminis bene intellectis implicare hæc communicatio; quia creatura eſſentialiter pendet à Deo in eſſe, & operari; ita vt implicet eſſe à ſeipſa abſque tali dependentia, quia ſolus Deus eſt à ſe, & independens, ergo in hoc non eſt potens, vt careat hac ſubiectione, proinde nec eſſet omnipotens, quia omnipotentia in ſuo conceptu abſoluit ab omni dependentia ſuperioris agentis, niſi abuti velis vocabulis aſſerendo alterius ſpeciei fore omnipotentiam cõmunicatam, & digredi à quæſtione de diuina omnipotentia: vide S.Tho.2.2. q.178.a.1. 1.3.p.q.13.a.1.& alibi.

EXPLICATVR

Vltima difficultas de diſtãtia inter Ens, & Nihil contra fundamentum S. Bonauenturæ, & probationem eius.

CAP. VII.

I. Non poteſt dari aliquid commune Enti, & Nihilo.
II. Terminus à quo creationis eſt intrinſecè, non Ens, & terminus ad quem intrinſecè eſt Ens.
III. Diſcrimen inter priuationem formæ in materia, & generatione, ac inter Nihil terminum à quo creationis.
IV. Nihil dicitur terminus à quo creationis per ſimilitudinem ad priuationem formæ in materia.
V. Solutio argumentorum ad maiorẽ adhuc declarationem rationis S. Bonauent. negantis creaturã poſſe creare.

XXXIX. VT probaret inter ens, & nihil eſſe infinitam diſtantiã, ac proinde ad eam ſuperãdam requiri virtutem infinitam, quæ in creatis impoſſibilis eſt, aſſumebat vt medium certum, ac notum, quod nullum datur medium, in quo conueniant ens, & nihil; ex quo aſſumpto oſtẽdimus quomodo ſequatur illatio infinitæ diſtantiæ, ſimulque argumenta contra illationem diſſoluimus, & antecedentis veritatem declarauimus; Vnum remanet explicãdum, quod faceſſere difficultatem aliquam poteſt: Nam enti poſitiuo, & non enti poſitiuo videtur dari conuenientia in aliquo communi, v. gr. priuationi, & formæ datur ratio communis principij analoga inuoluens differentias in confuſo; & ideo imperfectè abſtrahens, quæ ratio vt deſcendit ad formam poſitiua eſt; vt ad priuationẽ negatiua eſt, & nihil, quia non forma vt ſic non eſt quid poſitiuum, neque ens: Ita igitur in propoſito nihilo, ſeu non enti, & enti poſitiuo dari poſſet aliqua ratio communis analoga, in qua conueniant, & ea poſita non eſſet inter illa infinita diſtantia, v.g. dici poſſet, quod conueniunt in eſſe termini, quia nihil eſt terminus à quo; eſſe autẽ eſt terminus ad quem creationis, licet in ea inuoluantur differentiæ, quæ ſunt à quo, & ad quem: Neque obſtat, quod dicebamus rationem illam prædicari de inferioribus, ſicut animalitas de homine, & leone, & inde ſequi, quod illa inferiora eſsẽt entia, & non entia; nam commune eſt analogis non prædicari de inferioribus ſecundum rationem adæquatam, quam ſignificant, quia hæc inuoluit differentias oppoſitas, ad quas deſcẽdit in propoſitionibus, præcisè vna ab alia, prout limitatur à ſubiecto prędicatum ad ſupponendum pro hac, vel illa, vt cum dicitur ſubſtantia eſt ens, ratio entis ſecundum ſe inuoluẽs inferiora, à quibus imperfectè abſtrahit, non prædicatur adæquatè, vt inuoluit illa; ſed vt contrahitur à ſubiecto ad ſignificandam ſubſtantiam, ſecus quàm eueniat in vniuocis perfectè abſtrahentibus, quorum ratio cõmunis adæquatè ſecundum totum ſignificatum prædicatur de inferioribus, vt patet in exemplo animalis, cuius adæquata ratio prædicatur de homine, & leone. Idem ergo diceretur de ratione communi enti, & nihilo, quod applicata inferioribus non includeret eſſe, & non eſſe, ſed alterutrum iuxta exigentiam ſubiecti, de quo prędicaretur.

Ratio cõmunis principij conueniens enti poſitiuo, & negatiuo.

Ad primam partem difficultatis reſpondeo, iuxta doctrinam peripateticam in Scholis receptam, ens eſſe vniuerſaliſſimum prædicatum, quo nullum datur ſuperius, & ſi tale proferatur, eſſe fictitium, & chimęricum, idque tam de ente logicè ſumpto, quàm de metaphyſico in ſenſu explicato verum eſt: quod enim comminiſcuntur aliqui dari adhuc conceptum communem vtrique enti logico videlicet, & metaphyſico; illumque eſſe poſitum in hoc, quod eſt eſſe extra nihil, non obſtat, quia niſi fiat luſus verborum, *eſſe* extra nihil eſt eſſe ens, quod enim non eſt nihil, ſeu quod idem eſt, eſſe extra nihil, eſt concludi inter limites entis, ſeu eſſe ens, vel aliquid; igitur non datur quid ſuperius ente. Deinde ſi datur, vel illa ratio eſt ens, atque ita non eſt quid ſuperius ente; vel nõ eſt

Nihil datur cõmune enti, & non enti.

eſt ens, atque ita eſt nihil, ergo non eſt ſuperior nihilo, quod intrinſecè inuoluit: & idem valet ſi dicatur eſſe quid analogum inuoluens vtrumque in confuſo. Cum autem ens, & non ens contradictoriè opponantur vnũ intrinſecè deſtruit alterum; ex quo rurſus ſequitur, quod illa ratio inuoluens ens, & non ens deſtrueret ſeipſã. Ex quo patet.

Ad illud de termino, nam eſſe terminum à quo dicit negationem, vel eſſe totius vt in creatione, vel formę in generatione; quæ vtraque negatio non abſtrahit à non ente, quia intrinſecè eſt non ens: Item eſſe terminum ad quem, eſt quid intrinſecè, ac eſſentialiter inuoluens rationem entis, ergo non eſt quid ſuperius ente: Igitur nulla dari poteſt ratio ſuperior ente, & nihilo, ſeu non enti vtrique communis.

Ad illud de ratione principij, quæ communis eſt priuationi, & formæ reſpondeo diſparitatem eſſe inter tale non ens, ſeu priuationem formæ in ſubiecto, quæ eſt terminus à quo in generatione; & negationem entis vt dicit totum, & perfectum eſſe producendum ex nihilo; nam illa verè principiat mutationem ſuo modo, vt docent Philoſophi 1. Phyſ. & ideo datur fundamentum abſtrahendi vnam rationem principij communem materiæ, formæ, & priuationi: At vero in creatione nihil eſt reperire in nihilo, quod concurrat ad illam, quia tota quanta eſt à Deo eſt, nec præter illius efficientiam aliquid datur in creatura, quod concurrat ad creandum, atq; adeo illud nihil quod eſt terminus à quo creationis non poteſt dici principium vllo modo ipſius; ſicut eſt priuatio formæ in generatione, cuius cõceptus inuoluit materiam vt ſubiectum, formam ad quam producendã ſubiectiuè concurrit, proinde etiam aptitudinem ad illam recipiendam, ſupponenter eius carentiam, quæ tria concurrunt ad conſtituendam mutationem; cũ ex alia parte creatio, quę eſt ex nihilo, non habeat aliquid intrinſecum concurrens ad ſui conſtitutionem; ſed totum eſſe ſortiatur extrinſecè à Deo, vt à cauſa efficiente. Conſequenter terminus à quo, ſeu

Creatio tota a Deo eſt, nec habet aliud principium ſui cõſtitutiuũ.

nihil, dicitur ſolum per ſimilitudinẽ in creatione, quia ſicut non eſſe formæ eſt propriè terminus à quo reſpectu materiæ illam recipere aptæ, & illa carentis; ad hoc vt fiat generatio; ita non eſſe ſupponitur rei creandæ, ſed non principiat creationem, ob dictam rationem. Hinc eſt, quod Sanctus Thom. in 4. ſent. diſt. 5. art. 3. q. 1. verſus fin. ad 5. Non ens purũ, inquit, non eſt terminus creationis, ſed per accidens ſe habet ad ipſam; dicitur enim aliquid fieri ex non ente, ideſt poſt non ens.

Obijcies, ad hominem contra nos videtur eſſe, quia ſi inter ens, & nihil eſt diſtantia infinita, ergo datur vnum infinitum maius altero, quia inter Deum, & non Deum maior eſt diſtantia, quàm inter creaturas quaslibet: & ſicut Deus eſt primum ens, ita prima diſtantia eſt inter Deum, & non Deum; aliæ vero diſtantiæ ſunt illa poſteriores.

Confirmatur, quia maior eſt diſtantia inter ens negatiuum, & poſitiuum, quàm inter duo entia poſitiua; ſed ex dictis inter Deum, & creaturam eſt diſtantia infinita, ergo inter Deum, & non Deum eſt maior.

Huius argumenti occaſione adhuc magis patebit explicatio rationis S. Bonauenturæ præcedentibus capitibus adducta ex peculiari ſenſu non ab alijs tacto, qui eandem rationem in S. Thoma ſæpe probatam dederãt, & à varijs oppugnationibus Scoti, Durandi, & aliorum tutantur, quæ contra S. Bonauenturam vim non habent, iuxta noſtram declarationem.

Reſpondeo igitur ad argum. diſtãtiam dupliciter ſumi, primo materialiter pro re poſitiua, quæ diſtare dicitur, ſeu diſſimilis eſſe. Secundò formaliter, vt dicit negationem conuenientiæ extremorum inter ſe, vel in aliquo medio iuxta ſuperius dicta: in hoc ſecundo ſenſu non eſt infinita, niſi impropriè, & ſyncategorematicè, & poteſt eſſe maior in aliquibus; quàm in alijs, quia nihil reale eſt in ſe, ſed mera relatio rationis, quam format intellectus comparando terminos, qui poſſunt eſſe poſitiui, vt inter Deum, & creaturas, quæ diſtant ab ipſo ſecundum gradus, & multitudinem infi-

infinitam: vel poteſt eſſe vnus poſitiuus, & alter negatiuus, vt inter Deũ, & non Deum; & inuenitur diſtantia infinita, quia negatio Dei eſt in omnibus poſſibilibus creaturis in infinitum, de quacumque re negatur, quod ſit Deus, & de quocumque ente negatur, quod ſit nihil, & ideo eſt diſtantia pariter negatiua, hoc eſt conſiſtens in negatione prædicta entis cuiuslibet de nihilo. Quod ſi comparetur Deus cum negatione Dei præcisè, & formaliter accipiendo negationem, nulla eſt propriè diſtantia, quia Deus non Deus, chimæra eſt, atque adeo neque finita, neq; infinita.

Et quoad hoc eadem eſt ratio termini poſitiui, & negatiui in creaturis, v.g. anima non anima, chimæra eſt accepta formaliter negatione, & comparata ad poſitiuum; quod ſi negatio cõparetur ad terminos poſitiuos, qui non ſunt anima, diſtantia infinita eſt impropriè, & relatio rationis, quæ multiplicari poteſt in infinitum, quia de quolibet alio ente verum eſt dicere, non eſt anima, v.gr. lapis non eſt anima, terra non eſt anima, & ſic de cæteris: In creatione vero negatio animæ non accipitur in hac latitudine, & comparatione; ſed limitatè, vt dicit hunc defectum, qui eſt non eſſe animam; ſicut in generatione ex non equo fit equus, vt negatio dicit priuationem formæ equi in materia; ſiue talis compoſiti, quod reſultat ex vnione formæ equi cum materia, licet in creatione talis terminus à quo inuoluat etiam rationem non entis genericam, ſicut ſpecies inuoluunt genera.

Diſcrimen eſt nihilominus inter negationem, quæ eſt terminus à quo in creatione, & quæ in generatione; quia compoſitum in generatione non fit ſecundum totum eſſe reale, quod inuoluit; ſupponitur enim materia cum accidentibus: & ideo non dicitur fieri ex nihilo ſui: at in creatione nihil ſupponitur præuium rei creandæ, ſed tota res creata accipit eſſe ex vi creationis, & ideo nõ ens dicitur terminus à quo, vt illi reſpondet terminus talis ad quem includens totum, & perfectum eſſe rei creatæ, quatenus producibile per actionem, cui nihil ſupponitur eorum, quæ accipiunt nouum eſſe; hæc antem actio eſt, quę dicitur creatio, & terminatur ad obiectum vt creabile; quæ ratio creabilis attingi non poteſt, niſi à virtute infinita, & increata, eo quod nulla creata verſari poteſt circa creabile vt ſic, quia verſari etiam poſſet circa ſeipsã producẽdo ſe per creationem, & omne creabile, vt vis perfectum, quod eſt omnipotentiæ proprium; & ita patet quomodo requiratur virtus infinita ad creandum, ſeu ex tranſitu à non eſſe totali ad eſſe totale, & quare dicatur diſtantia infinita inter nõ ens in hoc ſenſu, & ens illi reſpondens; contra quam reſponſionem non vrgent argumenta impugnantia diſtantiam infinitam inter ens, & non ens, dato quod valerent de diſtantia limitata ad tale ens, & negationem eius præcisè, ac limitatè; quo modo contradictoriè quidem opponuntur; ſed non infinitè, quia non plus diſtat ab extremo negatio eius, quam extremũ poſitiuum ponat, atque ita nullum eſt medium, quod diſtantiam pariat, cum ſint immediata, & diſtantia nihil aliud ſit in propoſito, quam exceſſus vnius ſupra alterum immediatè, ſiquidem inter contradictoria non datur medium ex 1. Poſtex. Sed quia terminus à quo negatiuus, puta non anima, includit negationem genericã non entis in creatione, quæ eſt productio ex nihilo; ideo diſtantia eſt infinita inter iſtos terminos à quo, & ad quem ſuperabilis ſolum à virtute infinita, eo quod Nihil infinitè diſtet a quolibet ente, quia quodcumq; aſſignetur ens, ſemper eſt perfectius in infinitum nihilo: ſed hæc diſtantia eſt ſimilitudinaria à rebus poſitiuis ſumpta, & fingitur ab intellectu concipiente ad modum relationis diſſimilitudinem quamdam ad modum poſitiuorum, quæ inter ſe ſimilia, vel diſſimilia ſunt; in qua relatione fundamẽtum eſt ens reale poſitiuũ, licet non ſit realis relatio, quæ ad nihilũ non eſt.

Ex quibus patet in forma ad argumentum, negatur enim, quod inter Deum, & non Deum ſit infinita diſtãtia, & maior qualibet creata, quia Deus non Deus non diſtantiam, ſed implicationem inuoluit; atque adeo

ex

Digitized by Google

ex hoc capite nõ eſt vlla infinitas omnium maxima: acceptus autem Deus comparatiuè ad omnia, quæ non ſunt Deus, diſtat infinitè ab illis, tum poſitiuè, hoc eſt vt ens infinitum poſitiuè perfectum, & prorſus inadæquabile; tum negatiuè, quatenus nullum aliud ens quantumuis perfectum eſt Deus; ſed hæc negatio formaliter acceptã non eſt magis infinita, quàm negationes creaturarum, quarum quælibet non eſt alia, neque eſt Deus, quæ eſt infinitas ſyncategorematica, inuoluẽs in ſuo conceptu potentialitatem; verum S. Bonauent. non loquitur de hac diſtantia, quando requirit virtutẽ infinitam ad creandum, ſed de illa, quæ inuoluit contradictionem inter extrema, & negationem conuenientię in aliquo medio, qualis eſt inter ens, & non ens vt extrema, quorum vnum dicit totalem perfectionem ſolum per creationem attingibilem: alterum eiuſdem negationem in eodem quidẽ ſenſu limitato: ſed inuoluente illimitatum non ens tanquam genus, vt explicatum eſt.

Ex quo patet ad confirmationem; negatur enim maiorem eſſe diſtantiã inter ens poſitiuum, & ens negatiuũ, quã inter duo poſitiua, ſeu inter hoc ens, & negationem eius, quàm inter Deum, & creaturas, quia hoc ens, id eſt terminus totalis, propriè diſtat, & infinitè à Deo, vt ſunt duo poſitiua; à ſui autem negatione diſtat impropriè, & finitè, niſi quatenus vt terminus à quo creationis inuoluens nihil, ſeu nõ ens infinitè diſtans ab omni ente.

Secundo, obijcies contra reſponſionem hanc, & contra fundamentum eius, quia aliquorum entium ſimplex eſt natura, & non perfecta ab aliquo diſtincto à ſe, v. g. materia non eſt cõpoſitum, neque poſtulat ſubiectum à quo fiat, ſeu educatur igitur in huiuſmodi entibus non valet ratio allata, quod terminus creationis ad quem ſit eſſe, vt dicit totum, ac perfectum eſſe, ex quo infertur neceſſitas infinitæ virtutis, vt producatur.

Reſpondeo, non ſolum compoſita, ſed etiam ſimplicia attingi poſſe per creationem, neque ex eo inferri, vt ex argumento neceſſario requiri infinitã virtutem in creationem; ſed ex eo, quod terminus creationis eſt tale ens ex nihilo ſui, ſiue ſimplex ſit, ſiue compoſitum, ad differentiam agentiũ naturalium, quæ requirunt ſubiectum in quod, vel circa operentur: ad productionem autem totius termini ex nihilo requiri infinitam virtutem ſupra probauimus.

AN REPVGNET

Creaturæ aſſumi à Deo vt inſtrumentum creationis.

CAP. VIII.

I. Inſtrumentum variè accipitur.
II. Diuerſæ ſententiæ.
III. Non repugnat aſsumi creaturam à Deo vt inſtrumentũ creationis.
IV Quælibet creatura aſsumi poteſt à Deo pro inſtrumento creationis.
V. Quid ageret inſtrumentum in creatione.

XL. INſtrumentum in propoſito tripliciter accipi poteſt, primo pro naturali, quod habet intrinſecam, & proximam virtutem agendi aliquid intentum à cauſa principali, vt ſunt ſemina, quæ generanti inſeruiunt ad productionem viuentis, & in ſupernaturalibus lumen gloriæ, quo Deus vtitur vt medio ad cauſandam viſionem beatam. Secundò accipitur pro inſtrumento obedientiali, qualem eſſe oſtendimus primo Tomo omnem creaturam, quæ ratione pleniſſimæ ſubiectionis ad creatorem, poteſt ab illo aſſumi, & eleuari ad producendos effectus tam naturales, quã ſupernaturales excedentes naturalem virtutem ipſius, ita vt phyſicè illos attingãt, vt de Sacramentis diximus quę iuxta multos gratiam vt Dei inſtrumẽta efficiunt. Tertiò pro inſtrumento morali, quale eſt, quod ex ordinatione aliqua inſtituentis dicitur habere vim ad aliquem effectum, ad quem nullam habet illa præciſa, qualia ſunt diplomata, & ſigna aliqua à Rege poſita ad pecuniam, aut beneficium obtinendum; quales etiam ſunt preces ad aliquid impetrandum: tribus hiſce modis acceptum ab inſtrumento

Triplex acceptio inſtrumenti.

artis, quo artifex vtitur ad opus ſuũ, v.g. ſerra ad ſcindẽdum. Hoc tertium non repugnat eſſe inſtrumẽtum creationis, quæ enim eſt repugnantia, quod Deus decernat preces exaudire alicuius creationem poſtulantis, aut ad poſitionem rei alicuius velle aliam creare? Primum verò eſſe impoſſibile præcedenti capite oſtẽſum eſt; quęſtio igitur remanet de ſecundo, de quo.

Prima Sent. negat. Prima ſententia negat aſſumi poſſe à Deo ad creandum, citat multos, & ſequitur Magiſter Gaſtaldus, & P. Faſol. 1. p. q. 45. a. 5. dub. 4. Heruæum in 4. diſt. 5. Marſil. plures Thomiſtas, imò & ipſum S. Thomam, Vazq. 1. p. diſp. 172. c. 2. Valent. 1. p. q. 45. p. 4. Molin. ibid. diſp. 2. & alios.

Secunda affirmat. Magiſt. ſent. S. Thom. Suarius. Secunda Sententia affirmat. Magiſtri in 4. diſtinct. 5. cuius ſunt verba: *Poſset Deus per aliquem creare aliqua, non per eum tamquam auctorem, ſed miniſtrum, cum quo, & in quo operaretur: ſicut in bonis operibus noſtris ipſe operatur, & nos, &c.* Probat S. Thom. in 2. diſt. 1. q. 1. a. 3. opinionem Magiſtri, & in 4. diſt. 5. q. 1. a. 3. quæſtiunc. 3. problematicè defendit, quicquid alibi contrarium opinetur. Suar. in Metaphyſ. diſp. 20. ſect. 3. hanc fusè explicat & tuetur; & latiùs tom. 1. in 3. p. diſp. 32. ſect. 3.

Prima Aſsertio.

XLI. POteſt aſſumi creatura à Deo vt inſtrumentum phyſicũ ad creãdum: dixeram hoc expreſsè tom. 1. diſp. 2. q. 5. c. 6. & ex dictis ea diſputatione petenda explicatio aſſertionis. eſſe conformem doctrinæ S. Bonauẽt. S. Bonau. inde manifeſtum eſt, quod cum ſimili modo loquatur de iuſtificatione, & creatione locis ſuperiori cap. citatis: quando deinde quærit in 4. diſt. 1. a. 1. q. 4. An Sacramenta efficiant gratiam problematice defendit opinionem affirmantem, quod phyſicè concurrant ad illã, & ad alios effectus ſpirituales producendos; propter validas rationes id probantes; & licèt præferat opinionem aſſerentem, quod ſolùm moraliter concurrant de facto, tamen hoc non obſtat aſſertioni, quæ eſt de poſſibili, quod Sanctus affirmat. Quod autem reiecerit opinionem Magiſtri, vt ſupra vidimus non diſſentit à ſeipſo; nam Magiſter loquebatur de virtute creandi tamquam de inſtrumento naturali, cui illa naturaliter competeret, quod impoſſibile eſſe oſtendimus cum eodem S. Bonau. Et Magiſtrum quidem locutum eſſe de inſtrumento obedientiali plures Theologi exiſtimant; ſed ſi ita eſt, loquitur de obedientiali habente virtutem intrinſecam creandi naturali licèt agẽte auxilio principalis ad creandum, vt patet exemplo cooperationis noſtræ ad bona opera, ad quæ concurrunt potentię vitales per innatam virtutem, eleuatam tamen gratiæ auxilio, & de ſe impotentem; vnde & obedientiale quidem inſtrumentum dicũtur; ſed naturale, hoc eſt naturaliter præditum viribus operandi vitaliter, licèt non meritoriè ſine gratia, neq; efficienter producendo gratiam.

Et S. Thomas in 2. diſt. 1. q. 1. a. 2. de Platone, & Auicenna facta mentione, S. Thom. ſubdit: *Et hoc modo Philoſophi poſuerunt intelligentias creare, &c.* idque ad declarandam opinionem Magiſtri, quã ibi probat. Certum eſt autem, quod Philoſophi non loquebantur de inſtrumento morali, neque de obedientiali eleuato per auxilium ſupernaturale; ſed de intelligentijs, quas putabãt habere virtutem creatiuam; vt explicat S. Bonauent. in 2 diſt. 1. a. 2. q. 2. S. Bonau. *Suppoſita, inquit, materiali principio plures fuerunt Philoſophi, qui poſuerunt ordinem in producendo gradatim diſcendendo hoc modo. Cum ſit Deus omnino ſimplex, cuius actus eſt intelligere non produxit, niſi intelligentiam primam, & vnicam: illa verò propter diſtantiam à primo, intellexit ſe primum, & ita aliquo modo fuit compoſita, & ita produxit orbem ſuum, & intelligentiam ſecundi orbis; & ſic deinceps vſque ad orbem Lunæ, &c.* Quem errorem ibi confutat, atq; capi non poſſe ait quomodo agens potentiæ finitæ aliquid ex nihilo producat. Ex quibus manifeſtum eſt, quod Magiſter ſecundùm explicationem SS. Bonauenturæ, ac Thomæ loquebatur de inſtrumento naturali habente intrinſecam virtutẽ, cui ex parte aſſimilabatur virtus creatiua intelligentiarum falsò à Philoſophis

Digitized by Google

phis aſſerta; ac proinde nullam contrarietatem eſſe in dictis S. Bonauent. tenentis probabiliter Sacramenta poſſe inſtrumēta eſſe effectuum ſpiritualium, & ſupernaturalium, & non poſſe dari inſtrumentum creationis, videlicet naturale in ſenſu explicato.

XLII. Libentius etiam S. Thomę conſtantiam in hoc agnoſceremus, quam retractationem, diceremque illum non aliter quæſtionem hanc expediuiſſe, quam S. Bonauentura quæſtionem de concurſu Sacramentorum, nimirùm ob rationes vtrinque vrgētes problematicam fecit; ita tamen, vt propendere ſe in eam ſētentiam profiteatur, quæ moralē ſolùm concurſum admittit; hoc modo S. Thomas opinionem Magiſtri ſupra relatam problematicè defendit in 4 citato; ita tamen vt alijs locis, v.g. de Pot. q.3. a.4. & 2. cont. gē. c.21. neget poſſe dari inſtrumentum creationis. Sed Capreolus in 2. diſt. 1. q.3. a.1. concl.1. mauult fateri eum retractaſſe dicta in Sententijs, quā problematicè diſputaſſe; *Quia magis*, inquit, *digeſtè, & ponderatè locutus eſt in ſumma, quam vltimo fecit, quàm in ſcriptis primò confectis*: quod idem ſentit Caiet. 1. p. q. cit.

Capr. ait S. Thom. retractaſſe in Sūma.

Summa ſcripta à S. Thoma poſt ſententias.

Rationes ad probandam aſſertionē ſunt. Primò, in ſententia probabili, Humanitas Chriſti Domini fuit inſtrumentum diuinitatis in miraculis patrandis, ergo potuit eſſe in creandis de nouo rebus, quas Deus voluiſſet. Antecedens latè probatur à Suar. t.1. in 3. p. cit. diſp.31. ſect.3. & Gaſtald. idem probat ex Sanctis Gregorio, & Thoma diſt.2. de Poteſtate Angelica. q.1. & videtur conformius modo loquendi Scripturæ, & SS. Patrū Luc.6. *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*, & c.8. *Ego ſenſi virtutem de me exiſſe*. Vnde & tangebat, ac tangebatur ab infirmis, vt ſanarentur: aut quid ſimile faciebat, ex quo phyſicè ipſum concurrere arguere poſſumus. Et in eodem ſenſu loquuntur SS. Patres ab eo citati, præſertim Euthym. cap.19. in Luc. c.7. quemadmodum, inquit, ferrum, quod in igne aliquo tempore permanſit, habet ignis operationes, ita quoque ſancta ipſius caro diuinitati vnita, quæ diuinitatis ſunt operabatur. hic enim apertè indicatur operatio phyſica, non principalis, quæ erat diuinitatis ipſius, ſed inſtrumentaria conueniens humanitati ratione vnionis ad Verbum, & abſolutè poſſibilis abſque vnione, vt in ſanctis hominibus: & fundamentum, ex quo ſumitur,

Euthym.

Ratio eſt, quia cum Deus ex vna parte ſit infinitæ virtutis; & ex alia habeat perfectum dominium omniū creaturarum, poteſt illis vti ad effectus, qui ſuperant ipſarum vires, & proinde etiam ad creationem.

XLIII. Quæ conſequentia probatur, quia non minus proprium Dei eſt miraculaſacere, quam creare; & ex parte obiecti non minus ſupra naturam eſt miraculum, & modus operandi illud, quàm ſit res creata, & modus producendi illam, ergo ſi poteſt creatura eſſe inſtrumentum vnius, poterit & alterius. Antecedens probatur, quia conuertere panem in Corpus Chriſti, & vinum in Sanguinem non ſolum ratione termini, ſed & modi virtutis diuinæ eſt; nam ſicut hic attenditur potiſſimum ex eo quod creationem præcedat nihil, ita in conuerſione, ex eo quod ſubſtantia panis tranſeat in ſubſtantiam Corporis Chriſti, quod non eſt minus mirabile, & Dei proprium: & idem eſt de mortui ſuſcitatione, & ſimilibus immutationibus ſupra naturam, ad quas concurrit humanitas, quia conducebant ad finem Incarnationis, concurſura ſi Deus voluiſſet ad alias non conducentes tanquam inſtrumentum eius abſque periculo cōmunicationis eorum, quæ Dei propria ſunt, qui ſolus eſſe poteſt cauſa principalis, & indepēdens creationis.

Secundò, probatur, quia non ſolùm humanitas Chriſti Domini, ſed etiam Sacramenta ab eo inſtituta concurrūt inſtrumentaliter phyſica efficientia ad producendam gratiam in opinione probabili, quam ex Patribus multis docet Suar. t.3. in 3 p. diſ.9. ſect.2. ergo etiam poſſunt eſſe inſtrumenta creationis. Probatur ſequela, quia, ſiue gratia de facto creari dicenda ſit in anima, vt S. Bonau in 2. diſt. 26. a.1. q.2. & 4. cum pluribus antiquorum, ſiue non creari dicatur, vt videtur eidem Suario l.8. de grat. c.2. Valent. Vazq. & alijs multis, quos citat, & ſequitur

P.Ri-

Digitized by Google

P. Ripalt. de ente ſupern. diſp. 7. ſect. 1. tenentes educi de potentia obedientiali animæ, certum eſt à Deo poſſe produci extra animam, & ſuſtentari, cur ergo vti poſſit Sacramentis, quando producitur in anima; & non poſſit quando extra animam? Dicere enim, quod quando producunt in anima habent præuiam actionem in ſubiecto, quã habere nequeunt quando producitur extra, non ſatisfacit, quia actio materialis ſacramentalis, v. g. ablutio, vnctio, verborum prolatio non recipiuntur in anima, in qua fit gratia, & ex natura ſua non ſunt productiua gratiæ, neque diſponunt ad illam, niſi eleuentur, igitur non egent anima vt ſubiecto, in quod præuium quid agant, & conſequenter poterunt agere inſtrumentaliter attingendo gratiam extra ſubiectum quodcunque, præſertim in ſententia Sanct. Bonauent. docentis gratiam poſſe produci ſine diſpoſitione recipientis, vt ſupra vidimus.

Ignis inferni torquet ſpiritus phyſice. Tertiò. Ignis Inferni torquet ſpiritus, vt inſtrumentum Dei, & in ſententia probabili habet actionem phyſicam, ſiue producendo qualitatem doloriferam, ſiue alligando illos ſibi; de quo S. Bonauent. in 4. diſt. 44. in fine, ergo poteſt etiam inſtrumentaliter concurrere ad creationem. Patet ſequela, quia non minus ſupra vires eius naturales eſt torquere ſpiritus, quàm creare; ſi ergo inſeruire poteſt Creatori vt inſtrumentum primi, poterit etiam vt inſtrumentum ſecundi. Neque enim obſtat diſparitas, quod in vno habeat ſubiectum, in altero careat, quia ſpectando naturam, & vires eius naturales, tam non poteſt agere in ſubſtantiam ſpiritualem, quã creare ex nihilo; cum ergo eleuetur ad illud, poterit etiam ad hoc alterũ.

Quartò. Ratio vniuerſalis ex eo peti poteſt, quod cum res ſint creabiles ex ſuppoſitione, quod non implicent, & proinde ſint obiectum diuinę omnipotentiæ, non eſt ratio cur ea limitetur ad creandum per ſeipſam ſolam, & non poſſit, aut neſciat, ſi velit, inſtrumento vti: Quis enim arbitretur characteres, exempli gratia, creari quidem poſſe à Deo ſolo, ſed adhibere non poſſe ad creationem ipſorũ formatiuam calamo, quo vteretur homo illos formando? aut vti penicillo non poſſe in pictura ex nihilo facienda, quo vteretur in tabella exprimendo?

Quintò, ſi quid obſtaret maximè præuia actio, quæ non eſt poſſibilis, vbi non eſt ſubiectum, ſed hæc non eſt vniuerſaliter neceſſaria, vt conſtat ex inſtrumentis immediatè attingentibus effectum; vel ſi eſſet in reliquis, non tamen in creatione, vbi non eſt neceſſaria diſpoſitio, cum Deus per ſuam potentiam ſuppleat cauſalitatẽ ſubiecti, & proinde etiam diſpoſitionum, quæ ſunt quid minus principale, quàm ſubiectum; igitur ex hoc capite, quod eſt Achilles contrariæ ſententiæ, nihil obſtat.

Secunda Aſſertio.

Non ſolùm creaturæ, quæ habent vim productiuã alicuius effectus conuenientis ſecundum aliquam rationem communem cum effectu creationis naturali, vel ſupernaturali; aut ex virtute naturali attingentes aliquam rationem in effectu v. g. vitalitatem in actu fidei, caritatis, viſionis, &c. ſed abſolutè omnes etiam hac vi carentes aſſumi à Deo poſſunt vt inſtrumentum creationis. eſt Suar. t. 1. cit. in 3. p. diſp. 31. paſſim, admittẽtis in qualibet creatura virtutem obedientialem actiuam, ratione cuius eleuari poteſt à Deo ad effectus quoſlibet, & conſequenter ad creationẽ. & XLIV. Suar.

Probatur primò ex dictis, ſi enim aſſumitur aqua ad productionem gratiæ, & vnctio, & locutio ad eumdem, poſſet etiam aſſumi ignis, & aer, & cæ quia hæc naturalia non habent maiorem proportionem, vel virtutem producendi ſupernaturalia vnum, quàm alterum; & ſicut inſeruiunt creatori ad producendam gratiam in anima, ita inſeruire poſſent extra animam. Et eadem ratio eſt de qualibet naturali qualitate, quam producere poſſunt, vel qua ſunt affecta, v. g. de frigore, aut humiditate aquæ; nam etiam calida inſeruiret baptiſmo, quia tota virtus pendet ex inſtitutione, quæ nõ eſt alligata vlli qualitati, aut naturali virtuti: & idem eſt de prolatione ver-

Digitized by Google

verborum reſpectu conuerſionis panis, & remiſſionis peccatorum, &c. fundamentum eſt, quia vnaquęq; creatura habet determinatos limites operandi tales effectus, & non alios; & cũ illis habet proportionem, & commenſurationem, cum cæteris extra ſuam ſphæram non habet, & ideo vel ad omnes eleuari poteſt, vel ad nullum, quia tota ratio huius eleuationis eſt potentia eleuantis, & omnimoda ſubiectio rei, quæ eleuatur; non autem aptitudo, vel commenſuratio ad effectum virtute principalis agentis productum, quæ nulla eſt in natura; vel ſi eſt aliqua reſpectu effectuũ aliquorum, in quibus ratio aliqua reſpondet potentiæ naturali, v. g. vitalitas viſionis beatæ, potenriæ intellectiuæ, à qua ſolùm produci poteſt, hoc non eſt vniuerſale, neque per ſe requiſitum in creatura vt eleuetur, & iccircò creatura quælibet eleuari poteſt ad effectus ſupra ſuas vires inſtrumentaliter attingendos, ac proinde ad creãdum.

Dices, ergo formica poſſet concurrere ad creandum Angelum, & Angelus ad creandam formicam, quæ videntur abſurda, quia neque creatura materialis habere poteſt actionẽ ſpiritualem, neque ſpiritualis materialẽ reſpondentes terminis ſpirituali, & materiali, & idem eſt de ſupernaturali puta de gratia, quæ aſſumi poſſet vt inſtrumentum caloris, & vice verſa calor vt inſtrumentum gratiæ.

XLV. Reſpondeo hæc non eſſe abſurda; nam de facto Sacramenta, quæ ſunt res materiales concurrunt vt inſtrumenta gratiæ; cur ergo non poſſet gratia concurrere vt inſtrumentum ipſorum Sacramentorum? aut quod inconueniens, ſi Deus potens de ſe, ſine inſtrumento creare Angelum, velit vti inſtrumento materiali, ſi eo vtitur ad gratiam, quæ ratione ſupernaturalitatis ſuperat nobilitate quodlibet ens naturale?

Quæres quid facit inſtrumentum, ſi tota virtus eſt agentis principalis? Reſpondeo per illud modificari actionẽ agentis principalis in hoc ſenſu, quod quando illo vtitur diuerſa debet eſſe actio ab ea, quæ daret eſſe effectui ſine inſtrumento; hoc etenim verè concurrit ad effectum principalem, & illum attingit licèt non virtute propria; & ideo cum ſit vna, & eadem actio ipſius, quæ & agentis principalis, oportet eſſe diuerſam ab illa, qua ſine inſtrumento produceretur effectus. Alioqui non apparet quomodo reſpiciat inſtrumentum, vt id, à quo pendet, ſi actio eſt eadem ſiue concurrat, ſiue non concurrat; aut quam relationem habere incipiat, vel amittat ad cauſam inſtrumentalem, ſi nulla eſt variatio, neque in termino, neque in actione productiua. At verò ſi dicatur variari actio quoties inſtrumentum concurrit, ſatis liquet effectum eundem numero, qui poterat non habere reſpectum ad inſtrumentum, à quo fit, ſi productus eſſet à ſola cauſa principali, illum acquirere, ſi producatur ab inſtrumentali ſimul cum principali, concurſu diuerſo, quia verè pendet ab illa, & non penderet; ſi non eſſet diuerſa actio ab illa, per quam non pendebat, ſuppoſito quod à ſola principali produceretur.

Inſtrumento modificatur actio principalis agẽtis.

Quomodo verò fiat eleuatio dictũ eſt tom. 1. in tractatu vniuerſali de potentia obedientiali, & ab ijs, quæ ibi explicata ſunt pendet ſolutio argumentorum, quæ tamen hic breuiter expeditur.

SOLVTIO

Argumentorum.

CAP. IX.

I. Non eſt de ratione inſtrumenti vniuerſim actio praua.
II. Quomodo inſtrumentum determinet actionem principalis agẽtis.
III. Nihil poteſt eſſe inſtrumentum ad ſe producendum.
IV. Datur mutuus reſpectus inter inſtrumentum, & effectum à ſe productum.
V. Vna, & eadem actio eſt inſtrumenti, & principalis agentis.
VI. Creatio diſtinguitur à termino, & ſimul eſt cum illo.
VII. Inſtrumentum eſt agens motum; conſtitutum in actu primo potens per diuinum decretum.
VIII Non poteſt communicari omnipoten-

potentia creaturæ ad creandum inſtrumentaliter.

XLVI. OBIICIES. Primò ad rationem inſtrumenti requiritur, quod præuia aliqua operatione propria diſpoſitiuè concurrat ad actionem principalis agentis, ſed nulla creatura hoc poteſt, ergo. Probatur maior primo exemplo ſerræ, & aliorum inſtrumentorum artis, & naturæ; nam figuram, & opus principalis præcedit ſciſſio, formam ignis præcedit calefactio, &c. Deinde, quia ſi nihil præuium operetur, fruſtra aſſumitur; nihil enim confert ad actionem principalis agentis. Adde quod ad diuerſos effectus diuerſa conducũt inſtrumenta; poſſet autem indifferenter quodlibet aſſumi, niſi propria virtute diſpoſitiuè concurreret ad actionem principalis agentis, quia propter hoc dicitur vnum magis conferre, quã aliud, & non ob aliam cauſam: & ne dicas hæc eſſe vera loquendo de potẽtia ordinaria, & naturali, non de abſoluta, contra eſt argumentnm, quod mox ſubijciam.

Non omne inſtrumentũ habet actionem præuiã. Reſpondeo, non omne inſtrumentum habere actionem præuiam, qua diſponat ad effectum principalis agẽtis, vt patet in phantaſmate, quod inſeruit intellectui ad ſpeciem eliciendam, & in Sacramentis, quæ immediatè producunt gratiam; ſingulariter etiam in Euchariſtia, vbi conficitur immediatè Corpus Chriſti ſine media diſpoſitione per actionem præuiam. Neq; tamen fruſtra aſſumuntur, quia verè agunt, & modificant actionem agentis principalis: vt dictum eſt.

Obijcies ſecundò, quia hoc eſt eſſentiale inſtrumento vt ſic, deferre virtutem principalis agentis, eamque applicare ad effectum, alioqui eſſet fruſtra, hoc autem ſupponit, & fit per aliquam præuiam actionem propriam. Deinde inſtrumentũ determinat quaſi materialiter actionẽ principalis agentis, v.g. calamus determinat motum manus ad formandos characteres; & ſecuris determinat ſciſſionem ad formam arcæ, inducendam: At nulla creatura determinare poteſt actionẽ Dei ad producẽdum ens vt ens, quod eſt terminus creationis; quia ex eo, quod eſt creatura iam eſt determinata ad tale ens, ergo non poteſt inſeruire determinando ad productionem entis, vt ens eſt.

Reſpondeo eſſentiale eſſe inſtrumẽto non deferre virtutem principalis agentis, ſed illi inſeruire producendo effectum cum illo per vnam, & eandẽ actionem. Ad alteram partem inſtrumentum dicitur determinare actionẽ agentis principalis, quia alia eſt actio eo concurrente, quàm eſſet ſi eo non vteretur, vt dictum eſt.

Obijcies tertiò, ſequeretur quod creatura poſſet eſſe inſtrumentũ producendi ens vt ens, & proinde etiam producendi ſeipſam, cum ſit ens; & conſequenter omne creabile, quod eſt ſpecies entis contra dicta ſuperius de impoſſibilitate creaturæ habentis virtutem creandi.

Reſpondeo, nego ſequelam, quia inſtrumentũ ſupponitur vt quid prius actioni, & effectui principalis agẽtis, qui eſt poſterior; ideo non poteſt producere ſeipſum, quia eſſet prius, & poſterius ſeipſo, quod implicat; ideo diximus ſupra non poſſe creaturam habere pro obiecto ſuæ virtutis effectiuæ crabile vt ſic, quia ſeipſam creare nõ poteſt, quæ creabilis tamen eſt. LXVII.

Obijcies quartò; ſi inſtrumentum concurrit ad creandum, ergo conſurget mutua relatio inter ipſum, & effectum; ſed hæc non poteſt dari; ergo neque illud concurrere. Probatur maior, quia inter cauſam etiam inſtrumentalem, & effectum eſt mutuus ordo, cum illa verè, & realiter efficiat, & hic efficiatur. Minor item probatur, quia vel hæc relatio eſt naturalis effectui ex eo, quod ſimpliciter eſt productus; vel præterea neceſſaria eſt aliqua mutatio; neutrum dici poteſt, ergo probatur minor, creet Deus gratiam, & paulò poſt ad eius conſeruationem aſſumat aquam; inter gratiã, & aquam conſurgeret nouus reſpectus, ſi aſſumi poteſt, quia vna conſeruat, altera conſeruatur; at hic reſpectus non poteſt competere ipſis ex natura ipſorum, quia naturaliter nec iſta apta eſt conſeruare, nec illa conſeruari; ſed tantùm ex voluntate Dei hoc fit; alioqui ſi ab intrinſeco haberent

Digitized by Google

rent referri, non magis vnam aquam reſpiceret res conſeruata, quàm aliã, cum ſint eiuſdem naturæ, & ſpeciei; & non ſit facta vlla mutatio in aqua conſeruante; licet enim impreſſa eſſet in ea virtus aliqua permanens, aut tranſiens; tamen hæc indigeret rurſus eleuatione ad creandum, quia ex ſe nõ eſſet virtus principalis; & proinde nec ex ſua natura effectum reſpiceret, nec præſtaret aquæ habitudinem ad eundem.

XLVIII. Sed neq; mutatio fit in gratia, quia cum inſtrumentum propria virtute non conſeruet, aut influat, nihil de nouo per hanc cõſeruationem acquirit, tota enim virtus agentis eſt principalis; & hæc pergit influere. Vel ſi dixeris effectum natura ſua referri ad inſtrumentum, ſignum eſt aliquam in eo eſſe virtutem illum producendi, quod negas. Oportet igitur inſtrumentum habere aliquam præuiam operationem ad effectum principalis agentis ex propria virtute, ratione cuius conſurgat mutuus reſpectus inter vtrumque, alioqui non eſſet ratio, cur non poſſet aſſumi creatura quælibet vt inſtrumentum creationis, quia præciſa neceſſitate præuiæ operationis indifferẽter quodlibet aſſumi poſſet vt inſtrumentum effectus cuiuſlibet; ita Vazq. 1. p. diſ. 176. c. 3. hinc colligens humanitatem Chriſti Domini, & Sacramenta non habere potentiam obedientialem ad gratiam phyſice producendam; & vniuerſaliter eandem denegat rei cuicumque ad effectus ſupernaturales; niſi habeat connaturalem quandam cum ipſis proportionem, qualis eſt in intellectu reſpectu viſionis beatificæ, quæ eſt actus vitalis, & ideo à potentia eleuata. Vazq.

Reſpondeo dari reſpectum inter effectum, & inſtrumentum vt cauſam eius: & hic reſpectus eſt naturalis effectui ex eo, quod eſt productus, nec requiritur ad hoc alia mutatio vel in inſtrumento, vel in effectu, ſiue de nouo producatur, ſiue incipiat conſeruari de nouo ſupernaturaliter; & hæc actio tam productiua, quàm conſeruatiua eſt ratio, cur effectus reſpiciat potius hoc inſtrumentum, v. gr. hanc aquam, & non aliam, quæ non concurrit ad ipſum, ad quod non eſt neceſſaria vlla præuia diſpoſitio; ſed ſatis eſt producere, & produci.

Obijcies quintò. Nullum inſtrumentum eſt eleuabile in actu primo, niſi habeat virtutem diſtinctam à virtute principalis agentis; ergo nullum eleuatur in actu ſecundo, niſi habeat aliquam propriam operationem. Probatur antecedens, quia ſi nihil omnino habet propriæ operationis, fruſtra aſſumitur, & perinde eſt, ac ſi non aſſumeretur, quia tota virtus, & influxus eſt de reliquo ab agente principali in effectum, & non apparet quid prẹſtet inſtrumentum nihil influens in illum. Conſequentia patet, quia eadem eſt ratio eleuabilitatis, & eleuationis; ideo enim debet eſſe eleuabile, quia requiritur vt eleuetur dum operatur. Hoc autem poſito ſequitur nõ dari inſtrumentum creationis; quia omnis actio creaturæ propria pendet à ſubiecto, vel ab aliquo poſitiuo, ex quo producatur effectus; hoc autem eſt contra rationem creationis.

Reſpondeo habere inſtrumentum virtutem diſtinctam à virtute principalis agentis; ſed hanc eſſe inſtrumentalem identificatam entitati eius. Nego tamen ſequelam, quia vna eſt actio inſtrumenti, & agentis principalis, per quam effectus ab vtroque pendet, vnde & per illam vtrumque dicitur influere: per ſe, & principaliter ab illo; ab hoc inſtrumentaliter, vt eleuatur; & ideo concurrens cum illo independenter à ſubiecto. Vna, & eadẽ eſt actio principalis agentis, & inſtrumenti

XLIX. Obijcies ſextò. Creatio non diſtinguitur à re creata, ergo non poteſt aſſumi creatura vt inſtrumentũ illius: Patet ſequela: nam ſi aſſumeretur, variaretur creatio, & ſic diſtingueretur à re creata, cum ſupponatur eadem res, quæ per inſtrumentum producitur poſſe per Deum ſine inſtrumento produci, & variari actionem ſi fiat per inſtrumentum, eſſeque diuerſam ab ea, quæ ſine inſtrumento eſt, poſita diſtinctione à termino. Antecedens probatur, tum quia non poteſt ſeparari à re creata, etiam de abſoluta potentia; tum quia eſſet via ad terminũ, & prior natura termino, & in illo priori non haberet ſubiectum, in quo ſuſtentaretur: ita Vazquez 1. par. diſputat. 173. c. 3.

Reſpondeo, nego antecedens cum S. Bonauentura ſupra citato, & Suar. ac alijs dicentibus creationem eſſe actionem diſtinctam à termino.

Ad probationem, non omnia inſeparabilia ſunt idẽ realiter, modi enim plures ſunt inſeparabiles à re modificata, & tamen diſtinguuntur.

Ad alteram partem nullum eſt inſtans, in quo ſit creatio, & non terminus, licet natura prius intelligatur eſſe creatio vt via ad terminum: illud autem ſatis eſt ad ſaluandum quomodo nunquam ſit ſine ſubiecto; in illo autem priori natura non eſt neceſſe concipi cũ ſubiecto, ſed ſufficit, quod abſtractiuè, ſeu præciſè ab illo concipiatur, præſertim cum à Deo pendeat non egente ſubiecto, etiamſi realiter duratione ſemper ſit cũ ſubiecto.

Creatio ſimul duratione eſt cũ termino.

Obijcies ſeptimò. Inſtrumentum aliquid efficit, quia concurrit in genere cauſæ efficientis, vel ergo præuium effectui, & hoc non, quia in creatione nullum præcedit ſubiectum, in quo recipiatur actio, vel diſpoſitio; vel efficit ſeu cauſat determinando actionem Dei, ſicut in artificiatis ſerra determinat motum ad ſciſſionem, & in naturalibus phantaſma dicitur à multis determinare actionem intellectus agentis ad talem ſpeciem producendam vt ſupra: & neque hoc dici poteſt, quia nulla creatura ex ſe habet proportionem cum actione Dei producentis ex nihilo, vt poſſit illam determinare; præterquam quod inſtrumentum reſpectu huius determinationis habet ſe, vt cauſa principalis, & inſtrumentum dicitur reſpectu effectus agentis principalis, quem attingit eius virtute: Vel tertiò dicitur cauſare, quia vna, & eadem actione cum principali agente immediatè attingit effectum; & tunc redit difficultas, quia videtur ſuperfluus hic concurſus, vel nullus, ſi tota virtus eſt agentis principalis, & totus influxus ipſius.

Reſpõdeo, quod determinat actionem Dei nihil præuium producendo, quæ determinatio non eſt aliud, niſi quod Deus vtens inſtrumento alia diuerſa actione producit, quàm produceret ſe ſolo effectum ſine inſtrumento, quomodo etiam in naturalibus concurſus vniuerſalis Dei dicitur determinari à cauſa ſecunda, ad cuius exigentiam concurrit, neque determinatio hæc cauſam principalem denotat, ſed ſecundariam, aut inſtrumentalem, de quo ſupra dictum eſt.

Obijcies octauò. Inſtrumentum eſt agens motum, ergo vbi non habet locum motus, & mutatio, inſtrumentũ non habet actionem, ergo nec in creatione, quia cum ſit ex nullo præſuppoſito, caret ſubiecto neceſſario ad motum.

Reſpondeo. Inſtrumentum dicitur agens motum largè accepta voce motus pro applicatione ad agendum, quę in creatione non requirit ſubiectum, ſed eſt ipſa productio termini ſine ſubiecto ex nihilo.

Inſtrumentum cur dicatur agens motum.

L.

Obijcies nonò. Omnis cauſa etiam inſtrumentalis, & omnis eius actio debet proportionari effectui, at hic ſi ſupernaturalis ſit non proportionatur cauſæ naturali, neque ſi ſpiritualis, materiali: ſi naturalis non proportionatur ſupernaturali. Idque magis valet in actione, quæ dicit eſſentialem habitudinem ad ſuum principium, ita vt hæc actio pendeat eſſentialiter ab hoc principio; ex quo ſequitur, quod debet illi proportionari, & eſſe ſupernaturalis, ſi illud ſit ſupernaturale, naturalis, ſi naturale; deinde quod per actionem naturalem non poſſit produci terminus ſupernaturalis, neque per ſupernaturalem naturalis, quia hæc proportionari debent: Conſequenter cum creatio ſit actio ſupernaturalis non poterit eſſe, niſi à principio ſupernaturali; atque adeo nulla creatura naturalis poterit ad illam concurrere effectiuè, etiã inſtrumentaliter: neque ſupernaturalis, qualis eſt gratia, poterit ad naturalem effectum concurrere, quia actio eius etiã inſtrumentalis, quatenus eſt ipſius, non eſt proportionata, niſi effectui, & cauſæ ſupernaturali: quo argumento probatur, quod non omnis creatura poteſt eſſe inſtrumentum creationis.

Reſpondeo non requiri aliam proportionem inter inſtrumentum, & effectum, niſi quod iſte ſit producibilis, illud ſit productiuũ, quæ proportio ſemper reperitur, quando Deus illud eleuat ad effectus etiam ſecundũ eſſe non proportionatos, per actionem

nem ſemper effectui proportionatam.

LI. Obijcies decimò. Quælibet cauſa actu operans prius ſaltem natura intelligitur apta in actu primo ad cauſandum ſiue inſtrumentalis, ſiue principalis illa ſit, ergo creatura actu creans prius natura intelligitur apta cauſare; ſed hoc eſt impoſſibile, nam vel eſt apta ex virtute aliqua natiua inchoata, ſecundùm quam apta eſt aſſumi, vt inſtrumentum à Deo per concurſum minimè debitum creaturæ concurrenti ad effectum vires naturæ ſuperantem; & hōc non, tum quia creatura ex ſe, & natura ſua non habet potentiam ſupernaturalẽ, qualis requiritur ad creandum; præſertim res ſupernaturales; tum quia tota virtus agendi in inſtrumento eſt principalis agentis, & ſic fruſtrà ponitur in illo virtus actua inchoata; tum quia ſi hęc virtus eſt natiua rebus omnibus, ergo erit marialis in rebus omnibus materialibus, atque ita improportionata effectibus ſpiritualibus, niſi per aliquid aliud eleuetur; tum quia vel concurrere poſſet hæc potentia inchoata ad omnes effectus producendos, atque ita eſſet infinitæ actiuitatis; vel ad aliquos determinatos, & vnde nam determinationem haberet, ne Deus illa vti poſſet indifferenter ad omnes? igitur non eſt potens inſtrumentum in actu primo per inchoatam natiuam potentiam. Sed neque.

Dici poteſt compleri per ſolam extrinſecam eleuationem conſiſtentem in eſſentiali ſubordinatione ad virtutem Dei agentis principalis, & imperium eius practicum, quod eſt efficacitatis infinitæ; tum quia per extrinſecam hanc aſſiſtentiam Dei, & ſubordinationem ad virtutem eius creatura non conſtituitur intrinſecè potens, cũ non mutetur; cauſa verò actu operãs, potens eſt intrinſecè, & apta operari; tum quia effectus nõ haberet dependentiam potius ab vna creatura, quã ab alia, nam omnes habent hanc ſubordinationem, neque tamen omnes producunt; quod ſi inſtrumentum nihil habet intrinſecè ratione, cuius dicatur influere, ſed tota actio eſt ab extrinſeco eleuante, nõ eſt cur potius vna dicatur inſtrumentum, quã alia, quandoquidem omnes ſunt potentes in actu primo ob ſubordinationem omnibus communem; & in actu ſecundo nulla influit, quia actio ſequitur virtutem, quæ tota eſt principalis agentis; vel certè aſſignari debet modus, quo vna potius quam altera dicatur influere, ſi omnes eodem modo ſe habent, & nulla ſit in ipſis mutatio, vt modò probabitur contra admittentes mutationem aliquã in inſtrumento, vt eleuetur, & fiat aptum concurrere cum Deo ad creandum.

Reſpondeo, in hoc argumento cõtineri plures difficultates, quæ longa egent explicatione, & repetitione eorum, quæ primo Tomo diſcuſſa ſunt, breuiter hic dico eſſe inchoatam potentiam in omni creatura inſeruiendi Deo pro inſtrumento ad omnes effectus, quos vult, & hanc non eſſe aliud, quàm ipſam entitatem creaturæ pleniſſimè ſubiectæ Deo; conſtitui verò in actu primo potentem per decretũ Dei applicantis ſuam omnipotentiã, qua dicitur eleuari, neque fruſtra adhiberi à Deo, aut nihil agere, quia eadem actione cum ipſo concurrit, & eſt determinatio formalis eius in ſenſu explicato. Neque eſt infinitæ virtutis, quia ſine cauſa principali, qui eſt Deus, nihil poteſt, cum ipſo poteſt inſtrumentum eſſe ad omnes effectus, quos ille vult. Neque ad hoc opus eſt mutatione intrinſeca creaturæ, vt de nõ potente fiat potens in actu primo; ſed ſufficit noua veritas obiectiua, quod Deus ſit vſurus creatura vt inſtrumento, quod latè primo Tomo explicatum eſt: ex quo patet reſponſio ad argumentum vndecimum. nam LII.

Obijcies vndecimò. Iſta mutatio fit per qualitatem tranſeuntẽ impreſſã neceſſariam cuilibet agenti etiam inſtrumentali ad hoc, vt actu operetur; vel per qualitatem permanentem neceſſariam ad hoc, vt vltimò conſtituatur potens operari; neutrum eſt probabile, ergo. Probatur minor quoad primam partem, nam agens naturale v.g. ignis; & idem eſt de cœteris, habet omnia requiſita ad hoc, vt in materia proxima, & diſpoſita poſſit agere, & poſito concurſu primæ cauſæ agat ſine alia impreſſa qualitate tranſeũte: ſi verò ſit agens inſtrumentale, ſatis

Accipite Patres religioſiſſimi Seraphici Fundatoris aſſeclæ, Seraphici Doctoris ſtudioſi, quos tertium (iam ſimilis obſequij exhibitione compello) accipite, inquam, grato animo tripartitum Opus, hoc eſt ſertum ex veſtris floribus contextum, quod aræ veſtræ gloriæ, & veſtri Diui appendere mihi voluptas, & decus eſt. Vos etenim, ſiue quos ſeuerioris obſeruātiæ diſciplina delectat; ſiue quibus mitioris arridet temperatio, ita ſubtilis Doctoris roſas odoras tractare honeſtum, frugiferumque ducitis; vt Seraphici pariter candida lilia innectere, ſtudiorum veſtrorum partem fœlicitatis arbitremini: vt proinde cadat accommodatè in veſtram prouidentiam ſacri Pſaltę, diuinam laudantis effatum.

Pſal. 147 *Qui dat niuem ſicut lanam; nebulam ſicut cinerem ſpargit:* Niui quippe S. Bonauenturæ doctrinam adſimilare fas eſt, quæ & ſuo cādore nitet, & velut lana fouendo calori pietatis inſeruit. Nec immeritò Scoti ſapientiam nebulæ in ſublime volanti comparaueris, non illi quidem ſubobſcuræ, & nigricanti, vt apud vulgaria, audit ingenia; ſed lucidæ, ac ſolaribus imbutæ radijs, quæ ſi benè oculatos inſpectores habeat, ſcita profunda detegit, & mentis excelſæ partus, quos ſoliditas auctoritate grauiore nixa roborat; ac excellentium diſcipulorum copia, hactenus in ſuo dominio, ſplendoreque tutatur. Vobis igitur duplici ornamēto decoratis haud ingratum fore opinor Librum nuſquam à Seraphica aberrantem ſemita, & Scoti, vbi ab illa non declinant, ſubinde ſequētem veſtigia. Quod ſi præterea ad Muſæa, & conclauia veſtra, hoc eſt ad ſanctitatis, & ſapientiæ domicilia, quem tentat aditum, aſſequatur, non eſt quod regiorū Mȩcænatum inuentoribus inuideat. Valete, & me veſtri ſtudioſiſſimū, precibus apud Deum iuuatote.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERVM ET VERBORVM.

In quo numerus primus paginam, ſecundus columnam indicat.

A

ACTVS animæ ſpecificantur ab obiectis formalibus, pagina 116.col.1
Nō eſt de ratione actus immanentis producere terminum à ſe diſtinctū, 159 2
Actus dicitur malus, quia repugnat rationi, 262 1
Ad bonitatem actus requiritur non ſolum bona intentio, ſed aliæ etiam circumſtātiæ, 266.1
Actus inordinatus gignit habitum malum ad ſimiles actus inclinantem, 247.1
Actus ſupernaturalis non poteſt eſſe vitioſus, 206 1
Duplex adiutorium Adæ collatum, ante lapſum, & poſt lapſum, 438. 1
Omne agens creatum exigit ſubiectum in quo, vel ex quo agat, 466. 1
Amor ſupponit cognitionem, 308.1
Si Deus ſubtraheret cōcurſum ad amorem in patria ſupernaturalem, poſſet voluntas amare naturaliter, 286.2
Amor Beati erga Deum idem manens poteſt ſucceſſiuè extēdere ſe ad plures creaturas, 351.1. & vltra
In anima rationali impreſſa imago Trinitatis, 186.2. 195.2
Aliqui Philoſophi agnita immortalitate animæ faſſi ſunt æternam beatitudinē, 6.1
Anima eſt quoddamodo omnia, 4.1
Anima eſt ordinata ad beatitudinem, 13.1
Anima naturaliter appetit beatitudinem, 3.1. & cur, 15 2
Eſt imago, & ſimilitudo Dei, 4.2
Anima vt eſt principium intelligendi non eſt principium volendi, 280.1
Anima ponens ſe ante ſe dat ſibi eſſe intentionale, 191.2
Animæ puerorum, an torqueantur in Limbo, 23.2
De Angelis multa falſa dixit Ariſt. 132.1
Angelus à creatura corporea repræſentari nequit vt in ſe eſt, 140.1
Angelus ſeipſo indiuiduus, & non per modum ſuperadditum, 121.1
In ſententia S. Bonauenturæ Angeli ſunt omnes eiuſdem ſpeciei, 125.1
Differunt ſecundum gradus excellentiæ indiuidualis, 124.1
Quo ſenſu dicantur à S. Bonauent. conſtare materia, & forma, 153 1
Habuerunt cognitionem de Dei eſſentia abſtractiuam naturaliter, 165.1
Habent ſpecies inditas ſtatui ipſorum conuenientes, 170.2
Angeli habent appetitum videndi Deum vt in ſe eſt, etiā præciſa reuelatione, 14 2
Angeli viatores an cognouerint actus ſupernaturales, 28.1
An creari poſſint qui ſupernaturalia quoad ſubſtantiam, & modum intuitiuè cognoſcant, 29.2
An cognoſcant cogitationes, & ſecreta cordium, 32.1
An circa naturalia poſſint errare, 59.2
Multitudo Angelorum eiuſdem ſpeciei nō repugnat etiam ſecundum Thomiſtas aliquot, 118.1
Appetitus triplex naturalis, ſenſibilis, rationalis, 306.1
Appetitus non poteſt expleri, niſi à ſummo bono, 6.1
Appeti poteſt naturaliter, quod obtineri non poteſt, niſi ſupernaturaliter, 18 19.2
Appetitus inefficax ex parte ſubiecti, & ex parte termini, 19. 2
Actus fidei poteſt eſſe naturalis circa obiectum ſupernaturale materialiter conſideratum, 287.1
Actus vitalis requirit potentiā vitalē, 72.1
Actus intellectus, & voluntatis dupliciter poteſt

Digitized by Google

poteſt eſſe reflexus, 393.1
Argumentum à diſtributiuo ad collectiuũ quando valeat, 541.2
Augmentum geometricum, & arithmeticum, 342.2

B

Baptiſmus poſſet ab Angelo miniſtrari, 116.2
Beatitudo non poteſt odio haberi, 23.1
S. Benedictus an clare viderit diuinam eſſẽtiam, 201.2
S. Bonauenturæ reuerentia erga doctrinam S. Auguſtini, 24.2
Idem bonũ materiale quomodo poſſit eſſe obiectum virtutis, & vitij, 305.2
Bonum mouet vt apprehenditur, 306.2
Bonum diuiditur in vtile, iucundum, honeſtum, 268.1
Bonum morale attenditur penes conformitatem ad naturam rationalem, ſeu ius naturæ, 272.2

C

Caro Chriſti vnita Verbo in triduo mortis, 75.1
Carentia formæ non tollitur, niſi per formam, 244.2
Duæ cauſæ licet non ſubordinatæ fieri poſſunt vnum principium actiuum, 69.1
Cogitatio propriè non eſt ſine diſcurſu, pagina 299.2
Cogitationes Beatorum non ſunt volubiles quomodo intelligatur, 298.2
Cognitio Dei formaliter directa, eſt virtualiter reflexa, 400.2
Cognitio confuſa ſufficit ad volitionem obiecti, 29.1
Cognitio obiecti quomodo ingrediatur rationem formalem obiecti voliti, 305.7.2 & vltra.
Cognitio apprehenſiua, & comprehenſiua, 141.2
Cognitio Dei quam habent Philoſophi imperfectior eſt cognitione contemplatiuorum, 299.1
Cognitio ſenſitiua eſt conditio neceſſaria ad intellectiuam in homine, 178.1
Cognoſci quomodo dicantur in Deo, quæ reuelantur, 361.1
Quid ſit cognoſcere habitu infinita, 344.2
Cognitio matutina, & veſpertina quid ſint in ſententia S. Bonau. 372.2
Minima cognitio intelligentiarum nobilior eſt magna cognitione corporũ, 339.2
Comprehenſio Dei eſt impoſſibilis creaturæ, 12.1
Confeſſio Chriſti facta à fideli differt à confeſſione infidelis, 288.1
Connexionis creaturarum cum Deo, & perſonarũ diuinarũ inter ſe diſcrimẽ, 380.1
Contritio, vel ſaltem attritiò eſt neceſſaria ad iuſtificationem, 249.2
Ratio cognoſcendi creaturas quomodo dicatur prima veritas, 361.2
Cognoſcere plura non eſt numerare, 525.1
Cognoſcibilis non eſt effectus in cauſa proxima indeterdinata, 433.1
Cognoſci poteſt effectus contingens in cauſa proxima moraliter determinata, pagina 434.1
Concurſus ſimultaneus differt à prædeterminatiuo, 450.2
Continentia creaturarum in verbo eſt ipſũ verbum, 367.1
Corpora poſſunt fieri inuiſibilia, 97.2
Nullum corpus aut ſpiritus habere connexionem cum ſpatio imaginario, 468.1
In quacumque productione creaturarum ſemper manet inadæquatio cum Deo, pag. 481.2
Creaturam non poſſe creare docent S. Patres, 459.2
Creaturas quibus modis in ſe Deus cognoſcit, 395.2. & vltra
Creatura reſpectu Dei eſt tenebræ, & nihil, 49.2
Creatura ex ſua natura impeccabilis non poteſt dari, 51.2. & vltra
Defenſio contrariæ à cenſura, 56.2
Creaturæ dependentia à Deo in eſſe, fieri, & conſeruari, 275.2
Tam creare, quam iuſtificare eſt virtutis infinitæ, 465.2
Ad creandum requiritur omnipotentia, quæ nulli creaturæ eſt communicabilis, pag. 468.2
Creatura vt perfectè cognoſcatur requiritur cognitio dependentiæ à Deo, 275.2
Creatura eſt peccabilis ob libertatem ad bonum, & malum, 52.2. & 54.2
Non ſolum compoſita, ſed etiam ſimplicia attingi poſſunt per creationem, 473.1
An inadæquatè, & dependenter à creatione Dei poſſit creaturæ communicari creaturæ virtus creandi proponitur vt problema, 460.1
Contradictio explicita, & implicita in terminis, 277.1
Culpam expellere, & gratiam infundere diſtinguuntur formaliter, 231.2

D

Deus eſt incomprehenſibilis, 377.2
Non poteſt demonſtrari à priori Deũ eſſe demonſtratione propriè dicta, 178.1
Deus eſt propoſitio per ſe nota viatori, pagina 176.1
Deus poteſt omnia, quæ non implicant, aut quæ eius bonitatem non dedeceãt, 28.1
Quædam Deus non poteſt, quia eſt omnipotens, 285.2
Deus dicitur Virtus virtutum, 79.1

Deus

Deus non poteſt videri oculis corporeis in ſua eſſentia, 88.& vltra
Quomodo dicatur viſus à Sanctis Patribus pag. 97.1
Deus poteſt communicare viatori notitiã intuitiuam, & claram ſui. 181.1
Deus eſt ſibi lex 220.2
Quicquid facit Deus, bonum eſt. 223.1
Deum non eſſe, & creaturam eſſe implicat in terminis 274.1
In quo ſenſu dicatur Deus facere contra, & ſupra naturam. 232.2
Deus naturæ viribus cognoſcibilis. 18.2
Deus vt auctor naturæ dirigit illam totam ad ſuum finem. 16.2
Deus in creatura viſus. 97.1
Dei decretum poteſt eſſe ratio cognoſcendi futura. 429.1
Quid videat Deus videns ſuum decretum. pag. 470.2
Deus in Sanctis oſtendit miſericordiam, in damnatis iuſtitiam. 2.2
Dei nullum attributum videri poteſt, niſi vt ſummè amabile. 217.1
Omnia Dei opera in numero, & menſura, fiũt expliplicatur. 446.1.& 464 & vltra
Ante decretum diuinum in primo ſigno res abſtrahit ab eſſe futuro, & non futuro. 423.2
In diuinis diſtinctio virtualis. 283.1
Deus vult quædam fieri neceſſariò quædã contingenter. 444.1
Deus operatur in nobis velle, & perficere, quomodo. 445.2
Deus permiſſiuè ſe habet ad peccatum. 453.1.& 455.1
Deus non determinat ad materiale peccati 450 vſque ad 458
Dei immutabilitate maior excogitari non poteſt. 365.2
Dei cognitio per ideas. 417.2
Dei cognitio continet omnem perfectionẽ & ideo virtualiter reflexa. 418.1
Deus poteſt omnia, quæ vero poſſe imperfectionis eſt, vt peccare, &c. non ſunt ab eo poſſibilia. 283.2
Decreti liberi in Deo quæſtio difficillima. pag. 401.1.2
Decretũ Dei realiter eſt idem, quod actus neceſſarius. 430.2
Nõ conſiſtit in aliqua perfectione, quæ potuerit eſſe, & nõ eſſe in ipſo Deo. 402.1.2
Explicatur per relationem rationis, ſed non conſiſtit in ea 404.1.2
Præter terminos connotationis, terminationis, habitudinis ad creaturas requiritur aliquid aliud ad explicandam hanc libertatem actus diuini. 406.2
Actus intellectionis, & volitionis propriè ſumpti ſunt in Deo identificati eſſentiæ realiter. 407.1.2
Diſparitas diuinæ ſcientiæ attingentis ſimul omne ſcibile, & diuinæ potentiæ non attingentis ſimul omne producibile, 539.1
Dominium poteſtatiuum diuinæ voluntatis. 412.1.& vltra

E

Effectus continetur in virtute cauſæ. pag. 47.1
Cognoſcitur effectus certò, ac infallibiliter in vocatione ſecundum propoſitũ. 441.2
Ens vt ens variè accipitur. 457.1
Ens ſpirituale non poteſt attingi à ſenſu. pag. 100.1
Diſtantia inter ens, & nihil eſt infinita, explicatur quomodo intelligendũ 455.1
Diſtantia inter ens, & nihil dicit negationẽ omnis conuenientiæ. 466.2
Eſſentia infinita poteſt repræſentari à ſpecie finita. 144.1
An eſſentia diuina vniatur per modum ſpeciei intellectui in patria. 68.2
An Euchariſtiæ myſterium ſit cognoſcibile ab Angelo naturæ viribus. 29.1.31.1
Exceſſus ordinis ſuperioris in obiecto poteſt adæquari per additionem virtutis in potentia. 5.2
Exemplar dicit rationem efficientis, & formalis cauſæ. 39.1
Enti, & non enti nulla datur ratio communis. 471.1

F

Fauor diuinus requiritur ad completã iuſtificationem. 219.2
Filiationis, & ſeruitutis varia acceptio 45.1
Felicitas non eſt ſine iucunditate. 84.2
Formæ oppoſitæ per diuinam potentiam ſimul in eodem ſubiecto eſſe poſſunt. pag. 227.1

G

Gradus metaphyſi vnde ſumantur. pagina 135.2
Gratia non eſt debita naturæ. pag. 38.1. 44.1.
Gratia latè accepta complectitur etiam naturæ dona. 57.1
Gratia connaturaliter affert ſecum remiſſionem culpæ. 225.2. & quomodo 227.1
De potentia abſoluta poteſt ſimul eſſe cũ peccato in eodem ſubiecto. 232.1
Gratia de potentia abſoluta poteſt eſſe ſine condonatione iniuriæ diuinæ. 230.1
Gratia poteſt infundi ſine diſpoſitione recipientis per diuinam potentiam. 249.2
Gratia dicitur vita animæ. 263.2
Gratia ſimul infunditur, & expellitur peccatum. 234.1
Prius tamen natura eſt infuſio gratiæ, quã expulſio peccati. 231.2
Gratia infundi poteſt actu peccati de potentia

tentia

Digitized by Google

Neceſſarium diſtinguitur à contingente, & libero. 282.2
Numerus menſuram ſupponit. 475.2
Neceſſitas coactionis tollit libertatem, nō autem neceſſitas naturalis. 212.2
Neceſſitas conſequentiæ, & conſequentis apta ad declarandam libertatem arbitrij cum diuino decreto 432.1
Neceſſitas amandi Deum in patria oritur ab obiecto clarè viſo, & à natura voluntatis in illud tendentis. 115.2
Nihil dicitur terminus à quo creationis, per ſimilitudinem ad priuationem formæ in materia. 471.1
Numerus menſuram ſupponit. 475.2

O

Obiectum concurrit ad ſpecificationē actus partialiter. 338.2
Obiectum non communicat tantam digni gnitatem actui, quantam gabet in ſe. pag. 339.2
Obiecti nobilitate creſcente creſcit nobilitas actus quomodo intelligendum. pag. 441.1
Obiectum potentiæ creatiuæ eſt creabile vt ſic. 456.2
Obligatio quotuplex ſit. 270.1
Obligatio ſtrictè ſumpta inuoluit relationem ad alterum, non item latè ſumpta. pag. 270.1
Oculus corporeus non poteſt eleuari ad videndum Deum. 89.2
Oculus in reſurrectione an quomodo videbit Deum in creatura: 90.1
Omnipotentia eſt incommunicabilis creaturæ, & quare. 482.1
Oppoſitio moralis, & phyſica quomodo differant. 225.1
Operationes in patria perfectiores, quam in via. 298.1

P

Pater dicitur maior Filio auctoritate vt dans eſſe. 523.1.
vt cum S.Auguſt.explicat S.Bonau.
Patris ſocietas ad Filium figuram habet regni. 272.2
Dici non debet Pater eſt perfectior Filio, niſi vt homine. 524.1
Attributa diuina tam abſoluta, quam relatiua ſunt æqualia. 523.1
Paulus poſt raptum quomodo Verbi notitiam habuerit. 168.1
An S Pauli raptus fuerit ad viſionem clarā diuinæ eſſentiæ. 110.1
Peccabilitas conuenit naturæ creatæ rationale.52.1.& quare 53.1
Peccator amatur à Deo ante iuſtificationem amore beneuolentiæ, & quomodo. 240.1
Peccatum eſt deordinatio in actu, vel in anima. 213.2
Peccatum opponitur demeritoriè gratiæ. 226.2.& phyſicè. 231.2
Peccatum,& gratia non poſſunt ſimul eſſe de potentia ordinaria. 226.1
Pecatum habet oppoſitionem moralem cum gratia. pag. 226.1. comparatur tenebris.
Peccatum non expellit phyſicè efficienter gratiam. 232.1
Differentia peccati venialis à mortali. pagina 264.1
Peccans potius dicitur deficere, quam efficere. 232.1
Omne poſſibile actu ſimul exiſtere implicat contradictionem. 480.2
Si per impoſſibile produceretur omne poſſibile, non tamen eſſet exhauſta potentia creatoris. 481.1
Nulla potentia tendit extra ſuum obiectū inadæquatum. 93.1
Potentia quælibet inclinatur in bonum ſibi proportionatum. 13.2
Potentia gloriæ quomodo naturalis,& ſupernaturalis. 19.1
Potentia per additionem virtutis poteſt adæquare obiectum ordinis ſuperioris. pag. 5.2
Potentia poteſt habere obiectum, quod non omnimodè attingatur. pag. 4. 2. & pag. 11.1
Potentiæ paſſiuæ cuilibet naturali non reſpondet actiua naturalis. 21.1
Potentiæ naturali paſſiuæ ordinatæ ad finem naturalem reſpondet actiua naturalis, & quid de ordinata ad finem ſupernaturalem? 21.1
Potentia obedientialis tā eſt in intellectu, quam in voluntate. 71.2
Potentia conuenit omni naturæ creatæ. pag. 92.2
Potentia paſſiua quomodo dicatur naturalis. 21.2
Eſſe præſens cognoſcibiliter, & ſolum per indiſtantiam. 168.2
An principium volitiuum de abſoluta potentia poſſit eſſe non intellectiuum. pag. 296.2
Inter potentiam, & obiectum qualis ſit proportio. 305.2
Prioritas à quo, & prioritas in quo quid ſint. 310.2
An detur mutua prioritas in cauſis. 311.2
Propoſitio dicitur eſſentialiter vera dupliciter. 329.1
Propoſitio per ſe nota quæ dicatur. pagina 177.2
Proprietas an ſeparabilis à ſuo ſubiecto. pag. 120.1
Proprietas indiuidualis non eſt realiter diſtincta à principijs vnitis. 128.1
Prope Deum dupliciter accipitur. 113.2

Digitized by Google

INDEX.

Præfinitio ſupponit rem futuram ſub conditione prçuiſam. 432.2
Præcepta primæ tabulæ ſunt indiſpenſabilla iuxta S. Bonauent. 267.1

R

RAymundi Lulli demonſtrationes de myſterio Trinitatis inualidç. 82.1
Reuelatio euplex genus. 379.1
In relationibus diuinis nulla prorſus eſt inæqualitas. 519.2
Præter viſionem Verbi dantur aliæ reuelationes in patria. 370.2
Regula colligendi infinitum ex argumento calculatorio, 342.2
Regulæ cognoſcendi propoſitionem per ſe notam. 179.2

S

SAcramenta cauſant phyſicè gratiā, vt Dei inſtrumenta conſtituta in actu primo potentia per voluntatem Dei, & quomodo. 69.1
Non per qualitatem intrinſecè impreſsā. ibid.
Scientia diuina indepēdens à ſcibili. 368.1
Scientia infuſa Chriſti cui ſeruiat. 117.1
Senſus non eſt eleuabilis ad percipienda inſenſibilia. 92.2
Species impreſsa Angelorum incipit repræſentare res exiſtentes abſque vlla ſui mutatione. 350.2
Species repræſentantes ſupernaturalia. 530. 1. an naturales poſſint repræſentare ſupernaturalia. 34.2
Species futurorum infundi poſſunt. 35.2
Species impreſſa quid ſit. 139.1
Species perfectioris obiecti perfectior eſt pag. 144.1
Non eſt de ratione ſpeciei repræſentare obiectum abſens. 149.2
Species quomodo ſit virtus obiecti. 153.2
Species dicitur vicaria, & inſtrumentum obiecti. 157.1
Eſt poſſibilis ſpecies impreſſa repræſentans Deum abſtractiuè. 166.2
An dari poſſit ſpecies repræſentatiua exiſtentiæ, & non eſſentiæ Dei. 171.1
Species an, & quomodo compleat obiectum. 153.1
Cur dicatur virtus obiecti. ibid.
Species eſſentiæ diuinæ nulli intellectui poteſt eſſe connaturalis. 40.2
Species expreſſa, ſeu verbum mentis in Beatis non diſtinguitur realiter ab actu intelligendi iuxta D. Bonau. 161.2
Speculi voluntarij denominatio conuenit Deo. 362. 2. & cur. 363.2
Speculi naturalis, & ſpiritualis diſcrimen. pag. 363.2
Denominatio ſpeculi voluntarij conuenit Verbo diuino, etiam vt eſt ſpecies expreſſa. 364.1
Subſtantia cui nihil addi poſſit ſolus eſt Deus. 493. 1. quia eſt infinitè perfecta.
An ſit poſſibilis ſubſtantia ſupern. 40.2

T

S. THhomas prius ſcripſit libros ſententiarum, quàm Summā. 78.1
R. P. F. Thomas Gaſtaldus Dominicanus laudatus. 175.3. & alibi
Diſtantia termini à termino dupliciter accipitur. 471.1
Differentia termini creationis à termino generationis. 456.2. & vltra
Translatio à ſtatu peccati ad ſtatum gatiæ eſt vna actio realiter, duplex formaliter. 232.2
Tranſitus à contradictorio in contrad. nō fit ſine aliqua mutatione, vel intrinſeca, vel extrinſeca. 354.2
Trinitatis myſterium non poteſt intuitiuè cognoſci naturæ viribus. 82.2
Tres diuinæ perſonæ poſſunt vnam naturam aſſumere. 46.1
Poſita reuelatione dantur rationes probabiles probantes myſteriorum Trinitatis. 82.2. 86.1
Quid ſenſerint Philoſophi de hoc myſterio. Plato. Triſmagiſtros, &c. 86.2
Variæ SS. Trinitatis ſimilitudines. 185. 2 & vltra.
Elucet ſimilitudo in anima rationali, ſed imperfectè. 188.2
Poſſibilis eſt intellectus tam perfectus, qui naturaliter cognoſcat dari de facto Trinitatem notitia abſtractiua, non intuitiua. 86.2
Neque Angeli cognoſcunt naturaliter myſterium Trinitatis. 83.2
Myſterium Trinitatis neque Raymundi Lulli argumentatio, neque Raymundi de Sabaudes diſcurſus probant. 85.2
Ex euidentia atteſtantis ſequitur notitia euidens Trinitatis quoad an eſt. 182.2

V

VErbum diuinum quomodo ſit ratio intelligendi omnia. 369.2
An Verbum mentis producatur in patria à Beatis. 158. & vltra
Videri res in Verbo quid ſit. 373.1
Veritas prima continet omnes veritates. pag. 367.1
Prima Veritas eſt ratio cognoſcendi alia, quomodo intelligatur. 358. 359. & vltra
Ex vi verbi cogniti non videntur craturæ in ipſo. 364.2
Verum definitur à S. Auguſt. 358.2
Victoriæ opinio quod nullum eſſet malū morale ex hypotheſi impoſſibili ſi non eſſet Deus reijcitur. 254. & vltra

Virtus

INDEX.

Virtus ſuſcitandi mortuos comparata viſioni. 39.2
Viſio beata eſt actualis repræſentatio reſpectu obiecti primarij, habitualis reſpectu ſecundarij. 354.2
An poſſit eſſe alicui creato intellectui cõnaturalis. 36.2
Eſt poſsibilis ſine lumine gloriæ. pag. 64. & vltra.
Potentia paſſiua ad viſionem beatam an dicatur naturalis. 21.1
Angeli cognoſcunt naturaliter poſſibilitatem viſionis. 7.2
Viſio immutatà poteſt ferri in perfectiones ſecundarias. 356.2
Viſio eſt limitatæ virtutis, & ad limitata obiecta ſimul viſa. 357.1
Viſio beata ſuperat omnem cognitionem pag. 342.1
Viſio beata quoad eſſentialia gloriæ eſt inuariabilis. 346.1
Nec variatur ipſa, aut lumen cum ſucceſſiuè plura videntur in verbo. ibid.
Hæc ſententia eſt grauium auctorũ. 349.2
Probatur, & declaratur magis. 352.2
Viſionis indiuiduatio eſt cauſa formalis determinatiua ad talia obiecta. 381.1
Viſio quo perfectior ad plura ſe extendit habitualiter. 382.2
Videntur initio beatitudinis credita in via, tum alia. 383.2
Viſio beata non admittit falſitatem. 203.1
Viſio ſimplicis intelligentiæ poſt decretũ fertur in futura ſine ſui mutatione. 354.2
Viſioni adiunctum eſt iudicium, & quale. pag. 390.2
Ex viſione ęternum duratura non colligitur neceſſitas abſoluta eius. 392.1
Solius Verbi viſio quietat intellectum. pag. 392.2
Viſio beata poteſt eſſe ſine dilectione de potentia abſoluta. 280.1
Viſio oculi poteſt manere eadem variato obiecto partiali. 355.1
Viſionis diſcrimen ab aliis actionibus. ibi.
An poſſint videri eſſentia non viſis perſonis. 115.2
De potentia abſoluta non repugnat peccatum habituale cum viſione. 211.1
Viſio beata non compatitur ſecum vllum peccatum actuale. 208.1
Neque falſitatem. 203.1
Ex vi viſionis Verbi an cognoſcatur creatura. 394.1
An ſit poſſibilis viſiò diuerſæ ſpeciei ab ea quæ nunc eſt. 113.1
Ordinatio ad viſionem duo dicit, ſcilicet voluntatem Dei ordinantis, & aptitudinem creaturæ. 22.1
Poſſibilitatem viſionis Dei claræ ab intellectu creato cognoſci probabile eſt. 1.2
Poſſibilitas viſionis facta reuelatione fidei poteſt euidenter demonſtrari. 1.2
Poſſibilitas viſionis ſaltem ab Angelo lumine naturali poteſt cognoſci. 5.2
Per viſionem increatam non poteſt formaliter reddi videns intellectus creatus. pag. 71.1
Viſio etiam tenuis trahit ſecum dilectionem. 216.1
Cum viſione beata implicat odium Dei. pag. 216.2
Nulla viſio ſuperare poteſt nobilitatem viſionis Chriſti D. 116.1
Vnio hypoſtatica an diuerſæ ſit rationis reſpectu animæ, & corporis. 114.1
Vnio hypoſtatica reddit intrinſecè ſanctã animam Chriſti. 148.2
Multi vocati, pauci vero electi explicatur à S. Auguſt. 447.2
Vocat Deus habito reſpectu ad voluntates humanas, licet poſſit vocare ſine illo. 448.1.2
Voluntas ſequitur iudicium, & rationem. 299.2. eſt potentia cæca.
Cognitio pertinet ad rationem ſpecificatiuam actuum voluntatis. 304.1. & vltra. & eſt indicatiua ſaltem virtualiter. pag. 312.1
De ratione voluntatis eſt libertas. 303.2
Voluntas non fertur in incognitũ. 292.1
Voluntas Beati, & confirmati in gratia non poteſt peccare. 285.2
Virtutes ſtatui beatifico conuenientes manent cum viſione beata. 289.2
Voluntatem creatam Deus trahit miris modis. 430.2
Voluntas non tendit in malum, niſi ſub aliqua ratione boni. 209.2
Voluntas duci poteſt ab agente creato, mutari à ſolo Deo poteſt, cogi à nullo poteſt. 212.1
Voluntarium, & liberum differunt. 213.1
Voluntas antecedens, & conſequens quæ ſit ſecundum S. Damaſc. 455.1
Voluntas trahitur perſuaſione, quæ eſt moralis quędam determinatio. 445.1
Voluntatis diuinæ nulla eſt cauſa, ſed tantum ratio aliqua. 412.2
Ex parte etiam creaturarum dantur rationes, ob quas vna ſit volita potiuſquam alia. 414.2
Volitio diuina poteſt eſſe ratio cognoſcendi futura. 429.1
Voluntas male non eſt à Deo. pagina 449.1
Qui vult aliquid, vult conſequentia ad illud explicatur. 451.2

Aduerte Lector erratum à num. 546. inde enim repetitur immediatè 447. poſito 4. pro 5. ne fatigeris quærendo folia.

Alia menda facilè corriget Lector Latinitatis non neſcius.

Digitized by Google

REGESTVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii KK Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii KKK Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee.

Omnes ſunt Duerniones.

ROMAE.

TYPIS DOMINICI MANELPHII. MDCLII.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

tentia abſoluta. 236.1
Gratia oppponitur formaliter peccato, & quomodo. 225.1. quaſi contrariè. 232.1

H

HOneſtum in genere dicitur, quod eſt conforme rationi. 268.1
Honeſti regula eſt iudicium rectum. 269.1
S.Hieronymus explicatur vbi videtur agnoſcere culpam in miniſterio Angelorum. pag. 207.2
Habitus erroris non poteſt à Deo infundi. 405.2
Habitus virtutum manent in Beatis. 284.1

I

ESſentia Diuina eſt imitabilis à creaturis dici poteſt Idea. 420.1
Ideæ ita repræſentant terminos ſimplices, vt ſint aptæ repræſentare complexionem eorum. 420.2
Ideæ ante decretum non repræſentant futura, niſi aptitudine. 422.1
Dantur ideæ tam particularium, quã vniuerſalium. 425.1
Similitudo quam dicit Idea eſt duplex imitationis, & expreſſionis. 425.1
Ideæ vocantur à Patribus rationes æternæ, & incommutabiles. 426.1
S.Ignatij Loyolæ ſublimis contemplatio, pag. 379.2
Modus, quo ſe Trinitas S.Ignatio manifeſtauit. 199.2
Ignis Inferni torquet animas, & quomodo pag 476.1
Immenſitas eſt propria Dei, & creaturæ incommunicabilis. 48.1. Item æternitas.
Impeccabilis ſolum eſt creatura ex dono gratiæ. 53.2
Potiſſimum fundamentum impeccabilitatis naturalis creaturæ impoſſibilis, eſt Patrũ auctoritas. 63.1.2
Impeccabilitas eſt perfectio liberi arbitrij. pag. 61 2
Infinitum aliud categorematicum, aliud ſyncategorematicum. 461.2
Infinitum ſyncategorematicum eſt mixtũ ex actu, & potentia. 463.1
Infinitum cur dicatur ab Ariſtotele habere rationem partis, & non totius. 463.2
In infinito non datur primum, & vltimum. pag. 463.2
Continet infinities infinita. ibid.
Varia incommoda infiniti oſtenduntur à pag. 494. vſque ad 508
Infiniti definitio ex Ariſt. 461.2
Non eſt poſſibilis ſubſtantia creata infinitè perfecta. 486.1
Neque accidens infinitè perfectum.
Infinita quantitas eſſet menſurabilis, & immenſurabilis. 479.2
Repugnare corpus infinitum oſtẽditur ex variis caſibus. 465 1.2. & vltra
Infinitum corpus non capitur à loco. 471.2
Infinitum pertranſiri non poteſt. 472.1
Infinitum corpus careret inclinatione ad operandum. ibid. c. 2. & vltra
Et pondere. 474.2
De eſsẽtia infiniti ſyncategorematici eſt, vt nõ poſſit totũ ſimul à parte rei poni. 538.2
In infinito ſyncategorematico non eſt cognoſcibile aliquod determinatum omnibus alijs maius, aut minus. 536.1
Infinitum finiri non poteſt ablatione finiti. pag. 490.2
Quomodo valor meritorum Chriſti ſit infinitus. 514 2
Infinitum cognoſcitur à Deo vt eſt cognoſcibile, quod explicatur per hoc, quod in obiecto cognito non ſunt tota quin plura. 541.2
Valet inſtantia diuiſionis continua nunquã reducibilis ad actum ad ſoluendas obiectiones. 514.1
Si Deus produceret infinita, non poſſet plura producere, quomodo intelligendum. pag. 481.1
An cogitationes futuræ per totam æternitatem poſsint dici, omnes. 515.2
Diſtinctio inter plura negata in infinito, & inter alia conceſſa in eodem refutatur. 527. 1. ſicut & infiniti materialiter, & formaliter conſiderati.
Infinitum pertranſiri nequit. 529.1
Diſtinctio continentiæ vnius infiniti maioris altero infinito, & reſpondentiæ vnius ad alterum reijcitur. 540.2
Non poteſt in infinito videri aliqua determinata creatura omnium ſuprema, neq; infima. 531.1
Non poteſt dari infinitum, quod non ſit infinities infinitum. 534.1
Aeternitas creaturarum, & infinitum ſunt connexa. 477.2
Intellectus videns Deum, videt etiam ſeipſum, & lumen concomitanter. 388.2
Intellectus humanus in corpore operatur dependenter à phantaſia. 41.1
An propria virtute cognoſcere poſſit ſupernaturalia. 26.2. 28 1. 29.1
Intelligere eſt quoddam pati. 155 2
Dare eſſe intentionis eſt intelligere obiectũ pag. 47 1
Intellectus concurrit actiuè ad viſionem beatam. 161.2
In intellectu eſt radix libertatis. 55.1
Intellectus quomodo dici poſſit inſtrumentum ad viſionem beatam. 74 2
Dari nequeũt duo inſtantia immediata. 512
Intellectus Beati propria virtute multa cognoſcit. 389.1.2
Intellectus poſita ordinatione ad finẽ ſupernaturalẽ habet naturaliter quantũ ſufficit ad cognoſcendam poſſibilitatem viſionis

Digitized by Google

ſionis beatificæ. 2. 2
Intellectus ſine Dei cognitione ſquietus 3 1
Intellectus creatus habet pro primo obiecto ens. 4 1
Intellectus extendit ſe ad cognitionem omnis entis aliquo modo. 4.1
Intellectus non ſolum vniuerſaliter, ſed particulariter inueſtiga t de Deo, pagina 5.2
Intellectus poteſt de rebus ſemel per auxilium ſupernaturale cognitis naturaliter cogitare. 6 2
In tellectus humanus cum ſpeciebus ſuper naturalibus poteſt res ſupernaturales naturaliter cognoſcere. 7.1
Immortalitas animæ cognita à Philoſophis duxit eos in cognitionẽ beatitudinis 7.1
Intellectus non expletur, niſi sũmo vero. 8.1
Inſtrumentum dicitur determinare cauſã principalis agentis, & quomodo. 478 2. & 480 2.
In inſtrumento nõ eſt neceſſaria actio principali agenti præuia. 478.2
Inter inſtrumentum, & effectũ ab ipſo productũ, qualis proportio requiratur. 480,2
Vna, & eadem eſt actio inſtrumenti, & principalis agentis. 478.2
Omnis creatura poteſt aſſumi à Deo pro inſtrumento creationis. 476.2
In inſtrumentis tota vis agendi attenditur penes virtutẽ principalis agentis. 69 2
Non eſt neceſſe eleuari inſtrumentum per impreſſam qualitatem. 482.1
Iuſtus ſimpliciter denominatur, qui habet gratiam, & remiſſionem offenſæ. 229 2
Completa iuſtificatio dicit omnem elongationem à culpa. 237.1
Duplex genus iuſtificationis. 237.2
Non implicat iuſtificatio per actum ſupernaturalem. 239.1
Iudicij dies notus quibuſdam Angelis, & hominibus. 385.1

L

Lex propriè dicta non eſt, niſi à ſuperiori 270.2 & intimata. 267.2. latè accipitur pro debito aliquid faciendi. ibid.
Quomodo lex ſit occaſio præuaricationis. pag. 266.2
Ceſſante lege ſuperioris nõ ceſſat lex naturalis. 267.2. ideo ſi Deus non præciperet, adhuc poſſet eſſe peccatum, 274.2
Non ſola coactio, & violentia tollit libertatem. 213.2
Determinatio ad honeſtum non opponitur libertati arbitrij. 60.1. & 62.2
Libertas ſtat cum determinatione morali. pag 443.1
Libertas Chriſti. 283.1
Idem lumen extenditur ad plura ſucceſſiuè videnda in Verbo. 374.1
Lumen gloriæ concurrit ad viſionem in genere cauſæ efficientis. 68.1
Lumen gloriæ poteſt ſuppleri à Deo ad viſionem beatam. 73.1.2
Lumen gloriæ indifferens ad plura repræsẽtanda determinatur à diuino cõcurſu ad hæc, vel illa repræſentanda. 380.2
Non eſt ſpecies impreſſa. 140.1
Lux increata iuuat intellectum, creatæ exceſſus lædit ſenſum. 10.1

M

MAlũ moraliter attenditur penes diſcõuenientiam cũ natura rationali. 62.1
Martyrium verum non eſt extra Eccleſiam catholicam. 289.1
Materiæ ineſt appetitus ad animam, ſicut ad formas materiales. 16.1
Materia eſt infima in genere rerũ, & propè nihil. 463.1
Maria Virgo videt clarè diuinam eſſentiã, ſi vllus alius vidit. 111.1
Materiam rerum corporearum, & incorporearum eandem eſſe, dictum à S. Bonau. quomodo intelligatur. 120.1
Mediũ demonſtrationis multiplex. 9.1
Media comparata ad decretum Dei habent infallibilitatem effectus, & neceſſitatem conſequentiæ. 443 2
Medium deducens quid ſit. 160.1
Mens, notitia, & amor non ſunt accidentia, dictum ab Auguſtino, quomodo intelligendum 191.1
Menſura, & menſurabile quomodo ſint correlatiuè 475 1
Ad meritum neceſſaria eſt libertas. 496.1
Meritum ſupponit libertatem. 296 1
Motiua omnia laudis, quæ ſunt in Deo non poſſunt comprehendi Beatis. 284.1
Moyſes Deum vidit in ſubiecta creatura. pag. 104. 2
idque probatur.
Ex vi ſignificationis vocum hæbraicarũ in Scriptura contentarum. 1.1
Non vidit clarè diuinam eſſentiam in ſent. S. Bonau. 102, 2, quomodo viderit in ænigmate. 104.2

N

NAtura habet aliqua in appetitu, ſed non in poteſtate. 17.1
Naturam creatam, quæ ſit hæc in indiuiduo eſſentialiter non eſſe poſſibilem, eſt probabilius. 136.1
Natura irrationalis non eſt capax ſanctificationis, neq; beatitudinis. 296.2
Natura humana immediatè vnitur Verbo. pag. 76 2
Naturale dicitur dupliciter. 151.1
Naturale eſt deſiderium plura ſciendi de Deo. 415.2
Neceſſarium quoad ſubſtantiam poteſt eſſe liberũ quoad circumſtantias. 283.1

Ne-

Google

5-2

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Laboratorio di Restau
Leandro Gottscher
Via del Boschetto, 9
Roma
Digitized by Google

Digitized by Google